
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
43
2 D
10



MORALIS CHRISTIANA EX SCRIPTURA SACRA;

Traditione, Conciliis, Patribus, & insignioribus Theologis

EXCERPTA:

In qua positis & statutis principiis generalibus deducuntur Consectaria, quibus casus conscientiæ sigillatim explicantur:

AUCTORE


R. P. JACOBO BESOMBES

Doctore Theologo, Congregationis Doctrinæ Christianæ, & in Provincia Tolosana ejusdem Congregationis Præposito Provinciali.

EDITIO NOVISSIMA:

In qua BENEDICTI XIV. P. O. M. decreta mores spectantia, item canones pœnitentiales, aliaque nonnulla ad calcem secundi Tomi addita sunt.

TOMUS I.





MUTINÆ, *SUPERIORUM PERMISSU.*

PROSTANT VENETIIS APUD SIMONEM OCCHI SUB SIGNO ITALIÆ.

MDCCLVII.

Quisquis hæc legit, ubi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter hæsitat, quærat mecum; ubi errorem suum cognoscit, redeat ad me; ubi meum, revocet me: & ita ingrediamur simul caritatis viam, tendentes ad eum, de quo dictum est: Quærite faciem ejus semper. *August. lib. 1. de Trin. cap. 3.*





MONITUM TYPOGRAPHI

IN HANC EDITIONEM.

SOlent permulti, qui insigne aliquod Opus edendi curam susceperunt, ipso statim Libri initio, sive ut præclaram de eo opinionem mentibus hominum injiciant, sive ut emptores magis alliciant, plurimas laudes in ejus commendationem congerere, clariorum Virorum de eo testimonia, si quæ sint, proferre, ejusque cum utilitatem, & emolumentum, tum dignitatem, & amplitudinem magnificis verbis extollere. Quam ego consuetudinem etsi improbare non audeo, minime tamen eam mihi nunc necessariam esse ita existimo, ut etiam supervacanea videri possit. Ac si tibi quidem, humanissime Lector, præstantissimum Belombes Opus, quod tibi lætus offero, multis commendare vellem, perinde facerem, ac si lucente Sole, atque omnia illustrante, in eo demonstrando, quod dies est, diutius laborarem. Ita enim Cl. Authoris nomen apud omnes vel modice in rebus moralibus versatos celebre est, ut neminem esse putem, ad cujus aures cum maximo præconio non pervenerit: sin aliter, satis tamen cuique fuerit horum Tractatuum nonnullas pagellas legisse, ut etiam, me tacente, de eorum præstantia, atque utilitate nullo fere negotio judicare possit. Unum tantum monitum te volo, nonnullas hic quæstiones exagitari, ac resolvi, a viro scilicet Gallo, juxta Gallicanæ Ecclesiæ disciplinam, a qua tamen cæteræ interdum dissentiunt Ecclesiæ, ac Romana præcipue, cui primas deferri æquum est. Id maxime animadvertes in prioris Tomi Tractatu IV. cap. IV. ubi de Ecclesiastica, civilique potestate edisserit. Hoc vero ideo in antecessum te monere opportunum duximus, ut sicubi quædam Romanæ Ecclesiæ disciplinæ minus consona repente incurras, in vado ne hæreas, sed ad ejusdem scias Romanæ Ecclesiæ normam omnia esse exigenda. Alterum etiam addimus, in Tolosana Editione, quæ in octo minores Tomos distributa prodierat, Lectorem interdum ad alia quædam ejus loca remitti Tomo, quem is inspicere debet, subinde designato. Nos autem cum eam ad majorem hanc formam redactam in duo tantum volumina contraxerimus, ne frustra quæratur [illegible] Tomus in superiori editione notatus, Tomorum loco, quorum numer[illegible] nostra imminutus est, Tractatum videndum indicavimus. O[illegible] forte [illegible] quando hæc a nobis cautio ex imprudentia quadam, aliud [illegible]ne agentibus, etiam invitis, neglecta fuerit, nullaque ejusmodi exte[illegible] a te, ut id benigne ignoscas, hominemque pluribus districti[illegible] cusare humaniter velis: neque tamen tibi exinde hac nostr[illegible] occupato difficile fiet, parva adhibita diligentia, optatum locum [illegible]s tamen finibus nequaquam coarctati, in illud insuper curam nostram [illegible] contulimus, ut hanc editionem iis omnibus decretis augeremus quibus SS. Dominus noster Benedictus XIV. feliciter regnans morum rectam doctrinam promovit illustravitque: hisque canones pœnitentiales addidimus a S. Carolo Borromeo collectos & expositos in IV. Parte Actuum Ecclesiæ Mediolanensis, quorum sane cognitione Parochis, Confessariisque apprime opus est, ut satisfactionis imponendæ modum assequantur: nec non censum delictorum S. In-

quisitionis Officio denuntiandorum dedimus juxta decretum ab eodem Tribunali in Venetorum inclyta Ditione latum, quod præter propter omnes Italiæ Diœceses imitantur. Hæc omnia ad secundi Tomi calcem proprio ordine locata, atque opportunis locis in Operis decursu indicata reperies, ut ea legere volentibus unica serie, in promptu sint, & Opus cursim volventibus non negligantur. Decretum autem S. Officii Inquisitionis proprio quo editum est idiomate dedimus, cum iis tantum illud exhibeamus qui italicum sermonem optime intelligunt.

Ne vero Authorem nostrum omni laudis testimonio fraudare videamur, liceat exscribere judicium de illius Opere vulgatum in litterariis Florentinis Foliis, quod ex italico sermone in latinum versum eorum gratia qui vernaculum, quo scriptum est, idioma non callent, subjicimus.

Ex Foliis litterariis Florentinis an. 1745. 4. Junii num. 23.

Si ullo umquam tempore necessaria optimæ cujuspiam Moralis Theologiæ editio visa est, hoc vel maxime ea esse mihi quidem videtur, quo misera rerum conditione eo deventum est, ut post Christianæ morum disciplinæ praxim plurimis jam corruptelis fœdissime sauciatam, in ejus quoque theoriam deturpandam non minus temere, quam furibunde audaciores nonnulli hinc illinc erumpunt, insiliuntque, qui tamen scriptiunculis suis non rudes modo sese, atque ignaros, sed & turpiter dissolutos manifestissime produnt, quod scilicet juxta æternæ Sapientiæ Oraculum, ex abundantia cordis os loquitur. *Hæc autem tam necessaria editio ea porro est, quæ secundis curis novissime prodiit* Moralis Christianæ P. Jacobi Besombes *in duos Tomos in 4. tributæ, paginarum singulos circiter 600. Moralis, inquam, Christianæ ex limpidissimis fontibus divinæ Scripturæ, Traditionis, Conciliorum, Sanctorum Patrum, insigniorumque Theologorum haustæ ac delibatæ, non ex cœnosa aliqua, ac lutulenta lacuna effossæ eorum omnino Doctorum, quorum sophismata* ad excusandas excusationes in peccatis *unice diriguntur. Egregie ii quidem, si hominum more loqui juvat; hujus enim sæculi filii prudentiores sunt filiis lucis; atque ii in ea hominum existimatione, fallaci quidem ac simulata, qua tamen capiuntur, diu perdurare possent, nisi magnis quibuslibet sceleribus, atque flagitiis obtegendis, e subdola, quam tradunt, Theologia multos ac varios subinde prætextus, inanesque excusationes, tamquam velamina quædam depromerent, ac venditarent. Hujusmodi porro filiorum sæculi Theologia haud isthæc est P. Besombes, sed vere Theologia filiorum lucis, qui cælestem atque evangelicam doctrinam scire, atque sectari, Christi Ecclesiæ parere, decreta venerari, præceptis obtemperare, puriora dogmata ab omni prorsus seu vitiosæ praxis, seu idolicæ abominationis suspicione secura & innoxia propugnare sincero animo cupiunt, ac pro [illegible]nituntur. Sedulam itaque quisquis Doctrinæ huic morali navabit [illegible] tales effutiet propositiones, ex quibus aliquando colligatur, immaniora quæque sacrilegia innocuæ urbanitatis confinia non excedere; non [illegible] dispensationum concessiones vel probabit, vel tuebitur, quæ [illegible] ita dedecent, ut vel infidelitatis dumtaxat tenebris obcæ[illegible] dignæ esse videantur, vel quas ipsi quoque infideles diris atque [illegible] devoveant: quinimmo nervis omnibus contendet, ut ea quam ma[illegible] expleat officia, ad quæ eum vocat conditio sua, & a quibus recta ipsius institutio, probitas, parentum cultus, æterna demum salus dependent: quæ quidem officia quomodo sine peccato negligi a quoquam possint, sane non video. Res enim prope ridicula est, circumspicere, quantum nonnemo conscientiæ suæ illudat, callumque, ut ita dicam, obduxerit, ut inde occasionem arripiat Authori nostro succensendi, eumque superbo admodum supercilio contemnendi, qui tamen hac quidem in parte jure ac merito rigidiorem se præbet. Denique quisquis egregii hujus Operis lectioni serio se addixerit, certus erit, se veram esse ac tutam Christianoque*

noque nomine dignissimam morum disciplinam assecutum; simulque lætabitur, mira se ad illam facilitate pervenisse, nova hac, atque expeditissima methodo perductum: immo & refartissimæ Bibliothecæ cujusdam loco, in iis quidem, quæ ad mores pertinent, sibi unum hoc opus fore experiendo cognoscet; ita enim brevitas hic non officit, ut inanibus, ac supervacaneis quibusque quæstionibus seclusis, & Traditione excerpta, res quæque morales revocentur, ex quibus sponte veluti sua quorumcumque moralium Casuum resolutiones diffluant, atque dimanent: ut proinde opus non sit, in effingendis diluendisque objectionibus tempus inaniter terere, quibus nimirum quilibet per sese ex jactis semel doctrinæ fundamentis nullo fere negotio occurrere, refellere, dissolvere valeat. Methodi videlicet, quam geometricam vocant, ac doctissimus Author ubique servavit, omnium sane utilissimæ præclarissimus is fructus est, ut dum Tractatus omnes perpetuo quodam nexu invicem colligantur, quique consequuntur a præcedentibus dependent, propeque deducuntur, prioribus illis intellectis, ad reliqua omnia facillime intelligenda prona quodammodo paretur via, atque instruatur. Viginti novem Tractatibus totum morale hoc Opus conficitur, quorum denos & octo primus Tomus comprehendit, reliquos undecim secundus. Quo vero ii ordine digerantur, ac quibus de rebus in singulis disseratur, Author ipse in sequenti Præfatione sua exacte declarat, ab iis scilicet verbis (a) Primus Tomus habet XVIII. Tractatus &c. *ad ejusdem circiter finem. Ex quibus omnibus illud clarissime apparet, eruditissimum Authorem nostrum sexcentas variarum, utiliumque rerum notitias miro undique studio conquisitas in huncce Librum, tanquam in ditissimum aliquod promptuarium congessisse, unde Lectoribus præsto sit quidquid ad eum plenissime informandum, multaque, sine quibus mutila sit, clauditetque oportet moralis Christianæ cognitio, uno eodemque tempore erudiendum maxime conferre videatur: ut non immerito in eum laus illa conveniat, qua Platonem, Philosophorum celeberrimum ob similem servatam docendi rationem, Æneas olim Gazæus commendavit.* Hactenus ibi.

Meum interim de te benemerendi studium grato animo excipe, laborumque meorum fructu, quos & libenter suscipio, & libentius tua causa perferam, sic utere ut fruaris, sic fruere ut quotidie magis proficias. Vale.

(*a*) Integrum hic locum ex citata Præfatione foliorum Author exscribit, quem tamen consulto ideo nos tantummodo indicavimus, ne ea frustra bis repeterentur, quæ Lectoris oculis, vertendo dumtaxat folium, statim occurrant.

PRÆFATIO AUCTORIS.

ETsi, quæ sit hujus operis ratio, ex ipsa inscriptione satis judicari possit, quædam tamen breviter præmittenda existimavi, ut scilicet quo animo susceptum sit opus, quoque ordine pertratactum, clarius & facilius lectores intelligant.

Duæ igitur in primis causæ me commovent ut hoc opus aggrediar: primo enim cum plerique Morales Theologi ea sola humana ratione res gravissimas æstimare, & ex meris hominum opinationibus omnia conficere soleant, non inutile aut ingratum fore duxi iis omnibus quibus incumbit animarum cura, si moralem iis proponerem, quæ solidioribus niteretur principiis, & ex Scriptura, Traditione, Conciliis, Patribus, & insignioribus Theologis excerpta, plus ipsis afferret simul & utilitatis & securitatis.

Deinde, cum sæpe mecum tacitus agitarem, quanta sit rerum moralium & diversitas & amplitudo, ac proinde quam difficilis, quam ardua earum cognitio, me operæ pretium facturum esse intellexi, si novam tentarem methodum, in qua rerum moralium amplitudo & diversitas contraheretur, simulque levaretur earumdem cognoscendarum difficultas. Quod quidem fieri posse arbitror, si primo ex morali disciplina quæstiones omnes, quæ fovendis tantum contentionibus, non ædificandis moribus utiles sint, omnino secludantur; eaque methodo tradantur res morales, ut ad certa principia revocentur, ex quibus principiis reliqua deinde omnia facile consequantur: sic enim fieri potest, ut intellecto semel vel uno principio, simul vel centum quandoque conclusiones sine labore intelligantur. Atque illa certe posterior ratio me potissimum impulit, ut Morali, quam publici juris facio, manum & operam admoverem, eamque secundum illam methodum quæ magnum affert legentibus laboris compendium, exigerem.

Ut igitur operis mei rationem & ordinem plane intelligatis, Lectores benevoli, hæc tria attendatis velim: primo, res morales ad certa principia ubique revoco; quæ quidem principia non humanis rationibus aut conjecturis, sed Scripturæ & Traditionis auctoritate, quantum res patiuntur, accurate stabilio; & ex quibus deinde Consectaria seu conclusiones deduco,

Præterea quæstiones omnes quæ nimia subtilitate disputantur, missas facio; nec in conficiendis aut solvendis objectionibus tempus tero, ea præoccupare aut diluere contentus, quæ ad principiorum intelligentiam visa sunt omnino necessaria.

Denique quo magis levetur lectorum labor, meum opus sic distribuo, ut sequentes Tractatus, quantum fieri potest, ex prioribus pendeant, & priora in subsequentium intelligentiam deducant.

Erit igitur hæc Moralis nostra in duos Tomos distributa. Primus tomus habet XVIII. Tractatus, quorum I. explicabit e quibus fontibus erui debeat disciplina moralis, II. agit de objecto moralis Christianæ: III. de interna moralis regula, seu Conscientia: IV. de externa moralis regula, seu de Lege

ge dissertabit : V. differet de Fide : VI. de Spe : VII. de Caritate : VIII. de Religione : quæ omnia ad primum Decalogi præceptum attinent. Secundum, tertium, quartum, quintum , sextum , & nonum Decalogi præcepta quinque sequentibus Tractatibus absolventur ; placuit enim sextum & nonum ob mutuam affinitatem simul explicare. XIV. & duo sequentes Tractatus septimum Decalogi præceptum expedient, *Non furtum facies* : quo referenda sunt ea omnia quæ ad Jus & Justitiam, ad rerum dominium , usucapiones , contractus, donationes, testamenta, & restitutionem pertinent. Tractatus deniqne XVIII. octavum Decalogi Præceptum explicabit.

Secundus verus Tomus XI. Tractatibus absolvetur. Primus erit de Præceptis Ecclesiasticis : hinc ad II. de Censuris Ecclesiasticis deveniemus, cui III. subjicimus de Beneficiis Ecclesiasticis, & IV. de praxi Beneficiaria juxta Rebuffum. Perpensis inde omnibus quæ de variis hominum statibus inquiri solent in genere, Tractatus V. erit de statu Religioso, VI. de statu Clericali, VII. de variis Laicorum conditionibus, & sua cuique conditioni officia indicabit. VIII. erit de Sacramentis, quem bifariam discerpsimus: in prima parte ea, quæ solos casus conscientiæ respiciunt, considerabimus: in secunda ea quæ de Sacramentis tum in communi, tum in particulari examinari solent, trademus. Tres ultimi Tractatus ipsos moralis Christianæ fontes seu libros, in quibus moralis disciplinæ principia continentur, aperient ; & qua ratione iisdem libris ad solvendos Conscientiæ casus utendum sit, edocebunt. Proinde in Tractatu IX. quædam ad Scripturæ intelligentiam, Moralibus Theologis scitu necessaria breviter observabimus. Tractatus X. erit de vero Conciliorum usu in resolvendis casibus Conscientiæ , ubi Synopsim Ecclesiæ Canonum cum annotationibus subjicimus, & eam simul trademus methodum, qua facile addiscit, & memoria retineri possint. In XI. denique & ultimo utriusque Juris Civilis & Canonici idea breviter proposita , de ejus , nec non de Casuistarum usu in Theologia Morali & præsertim quibus Theologorum summulis sit inhærendum , quibusque in illis legendis observandum explicabimus.

Reliquum est ut vos præmoneam, Lectores benevoli , ne mirum vobis aut molestum videatur, si quando ab incepto opere non nihil digrediar , & constitutos Morali Theologo fines transiliam , Concionatorem agens aliquando magis quam Casuistam. Id ex industria factum est; non enim Confessariis solum, sed Concionatoribus & Missionariis etiam consultum volui. Valete Lectores benevoli , quæque ad animarum salutem scripsi , in bonam partem accipite.

INDEX TRACTATUUM, ET CAPITUM

QUÆ IN HOC PRIMO TOMO CONTINENTUR.

TRACTATUS PRIMUS.

TRACTATUS II.

TRA-

TRACTATUS V.

De Fide.

Con-

TRACTATUS VI.

De Spe.

TRACTATUS VII.

De Caritate.

TRACTATUS VIII.

De Religione.

An

De

TRACTATUS IX.

De secundo Decalogi Præcepto.

TRACTATUS X.

De tertio Præcepto.

Con-

TRACTATUS XI.

De quarto Decalogi præcepto.

TRACTATUS XII.

De quinto Decalogi præcepto.

TRACTATUS XIII.

De sexto & nono præcepto.

TRACTATUS XI.

De rerum dominio.

TRACTATUS XV.

CA-

TRACTATUS XVI.

De variis speciebus injustæ acceptionis, vel detentionis boni alieni.

Fur-

TRACTATUS XVII.

Con-

TRACTATUS XVIII.



Fa-

Facultas admodum Reverendi Præpositi Generalis Congregationis Doctrinæ Christianæ.

NOS PETRUS ANNATUS Congregationis Patrum Doctrinæ Christianæ Præpositus Generalis, Librum, cui titulus est, *Moralis Christiana*, &c. a R. P. Jacobo Besombes, Congregationis nostræ, Doctore Theologo latine contextum, & a tribus aliis ex eadem nostra Congregatione Theologis lectum & approbatum, prælo typographico mandari, & luci publicæ dari permittimus: in cujus rei fidem has præsentes manus nostræ subscriptione firmatas & sigillo officii nostri munitas dedimus. Parisiis, in domo nostra Sancti Caroli.

ANNATUS, Præp. Generalis.

Approbatio Doctoris Sorbonici.

EGO infra scriptus Facultatis Parisiensis Doctor Sorbonicus & in æde sacra Beatissimæ Virginis Mariæ de Cahusac prope Gimontem Cappellanus, de mandato Illustrissimi Franciæ Cancellarii legi librum latine scriptum, cui titulus: *Moralis Christiana ex Scriptura Sacra, Traditione, Conciliis, Patribus & insignioribus Theologis excerpta*; in quo opere nihil reperi, quod fidei, & bonis moribus repugnet: immo in quo elucent methodus in tradendis morum regulis perspicua & nova, probationes authenticæ, doctrina nec severior nec laxior, scientia theorica simul & practica dirigendis moribus & audiendis confessionibus apta: in cujus rei fidem subscripsi.

D. MALAUBERT Doctor Sorbonicus.

MO-

MORALIS CHRISTIANA

EX SCRIPTURA SACRA

Traditione, Conciliis, Patribus, & insignioribus Theologis

EXCERPTA.

TRACTATUS PRIMUS.

De principiis Moralis Christianæ,

Seu de fontibus, e quibus erui debet Moralis Christiana.



ORALEM Christianam traditurі, a principiis ordimur, e quibus erui illa debet; naturalis enim ordo postulat, ut dum traditur aliqua disciplina, principia, ex quibus ea pendet, ante omnia constituantur; quare in hoc primo tractatu quæremus, Primo, quot & qui sint fontes seu principia, e quibus erui debet Moralis Christiana. Secundo, quomodo iisdem principiis utendum sit.

CAPUT I.

Quot & qui sint fontes Moralis Christianæ.

1. PRop. Primus & præcipuus fons Moralis Christianæ est divina revelatio.

Prob. Ex Scriptura. Divina revelatio homini in eum finem data est, ut homo, excæcatus per peccatum, sua officia edisceret, juxta illud Pauli: *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, & erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* 2. ad Tim. c. 3. v. 16. utque innumera testantur Scripturæ oracula, quæ passim asserunt, ideo nobis Deum locutum fuisse, ut nos e tenebris educeret: ergo ex revelatione primo & præcipue hauriri debent Christianæ Moralis officia.

Prob. 2. Auctoritate Patrum. Divina revelatio continet verbum Dei, qui nec falli, nec fallere potest: non falli, quia est infinite sciens: non fallere, quia est infinite bonus; ergo ex revelatione primo & præcipue petenda est Christiana Moralis, ex qua pendet hominis æterna tum beatitudo, tum infelicitas; in quam sententiam Clemens Alex. ait 7. lib. Strom. *Non expectamus testimonium quod datur ab hominibus, sed voce Domini probamus quod quæritur, quæ est magis fide digna quam quævis demonstratio, vel potius, quæ est sola demonstratio.* Quo etiam pertinet illud D. Th. 1. contra gentes c. 4. *Salubriter ergo divina providit Clementia, ut ea etiam, quæ ratio investigare potest, fide tenenda præciperet ut sic omnes de facili possent divinæ cognitionis participes esse: & absque dubitatione & errore.* Hinc est quod Eph. 4. dicitur: *Jam non ambuletis sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum.* Et Is. 54. *Ponam universos filios tuos doctos a Domino.*

Prob. 3. Ratione. Officia Moralis Christianæ vel juris sunt naturalis, vel supernaturalis: si supernaturalis, in his humana ratio, seclusa revelatione, plane cæcutit, ut patet ex officiis quæ Deo debemus Redemptori, quæ quidem sine lumine fidei nullatenus innotescunt: si vero juris sint naturalis, in his humana ratio etiam sagacissima sæpe errat, ut patet ex Philosophis, qui vel in ipsum decalogum tot scelera permiserunt, puta furtum, ut Lycurgus; monstruosam uxorum communitatem, ut Plato; liberorum internecionem, ut Aristoteles: utque etiam clarius patet ex quibusdam hæreticis, qui morum disciplinam ex sola ratione admetiri voluerunt; hi enim, ut dicit Damascenus lib. de hæresibus in fine: *In moribus & rebus agendis aberrant, & in aliquas res agendas, quæ præclara sunt, & cum laude conjuncta, criminantur: contraque nonnullas, quæ vituperatione digna sunt, approbant.*

Rursus. Doctrina morum non minus est revelata quam doctrina fidei, quia, ut scriptum est: *Sine fide impossibile est placere Deo*, ita & dictum est, *fides sine operibus mortua est.* Ergo si fidei doctrinam ex revelatione eruimus, doctrinam morum ex eadem revelatione debemus desumere.

Confect. Hinc intelligi potest casuum arbitris ante omnia consulenda esse ea, in quibus divina revelatio continetur.

§. 1. Ac primo quidem consulenda est diligenter Scriptura sacra; hæc enim verbum Dei continet. *Non enim*, ut ait Petr. 2. c. 1. v. 21. *voluntate humana allata est aliquando prophetia: sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines*. Neque fidei nostræ tantum, sed & morum normam continet. Ibi enim, ut ait Aug. lib. 2. de doctrina christiana cap. 9. *inveniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque vivendi*: & lib. 3. cap. 10. *Non præcipit Scriptura, nisi caritatem, nec culpat nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum*.

Unde videmus utriusque testamenti Patres, Apostolos, & ipsummet Christum, quoties de moribus instituendis agebatur, Scripturam consuluisse, aut ad eam populos remisisse.

Sic Moyses jussit, ut quolibet anno remissionis in solemnitate tabernaculorum Levita Scripturam legeret, & ita populum edoceret. *Convenientibus*, inquit, *cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei sui in loco, quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus coram omni Israel, audientibus eis.... ut audientes discant, & timeant Dominum Deum vestrum, & custodiant, impleantque omnes sermones legis hujus*. Deut. 31. v. 10.

Sic Josue populum mittit ad Scripturam. *Estote*, ait, *soliciti, ut custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysis*. Jos. 23. vers. 6.

Sic Isaias Judæos a consulendis Pythonibus avertit, & ad divinam legem remittit, c. 8. v. 19. *Et cum dixerint ad vos, quærite a Pythonibus, & a divinis, qui strident in incantationibus suis: ad legem magis & ad testimonium*.

Sic Esdras lectione Scripturarum prævaricantes Judæos ad morum reformationem reduxit. *Attulit ergo Esdras Sacerdos Legem coram multitudine virorum & mulierum.... flebat omnis populus cum audiret verba legis*. c. 8. v. 2. & 9.

Sic Christus tentatus a diabolo revincit illum, dicens: *scriptum est*. Matth. c. 4. v. 4. & consultus a Scriba eum his verbis tentante: *Magister quid faciendo vitam æternam possidebo?* non alio mittit quam ad Scripturam: *In lege*, inquit, *quid scriptum est, quomodo legis?* Luc. 10. v. 26.

Uno verbo Dominus ait: *Scrutamini Scripturas*. Joannis 5. v. 39.

Sic Abraham divitis epulonis fratres ad Scripturam mittit. *Habent Moysem & Prophetas: audiant illos*. Luc. 16. v. 29.

Sic Apostoli ajunt: *Doctrinis variis & peregrinis*, id est a Scriptura alienis, *nolite abduci*. Ad Hebr. cap. 13. vers. 9.

Sic demum Concilia Scripturam sacram in medio collocant, utpote *fontem omnis salutaris veritatis, & morum disciplinæ*, ut ait Trident. Sess. 4. decr. 3.

Profanos ergo auctores quoties fidei adversantur, cum David despiciamus, & legem divinam meditemur. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua*. Ps. 118. v. 58.

§. 2. Attendenda est Traditio, non humana, sed divina; non per privatos Auctores proposita, sed non interrupta Pastorum successione fideliter ad nos transmissa; quia divinam revelationem ore tenus traditam exhibet. *Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea*, inquit Iere. c. 6. v. 16. Et Paulus ait: *State & tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*. 1. ad Thes. c. 2. v. 14. *Tenax sis traditionis Divinæ*, inquit Vinc. Lir. in Commonitorio. 1. c 17, *in qua non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens*. Et Chrysostomus isto longe antiquior: *Est Traditio; nihil quæras amplius*. In 2. ad Thessal. homil. 4.

Ita observatum semper multis exemplis constat.

Sic Moyses Judæos ad Traditionem remittit. *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi* Deuter. c. 32. v. 7.

Sic Ecclesiasticus Disciplinam morum vult a Traditione sumi. *Ne despicias narrationem Presbyterorum ... ab ipsis enim disces sapientiam*. c. 8. v. 10.

Sic Christus recentes & humanas damnans Traditiones, divinas & antiquas circa doctrinam morum confirmat, dicens: *Ab initio non fuit sic*. Matth. 19. v. 8.

Sic Synagoga Traditionem consulens, legem de observatione Sabati attemperavit, declarans, licitum esse eo die animalia adaquare, lapsa in foveam levare, pugnare contra hostes, & omnia ad Sacrificium necessaria præstare.

Sic Ecclesia Traditionem consulens, diem Dominicam loco Sabati celebrat, & contra Disciplinam Apostolorum, a sanguine & suffocato non abstinet.

Sic Tridentinum prioribus inhærens Conciliis: *Scripturam, nec non Traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit ac veneratur*. Se. 4.

§. 3. Consulenda sunt Concilia œcumenica, vel particularia, quæ sunt universali Ecclesiæ consensu recepta: quia divinam revelationem nobis exhibent & universalem Ecclesiam repræsentant, quæ cum a Spiritu sancto dirigatur errare non potest. Unde ajunt Apostoli: *Visum est Spiritui sancto, & nobis*.

Act.

Act. 15. v. 28 Eodemque divino instinctu ducti œcumenicorum Conciliorum Patres suis ita Decretis præludunt: *Sacrosancta œcumenica Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata ..... definit, anathemate percutit*, &c.

Unde eadem semper generalibus Conciliis reverentia exhibita, quæ verbo divino redditur, ut patet exemplis ab initio nascentis Ecclesiæ ad nos usque perseverantibus.

Sic Paulus *perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum.* Act. 15. v. 41.

Sic Athanasius Epist. ad Africanos ait: *Verbum Domini per œcumenicam Synodum manet in æternum.*

Sic Gregorius ait: *Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere & venerari me fateor, Nicænum scilicet..... Constantinopolitanum..... Ephesinum ... & Calcedonense*. Lib. 1. Epist. 24. nunc 25.

Sic Concilium Constant. 4. can. 4. Decreta Conciliorum *quasi divina Dei eloquia* suscipit.

Sic demum Concilium Senonense Ecclesiam in Conciliis repræsentatam, tam in moribus quam in fide infallibilem protestatur: *Sancta & infallibilis Ecclesia, quæ nec a caritate decidere potest, nec ab orthodoxa fide deviare, cuius auctoritatem qui in fide & moribus non sequutus fuerit, quasi Deum negaverit, infideli deterior habeatur*. Decret. fidei.

§. 4. Attendendus est unanimis sanctorum Patrum consensus, quia divinam revelationem ore tenus tantum, & non scripto traditam, a majoribus acceptam, & fideliter custoditam nobis exhibet, sunt enim hi Doctores, *quos Deus dedit ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi ... ut non simus fluctuantes omni vento doctrinæ*. Ad Eph. 4. v. 14.

Ideo semper vidimus, quod in componendis moribus, antiquorum auctoritas adhiberetur.

Sic sapiens admonet, ut Doctrinam Patrum sequamur. *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt Patres tui*. Proverb. 22. v. 28.

Sic in Concilio Calcedonensi conclamatum: *Hæc est fides Patrum*.

Sic in Conc. Costant. 4. Act. 10. Con. 1. Patrum decreta ut morum regula proponuntur. *Sanctorum Patrum decreta*, inquit, *velut inextinctæ semperque lucentes faces sequenda sunt*. Can. 1.

Sic idem Conc. juxta aliam versionem eodem Can. *Dicta Patrum vocat secunda Dei eloquia*.

Sic etiam in Concilio Viennensi Clemens V. ait: *Nos ad sanctorum Patrum & Doctorum sententiam Apostolicæ considerationis aciem convertentes definimus*, &c.

Item Trid. Synodus fatetur se inhærere Patrum sententiæ & exemplo. *Orthodoxorum Patrum exempla secuta*. Sess. 4. cap. 1.

Demum in omni Concilio factum est quod Vincentius Lyrinensis commonit. 2. c. 2. ait de Ephesino: *Patres sunt, quorum beata Synodus doctrinam tenens, consilium sequens, testimonio credens, judicio obediens, absque tædio, præsumptione, & gratia de fidei & morum regulis pronunciavit*.

Sic Aug. aliique Doctores Ecclesiæ, numquam ausi sunt ab unanimi Antiquorum sententia recedere, tam in moribus, quam in fide. *Quod credunt credo, quod tenent teneo, quod docent doceo, quod prædicant prædico, istis cede, & non me cædes, acquiesce istis & quiesce a me*. Lib. 1. contra Jul. cap. 5.

Scripturam habes in Bibliis, Traditionem in universali Ecclesiæ praxi, unanimem Patrum sensum in suis scriptis, Canones in Conciliorum Collectione R P. Labbe Jesuitæ.

2. *Prob.* Secundus fons Moralis Christianæ est summi Pontificis de aliqua morali controversia solemne judicium.

Prob. 1. Scrip. Romanus Pontifex debet nos in dubiis circa fidem & mores instituere, est enim Petri successor, cui dictum est: *Pasce agnos meos*, id est fideles. *Pasce oves meas*, id est pastores. Joan. 21. v. 15. & iterum: *Simon, ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Lucæ 22. v. 32. Ergo ubi non adest revelatio, consulendum est summi Pontificis judicium.

Prob. 2. Ex Conc. Patres Florentini ajunt: *Definimus sanctam Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro, pascendi, regendi, ac gubernandi universam Ecclesiam, a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum, & sacris Canonibus continetur*. Ergo summus Pontifex audiendus est ut Doctor, & ei obtemperandum est ut Patri.

Prob. 3. Ex Patribus. Silvester II. ait: *Sic lex communis Ecclesiæ, Evangelium, Apostoli, Prophetæ, Canones, Spiritu Dei constituti & totius mundi reverentia consecrati .... Et Decreta sedis Apostolicæ ab his non discordantia. Inde*, ut scribunt Tarraconenses ad sanctum Hilar. P. *nihil errore, nihil præsumptione; sed*

Pontificali totum deliberatione præcipitur.

Prob. 4. Ex praxi Ecclesiæ. In dubiis circa fidem & mores semper in Ecclesia quovis sæculo judicium sum. Pont. diligenter quæsitum, & reverenter exceptum est, ut obvium erit cuique legenti historiam Ecclesiasticam.

Sic primis Ecclesiæ temporibus anno 253. ad Clerum Romanum, Sede etiam vacante, scriptum est a Cypriano quomodo ad pœnitentiam lapsi recipiendi essent.

Sic mediis Ecclesiæ temporibus an. 860. Bulgari nuper conversi Nicolaum primum Rom. Pontificem consulunt, ut ab eo quid credendum, quidve agendum in Religione Christiana, quam amplexi fuerant, addiscant.

Sic ultimis Ecclesiæ temporibus Quietistarum illusiones, & quorumdam Casuistarum opiniones, summorum Pontificum judicio proscriptæ sunt: ergo in controversiis moralibus dicendum quod Aug. dicebat in causa Pelagii: *Missum est ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt: causa finita est: utinam aliquando finiatur error*. Serm. olim 2. de verbis Apost. jam 131.

Consect. Hinc satis patet, ubi de Morali agitur, 1. Consulendas esse Epistolas Decretales summorum Pontificum, quas quidem collectas habes ratione temporum in compilatoribus Decretalium & in Bullario, digestas ratione materiarum in toto corpore Juris Canonici. 2. Consulendas esse Censuras summorum Pontificum; præcipuas habes collectas in Censura data a Clero Gallicano an. 1700. nosque eas referemus prout occasio sese obtulerit.

3. *Prop.* Tertius fons Moralis Christianæ est judicium Conciliorum particularium, vel Nationalium, vel Provincialium, vel Diœcesanorum, licet universo Ecclesiæ consensu non sint recepta.

Prob. 1. Scrip. Concilia particularia exhibent judicium plurimorum Episcoporum, qui propositam quæstionem examinarunt, non obiter, sed attente quilibet asserendo antiquam Ecclesiæ suæ Traditionem: ergo hujusmodi judicium in Morali magni faciendum est; præsertim dicente Domino: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Matth. 18. v. 20.

2. Ex praxi Ecclesiæ. Ea fuit Ecclesiæ consuetudo, ut sæpe celebrarentur Concilia Provincialia, quæ essent aut dispositiones ad futurum Concilium generale, aut præteriti Concilii generalis executiones: ergo consulendum est particularium Conciliorum judicium; quia, ut ait Synodus Arvernensis prima Can. 1. non ob alium finem congregabantur, *quam ut ea, quæ ad emendationem vitæ, ad severitatem regulæ, vel ad animæ remedia pertinebant, finirentur*.

3. Ratione. Concilium universale est infallibile, quia universam Ecclesiam repræsentat; quæ, utpote columna fidei & firmamentum veritatis, deficere non potest: ergo & Concilium particulare magnæ quoque est auctoritatis, quia Ecclesiam particularem totam repræsentat. Unde & ipsa Concilia generalia locales seu particulares Synodos magno in honore habuerunt, eisque fideles subjiciendos esse decreverunt, ut patet ex septima Synodo Act. 3. ubi Theodorus in Epistola, quam nomine Orientalium exhibuit, quamque ipsa Synodus approbavit, ait *Locales*, idest Provinciales, *Synodos non aversamur: sed magis amamus, amplectimur & recipimus, earum etiam divinitus inspiratas Canonicas constitutiones, orrectiones, & utiles legislationes summa observantia colimus*. Ex ex octava Synodo, ubi hæc habentur can. 1. *Regulas quæ sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ tam a sanctis ... Apostolis, quam ab orthodoxorum universalibus, nec non &* localibus *Conciliis ... traditæ sunt, servare seu custodire profitemur... sed & omnes qui christiano censentur vocabulo, pœnis & damnationibus.... & justificationibus, quæ per illas prolatæ sunt ... canonice subjici decernimus*.

Imo factum vidimus plures errores circa mores solis particularibus Conciliis fuisse primo condemnatos, postea vero solemni & universali aliquo Concilio, particularem Synodum approbante, fuisse anathematizatos.

Sic Beguadi & Beguinæ omnem libidinem licitam admittentes, in his qui semel essent Deo consecrati, damnati sunt in Concilio Viennensi in Austria, & postea anathematizati sunt in Concilio generali Viennensi in Galliis.

Sic Petrus Oxomensis multos errores docens circa Sacramentum pœnitentiæ, puta *peccata non esse confitenda Sacerdoti; Confessionem non esse de jure divino*, &c. damnatus in Concilio particulari Compluti habito an. 1479. Postea vero ejusdem errores solemniter anathematizati in Conciliis generalibus, Lateranensi scilicet & Tridentino.

Consect. Hinc constat casuum arbitris non negligenda esse Concilia particularia, & præcipue ea quæ tractant de moribus; in Conciliis enim, a primo sæculo usque ad octavum, describitur antiqua morum puritas & vetus Ecclesiæ disciplina: in Conciliis vero, ab octavo sæculo usque ad Tridentinum, cernitur, quomodo fideles ab antiquis

quis moribus degenerarunt. Deniq; in Conciliis a Tridentino usque ad nos, pristina morum puritas &antiqua disciplina revocanda proponitur.

4. *Prop.* Quartus fons Moralis Christianæ est Episcoporum judicium, præsertim dum plures in idem consentiunt.

Prob. 1. Script. In veteri testamento, dum exoriebatur circa religionem aliquod dubium, mittebantur Judæi ad Sacerdotes. *Venies*, inquit Deus, *ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore: qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Deut. 17. v. 9. Idem iubet Christus. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi; omnia ergo quæcumque dixerint vobis, servate & facite.* Math. 23. v. 2. Ergo cum Episcopi in locum Sacerdotum legis Mosaicæ in Ecclesia successerint, audiendi sunt a fidelibus in his quæ pertinent ad doctrinam fidei & morum.

2. Ex Patribus, Ignatius Epist. ad Magnesianos hortatur fideles, ut Episcopis obediant. *Decet itaque & vos*, inquit, *obedire Episcopo, & in nullo illi refregari.* Et Cyprianus Epis. olim 55. nunc vero 59. ostendit non aliunde oriri hæreses & schismata, quam ex eo quod Pastores audire negligamus. *Neque enim aliunde*, inquit, *hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur.*

3. *Rat.* Episcopi sunt jure divino Rectores Ecclesiæ, Patres, & Doctores populorum juxta illud Pauli act. 20. v. 28. *Spiritus Sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei*; ergo sequendum est Episcoporum judicium in moralibus. Ideo videmus in Ecclesia nascentes contra bonos mores opiniones, plurium Episcoporum judicio, etiam extra Concilium, fuisse condemnatas.

Sic primis Ecclesiæ temporibus Nicolaitæ admittentes communitatem uxorum; Gnostici turpissimas voluptates licitas esse asserentes; Episcoporum, etiam extra Concilium, judicio proscripti sunt. Unde Aug. lib. 4. ad Bonifac. cap. ult. his verbis ridet Pelagianos, Concilium, ubi eorum causa examinaretur, exigentes: *Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur; quasi nulla hæresis aliquando sine Synodi Congregatione damnata sit?*

Consect. Hinc vides in resolvendis casibus audiendos esse Episcopos, nec sine gravi temeritate sperni posse eorum judicia, aut pastorales eorum Epistolas; præsertim cum plures in eamdem sententiam, aliis non reclamantibus, consentiunt: etenim Episcoporum mandata in subditis sibi Diœcesibus vim habent coactivam, quæ obedientiam exigit: in aliis vero directivam, quæ reverentiam postulat.

5. *Prop.* Quintus Christianæ Moralis fons est Patrum auctoritas, quæ major, aut minor est, prout plures, vel pauciores in idem conveniunt, neque alii contradicunt.

Prob. 1. Script. Patres sunt hi quos Deus posuit in Ecclesia tamquam Doctores juxta illud Pauli 1. ad Corint. 12 v. 28. *Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores.* Ergo in moralibus eorum Doctrina reverenter suscipienda est.

2. Ex Greg. lib. 30. Moral. cap. 7. *Et Apostoli, & perfecti Doctores subsequentium populorum pares sunt, tamen præcedentium filii.* Ergo si pares sint, nosque spiritualiter in Christo sua doctrina genuerint, eorum sententiæ debemus in moralibus inhærere.

3. *Rat.* Patres hi sunt qui tum ob eminentem scientiam, tum ob sanctitatem insignem, tum ob venerandam antiquitatem Traditionis custodes habentur. Ergo sicuti dum sunt unanimes authoritatem faciunt irrefragabilem, sive in fide, sive in moribus; ita, dum plures in idem morum dogma consentiunt, authoritatem habent non spernendam, sed summopere venerandam.

Ideo videas semper in Ecclesia insigniorum Patrum sententiam magnum pondus habuisse. Sic Bernard. ait in Epis. 77. ad Hugonem de S. Victore. *Ab his ergo duabus columnis, Augustinum loquor & Ambrosium, crede mihi difficile avellor: cum his inquam me aut errare, aut sapere fateor.* Et Epis. 174. *Numquid patribus doctiores, aut devotiores sumus?*

Consect. Hinc patet consulendos esse in quæstionibus moralibus sanctos Patres, eos præcipue qui ex professo materiam aliquam pertractarunt. Legendus est Cyprianus de pœnitentia, pro antiqua circa lapsos disciplina firmanda. Legendus est Augustinus contra mendacium, aut de alia quacumque tractet materia. Legendus est Ambrosius de variis Christianorum officiis. Legendus Greg. libris Moralium. Legendi demum quantum fieri potest Antiqui, ut, quæ fuerit eorum sententia circa propositam quæstionem, perspectum habeamus. Consulendi sunt Compilatores, qui insigniorum Patrum scripta in certas materias distribuentes, non aliam referunt sententiam, quam eorum Patrum, quorum verba transcripserunt.

6. *Prop.* Sextus Christianæ Moralis fons est Theologorum scholasticorum authoritas, non eorum qui ex sola ratione; sed eorum qui

ex revelatione doctrinam morum eruunt.

Prob. Ex his peti possunt argumenta, mores & fidem spectantia, quos ipsa Ecclesia, ubi de fide & moribus agitur, consulit, quorumve sententiæ rationem habet, ut patet. Atqui Ecclesia Theologos scholasticos, ubi de fide & moribus agitur, consulit, eorumque sententiæ rationem habet. Ergo ex Theologis scholasticis peti possunt argumenta morum. Minor patet 1. Ex Concilio Viennensi, ubi Patres sic habent: *Opinionem illam*, scilicet, conferri parvulis gratiam habitualem in baptismo, *tamquam probabiliorem & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam.* Clementina unica de sancta Trinitate. 2. Idem patet ex Congregationibus in Romana curia erectis, ubi quæstiones ad fidem & mores pertinentes opera Theologorum consultorum ventilantur, antequam determinentur per solemne summi Pontificis judicium.

Dixi, modo conclusiones suas ex fide eruant; nam Theologi, qui solam rationem, quæ corrupta est & cæcutiens, ostentant, nullatenus audiendi: de quibus ita Canus. *Qui Theologiæ dogmata humanis metiuntur argumentis, nec eis quæ a ratione ducuntur volunt præponderare authoritatem; hi primum omnem vim Theologiæ & gravitatem amittunt, deinde faciunt ut Theologia, detracta authoritate, non solum contemnatur, sed ne Theologia quidem sit: nam si vera & legitima Theologia est, a fide descendat oportet, ubi hujus facultatis propria principia resident ..... Quamobrem satis exploratum habere possumus quam male valeant hi de re Theologica aut scribere, aut disputare, qui sacros libros, Apostolorum Traditiones, Conciliorum dogmata, Juris Pontificii decreta, sanctorum veterum Doctorum scripta, vel rejiciunt, vel ignorant. Itaque hoc quidem opinantium genus pellatur e medio; est enim totum improbabile & impium, qui opinantur aptiora Theologo ea argumenta esse quæ ex ratione, quam ea quæ ex authoritate ducuntur.* lib. 9. de locis Theol. cap. 1.

Et rursus eamdem materiam agitans, *Tales* inquit, *authores sunt adscriptitii Theologi; qui quæstiones Theologicas frivolis argumentis absolvunt, & cum in his sanctorum Bibliorum testimonia rarissima sint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Sanctis oleant, nihil ex gravi Philosophia, Theologi tamen vocantur, nec scholastici sunt, qui sophismatum fæces in scholam inferentes, & ad risum viros doctos excitant, & delicatiores ad contemptum ..... quos ego probare nec debeo, nec possum.* lib. 8. c. 1. Ex quo patet quinam Theologi audiendi sint, qui vero rejiciendi; quod ut melius pateat, sit

Consect. 1. Consulendi sunt insigniores morales Theologi: qui primas tenent, sunt D. Thomas, D. Bonaventura, D. Antoninus, D. Raymundus; nam commendat eos 1. Profunda in rebus divinis eruditio, ut legentibus patet. 2. Commendat eos pura morum integritas, cum Ecclesia eos inter Sanctos reposuerit. 3. Spectabiles facit summus, sincerus & fidelissimus veritatis amor: non enim ex contentione scripserunt; sed ex solo veritatis affectu, ut examinanti videbitur. Tales pariter sunt, sed in inferiori gradu, Cajetanus, Sylvester, Soto, Sylvius, Toletus, Comitolus, aliique non pauci, doctrina magni, ingenio insignes, & moribus optimis spectabiles; modo ipsi Antiquos nec spernant, nec eorum authoritatem in sensus contrarios detorqueant.

Consect. 2. Consulendi sunt clariores Canonistæ, quales sunt Panormitanus, Navarrus, Covarruvias, Fagnanus, Cabasutius, aliique non pauci; quia Canonistarum authoritas maximi est ponderis, cum in foro Ecclesiastico soleant consuli quoties de censuris & irregularitatibus agitur, ut notat Canus.

Consect. 3. Magno in pretio habendum est doctrinale judicium sacræ Theologiæ Facultatum; præcipue si fuerint e numero earum Universitatum quæ sunt toto orbe Christiano doctrina sua venerabiles, quales sunt Lovaniensis, Duacensis, Salmanticensis; sed præsertim Parisiensis, omnium facile princeps, quæ, rerum sacrarum eruditione & purioris moralis studio, inter alias semper eminuit, quam Episcopi & ipsi summi Pontifices consulere non dedignantur, cujusque opera Ecclesiæ matri numquam defuit, quoties de refellendis tum circa fidem, tum circa mores, erroribus actum est.

7. *Prop.* Septimus fons Moralis Cristianæ est ratio naturalis.

Prob. 1. Script. Deus in Scripturis peccatores ad conscientiam revocat, juxta illud *redite prævaricatores ad cor.* Isai. c. 46. v. 8. Ergo naturalis ratio, etsi per peccatum corrupta, utiliter consuli potest ubi de moribus agitur.

2. Ex Aug. lib. de spiritu & littera c. 28. *Non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel SAPERE.*

Ergo

Ergo ex S. Doctore *sapit* aliquid ratio, etsi per peccatum corrupta, seu quædam morum principia cognoscit. Neque enim, ut tradit D. Th. 2. 2. q. 10. a. 4. omnino destructa est hominis ratio, etsi per peccatum corrupta.

3. *Rat.* Naturalis ratio Theologo morali ad multa utilis est. Ergo inter fontes Moralis Christianæ debet adnumerari. Antecedens patet percurrendo ea quæ ratio conferre potest in resolvendis casibus.

1. Suppeditat communia morum principia, qualia sunt ista: *Bonum est faciendum, malum est fugiendum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; atque ex his morum prænotionibus certissimas conclusiones educit, quibus varia explicat hominis officia. 1. Erga Deum, cujus est creatura. 2. Erga se ipsum, cujus est custos. 3. Erga proximum, quocum necessariam habet societatem. 4. Erga rempublicam, cuius est membrum; & suggerit, quod homo debeat Deo cultum; sibi curam mentis & corporis; proximo benevolentiam, & reipublicæ obsequium.

2. Ratio naturalis ex principiis revelatis conclusiones eruit, quibus manifestat varia hominis christiani officia. 1. Erga Deum, cujus filius est per adoptionem. 2. Erga Christum, cujus est *Acquisitio* per ejus mortem, ut loquitur Petrus. 3. Erga alios homines, quibus est in æternum sociandus per gloriam. 4. Erga Ecclesiam, cujus est & filius & membrum per baptismum: & infert quod christianus Deo debeat honorem & amorem, quia Pater; Christo gratiarum actionem, quia Redemptor; proximo dilectionem, quia frater; Ecclesiæ vero obedientiam, quia mater.

3 Circa remotas conclusiones, in quibus variant Theologorum sententiæ, rationis est perpendere, quid morum præceptis sive naturalibus sive revelatis magis cohæreat. Quod quidem quomodo fieri debeat caput sequens explicabit.

CAPUT II.

Quomodo prædictis Moralis Christianæ principiis utendum sit.

CUm prædicti Moralis Christianæ fontes æqualis authoritatis non sint; quo ordine, qua cautione adhibendi sint, explicandum sequitur: quod quidem Regulæ subsequentes aperient.

Reg. 1. Ubi quæstio Moralis solvi potest per expressam revelationem, standum est revelationi, quidquid in contrarium suggerat humana ratio. Revelatio siquidem certissimam morum regulam continet, cum infallibili Dei Verbo nitatur; ratio vero humana errori est obnoxia, ut dictum est supra; sicuti enim Deus verax, ita omnis homo mendax, juxta illud Pauli ad Rom. 3. v. 4. *Est autem Deus verax: omnis autem homo mendax.*

Sic inimicorum dilectio, necessitas ferendi crucem, castigandi corpus, vim continuam sibi inferendi, & alia similia, quantumvis humanæ naturæ dura videantur; humili tamen mentis obsequio excipienda sunt, quia scilicet expresse ea tradit revelatio.

Reg. 2. Ubi quæstio proposita ex revelatis principiis per necessariam demonstrationem definiri potest; standum est hujusmodi demonstrationi, quidquid etiam in contrarium suggerat hominis ratio affectibus obcæcata. Propositio siquidem, quæ ex propositione revelata necessario sequitur, irrefragabilis est authoritatis: *Hoc enim genus conclusionum, ut cum rebus fidei colligatum, ad fidem etiam spectat*, ut ait Canus lib. 12. de locis Theolog. cap. 6.

Sic cum ex eo Christi, *gratis accepistis, gratis date*, aperte & evidenter sequatur, non posse res spirituales sub commercium cadere, illicita censeri debent pacta omnia, quibus temporale exigitur pro collatione rei spiritualis, quidquid in contrarium excogitarit humana cupiditas, ut divinæ legis vim elluderet.

Reg. 3. Ubi quæstio Moralis neque per expressum Dei verbum, neque per necessariam ex revelatione demonstrationem definiri potest; audiendi hi sunt, penes quos est in Ecclesia docendi, simul & imperandi potestas, si quid super ea quæstione definierint, hi enim propius ad revelationem accedunt. Etenim cum a Deo in Ecclesia constituti sint, ut germanum Scripturæ & Traditionis sensum aperiant, consulendi sunt ubi manifesta non est revelatio, juxta illud Malachiæ 2. v. 7. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est.* Deinde cum authoritate polleant imperandi, jus habent ferendi leges, quæ in conscientia ligant, & quibus parere debemus, juxta illud Christi, Luc. 1. v. 16. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit; qui autem spernit me, spernit eum qui me misit*: & juxta illud Pauli: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis.* Heb. 13. v. 17. Ex quo patet quod universa Diœcesis Episcopali judicio, multoque magis Diœcesanæ Synodo; integra Provincia Provinciali Concilio; totum Regnum nationali subesse debet; & universi

fideles, solemni summi Pontificis determinationi; hi enim omnes potestatem a Deo acceperunt docendi simul & imperandi.

Reg. 4. Ubi quæstio moralis neque per revelationem expressam, neque per necessariam ex revelatione demonstrationem, neque per ulla Superiorum Decreta definiri potest, eos oportet consulere qui sunt in Ecclesia tum antiquitate, tum doctrina, tum pietate præstantiores; habent enim ab antiquitate quod testes sint & custodes divinæ Traditionis; a doctrina quod sint divinæ Revelationis interpretes; a pietate quod ab humanis affectibus in constituendis morum regulis liberi fuerint. Ex quo patet, quod, cum major & sanior antiquiorum Patrum & Theologorum pars in aliquod morum dogma consentit, ei adhærendum sit. Unde etiam merito a Clero Gallicano damnata est sequens propositio .... *doctrina fidei a veteribus*; *doctrina morum magis a junioribus petenda*. Quippe, ut ait Job 12. *in antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia*. Et, ut ait Celestinus 1. Epist. 1. *desinat incessere novitas vetustatem*. Et Zosimus, *Apud nos christianos inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam*.

Reg. 5. Ubi circa quæstionem moralem Patres Patribus adversantur, Theologi insignes alii alia tradunt, celebriores Canonistæ & Juristæ diversa opinantur, tunc rationis est quæstionem definire; sed magna cautione opus est.

Ac 1. quidem requiritur, ut res ex pravis nostris affectibus non judicemus; nihil enim inveniendæ veritati magis contrarium, quam cor affectibus præpeditum: quidquid enim amamus, id *Sanctum* nobis est, ut ait August. Hoc est amores nostros, quamvis illicitos, innoxios tamen existimamus; quia scilicet, ut fert vulgare effatum, prout quisque est affectus, ita judicat: vel ut sanctius loquar, *oculus nequam totum corpus tenebrosum efficit*.

Sic ebrietatem excusant vinolenti, libidines impudici, nec recte judicant de divinæ vocationis necessitate ambitiosi, aut de bonorum Ecclesiasticorum dispensatione avari Beneficiarii.

2. Requiritur, ut partium studiis non abripiamur, quibus fit, ut quisquis pro susceptis sive jure, sive injuria semel partibus, veritatem stare pertinaciter tueatur; eaque omnia respuat ut falsa, quæ contra sentiunt aliarum partium defensores: *duo enim* ut bene monet Aug. lib 2. de Trin. c. 1. *sunt vitia inimica inventioni veritatis*, scilicet *præsumptio prius quam veritas pateat, & cum jam patuerit, præsumptæ defensio falsitatis*.

3. Requiritur, ut media, quantum fieri potest, inter laxiores & rigidiores opiniones via incedamus: sicuti enim non sine scelere aggravari potest Christi jugum, quod ipse Dominus dulce esse pronuntiat; ita nec sine crimine dilatari potest Paradisi via, quam Evangelium angustam declarat. Nec minus hi damnandi sunt, qui contra Christi præceptum onera imponunt importabilia, quam qui pristinum disciplinæ frenum solventes *consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ carnis*; quare utrosque maledictis insectatur Isaias cap. 5. v. 20. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum*; & sapienter monet D. Bonavent. lib. 2. compend. Theol. c. 52. *Cavendam esse conscientiam nimis largam & nimis strictam, nam prima*, inquit, *generat præsumptionem, secunda desperationem*; *item prima sæpe dicit malum bonum, secunda e contra bonum malum*; *item prima salvat damnandum, secunda e contra damnat salvandum*.

4. Requiritur, ut in illa opinionum ambiguitate quid propius ad revelationem accedat diligenter inquiramus, eique parti religiose adhæreamus, quæ magis legi favere videbitur; utque in dubiis *ubi æqualia utrinque animo sese offerunt rationum momenta sequamur id quod tutius, sive quod est eo in casu unice tutum*, ut sapienter monet Clerus Gallicanus an. 1700. de opinionum probabilium usu. Verum de his fusius, ubi de probabilitate.

Conclusio hujusce Tractatus.

Ex his, quæ in hoc primo tractatu explicuimus, intelligi facile potest, veram Christianæ Moralis ideam hac definitione contineri.

Moralis Christiana est Doctrina, quæ vel per revelationem proponitur, vel ex revelatione, quantum fieri potest, educitur: qua docemur quid agendum, quid non agendum, ut salutem æternam consequamur. Morum enim præcepta quæ tradit, non ex ratione per peccatum corrupta, sed ex revelatione, quantum fieri potest, eruit, ut in hoc primo tractatu ostendimus.

TRACTATUS II.

De objecto Moralis Christianæ.

MOralis Christiana tota eo tendit, ut nos ad eam felicitatem, quæ nobis

in

in cælis promittitur, quæque una est hominis beatitudo, nos deducat; unde circa ea media tota versatur, quibus ea felicitas vel comparari potest, vel amitti. Cum autem ea media in his actibus posita sint, qui sunt in homine capaces bonitatis & malitiæ, & digni præmio, vel pœna; ideo ut certa cum methodo Christianæ Moralis objectum explicemus, statuemus. 1. Quinam actus in homine bonitatis & malitiæ capaces sint, seu quid eos, ut ajunt, morales efficiat. 2. Quinam sint boni, quinam mali, seu unde eis adveniat bonitas & malitia. 3. Denique, cum inter ipsos actus & bonos & malos varia occurrant discrimina scitu omnino necessaria, neque omnibus virtutibus & omnibus vitiis idem insit bonitatis & malitiæ gradus, ostendemus quomodo boni actus a bonis, mali a malis inter se secernantur; seu unde petatur eorum distinctio, & inæqualitas. Sic enim & morales actus a non moralibus, & bonos a malis, & utrosque, id est & bonos, & malos, ab invicem facile distinguemus.

CAPUT I.

Quinam actus in homine morales sint, seu capaces bonitatis & malitiæ.

ADvertendum, hominem agere aliquando cum cognitione, aliquando sine cognitione, aliquando cum libertate, aliquando sine libertate.

Tunc homo agit cum cognitione, quando advertit ad ea quæ facit; agit vero sine cognitione, quando ad suos actus nec *actualiter*, nec *virtualiter* attendit.

Tunc homo agit cum libertate, quando ita operatur, ut possit non operari si velit; tunc vero agit sine libertate, quando ita operatur, ut non possit abstinere ab actione. His observatis sit.

1. *Prop.* Soli actus, qui fiunt cum cognitione & libertate, sunt objectum Moralis Christianæ, seu capaces sunt bonitatis & malitiæ, digni præmio, vel pœna.

Prop. 1. Script. simul & Ratione. Quando homo agit sine cognitione & advertentia rationis, agit ut bruta, de quibus ait Bernardus serm. 81. *sensu aguntur*, *feruntur impetu*, *rapiuntur appetitu*: ergo tunc non magis laude, aut vituperio dignus est homo, quam ipsa bruta; unde ait Scriptura: *Scienti bonum facere & non facienti peccatum est illi*: Jacob. 4. vers. 17. indicans cognitionem ad peccatum esse necessariam, & proinde ad actum moralem; & Greg. lib. 27. Moral. cap. 16. ait: *Ad judicium pro actione cur venit, si potuit nescire quod egit?* pro certo habens non peccari sine cognitione.

Quando vero homo agit necessario, tunc non est dominus sui actus: ergo nec meretur laudem, nec vituperium, nec præmium, nec pœnam; *nemo enim*, ut ait August. *vituperandus*, nec proinde laudandus, *in eo quod vitare non potest*; unde ait Script. *Beatus vir, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*. Eccles. 31. v. 10. nimirum aperte indicans ad meritum, ac proinde & demeritum requiri libertatem seu potentiam agendi, & non agendi.

2. Ex. D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 5. in corp. ubi sic habet: *Sublato judicio rationis, tollitur ratio peccati*, & proinde ratio virtutis, quia utriusque par est causa. Idem Doctor. 1. 2. q. 75. art. 2. in corp. ad humanum actum duo requirit, *rationem* scilicet *advertentem*, & *voluntatem libere operantem*. Et q. 6. de malo art. unico, in corp. declarat hæreticam eam opinionem, quæ tuetur hominem agere libere, licet agat necessario, modo sponte operetur; *hæc enim opinio*, inquit, *tollit rationem meriti, & demeriti; non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agat, quod vitari non possit*: ergo ut actio sit moralis, debet fieri cum cognitione & libertate.

3. Ex summis Pontificibus, qui ad meritum vel demeritum eam exigunt & cognitionem, & libertatem, qua possimus agere, vel non agere: quippe Pius V. & Greg. XIII. & Urban. VIII. damnarunt hanc Baji propositionem: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessitate fiat, libere tamen fit*; & Innocentius X. hanc proscripsit Jansenii propositionem: *Ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate; sed sufficit immunitas a coactione*. Ergo hi soli actus sunt morales, qui fiunt cum cognitione, id est cum advertentia & cum libertate, seu cum potentia agendi vel non agendi.

Consect. 1. Ex eo quod ad meritum, vel demeritum advertentia rationis requiratur, colligi facile potest, sequentes actus non esse morales, seu bonitatis & malitiæ capaces. 1. Actus qui fiunt ab infante ante usum rationis, ab amente, a dormiente, a phrenetico, ab ebrio, cujus ebrietas est omnino involuntaria. 2. Actus qui fiunt ex subitis passionibus omnino involuntariis, & omnem usum rationis absorbentibus, v. g. ex metu gravi, & vehementi rationem omnino perturbante, aut ex subito vitæ amore, usum-

que

que rationis præveniente, dum vita derepente violenter impetitur. 3. Actus qui fiunt ex ignorantia plane involuntaria, v. g. actio hominis, qui adhibita prudenti cautione & diligentia ne erret, occidit hominem putans bona fide occidere feram: omnes enim prædicti actus fiunt sine advertentia rationis.

Consect. 2. Ex eo quod libertas qua possimus agere, vel non agere ad meritum, vel demeritum requiratur, intelligi etiam facile potest, sequentes actus non esse morales. 1. Actus qui fiunt violenter, & coacte, v. g. actus qui fiunt ab externis membris ex violentia plane involuntaria abreptis, puta, motus quo homo trahitur ad idolum invitus, & apprehensa & ligata ejus manu, *sine propria voluntate*, ut loquitur Aug. aut thus adolet, aut aliquid falsum scribit. Item passio qua quis stupro violento corrumpitur. 2. Actus qui fiunt in nobis omnino necessario, v. g. omnes motus tam spirituales quam carnales quamtumvis inordinati, quibus fortiter resistimus, & quibus aliunde occasionem voluntarie non dedimus, puta motus odii contra caritatem, infidelitatis contra fidem &c. motus luxuriæ contra castitatem, gulæ contra sobrietatem &c. Tametsi eos sentiamus, modo non consentiamus, non sunt morales; omnes enim prædicti actus fiunt sine libertate, id est sine potentia agendi, vel non agendi.

2. *Prop.* Etsi ad actum moralem requiratur cognitio & libertas; tamen ad demeritum non requiritur semper advertentia aut libertas actualis; sed sufficit ea advertentia & libertas, quæ virtualis dicitur, id est ea advertentia, quam homo potuerit & debuerit habere: ea libertas, qua quid electum fuerit in causa per actum priorem.

Hæc nostra propositio extra dubium omne est posita, cum an. 1658. a Sede Apostolica damnata sit sequens propositio, ut videre est in Bullario. *Sine libertatis usu peccatum non est; nec libere vitatur peccatum, nisi ab eo qui novit peccatum, quod menti proponitur*; sed tamen cum gravissimi sit momenti, & ex ea pendeant consectaria scitu omnino digna, eam per partes more solito probabimus.

Prob. igitur prima pars, scilicet, quod ad demeritum sufficiat ea advertentia quam homo potuerit & debuerit habere.

1. Certum est ex Scripturis & traditione dari peccata ignorantiæ, ut infra ostendemus, ubi de ignorantia. Atqui in peccatis ignorantiæ non occurrit advertentia actualis, ut patet. Ergo certum pariter est, ad demeritum non requiri semper advertentiam actualem.

2. Ex D. Thom. 1. 2. q. 76. a. 2. ad 3. *negligentia scientiæ, vel etiam ipsa inconsideratio*, si voluntaria fuerit, *est peccatum*: & q. 74. a. 5. in cor. *Tunc imputatur ei, id est homini, ad peccatum, quando habet ignorantiam, vel errorem circa id quod potest, & debet scire*. Unde Antoninus tanti Doctoris discipulus ait: *Potens, & debens advertere, & non advertens, peccat*.

3. Authoritate Facultatis Theologiæ Parisiensis, quæ quidem an. 1641. de hac propositione: *numquam peccatur nisi prævia peccati cognitione animus illustretur, ejusque vitandi desiderio exstimuletur*: hocce tulit ex unanimi Magistrorum consensu doctrinale judicium: *Falsa est, & viam aperit ad excusandas excusationes in peccatis*. Quod judicium confirmatum est authoritate plurimorum Episcoporum.

4. Ratione. Ex communi prudentium hominum æstimatione, solent ii rei judicari, qui per inadvertentiam aliquid contra legem commiserunt, quando potuerunt & debuerunt advertere: neque enim, ut vulgare fert effatum, *sapientis est dicere, non putabam*.

Consect. 1. Rei sunt qui violant legem naturalem in cordibus scriptam, & eorum mentibus obviam, licet ad eam ex negligentia non attendant: quibus merito dici potest cum Scriptura, *redite prævaricatores ad cor*. Isai. 46. v. 8. Sic Paulus inexcusabiles pronuntiat Gentiles Philosophos: *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis & obscuratum est insipiens cor eorum*: ad Rom. 1. v. 21.

Consect. 2. Rei sunt qui legem positivam infringunt, quam vel ex segnitie, vel ex malitia cognoscere noluerunt; illis enim convenit illud Psalmistæ, qui de injusto ait: *Noluit intelligere, ut bene ageret*: Psal. 35. v. 4. Sic non culpa vacant qui præcepta ecclesiastica cognoscere negligentes, non abstinent a carnibus, non jejunant, non adsunt Missæ sacrificio, cum Ecclesia præcipit.

Consect. 3. Rei sunt peccatores inveterati, quoties ex prava consuetudine inique agunt; licet præ assiduitate peccandi, omnem rationis aciem, cordisque sensum sic obtuderint, sic hebetarint, ut ad peccati malitiam actu non advertant, dum peccant, nullumque conscientiæ morsum experiantur; sed ut bruta animantia in flagitia vel gravissima plerumque ruant, atque ut loquitur Scriptura, *scelus ipsum ut aquam ebibant*. Unde merito a Clero Gallicano an. 1700. proscripta est sequens propositio art. 26. *Si peccatores consummatæ malitiæ, cum blasphemant, & flagitiis sese immergunt, non habent conscientiæ stimulos, nec*

mali quod agunt notitiam, cum omnibus Theologis propugno, eos hisce actionibus non peccare.

Prob 2. pars, quod scilicet ad peccatum sufficiat libertas virtualis, seu ea libertas qua quid voluntarium est in causa ratione actus præteriti.

1. Certum est ex D.Thom. 1.2.q.77. a. 7. in corp. & lib. 3. contra gentes cap.160. *Ebrium non excusari ab homicidio quod per ebrietatem voluntariam committit*. Atqui tamen ebrius libertate actuali non utitur: ergo actuale libertatis exercitium ad demeritum non semper requiritur.

2. Ex Aug. de perfectione justitiæ hominis c.6. *Peccatum est, cum vel non est caritas, quæ esse debet, vel minor est, quam debet: sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit; quia si potest, præsens voluntas hoc facit; si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit*: ergo libertas præterita seu virtualis sufficit ad peccatum.

3. Quando unum sequitur ex alio; vel ut prævisum, sicut aliquando ex ebrietate sequitur blasphemia; vel ut per se connexum, sicut ex ebrietate sequitur perturbatio mentis: tunc qui vult unum censetur velle & aliud, ut passim docet D.Thom. Ergo actus quo quis vult causam est voluntarius, non solum pro causa, sed etiam pro effectu; ac proinde ad demeritum sufficit libertas virtualis, qua effectus in causa eligitur. Ex quo sequentes regulæ colligi possunt.

Consect. 1. Qui libere rem vetitam amplectitur, vel præceptam omittit, hujusmodi commissionis, vel omissionis nedum reus est; sed etiam eorum omnium, quæ hinc per se consequi solent; vel etiam per accidens, cum prævisa fuerunt: quamvis, dum in hæc consequentia prolabitur, libertate actuali non utatur.

Sic ille qui, quoties vino, aut cibo se ingurgitat, ira solet excandescere, libidinis motus experiri, vel turpia in se admittere; reus est non solum intemperantiæ, sed etiam iræ, & luxuriæ, licet in ebrietate libertate actuali non utatur.

Sic qui rei sibi commissæ curam notabiliter negligunt, v.g. pastor ovium, procurator administrationis, rei sunt non solum negligentiæ, sed etiam damni, quod ex ea, vel contra ipsorum voluntatem consequitur.

Consect. 2. Qui libere occasioni sese exponit, quæ secum, quasi quadam connexione necessaria, peccatum trahit; vel ex se, vel ex vitio illius qui periculum adit; reus est peccati quod ex hujusmodi occasione sequitur, licet dum actu peccat, necessitate, ut ajunt, *morali* se trahi sentiat, neque sui compos videatur; qui enim vult causam, ea etiam censendus est velle, quæ ex causa necessario consequuntur.

Sic qui ea loca adeunt, puta meritricia, theatra impudica, in quibus vix pudicitia stare potest, rei sunt & occasionis malæ quam adeunt, & libidinum quibus in hujusmodi locis abripiuntur.

Sic qui ex proprio experimento compertum habet, quod quoties popinam adit, aleas frequentat, vel vino rationem obruit, vel blasphemias evomit, reus est & ebrietatis, & blasphemiæ, licet occasione invitum se trahi causetur: quia scilicet eam libere adiit, & in hujusmodi occasionibus sperare victoriam, non est spes, sed præsumptio: *Qui enim amat periculum, in illo peribit*. Eccles. 3. v.27.

Consect. 3. Rei sunt qui, pravis cordis sui desideriis libere se tradendo, concupiscentiæ dominium sic in seipsis obfirmarunt, ut eis (quod sæpe clamitant quærentes excusationes in peccatis) jam amplius liberum non sit a peccando abstinere; sed, quod & ajunt, affectuum impotentium vi, quasi quodam impetu necessario, in scelus abripiantur. Si quæ enim tunc occurrit ad peccandum moralis necessitas, *eam præterita voluntas liberam fecit*, ut ex Aug. dictum est. Eaque est, ut asserit idem Doctor, *illius peccati pœna quod nulla necessitate commissum est*, lib. 1. operis imperfecti contra Julian. cap.105. atque tunc illud evenit quod ait Bernard. serm.81. in Cant. *Ut nec necessitas, cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas, cum sit intellecta, excludere necessitatem: est enim necessitas hæc* moralis, *quodammodo voluntaria*, imo juxta D. Thom. 1.2.q.73.a.6.ad 2. *ubi est major concupiscentia* voluntaria, *ibi est majus peccatum:* de quo fusius infra, ubi dicemus quandonam passio excuset, minuat, aut aggravet peccatum.

Monit. Non tamen hinc peccatores, quantumvis obdurati, desperationis causam arripiant, sed potius operam omnem in eo ponant ut ferreas solvant peccati catenas, quas propria voluntate sibi nexuerunt. Quantumcumque enim impotentes sibi videantur ad resistendum pravis habitibus, quos contraxerunt, nunquam tamen adest *physica* peccandi necessitas, & si quæ forte *moralis* occurrat, ea facile ab eo pelli potest, cujus *gratia*, ut loquitur Aug. de prædest. Sanctorum cap. 6. *a nullo duro corde respuitur*, cum ideo detur, ut *duritia cordis penitus auferatur*. Gratiam igitur & votis & gemitibus, & sollicitis precibus ab eo postulent, *qui dat spiritum bonum petentibus se*, & ipsis etiam obcœcatis lucem suam penitus non subtrahit, quandiu sunt in hac vita, ut docet Aug. Enarr. in Psal. 6.

Quæ-

Quæres, utrum ficuti ad demeritum, ita ad meritum fufficiat virtualis tum attentio, tum libertas.

℞. 1. affirmative, quod ad virtualem attentionem attinet; qui enim cœpit opus aliquod bonum attentus, etfi dum opus cœptum profequitur, ejus animus involuntarie alio diftrahatur, mereri non definit, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 83. a. 13. in corp. ubi fic loquitur: *Primus quidem effectus orationis, & communis omnibus actibus caritate informatis, eft mereri; & ad hunc effectum, non ex neceffitate requiritur, quod attentio adfit orationi per totam orationem meritoriam, ficut in aliis meritoriis actibus accidit.*

Refpondeo 2. Quod ad libertatem virtualem attinet, quæftionem videri omnino metaphyficam, quæ nefcio, an in praxi contingat.

CAPUT II.

Quinam actus morales fint boni, quinam mali, feu unde petatur actuum humanorum bonitas & malitia.

Certum eft, bonitatem & malitiam actuum humanorum peti ex conformitate, aut difformitate cum regulis morum: ficuti enim, actus boni nomine nihil aliud intelligitur, quam ille, qui conformis eft regulis morum; ita & malus in eo pofitus eft, quod cum eifdem regulis pugnet. Cum autem humanus actus regulis morum poffit convenire vel ratione objecti, circa quod verfatur, vel ratione finis, qui intenditur, vel ratione circumftantiarum, quæ eum comitantur, in hoc fecundo capite explicabimus, quomodo actus humanus cum lege, feu cum regulis morum confentire debeat, ut bonus fit; quomodo vero ab eifdem diffentire, ut malus habeatur. Sed prius explicandum quid *objecti*, quid *finis*, quid *circumftantiarum* nomine intelligatur.

Obferva igitur, omnem actum humanum neceffario verfari circa *aliquid*, fieri propter *aliquid*, & certis quibufdam *adjunctis* accidentaliter modificari.

Id, circa quod actus verfatur, vocatur *objectum* illius; amor v.g. habet pro objecto *id*, circa quod verfatur, puta vel Deum, vel creaturas, vel nos ipfos, vel alios.

Id, propter quod fit actus humanus, vocatur illius *finis*, qui duplex eft; alter *finis operis*, alter *finis operantis*.

Finis *operis*, qui & intrinfecus dicitur, eft *id*, ad quod opus ex natura fua ordinatur, v.g. fublevatio alienæ miferiæ eft finis intrinfecus eleemofynæ; quia ad illud eleemofyna ex fua natura ordinatur.

Finis *operantis*, qui & extrinfecus dicitur, eft *id*, quod operans pro arbitrio fibi proponit, v.g. vana gloria eft finis jejunii, & eleemofynæ in hypocrita; quia ad hoc nec jejunium, nec eleemofyna ordinantur, fed folum ex arbitrio operantis.

Adjuncta denique, quibus accidentaliter modificatur actus humanus, circumftantiæ nominantur, eaque hoc verficulo continentur.

Quid, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quis denotat accidentariam qualitatem operantis, puta, quod operans fit Clericus, vel Laicus; Religiofus, vel Sæcularis; perfona publica, vel privata.

Quid denotat accidentariam objecti qualitatem vel quantitatem, puta quod res ablata fit facra, vel profana; parvi, vel magni pretii: item denotat qualitatem perfonæ, contra quam peccatur, puta quod perfona offenfa fit privata vel publica, facra vel profana: demum *quid* denotat effectus pravos, qui ex peccato confequuntur.

Ubi denotat accidentariam loci conditionem, puta, fi locus eft publicus, vel privatus; facer, vel profanus.

Quibus auxiliis denotat accidentaria media, quibus operans utitur ad affequendum finem, v.g. fi ad exequendam vindictam utatur ope humana, vel diabolica; ferro, vel veneno.

Cur non denotat finem *operis*, & intrinfecum; quia idem eft ac objectum; fed denotat finem *operantis* & extrinfecum, quem operans fibi pro arbitrio proponit, puta fi ftudeat lucri caufa; fi oret ob vanam gloriam.

Quomodo denotat accidentarios actus humani modos, puta, fi fiat plena, vel femiplena deliberatione; coram pluribus, vel paucis; cum fcandalo, vel abfque fcandalo; cum contemptu, vel abfque contemptu legis.

Quando denotat accidentariam temporis quantitatem, vel qualitatem, puta, fi quod fit, vel omittitur, eveniat vel tempore facro, vel non facro; tempore Miffæ, jejunii, vel alio tempore; fi opus tum bonum, tum malum, diu, aut paulum duraverit.

1. *Prop.* Ut actus humanus fit bonus, requiritur ut conveniat cum lege, feu cum regulis morum & ratione objecti, & ratione finis, & ratione circumftantiarum: ut autem fit malus, fufficit quod repugnet legi, feu regulis morum vel ratione objecti, vel ratione finis, vel ratione circumftantiarum; & non ratione omnium fimul.

Pro-

Probatur auctoritate Scripturarum.

1. Scriptura damnat eos actus, qui objecta habent contraria Legi, seu regulis morum, puta perjurium, furtum, adulterium, homicidium, & alia hujusmodi, de quibus Paulus ait, quod *qui talia agunt, regnum Dei non consequentur*.

2. Eadem Scriptura reprobat eos actus, qui licet boni sint ex objecto, carent tamen debito fine, quales sunt eleemosyna, & oratio dum fiunt ob vanam gloriam, ut docet Christus, Matth. 7. v. 1. asserens de hujusmodi hypocritis, *quod receperunt mercedem suam*.

3. Scriptura quoque eos actus vituperat, qui licet ex objecto & fine malitiam non habeant, ex aliqua tamen circumstantia vitiantur, ut patet ex facto Petri cum Judæis judaizantis, seu ceremonias Legis observantis: cui quidem Paulus in faciem restitit, quia *reprehensibilis erat*: etenim factum illud Petri, neque ex objecto, neque ex fine, sed ex circumstantiis solum vitiosum erat. Ex objecto quidem pravum non erat, cum ceremoniæ legales nondum essent mortiferæ; non etiam ratione finis, cum Judæorum salutem Petrus sibi proponeret: sed erat reprehensibile ratione circumstantiarum; quia hujusmodi legalium observatio in his fiebat locorum, & temporum circumstantiis, quibus Petrus cogebat *gentes judaizare*, ut ait Paul. ad Galat. 2. v. 11. Ergo, ut actus sit bonus, requiritur, ut regulis morum conveniat tum ratione objecti, tum ratione finis, tum ratione circumstantiarum: ut vero sit malus, sufficit quod in uno tantum deficiat.

Prob. 2. Ex D. Th. 1. 2. q. 18. ar. 9. in corp. *Actus moralis non solum habet bonitatem ex objecto, a quo habet speciem; sed etiam ex circumstantiis*, inter quas ex sancto Doctore finis præcipue locum tenet. Ergo ut actus moralis sit bonus, debet esse conformis Legi & ratione objecti, & ratione finis, & ratione circumstantiarum.

Prob. 3. ratione. Ea est boni natura, ut sine omnium perfectionum sibi debitarum concursu non constet, sed in malum degeneret, si vel in uno tantum deficiat: sic in Physicis corpus v. g. humanum vitiosum dicitur, si careat membro debito, puta oculo, pede: sic etiam in artefactis, tabella v. g. vitiosa censetur, si vel in coloribus, vel in lineamentis peccet: ergo & in moralibus bonitas actus non nisi ex omnium perfectionum sibi debitarum concursu exurgit; malitia vero ex quocumque defectu: unde celebre illud quod ex Dionysio refert S. Thom. *Bonum ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus*. Dionys. de div. Nom. cap. 4.

Consect. 1. Hinc patet in resolvendis casibus comparandos esse actus humanos cum regulis morum, tum ratione objecti, quod eligitur; tum ratione finis, qui intenditur; tum ratione circumstantiarum, quæ actum comitantur; & eos tantum bonos esse judicandos, qui undique cum illis consentient; malos vero esse habendos, qui cum iisdem, vel ex uno tantum capite pugnabunt.

Sic jejunium Judæorum, de quo Isaias cap. 58. v. 3. licet bonum esset ex objecto, reprobatum tamen fuit a Deo, ratione intentionis pravæ. *Ecce*, inquit, *ad lites, & contentiones jejunatis*, id est, ut vacetis instruendis litibus, quibus proximos opprimatis.

Sic factum Loth offerentis filias suas, quibus Sodomitæ abuterentur, potius quam infandum crimen contra naturam committerent, licet bonum appareret ex intentione, vitiosum tamen erat ex objecto; quia fornicatio est ex se mala.

Sic zelus Pauli Legem Mosaicam defendentis, licet bonus esset ex objecto, quia lex quam tuebatur, erat sancta, juxta illud, *Lex quidem sancta, mandatum justum & bonum*; vituperabilis tamen erat ex circumstantiis. 1. Quidem ex tempore; quia legem æmulabatur eo tempore quo erat interitura. 2. Ex modo; quia ardentior erat paternarum traditionum æmulator.

Sic communia vitæ Christianæ exercitia, puta celebratio Festorum, observantia jejuniorum, preces tum privatæ, tum publicæ, sine merito sunt apud Deum, si aut pravo fine, aut vitiosis circumstantiis inficiantur: quam ob causam reprobat Deus apud Isaiam sacrificia Judæorum. *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus*, c. 1. v. 11. In quam sententiam ait Greg. in Luc. 11. v. 34. *Cum perversa intentione quid vel rectum agitur; etsi splendescere coram hominibus cernitur, apud examen interni judicis obscuratur.*

Consect. 2. Hinc etiam patet nulla intentionis *directione*, quantumvis ea honesta, aut Christiana appareat, excusari penitus posse quæ aut ex objecto, aut ex circumstantiis constat esse mala. 1. Enim, ut modo diximus, *Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu*. 2. Illa mentis, seu intentionis *directio* nihil in objectis immutat, nec efficere potest, ut quod legi contrarium est, legi non adversetur. Unde Clerus Gallicanus in sua censura an. 1700. art. 15. illam mentis *directionem fallacem* nominat, qua scilicet mutantur tantum nomina criminum, non tollun-

luntur. 3. Si quæ constat esse mala, excusaret intentio recta, nihil erit lege prohibitum, quod licite, imo recte, ut ait Aug. fieri non possit. *Quod enim*, ait ille Doctor. lib. contra mend. cap. 7. *sceleratissimum facinus, quod turpissimum flagitium, quod impiissimum sacrilegium non dicatur posse fieri recte atque juste, nec impune tantum, verum etiam gloriose ... si semel concesserimus in omnibus malis operibus hominum ideo non quid fiat, sed quare fiat, esse quærendum?* Unde ibid. sanctus Doctor ut firmissimum dogma proponit. *Ea quæ constat esse peccata, nullo causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt.*

Sic, etsi generatim honestum & licitum sit, conservare vitam, tueri honorem, jus suum persequi, rem augere; non tamen licitum est aut idolis thus adolere, ut vitam conserves; aut calumniatorem occidere, ut honorem tuearis; aut abortum procurare, ne infameris; vel alicui falsum crimen imponere, ut justitiam tuam defendas; aut usuras exigere, ut ditior evadas. Idololatria enim, cædes quæ fit privata authoritate, calumnia, usura, ex suapte natura sunt mala; ut nos suis locis dicemus, ubi etiam damnatas hac in parte propositiones referemus.

Sic, etsi Christianum sit pauperibus opitulari, templa construere vel reficere, Ecclesiæ ministrare, innocentes ab injusta vexatione eripere, piis bona temporalia procurare, qui christiane his usuri sunt: non tamen licet, aut furari divitibus, ut des eleemosynam pauperibus, aut opes per fas & nefas congerere, ut Ecclesiæ construantur; aut simonia tibi ad beneficium viam parare, ut Ecclesiæ deinde ministres & fidelium saluti incumbas; aut falsum testimonium proferre, ut non damnetur innocens, injusta sententia moriturus; aut denique falsa testamenta supponere, vel vera supprimere, ut obveniat dignis hereditas, a quibus, ut loquitur Aug. loco citato, *esurientes pascuntur, nudi vestiuntur, peregrini suscipiuntur, captivi redimuntur, Ecclesiæ construuntur*: hæc enim per se & suapte natura sunt mala; neque, ut ait Paulus, *facienda sunt mala, ut inde veniant bona*.

Sic, etsi honestum sit, mutuis visitationibus, colloquiisve, cum cognatis, cum amicis, cum vicinis civilem societatem fovere: licitum tamen non est, reddendis hujusmodi vitæ civilis officiis vacare, in his circumstantiis, in quibus Christianæ vitæ officia alio nos vocant.

Sic, etsi Christianum sit, proximum per correctionem fraternam ad resipiscentiam vocare, in Ecclesia orationes fundere: tamen est vitiosa correctio, si fiat his in circumstantiis, in quibus nocitura potius, quam profutura prævidetur; nec vitio caret oratio, quæ per longum tempus in Ecclesia protrahitur, dum res domesticæ, quæ dilationem non patiuntur, domum vocant.

Mon. Dixi, intentionem quamtumvis rectam non excusare in his quæ *constat esse mala*.

1. Quia, ubi adest ignorantia invincibilis, recta operantis intentio excusare potest, quod quidem inferius explicabimus, ubi de ignorantia.

2. Quia operantis finis, si rectus sit, operantem nedum excusat a peccato in his, quæ secundum speciem sunt indifferentia; sed etiam efficit, ut actus, qui ex parte objecti sunt indifferentes, sint recti & boni; ut patet ex deambulatione, quæ a viro pio suscipitur animi relaxandi causa, ut postea vitæ christianæ officiis liberius persungatur.

Dixi iterum, intentionem quamtumvis rectam & piam non excusare *penitus*; quia finis operantis, si pius sit, etsi non secundum scientiam, interdum minuit peccatum; ut enim optime monet Aug. lib. contra mendac. cap. 8. *Gravius est avaritia, quam misericordia furtum facere*; & Bernard. lib. de præcep. & dispensat. *Quod a nesciente fit, & bonum prorsus condemnat intentio prava, & malum non penitus excusat recta.*

Consect. 3. Hinc etiam patet triplicem in actibus humanis agnosci debere tum bonitatem, tum malitiam; quarum altera petitur ex objecto, quod lege præcipitur, aut prohibetur; altera ex intentione operantis, quæ est legi conformis, vel difformis; altera ex circumstantiis, quæ cum lege consentiunt, vel discrepant. Quæ quidem triplex tum bonitas, tum malitia, cum non uno & eodem modo actibus humanis conveniat, ideo sit

2. *Prop.* Bonitas, & malitia actuum humanorum, ita ex objecto, fine, & circumstantiis petitur, ut *essentialis* tum bonitas, tum malitia, ex objecto & fine; *accidentaria* ex circumstantiis desumatur; nisi circumstantiæ sint ex earum numero, quæ speciem mutant.

Prob. 1. pars, scilicet, quod *essentialis* tum bonitas, tum malitia ex objecto desumatur.

1. Script. Homines in Sacris Litteris denominantur boni vel mali, justi vel injusti, ab objectis quæ eligunt; juxta illud Oseæ 9. v. 10. *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*. Ergo præcipua tum bonitas, tum malitia ab objecto desumitur; eadem enim est ratio, ut dicit D. Thom. 1. 2. q. 18. a. 2. de bonitate, quæ de malitia.

2. Ex

2. Ex D. Thom. 1. 2. q. 18. a. 2. in corp. *Prima bonitas actus moralis attenditur ex objecto* legibus *convenienti .... Primum malum in actionibus moralibus est quod est ex objecto* legibus disconvenienti, *sicut accipere aliena . .*

3. *Rat*. Ex eo petitur essentialis tum bonitas, tum malitia actuum humanorum a quo actus humanus habet, quod sit ex se conformis, aut discrepans cum regulis morum, ut patet : atqui actus humanus habet ex objecto, quod sit ex se & essentialiter conformis, aut discrepans cum regulis morum; conformis quidem, si objectum lege præcipiatur; repugnans vero, si lege prohibeatur : sic amor Dei & proximi ex se bonus est, quia lege præcipitur : odium vero tum Dei, tum proximi ex se pravum est, quia lege prohibetur. Ergo.

Prob. 2. pars, scilicet, quod ex fine quoque oriatur essentialis tum bonitas, tum malitia.

1. Ex Script. Christus in Evangelio, ex fine præsertim, bonitatem & malitiam actuum humanorum æstimandam esse docet, dum dicit : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit*. Matth. 6. v. 22. ubi sicuti per oculum simplicem significatur intentio recta, ita per oculum nequam significatur intentio prava, ut docet post Aug. D. Thom. Ergo ex fine petitur essentialis tum bonitas, tum malitia.

2. Ex Aug. qui tantam vim tribuit fini, ut similiter ex eo præsertim humanos actus pensari velit : *Non enim*, inquit, *valde attendas quid homo faciat; sed quid, cum facit, respiciat*: in Psal. 31. & lib. contra mendac. cap. 7. *Interest quidem plurimum, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat*; ut inde scilicet cognoscatur, quæ sit bonitas, aut malitia essentialis actuum humanorum; scribens enim contra Julia. lib. 4. cap. 3. ait : *Noveris non solis officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes : Officium autem est quod faciendum, finis vero propter quod faciendum est*.

3. *Rat*. Finis, ut patet ex antenotatis, duplex est, *operis*, & *operantis*: atqui ex utroque illo fine desumitur essentialis tum bonitas, tum malitia actuum humanorum : ergo &c. Minor patet quoad utramque partem.

1. Enim ex fine operis petitur essentialis tum bonitas, tum malitia; quandoquidem finis operis ipsum est objectum, cui proinde eadem, quæ objecto, competit, tum bonitas, tum malitia, ut patet in eleemosyna, cujus finis proprius est sublevatio alienæ miseriæ; & in furto, cujus finis proprius est rapere rem alienam.

2. Ex fine operantis petitur quoque essentialis tum bonitas, tum malitia actuum humanorum; finis enim operantis proprium fit operantis objectum, ut observat D. Th. 1. 2. q. 16. ar. 6. Unde ibidem docet idem Doctor, post Aristotelem, eum qui furatur, ut adulterium committat, adulterum potius quam furem esse nominandum; quod scilicet adulterium sit objectum præcipuum, quod fur eo in casu sibi proponit, ordinando nimirum furtum ad adulterium perpetrandum.

Prob. 3. pars. Scilicet, quod accidentaria tum bonitas, tum malitia actuum humanorum petatur ex circumstantiis.

Nomine circumstantiarum, ut diximus, intelliguntur accidentia quædam, quæ humano actui in suo esse morali constituto adveniunt, seu quæ actiones humanas sive bonas, sive malas modificant : ergo sicuti in physicis accidentia entibus physicis perfectionem aut imperfectionem accidentariam tribuunt; ita & in moralibus accidentaria actuum humanorum tum perfectio, tum imperfectio ex circumstantiis peti debet.

Dixi, nisi circumstantiæ sint ex earum numero, quæ speciem mutant; quia tunc circumstantiæ bonitatem, aut malitiam essentialem conferunt : de quo infra.

Mon. Observa, quod licet malitia, quæ ex objectis petitur, actibus humanis sit *essentialis*; non tamen eodem modo sit invariabilis; ea enim actuum humanorum objecta, quæ naturali Lege prohibentur, invariabilem prorsus malitiam continent; adeo ut numquam licita fieri possint. Quæ vero legibus tantum positivis prohibentur, tandiu tantum actus humanos *essentialiter* vitiant, quandiu vigent leges, quibus prohibentur, adeo ut, cessante vigore legis, licita fieri possint. Cujus rei ea ratio est, quod quæ lege naturali prohibentur, non ideo sint mala, quia prohibentur, sed ideo prohibeantur, quia mala; quæ vero legibus positivis prohibentur, ideo tantum sint mala, quia prohibentur: ex quo fit, ut cessante prohibitione, licita fieri possint: quod quidem fusius explicabitur, ubi de lege.

Observa iterum, quod licet malitia, quæ ex fine operantis petitur, sit etiam actibus humanis *essentialis*; quia scilicet finis ille proprium sit, ut diximus, operantis objectum : absolute tamen actioni sit extrinseca, quia nimirum ad operantis arbitrium alio referri actio potest.

Consect. 1. Hinc inferes 1. actus omnes humanos, qui circa objecta versantur naturali lege prohibita, licitos numquam fieri posse, nisi forte adsit ignorantia invincibilis. Hæc enim

enim objecta invariabilem prorsus malitiam continent. Sic numquam licet blasphemare, pejerare, parentes inhonorare, justitiam lædere, &c. quia scilicet hæc naturali lege prohibentur.

Consect. 2. Hinc inferes 2. actus omnes humanos, qui circa objecta versantur legibus solum positivis prohibita, tamdiu dumtaxat malos esse, quamdiu vigent Leges positivæ, quibus prohibentur; licitos vero fieri posse, ubi cessat earum vigor vel per abrogationem, vel per dispensationem, &c. Sic vigente Lege Mosaica, Judæis non licebat comedere sanguinem, aut suffocata, quæ tamen comestio licita nunc est, Lege veteri per Evangelicam abrogata.

Consect. 3. Hinc inferes 3. ea, quæ pravo tantum operantis fine inficiuntur, licita posse fieri, si accedat recta intentio, ut patet in eo, qui ob vanam gloriam eleemosynam dare solitus, pravam illam corrigit intentionem, & amore Christi pauperibus deinde opitulatur. Etsi enim malitia, quæ actibus humanis ex fine operantis advenit, sit *essentialis*, absolute tamen illis est, ut modo diximus, extrinseca.

Consect. 4 Hinc inferes denique, actus omnes humanos, qui ex circumstantiis tantum vitiosi sunt, bonos fieri posse, si hujusmodi circumstantiæ removeantur; quæ enim actibus humanis ex circumstantiis malitia advenit, eis accidentaria est, ac proinde eam deponere possunt actus humani, ut patet in eo, qui orat indebito tempore; hujus enim oratio recta fiet, si congruo tempore adhibeatur.

CAPUT III.

Quomodo actus sive boni, sive mali inter se invicem distinguantur.

Actus sive boni, sive mali ab invicem distinguuntur vel specifice, vel numerice: &, si inter se conferantur, sunt alii aliis aut meliores, aut pejores: quare in hoc tertio capite statuemus. 1. Unde desumenda sit actuum humanorum sive bonorum, sive malorum distinctio tum specifica, tum numerica. 2. Unde petenda sit eorumdem inter se inæqualitas tum *essentialis*, tum *accidentaria*. 3. Denique, cum e peccatis alia venialia sint, alia lethalia, Regulas quasdam subjiciemus, quibus mortale peccatum a veniali secerni possit. Quæ quidem tria, etsi metaphysica videantur, scitu tamen sunt omnino necessaria, præsertim, quod ad peccata attinet; cum ex Trident. sess. 14. c. 5. peccata mortalia in eo a venialibus dissent, quod illa sint materia confessionis necessaria; hæc vero libera; cumque ex eodem Concilio necessario declarandæ sint in confessione, non solum diversæ peccatorum species, sed & eorum numerus; imo juxta probabiliorem & tutiorem Theologorum sententiam aperiendæ quoque sint eæ circumstantiæ, quæ peccatum notabiliter aggravant.

§ I.

Unde desumatur actuum humanorum, sive bonorum, sive malorum distinctio tum specifica, tum numerica.

Nota. Actus humani, sive boni, sive mali, specie distinguuntur, inquantum, sub eodem genere virtutis aut vitii, diversas virtutum, aut vitiorum species constituunt: numero vero, quando intra eamdem virtutis, aut vitii speciem multiplicantur.

Sic fides & caritas specie distinguuntur; actus vero caritatis ab alio actu caritatis numerice tantum distinguitur.

Sic e contra, furtum specie differt ab adulterio; furtum vero ab alio furto numerice tantum secernitur.

1. *Prop.* Virtutum & vitiorum specifica distinctio ex objecto, & fine, & nonnumquam ex circumstantiis petitur.

Prob. Hinc desumi debet specifica virtutum & vitiorum distinctio, unde desumitur essentialis tum bonitas, tum malitia actuum humanorum; diversæ siquidem essentiæ diversas constituunt species: At qui actus humani ex objecto, & fine, & nonnumquam ex circumstantiis essentialem desumunt tum bonitatem, tum malitiam, ut superiori capite demonstratum est: Ergo & distinctionem specificam.

Consect. 1. Ad cognoscendas diversas tum virtutum, tum vitiorum species, primo & præcipue objectum est attendendum. Inde enim specifica virtutum & vitiorum distinctio præcipue oritur; unde actus humani, sive boni, sive mali, primam & præcipuam habent essentialem tum bonitatem, tum malitiam, ac proinde distinctionem.

Sic virtutes, quæ Theologicæ dicuntur, specifice differunt a virtutibus moralibus; quia illæ immediate circa Deum versantur, aliæ circa media, quæ ducunt ad Deum.

Sic etiam fides, spes, caritas inter se invicem specifice differunt; quia prima circa ve-

veritatem Dei; secunda circa ejus fidelitatem; tertia circa ejus bonitatem versatur.

Sic quoque prudentia, justitia, fortitudo, temperantia specifice inter se secernuntur; quia habent diversum objectum, & diversos effectus producunt. Justitia enim jus suum cuique tribuit; fortitudo dat firmitatem in adeundis periculis & tolerandis laboribus; temperantia delectationum corporearum usum moderatur; prudentia vero modum quibuscumque virtutibus præscribit.

Sic contra, vitia, quæ virtutibus Theologicis opponuntur, distinguuntur specifice a vitiis, quæ virtutibus moralibus adversantur; quia priora immediate Deum ipsum lædunt; posteriora vero ab his mediis nos avertunt, quæ nos ad Deum deducunt.

Sic infidelitas, desperatio, præsumptio, cupiditas inter se secernuntur specifice; quia fidei infidelitas; spei desperatio & præsumptio; cupiditas vero caritati repugnat.

Sic injustitia & intemperantia inter se specifice differunt; quia prior justitiæ, posterior temperantiæ adversatur.

Consect. 2. Ad cognoscendas diversas virtutum & vitiorum species, finis quoque operantis attendendus est. Ex fine enim, ut supra diximus, petitur etiam essentialis tum bonitas, tum malitia actuum humanorum, ac proinde distinctio specifica.

Sic quod est ex specie sua indifferens, v.g. ambulare, sedere, domi manere, vel domo egredi, speciem boni vel mali assumit, prout bono vel pravo fine dirigitur. Puta, fit bonum, si amici causa facias; malum vero, si motivo pravæ libidinis explendæ præstiteris.

Sic quod est ex se præcise bonum in ordine naturali, v.g. amicos invisere, alienam miseriam levare, ad ordinem evehitur supernaturalem, si ex intentione supernaturali oriatur, v.g. si fiat, ut Deo offenso satisfaciamus.

Sic e contta, quod est ex se indifferens, v.g. domi manere, vel domo exire, speciem finis *operantis* induit, v.g. in furtum, in adulterium degenerant, si fiat animo furandi, animo adulterandi.

Sic etiam, quod est ex se bonum, malitiam contrahit ad operante intentam, ut patet exemplo illius, qui eleemosynam pauperi virgini erogat, ut ea abutatur. Hujus enim liberalitas stuprum est, non eleemosyna.

Sic denique, quod in aliqua specie mali constituitur, in aliam transit peccati speciem, si finis operantis diversus sit ab objecto peccati, v.g. qui falsum testimonium dicit coram judice, ut proximo mortem moliatur, ille non tam est mendax & perjurus, quam homicida.

Consect. 3. Ad cognoscendam virtutum & vitiorum speciem, circumstantiæ quoque sunt attendendæ; aliquando enim, ut modo diximus, virtutum & vitiorum speciem immutant: quando scilicet, ut docet D. Th. 1. 2. q. 18. a. 10. in corp. *respiciunt specialem ordinem rationis, vel pro, vel contra*; hoc est, specialem afferunt cum lege vel convenientiam, vel discrepantiam, quæ neque in objecto, neque in fine occurrat. Unde ad discernendas hujusmodi circumstantias sequentes Regulæ statui possunt.

Reg. 1. *Toties circumstantia speciem immutat, quoties per eam fit, ut actus alicui virtuti sit conformis, vel difformis, cui alioquin nec conformis esset, nec contrarius*; tunc enim duplex virtus aut exercetur, aut læditur: quod quidem clarius patebit exemplo.

Sic cum quis jejunat ex voto, ut carnem refrenet, jejunium nedum habet speciem abstinentiæ, sed etiam religionis: quia scilicet, ut utar verbis D. Th. fidelitas in servando voto specialem includit cum lege convenientiam, quæ jejunio nec ratione sui, nec ratione finis intenti conveniat, sed solum ob circumstantiam voti.

Sic e contra, qui furatur in Ecclesia, nedum fur est, sed etiam sacrilegus; quia nedum justitiam lædit alienum accipiendo, sed etiam religionem, quæ res sacras violari vetat: ac proinde, in injusta illa rei alienæ acceptione specialis occurrit cum lege repugnantia, quæ in furto ratione sui non reperitur.

Sic pariter in sacerdote, in religioso, luxuria nedum est fornicatio, vel stuprum, vel adulterium; sed etiam sacrilegium ratione voti castitatis, quod violatur: & e contra, continentia in sacerdote, & religioso, nedum est castitas; sed etiam virtus religionis ratione voti, per quod utriusque corpus Deo consecratum est.

Sic pariter, qui clericos pauperes eleemosynis juvat, opus elicit misericordiæ & religionis; misericordiæ, quia dat eleemosynam; religionis, quia Ministris Deo sacris opitulatur: e contra qui eosdem clericos debitis stipendiis fraudat, nedum injustus est, sed sacrilegus.

Reg. 2. *In uno & eodem actu physico, moraliter spectato, tot sunt virtutes quot observantur præcepta, vel consilia non subordinata, seu eodem non tendentia: & contra, tot sunt peccata, quot violantur præcepta disparata, seu quæ eodem non tendunt.*

Sic in uno & eodem jejunio, quod quis observat, ut obediat Ecclesiæ, ut injunctam a Confessario pœnitentiam adimpleat, ut impendat caritati, quod subtrahit voluptati, triplex reperitur virtus; obedientia erga Ecclesiam; satisfactio erga Deum; caritas erga pauperes.

Sic e contra, dum pervigilium Divi Matthiæ in Quadragesimam, & in quatuor tempora incidit, si quis ea die jejunet, ut obediat Ecclesiæ, unam tantum virtutem exercet, licet triplici satisfaciat præcepto; quia scilicet triplex illud Ecclesiæ præceptum eodem tendit; & si eodem die non jejunaret, unum & non multiplex peccatum committeret.

Sic pariter, qui uno & eodem actu proximum allicit ad blasphemandum, duo peccata committit; alterum in religionem, quam lædit, Deum inhonorando; alterum contra caritatem, quam violat, proximum ad peccatum inducendo.

Sic pariter Sacerdos Beneficiarius omittens horas Canonica, una & eadem omissione duplex peccatum committit; alterum contra religionem, violando obligationem, quæ nascitur ex susceptione Ordinis Sacri; alterum contra justitiam, violando obligationem, quæ oritur ex Beneficio.

2. *Prop.* Actuum humanorum, sive bonorum, sive malorum distinctio numerica desumitur ex morali temporis interruptione, quæ reperitur inter actus voluntatis ad idem objectum tendentis.

Prob. Ex eo habent actus humani, sive boni, sive mali numericam distinctionem, ex quo habent, quod sint intra eamdem speciem multiplices: atqui, quod sint intra eamdem speciem multiplices, hoc habent ex morali temporis interruptione, quæ inter eos intercedit, dum ad idem objectum tendunt: sicuti enim actus physici intra eamdem speciem physice multiplicantur per physicam temporis interruptionem; ita & actus morales intra eamdem speciem numerice multiplicantur per moralem temporis interruptionem: ergo &c.

Quod si quæras quid sit moralis temporis interruptio, & in quo a physica temporis interruptione secernantur.

R. In hoc moralem interruptionem a physica distingui; quod toties interveniat interruptio physica, quoties inter actus physicos intercedit diversum tempus; quodque, ut accidat interruptio moralis, non sufficiat diversum tempus, sed & præterea requiratur nova voluntatis circa idem objectum determinatio.

Sic ille, qui 1. cogitat de furto committendo. 2. consilium capessit furandi. 3. media ad furandum assumit, v. g. scalam arripit, perfodit domum, capsulam aperit. 4. demum pecuniam surripit & fugit, diversos quidem actus physicos elicit; cum ii diversis temporibus respondeant, sed unum tantum numero peccatum committit; quia scilicet prædicti omnes actus physici ab eadem voluntatis determinatione furandi proficiscuntur.

Sic e contra, qui vel intra semi-horam furtum decies proponit, & decies furti pœnitet, decem peccata committit, quia scilicet nedum est diversum tempus, sed etiam nova voluntatis circa idem objectum determinatio. Verum hæc sequentibus consectariis clariora evadent.

Consect. 1. Toties actus censetur moraliter interruptus, quoties prior voluntas per contrariam revocatur.

Sic qui consilium iniit furandi, si pœnitentia ductus nefariam illam voluntatem revocet, & deinde ad eam redeat, adest inter duos illos actus moralis interruptio, licet exiguum tempus inter utramque illam furandi voluntatem intercesserit; quia scilicet adest & diversum tempus, & diversa circa idem objectum determinatio.

Consect. 2. Toties actus censetur moraliter interruptus, quoties voluntas cessat a priore actu, libere de re aliqua cogitando, quæ nullam habeat cum priore voluntate connexionem.

Sic qui consilium vindictæ iniit, postea studio vacat, nihil cogitans de vindicta; si post studium ultionem de novo meditetur, novum numero peccatum committit: quia posterior ultionis voluntas novo non solum tempori respondet, sed etiam a nova determinatione oritur.

Consect. 3. Toties actus censetur moraliter interruptus, quoties a priore actu cessatur involuntarie vi alicujus causæ physicæ, puta per somnum, per ebrietatem &c.

Sic qui odio in fratrem ante somnum, ante vinum exarsit, & e somno, aut e vino rediens eumdem odii actum renovat, duplex numero peccatum committit; quia scilicet inter unum & alium actum tantum temporis intercedit, ut ex prudentum judicio unus actus cum alio non colligetur, & posterior a nova voluntatis determinatione oriri censeatur.

§ II.

§ II.

Unde petenda sit actuum humanorum sive bonorum, sive malorum inter se inaequalitas.

Not. 1. Actus humanos alios aliis esse vel meliores, vel pejores. Certum siquidem est a fide Catholica, nec virtutes esse inter se aequales, nec vitia paria, ut olim Stoicis visum est. Sicuti enim quibusdam operibus majorem in caelis mercedem Scripturae passim promittunt, ita & graviores poenas quibusdam peccatis paratas declarant.

Nota 2. Illam virtutum & vitiorum inaequalitatem duplicem esse, aliam essentialem, aliam accidentariam: prior actibus humanis intrinseca est, eisque convenit ratione sui: posterior actibus humanis extrinseca est, eisque convenit ex accidenti. Unde utraque illa bonitas sumenda sit, sequens propositio explicabit.

Prop. unica. Essentialis virtutum & vitiorum inaequalitas ex objecto & fine, accidentaria vero ex circumstantiis, speciem non variantibus, petitur.

Probatur. Ex eodem fonte peti debet virtutum & vitiorum inaequalitas tum essentialis, tum accidentaria, ex quo petitur actuum humanorum bonitas & malitia tum essentialis, tum accidentaria: illa siquidem virtutum & vitiorum inaequalitas nihil aliud est, quam major vel minor gradus bonitas & malitiae, qui in actibus humanis occurrit: Atqui actuum humanorum essentialis tum bonitas, tum malitia ex objecto & fine petitur; accidentaria vero ex circumstantiis, speciem non variantibus, ut superiori capite declaravimus: ergo &c.

Consect. 1. Ad metiendam virtutum vitiorumque inaequalitatem, primo & praecipue attendenda sunt earumdem virtutum & vitiorum objecta: inde enim primo & praecipue desumitur illa inaequalitas. Ex quo iterum sequitur, quod quo nobilius est virtutis & vitii objectum, eo & nobilior virtus, quae illud sectatur, & gravius peccatum, quod illud laedit.

Sic virtutes, quae Deum immediate respiciunt, puta, fides, spes, caritas, sublimiores sunt his virtutibus, quae nos, vel proximum respiciunt.

Sic contra, peccata, quae Deum petunt, ut idololatria, blasphemia &c. his graviora sunt, quae hominem impetunt, & rursus ea, quae sunt contra hominis vitam, ut homicidium, his graviora sunt, quae sunt contra ejusdem hominis exteriora bona, ut furtum.

Consect. 2. Ad metiendum virtutum vitiorumque inaequalitatem, maxime etiam attendendus est finis operantis; inde enim essentialiter etiam petitur illa inaequalitas.

Ex quo iterum sequitur, quod, quo melior aut pejor est operantis finis, eo ejus actioni major vel minor dignitas aut malitia accedat.

Sic bene facit, qui misericordia motus eleemosynam pauperi erogat; melius, qui ut obtemperet Confessario; sed longe sanctius, qui ducitur amore Christi, superflua pauperibus rogare praecipientis.

Sic contra peccat quidem, qui jocose mentitur; magis vero, qui ob vanam gloriam mendacia profert; sed longe gravius, qui idem facit, ut proximo damnum inferat.

Consect. 3. Ad metiendam virtutum & vitiorum inaequalitatem, circumstantiae quoque diligenter sunt attendendae; licet enim speciem non mutent, notabiliter tamen virtutem aut vitium, intra eamdem speciem, saepe vel augent, vel minuunt.

Ex quo iterum sequitur, actum sive bonum, sive malum, meliorem vel pejorem fieri; prout melioribus, vel pejoribus circumstantiis induitur, ut patet ex inductione sequenti.

Ac 1. quidem ex circumstantia personae sicuti virtuti nova quaedam dignitas, ita & vitio accidit nova quaedam deformitas.

Sic virtus in Rege, in Principe, in Magnate, in Magistratu, ceteris paribus, dignitatem habet, quae in plebeis & obscurae sortis hominibus non reperitur, nimirum ratione boni exempli; unde a Patribus commendari merito solet poenitentia Davidis Regis, Theodosii Imperatoris, & reliquorum Principum, qui se spectabiles reddiderunt virtutis exercitio.

Si e contra, peccata in persona publica, in sacerdotibus graviora sunt, quam in privatis & in laicis, nimirum ratione scandali: unde Salvianus lib. 4. de gubernatione Dei: *Criminosior culpa est, ubi honestior status: si honoratior est persona peccantis, peccati quoque major invidia.... Ubi sublimior praerogativa, major est culpa*. Et Bernard. lib. 2. de consid. cap. 13. *Nugae in ore saecularium nugae sunt: in ore Sacerdotis blasphemiae. Consecrasti os tuum Evangelio, talibus aperire illicitum*. Demum Scriptura satis indicat scelera multum crescere ex dignitate personae, dum dicit: *Potentes potenter tormenta patientur*. Sap. 6. v. 7.

Atque hinc est, quod Patres graviora pronuntiant Christianorum peccata, quam paganorum; quod scilicet Christiani per baptismum fiant membra Christi, & templum Spiritus sancti; neque *ullum ignorantiæ prætextum* ut loquitur Tertul. lib. de pœnit. c. 6. *eis patrocinari possit*; eorumque peccata speciale quoddam ingratitudinis vitium in se contineant, quod in paganis non occurrit, ob accepta scilicet specialia beneficia, quæ Paulus commemorat ad Heb. 6. Unde passim docent Scripturæ, Christianos peccatis suis *contristare Spiritum sanctum*, *templum Dei violare*, *hostiam*, seu propitiationem, *sibi non reliquam facere*, *thesaurizare sibi iram in die iræ*, & *terram esse maledicto proximam*, *cujus consummatio in combustionem*.

2. Ex circumstantia objecti, hoc est, vel ex ejus qualitate, aut quantitate, vel ex dignitate, aut indignitate personæ, cui benefacimus, vel nocemus, sicuti bonis operibus novum pretium, ita & pravis nova malitia additur.

Sic qui divitias liberaliter effundit in sinus pauperum, aut necessariis se fraudat, ut eas egenis largiatur, longe majorem habebit mercedem, quam qui parcus est in eleemosynis, aut nihil nisi superflua elargitur. Unde Paulus 2. Cor. cap. 9. v. 6. *Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*. Et 2. Cor cap. 8. v. 3. Macedonios Corinthiis laudat, quod non solum *secundum virtutem*, sed etiam *supra virtutem*, hoc est, non solum pro viribus, sed etiam supra vires, fratres, qui Jerosolymæ erant, eleemosynis suis liberaliter sublevassent.

Sic contra, qui furto ingentem pecuniæ summam subripit diviti, aut exiguam pauperi, sed ei necessarium, gravius peccat, quam qui levem summam subriperet diviti, & pauperem re non necessaria defraudaret. Unde in Scripturis oppressio pauperum peccatum dicitur in cælum clamans.

Sic etiam, quo humilior, aut dignior est persona, cui benefacimus, puta, si infimæ sortis ægros invisamus, aut infensissimis inimicis opem feramus; eo & excelsior nostra benignitas. Unde Paulus ad Rom. c. 5. v. 8. Dei in nos caritatem commendat, quod *cum adhuc peccatores essemus. . . . Christus pro nobis mortuus est*.

Sic e contra, peccatum eo gravius, quo dignior est persona, quæ per peccatum læditur, quia quo magis persona læsa Deo conjungitur, *vel ratione virtutis*, ut Sancti, *vel ratione officii*, ut Magistratus, illius injuria magis redundat in Deum. Ideo & Sanctis ait Deus per Zach. c. 2. v. 8. *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei*: & injuria contra Magistratus specialiter prohibetur, Exod. 22. v. 28. his verbis: *Principi populi tui non maledices*. In quam sententiam ait D. Th. 1. 2. q. 73. art. 9. in corp. *Peccatum quod fit in personam publicam, puta Regem, vel Principem, qui gerit personam totius multitudinis, est gravius, quam peccatum, quod committitur contra unam personam privatam . . . Et similiter injuria, quæ fit alicui personæ famosæ, videtur esse gravior ex hoc quod in tribulationem plurimorum redundat*.

3. Circumstantia loci novam quoque actibus humanis bonitatem, aut malitiam affert.

Sic qui publicam agit pœnitentiam, magis meretur, quam qui privatam; & qui in publico peccat, magis delinquit, quam qui privatim.

Ex mediis, quibus utimur ad bene vel male operandum, oritur etiam nova vel rectitudo, vel difformitas.

Sic qui, ut devotionem nutriat, exercitiis utitur vel a Christo, vel ab Apostolis & Patribus traditis, & ubique & semper in Ecclesia receptis, puta, Parochiæ suæ assiduus est, sacramenta frequentat, verbum Dei audit, &c. rectius haud dubie & utilius operatur, quam qui arbitraria pietatis exercitia seligit.

Sic contra, qui ad explendam vel libidinem, vel ambitionem, vel vindictam, vel alios nefarios affectus, multis utitur complicibus, eosque sui sceleris cooperatores ac socios efficit, criminosius certe peccat, quam qui solus eadem flagitia perpetrat.

5. Ex accidentario actus humani modo novum meritum, vel demeritum operibus nostris advenit.

Sic qui sponte & ardenter religionis exercitiis vacat, longe magis placet Deo, quam qui non nisi ægre & remisse eadem implet: *Hilarem enim datorem diligit Deus*, ut asserit Paulus 2. Cor. 9. v. 7.

Sic e contra, qui libidine ductus, vel vindicta, insolitum adhibet peccandi modum, puta, occisi inimici sanguinem epotat, & luxuriando insolita patrat, quæ pudor nominare vetat, scelestior est, quam qui eadem scelera non sic inordinate committit.

6. Denique diuturnitas, & qualitas temporis, non leve discrimen virtutibus & vitiis afferunt.

Sic ceteris paribus, quo diuturniora sunt pietatis exercitia, eo & Deo jucundiora;

ra; & qui eo tempore orat, quo tota orat Ecclesia, orationem adhibet utiliorem, quam si alio tempore oraret; est enim, ut ait Paulus, *tempus acceptabile*, hoc est, quo Deus facilius exoratur.

Sic e contra, quo diutius peccatores peccata sua protrahunt, puta dies & noctes in popinis exigunt, vindictam per dies solidos, per hebdomadas, per menses, per annum in animo nutriunt, eo & supplicio digniores. Et qui diebus festivis rebus illicitis vacant, vino & cibo v. g. mentem obruunt, diesque sacros in ludis, choreis, aut theatris exigunt, gravius peccant, quam si illud idem alio tempore factitarent.

Monit. Imo ea est circumstantiarum vis, ut malitia, quæ ex his humano actui advenit, nonnumquam absolute loquendo, sit gravior malitia, quam idem actus ex objecto desumit. Interdum enim tam graves circumstantiæ peccatum comitantur, ut licet ratione objecti, & essentialiter minus sit alio; ratione tamen circumstantiarum simplici et omnibus pensatis gravius sit: ut patet in homicidio, quod licet ratione objecti & essentialiter minus sit peccatum, quam blasphemia; tamen ratione circumstantiarum, quæ illud comitantur, & ratione effectuum, quæ ex eo sequuntur, absolute loquendo gravius est uno blasphemiæ peccato. Unde & Canones graviores homicidis pœnas decernunt quam blasphemis, ut videre est in Canonibus pœnitentialibus.

§. III.

Quomodo peccatum mortale a veniali secerni debeat.


Not. 1. Certum est ex fide Catholica, e peccatis alia esse mortalia, alia venialia: hoc est, alia esse peccata, quæ spiritualem animæ mortem inferunt, seu creaturæ amicitiam cum Deo dissolvunt & caritatem tollunt, ac proinde morti æternæ, quæ in exclusione a Regno Dei & pœnis æternis posita est, nos addicunt: alia e contra, quæ animam quidem vulnerant, sed non ad mortem, quæ licet caritatis fervorem minuant, eam tamen prorsus non extinguunt, nec plane dissolvunt creaturæ cum Deo amicitiam; unde & venialia nominantur, quod scilicet his facile venia concedatur.

1. Enim, quod ad mortalia attinet, clare docet Scriptura, quædam esse peccata, quæ præsentem animæ mortem inferunt, juxta illud 1. Joan. c. 3. v. 14. *Qui non diligit manet in morte*, & illud Sap. 1. v. 11. *Os quod mentitur, occidit animam.* Deinde aperte quoque eadem Scriptura tradit, quædam esse peccata, in quæ Deus per mortem æternam animadvertit, hoc est, per exclusionem a Regno cælorum, & pœnas inferni, juxta illud Paul. ad Galat. 5. v. 21. *Quoniam qui talia agunt Regnum Dei non consequentur*, & illud Christi Matth. 25. v. 41. *Ite maledicti in ignem æternum .... esurivi enim & non dedistis mihi manducare.*

2. Quod ad venialia spectat, docet Paul. 1. Cor. c. 7. in conjugibus culpas esse veniales, seu quibus facile venia indulgetur. Deinde justi, dum ex traditione a Christo Domino orta hæc orationis Dominicæ verba recitant, *dimitte nobis debita nostra*, pro peccatis orant venialibus; neque enim cum mortalibus peccatis status gratiæ & justitiæ componi potest.

Not. 2. Certum etiam esse, nihil esse difficilius, quam peccatum mortale a veniali secernere. 1. enim id ingenue fatetur Aug. lib. 21. de civ. Dei c. 27. ubi sic loquitur: *Quæ sunt ipsa peccata, quæ ita impediunt perventionem ad Regnum Dei... difficillimum invenire.* Deinde variæ occurrunt rationes, quæ hujusmodi mortalis peccati a veniali discrimen difficillimum efficiant. 1. Enim mens nostra circa moralia magis cæcutit, quam circa alia. *Scimus*, inquit Aug. lib. de natura & gratia c. 4. *leones domare, & nescimus delicta nostra cognoscere.* 2. Voluntas per peccatum corrupta inducit intellectum ad judicandum, prout est affecta; & sæpe non ex regula veritatis, sed ex cupiditate rem metitur. Sic, ut notat Aug. lib. de mend. cap. 18. ebrius damnat quidem furtum, sed excusat ebrietatem: fur vero licet ebrietatem damnet, furtum tamen excusat. 3. Sæpe fit, ut peccata, quamvis gravia, cum in consuetudinem venerint, aut levia, aut nulla esse credantur. *Usque adeo*, inquit August. Enchi. cap. 8. *ut non solum tunc occultanda, verum etiam prædicanda ac diffamanda videantur.* 4. Demum, ut notat Aug. lib. 2. de civit. Dei cap. ult. ideo voluit Deus difficile nobis esse hujusmodi peccati lethalis a veniali discrimen, *ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigresceret.*

Not. 3. Certum pariter esse, nihil magis esse necessarium, quam lethalia peccata a venialibus, quantum fieri potest, discernere; quid enim periculosius, quam in ea re hallucinari, ubi erroris non alia pœna quam mors æterna? Unde Aug. lib. 21. de civ. cap.



cap. ult. *periculosissimum esse*, ait, *definire* quæ mortalia, quæ venialia; quia scilicet, si forte lethalia pro venialibus accipiantur, mortis æternæ periculum incurritur.

Not. 4. Certum similiter esse, discrimen peccati mortalis a veniali, non ex humana ratione per peccatum corrupta, sed ex Scriptura & traditione, aliisque Moralis Christianæ fontibus, quantum fieri potest, petendum esse. Unde Aug. Ench. c.78. *Quæ sint levia, quæ gravia peccata, non humano*, inquit, *sed divino pensanda sunt judicio*; & lib. 2. cont. Donat. c. 6. *Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus, & quomodo volumus, pro arbitrio nostro, dicentes hoc grave, hoc leve: sed afferamus divinam stateram de Scripturis sanctis . . . & in illis quid sit grave appendamus; imo non appendamus, sed appensa a Domino recognoscamus.*

Not. Denique, peccata sive venialia, sive lethalia, considerari posse vel *in genere*, vel *in individuo*; quare, ut lethalia a venialibus facilius secerni possint, regulas primo statuemus, quibus quæ peccata sint secundum speciem lethalia, quæ vero venialia, discerni queat. Deinde alias proponemus, quibus cognosci possit, quando actus hic & nunc in individuo lethalis sit, vel venialis.

Regulæ quibus discerni debet, quæ peccata sint ex genere suo lethalia, quæ vero venialia.

1. *Reg.* Ea, quæ in Scripturis dicuntur, mortem animæ inferre, odium Dei in nos provocare, amicitiam ejus dissolvere, aut ejus gratia nos privare, a Regno cælesti nos excludere, vel digna sempiterno igne, &c. peccata sunt ex genere suo lethalia, cum eis propria lethalis peccati effecta conveniant.

Sic odium proximi, mendacium fratri noxium, peccata sunt ex genere suo lethalia; quia in Scripturis dicuntur, animæ præsentem mortem inferre, ut modo est observatum.

Sic seminare inter fratres discordiam, sectari ebrietatem, justificare impium pro muneribus, &c. peccata sunt ex genere suo mortalia; quia odium Dei in nos provocant: Scriptura enim væ & malectiones contra illos peccatores pronuntiat. Prov. 6. v. 32. & Isai. c. v. 8. & 11.

Sic idololatria, adulterium, fornicatio, mollities, furtum, &c. peccata sunt ex genere suo mortalia; quia excludunt nos a gloria, juxta illud Paul. 1. ad Cor. 6. v. 9. *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

Sic incredulitas, homicidium, secundum se sunt peccata mortalia. De incredulis & homicidis dicit Joan. Apoc. 21. v. 8. *Quod pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure.*

2. *Reg.* Quæ a Patribus scelera, flagitia, crimina, vulgo dicuntur, peccata sunt secundum speciem suam lethalia; solis enim peccatis lethalibus Patres hæc odiosa nomina vulgo tribuunt, ut ex traditione notum est. Unde Aug. hom. 41. in Joan. relatus a D. Th. 1.2. q.88. a.1. *Crimen est quod meretur damnationem*; & Bern. lib. de dispensatione & præcepto definit peccatum mortale, *Criminalem transgressionem*; & Greg. lib. 21. Mor. c. olim. 9. nunc 12. Actus venialiter malos peccata *nuncupat*; actus vero mortaliter malos *crimina* appellat.... *peccata*, ait, *animam polluunt, quam crimina exstinguunt.*

Sic redditutum ecclesiasticorum injusta administratio peccatum est mortale: quippe ab Aug. Epist. 50. ad Bonif. vocatur *damnabilis usurpatio*; & juxta D. Bernard. Epist. 2. ad Falconem: *Rapina est, sacrilegium est.*

Sic simonia ut peccatum mortale habenda est; vocatur enim a Patribus *crimen detestabile*; ita Paulus Papa 2. cap. cum detestabile *de simonia extrav. comm.*

3. *Reg.* Quæ legibus Canonicis gravi pœna mulctantur, puta, excommunicatione, depositione, degradatione, peccata sunt ex genere suo lethalia; neque enim venialibus culpis graves adeo pœnæ decerni debent, ut de excommunicatione docet D. Thom. 4. Sent. d. 18. q. 2. a. 1. q. 3. & habetur ex Can. *Ait.*

Sic usura, simonia, gravis percussio Clericorum, peccata sunt secundum se mortalia; quia in hujusmodi crimina excommunicationis pœnam decernunt Canones. Sic hæresis manifesta, Sodomia, gravis calumnia proprio Episcopo irrogata, falsificatio litterarum Apostolicarum peccata ex genere suo mortalia censenda sunt; quia in hujusmodi flagitia degradationis vel depositionis pœnas infligunt Canones.

Sic omissio annuæ confessionis, & Paschalis Communionis, iteratio Sacramentorum caracterem imprimentium, censenda sunt peccata mortalia; quia sub gravibus pœnis ab Ecclesia prohibentur.

4. *Reg.* Quæ virtuti opponuntur ad salutem

tem omnino necessariæ, peccata sunt ex natura sua lethalia; a Regno enim cælesti nos excludunt. Sic infidelitas, desperatio, præsumptio, odium Dei, odium proximi peccata sunt ex genere suo mortalia; quia fidei, spei, & caritati opponuntur, sine quibus virtutibus salus obtineri nequit. De infidelitate dicitur: *Qui non credit jam judicatus est.* Joan. 3. v.16. Necessitatem spei indicant hæc verba Pauli ad Rom. 8. v.24. *Spe enim salvi facti sumus.* Caritatis vero hæc verba Joannis: *Qui non diligit, manet in morte.*

5. *Reg.* Quæ ex communi Theologorum sententia lethalia judicantur, lethalia quoque habenda sunt. Ex unanimi enim Theologorum sententia morum argumenta petuntur non spernenda, ut in primo tractatu diximus.

Sic violatio jejunii ecclesiastici, omissio sacri diebus festis, exercitium operum servilium die festivo, peccata ex suo genere mortalia censenda sunt; quia sic censent communiter Theologi.

6. *Reg.* Quæ prædictis quinque lethalis peccati caracteribus carent, peccata sunt ex genere suo venialia; quia scilicet his propria peccati mortalis effecta non conveniunt, nec signa quibus ea nobis innotescunt.

Sic multiloquium, de quo Prov. cap. 10. v. 19. verbum otiosum, de quo Christus Matth. 12. v. 36. stultiloquium, scurilitas, de quibus Paulus ad Ephes. 6. v 4. peccata censentur ex suo genere venialia; quia Scriptura locis prædictis ea non prohibet sub interminatione divini odii aut damnationis æternæ.

Sic loqui, aut tacere, plusquam oportet, pauperem importune petentem exasperare, non solo desiderio filiorum uxorem cognoscere, opera misericordiæ tardius, quam par est exercere, lautioribus cibis se nutrire, in Ecclesia silentium non servare &c. peccata censenda sunt ex genere suo venialia; a Patribus enim, & præcipue ab Aug. serm. 41. de sanctis *inter minuta peccata recensentur.*

Regulæ, quibus discerni potest, quando actus malus hic & nunc in individuo lethalis sit, vel venialis.

1. *Reg.* Quoties in peccatore plena occurrit deliberatio, & in objecto peccati ex genere suo lethalis adest materiæ gravitas; toties in praxi peccatum lethale est habendum; tunc enim notabiliter, & plena voluntate lex violatur; ac proinde, ut loquitur Aug. progreditur *amor sui usque ad contemptum Dei*; in quo ex S. Doctore positum est lethale peccatum. *Fecerunt*, inquit, *civitates duas, amores duo: terrenam, scilicet, amor sui usque ad contemptum Dei: cælestem vero, amor Dei usque ad sontemptum sui.* Lib. 14. de civit. Dei cap. 28.

Sic qui ex deliberata voluntate vel grave crimen imponit proximo, vel rem alienam, quæ magni sit momenti, subripit, vel vino & cibo mentem obruit, lethaliter peccat; quia scilicet adest & plena deliberatio ex parte peccatoris, & materiæ gravitas ex parte objecti ex genere suo lethalis; quæ duo ex D. Thom. peccati malitiam complent, hoc est, lethalem efficiunt.

2. *Reg.* Quoties in peccatore non adest plena deliberatio, virtualis saltem, toties peccatum, etsi ex suo genere lethale, ut veniale in individuo habendum est: cum enim sine libertate non sit peccatum; ita nec sine plena deliberatione potest esse plenum & consummatum peccatum, quod generet mortem, ut loquitur Jac.

Sic subiti motus infidelitatis, desperationis, iræ, impudicitiæ, nec in se, nec in causa plene voluntarii, quibus prompte non resistimus, peccata sunt in individuo venialia: *in solo enim assensu deliberato perficitur ratio peccati mortalis*, ut docet D. Thom. q. 15. de verit. ar. 4. ad 2.

3. *Reg.* Quoties in objecto peccati, ex genere suo lethalis, adest materiæ levitas, hoc est, peccatum ex suo genere mortale, in individuo sumptum, versatur circa levem seu parvi momenti materiam; toties in individuo veniale est habendum; sicuti enim peccatum mortale non est sine plena deliberatione; ita nec constat sine gravitate materiæ.

Sic, licet furtum, detractio, ex genere suo lethalia sint, non tamen peccatur nisi venialiter, si adsit vel in furto, vel in detractione, materiæ levitas: puta, si pomum tantum subripiatur, aut detractio non nisi leve damnum proximo inferat.

4. *Rat.* Toties peccatum, ex suo genere veniale, fit in individuo mortale, quoties in individuo circumstantia afficitur mortaliter culpabili. Quod quidem variis modis contingere potest.

1. *Rat.* Affectus mortaliter culpabilis, v.g. si peccator ita esset in peccatum veniale affectus interius, ut paratus esset Deum potius deserere, quam ab illo actu temperare. Ita D. Thom. 2.2. q.88. art.6. in corp. *Intantum potest libido peccandi crescere, quod ille, qui*

peccat, finem suum constituat in peccato veniali.

Sic fuit affectus Esau, cum Jacob fratri suo primogenita vendidit. *Esau*, inquit Aug. Epist. 86. *non esca, sed usque ad contemptum Sacramenti, quod in primatu suo habebat, concupita esca damnavit.*

2. *Rat.* Ordinationis in finem mortaliter malum: v. g. si quis verbum jocosum proferat, ut mulierem provocet ad adulterium. D. Thom. ibidem a. 4. in corp.

3. *Rat.* Conscientiæ erroneæ, ut dum quis actum venialiter malum exercet, quem judicat (licet falso) esse peccatum mortale. D. Thom. quolib. 13.

4. *Rat.* Gravis scandali, quod ex actu, licet ex se veniale, oritur, quod fuit eorum peccatum qui coram infirmis idolothyta edebant, quibus Paulus 1. ad Corinth. 10. *Ergo peribit in tua scientia frater, pro quo Christus mortuus est*: item, *si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Unde D. Thom. 2. 2. q. 43. a. 4. in corp. docet: *Quod actio minus recta, qua quis scandalose est occasio cur proximus inducatur ad peccatum mortale, est peccatum mortale.*

5. *Rat.* Contemptus *formalis* in legislatorem; cum scilicet quis legem infringit, ut legislatorem injuria afficiat: *ubique enim*, ut docet Bernard. lib. de præcepto & dispensat. *est culpabilis neglectus & contemptus damnabilis*; & Hier. Epist. ad Celant. *Et sane nescio, an possimus leve aliquod præceptum dicere, quod in Dei contemptum admittitur: estque ille prudentissimus, qui non tam considerat quod jussum sit, quam illum, qui jusserit; nec quantitatem imperii, sed imperantis cogitat dignitatem.*

Mon. 1. Observa levitatem materiæ non cadere in quodlibet lethalis peccati objectum.

1. Enim docent uno ore Theologi, quod in peccatis, quæ Deum vel Religionem ipsam immediate petunt, qualia sunt, infidelitas, desperatio, blasphemia, idololatria, dæmonum invocatio, perjurium, simonia &c. non detur levitas materiæ; hæc enim peccata integram in divinam Majestatem irreverentiam in se continent: imo tantum abest, ut ex levitate materiæ minuantur, quin potius interdum ex illa materiæ levitate peccati gravitas augeatur, ut patet in eo qui pro re levissimi momenti, puta pro pomo, pro denario, pejerat, blasphemat, dæmonibus se devovet.

2. Communis est etiam celebriorum Theologorum Doctrina, quod in peccatis luxuriæ nunquam in praxi detur materiæ levitas; luxuria enim, inquiunt, quantumvis exigua, si plena voluntate eligatur, ob effrenem concupiscentiæ impetum, invictissime voluntatem trahit ad consensum actus completi, ac proinde ubi accedit plena deliberatio, nunquam in praxi luxuriæ actibus, quantumvis levissimi momenti videantur, materiæ levitas contingere potest.

Mon. 2. Observa, difficile admodum esse hic & nunc in praxi definire, quando voluntatis in malum consensus plenus sit, seu ad lethale peccatum sufficiat, & quandonam plenus non sit, & a peccato mortali excuset. Hæc tamen proponi possunt signa, quæ lucem aliquam rei adeo obscuræ afferre queunt.

1. Si pœnitens sic se dignoscat interius habitualiter affectum, ut nollet peccatum committere, etiam si posset commode, signum est, consensum plenum, & ad mortale peccatum sufficientem non adfuisse: si vero sic se interius affectum noverit, ut occasione data peccatum admitteret, signum est e contra, consensum plenum, & ad peccatum mortale sufficientem intervenisse.

2. Si pœnitens conscientiæ sit timoratæ, soleatque ut plurimum ad peccati conspectum horrescere, conjici potest consensum plenum non fuisse præbitum, licet in repellenda tentatione aliquantulum fuerit negligens; si vero largæ sit, ut ajunt, conscientiæ, nec multum peccata horrere soleat, eum e contra deliberate consensisse quasi pro certo habendum est.

3. Si pœnitens tentatus circa peccata carnalia, quæ membris exterioribus complentur, ad externum opus non transiit, etsi id commode, & impune etiam coram hominibus potuerit, signum est, plenum non fuisse consensum; si vero metu solius pœnæ oblata peccandi occasione usus non fuerit, periculum est ne plene consenserit.

Conclusio secundi Tractatus.

Ex his, quæ in hoc secundo tractatu explicuimus, intelligi facile potest. 1. Quod *actus moralis ille sit, qui fit cum cognitione tum objecti, tum finis, tum circumstantiarum, & cum ea libertate, qua poni possit vel omitti; ita tamen ut virtualis tum cognitio, tum libertas sufficiat.*

2. Quod *actus bonus ille sit, qui cum regulis morum plane consentit, tum ratione objecti, tum ratione finis, tum ratione circumstantiarum: malus* e contra *ille habendus sit, qui vel in uno deficiat; hoc est, vel in objecto, vel*

vel in fine, vel in circumstantiis, imo vel in una tantum circumstantia.

3. Denique quod virtutum & vitiorum tum distinctio, tum inæqualitas, ex eorumdem objectis, finibus, & circumstantiis desumatur; quodque peccatum lethale sit *actus plene deliberatus legi contrarius in materia gravi*; veniale vero sit *actus legi repugnans, vel in materia levi, vel sine plena deliberatione*: quæ quidem tria explicanda susceperamus.

TRACTATUS III.

De interna actuum humanorum regula, seu de conscientia.

DUplex est actuum humanorum regula, interna, & externa: interna est conscientia operantis; externa est ipsa lex. A conscientia ordimur, quod interna nobis sit. Atque ut certa cum methodo, quæ de ea tradenda sunt, explicemus, quæremus. 1. Quid & quotuplex sit conscientia. Deinde de singulis conscientiæ speciebus sigillatim agemus; simulque statuemus, quænam conscientia sit certa morum regula; quæ vero non.

CAPUT I.

Quid & quotuplex sit conscientia.

COnscientiæ nomine non hic intelligimus insitam in omnium animis boni & mali notitiam; sed actum, quo mens nostra judicat aliquid hic & nunc esse agendum tanquam bonum, seu legi conforme; vel omittendum esse tamquam malum, seu legi contrarium. Unde vocatur a Basilio *rationale judicatorium*, homil. in princip. Proverb. & a Gregorio Nazianz. oratione 15. *verum & domesticum tribunal*.

Cum autem internum illud mentis nostræ judicium circa bonitatem aut malitiam operis hic & nunc agendi multiplex sit, ideo & multiplex quoque conscientia distinguitur.

1. Enim alia est *vera*, alia *erronea*. *Vera* est conscientia, quando mentis nostræ judicium legi est conforme; *erronea* vero, quando judicium illud legi non est conforme.

2. Alia est *certa*, alia *dubia*. *Certa* est conscientia, quando mentis nostræ judicium de bonitate, aut malitia operis hic & nunc agendi, certum est seu firmum; *dubia* vero, quando mentis nostræ judicium circa bonitatem aut malitiam operis hic & nunc agendi æqualibus utrinque rationum momentis suspenditur, neque mens in unam potius partem, quam in aliam inclinat.

3. Alia est *scrupulosa*, alia *lata*. *Scrupulosa* est conscientia, quando mens nullis innixa rationibus, sed vanis tantum suspicionibus agitata & inanibus mali speciebus delusa, formidat, ne peccatum sit quod re vera non est peccatum, aut ut grave judicat id quod non est nisi leve: *lata* vero est conscientia, quando mens nostra ex levissimis, & quidem cupiditati faventibus argumentis judicat hic & nunc id esse licitum quod tamen est illicitum.

4. *Denique* alia est *probabilis*, alia *non probabilis*. *Probabilis* est, quando mentis nostræ judicium non evidentibus quidem, sed tamen gravibus nititur rationibus, seu aptis ad determinandum viros pios & prudentes ad assensum, non tamen sine formidine partis oppositæ.

Improbabilis vero, quando mentis nostræ judicium de bonitate, aut malitia operis, vel nullis, vel levibus nititur rationibus.

Consect. Ex tradita conscientiæ definitione & divisione facile intelligi potest, quod numquam liceat agere contra conscientiam: nec tamen liceat semper agere ex conscientia qualicumque: quæ duo, cum gravissimi sint momenti, sequentibus propositionibus cum suis consectariis more solito declarabimus.

I. *Prop.* Numquam licet agere contra conscientiam quamvis erroneam.

Prob. 1. Script. ex Apost. ad Rom. 14. v. 23. *Omne quod non est ex fide, peccatum est*. Hoc est, ut vulgo tradunt Interpretes, quod non est conforme dictamini conscientiæ, est illicitum. Unde D. Bernard. de dispensat. & præcept. cap. 14. *Sive itaque malum putes bonum quod forte agis, sive bonum, malum quod operaris, utrumque peccatum est; quia neutrum ex fide*.

2. Ex eodem Doctore ibidem: *Ille peccat qui bonum agit quod malum credit*, cujus eam rationem affert mellifluus Doctor: licet enim rectum sit quod operatur, *inique tamen operando*, ut ait, seu credendo malum *id quod bonum est, bonum sibi in malum vertit, & tantum malum quantum crediderit*.

3. *Rat.* Qui libere consentit in peccatum, seu qui peccati malitiam amplectitur, haud dubie peccat: Atqui ille qui agit contra conscientiam etiam erroneam libere consentit in peccatum, ejusque malitiam amplectitur, cum illud propria voluntate eligat quod credit esse malum, ac proinde legem contemnat,

hat, vel ea committendo quæ credit lege præcipi, vel ea admittendo quæ putat lege prohiberi: ergo peccat. Vide D. Thom. 2. 2. q. 19. a. 5.

Consect. 1 Peccat qui bonum facit quod ex conscientia erronea credit esse malum, aut malum omittit, ad quod ex errante conscientia teneri se existimat; quia in utroque casu agit contra dictamen rationis.

Sic peccat qui ex errante conscientia illicitum esse credit hæreticis, infidelibus, peccatoribus etiam in gravi necessitate constitutis opitulari, si stante tali judicio eis opituletur: etsi enim eleemosyna erga omnes homines sit bona, eam tamen hic & nunc illicitam censet.

Sic etiam peccaret ille, qui coram judice falsum juramentum non præstaret, si ex conscientia erronea crederet teneri se ad falsum illud juramentum pro conservanda vita tum propria tum aliena; quia scilicet id omitteret, ad quod teneri se existimaret.

Consect. 2. Qui ex conscientia erronea credit se teneri ex præcepto ad aliquid vel faciendum, vel omittendum, ad quod revera non tenetur, peccat si primum non faciat, & posterius non omittat; in utroque enim casu agit contra conscientiam.

Sic, qui ex errore conscientiæ consilia evangelica, ut præcepta habet, peccat si ea non sequatur, v.g. qui putat se teneri ex præcepto ingredi religionem, peccat si non ingrediatur.

Sic, qui putat diem esse jejunii, quamvis revera non sit, peccat si non jejunet.

Consect. 3. Qui aliquid omittit, vel facit ex se indifferens: si putet id lege vel præcipi, vel prohiberi, peccat si non faciat quod putat imperatum, vel non omittat quod credit prohibitum; in utroque enim casu agit contra conscientiam.

Sic peccat ignara plebecula, dum profert verba quædam affirmantia, qualia sunt, *certes, en verité, &c.* etsi sint ex se indifferentia, si ex errante conscientia ea credat illicita.

Sic ex D. Thom. loco supra citato, peccaret ille, qui non levaret festucam, si ex errante conscientia se ad id teneri existimaret.

Consect. 4. Peccatum tale est, quale per conscientiam erroneam judicatur; voluntas enim fertur in objectum, ut ei proponitur per conscientiam: ergo agens tale peccatum admittit, quale putat admittere; magis enim attendenda est intentio, quam ejus actio: *voluntas* quippe *est*, inquit Aug. lib. 1. retract. cap. 9. *qua peccatur, aut recte vivitur*; homo enim videt quæ parent; Deus autem intuetur cor.

Sic, quia ex conscientia erronea credit id, quod est tantum veniale, esse mortale, si illud committat, peccat mortaliter. *Error*, inquit D. Thom. *quo creditur esse mortale, quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale*, quolib. 9. art. 5.

Prop. 2. Licet numquam possimus agere contra conscientiam, non tamen licet semper agere ex conscientia.

Prob. 1. Ex Scriptura. *Est via quæ videtur homini justa, novissima autem ejus ducunt ad mortem*. Prov. 14. v. 12. Ergo non semper immunes sumus a peccato, ubi solius conscientiæ dictamen sequimur.

2. Ex D. Thom. quolib. 8. a. 13. *Quod agitur contra legem*, quæ nimium potuit & debuit cognosci, *semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam*: Ergo ex D. Thom. non semper immunes sumus a peccato, ubi solius conscientiæ dictamen sequimur.

3. *Rat.* Conscientia nostra sæpe legi, & ordini vitio nostro adversatur: ergo non semper licet agere ex sola conscientia.

Consect. unicum. Hinc patet, quanti sit momenti inquirere, quænam conscientia sit morum regula, quæ vero non: quod quidem sequentibus capitibus declarare conabimur.

CAPUT II.

Quæ requirantur, ut conscientia sit morum regula.

PRop. 1. Ut conscientia sit morum regula, debet esse vera, seu legi conformis, vel saltem inculpate præsumi vera.

Prob. 1. Ex Scriptura. Matth. 15. v. 14. *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt*: Ergo non excusat a peccato conscientia, nisi sit vera, seu legi conformis: cæcus enim est qui sequitur conscientiam legi contrariam; unde Ecclesiastici cap. 37. v. 21. dicitur: *Ante omnia opera verbum VERAX præcedat te*. Quibus verbis innuitur solam veritatem esse morum regulam.

2. *Peccare nihil est aliud quam in veritatis præceptis, vel in ipsa non stare veritate*, ut loquitur Aug. vel saltem Evodius lib. de fide contra Manich. cap. 8. qui liber inter opera Aug. vulgo circumfertur, etsi Evodio tribuatur; unde diabolus dicitur peccare, eo quod in veritate non steterit, ut habetur Joan. 8. v. 44. Reprobi quoque in inferno sic se palam profitentur peccatores: *Ergo erravimus a via veritatis*, Sap. 5. v. 6. De justo Tobia dicitur: *In captivitate positus, veritatis viam non deseruit*, Tob. 1. v. 2. Et de peccatoribus generaliter

ter asseritur: *Errant qui operantur malum*, Prov. 14. v. 21. Ergo, ut operatio sit recta, debet esse secundum veritatem, seu legi conformis.

3. Ex D. Bernardo, lib. de præcepto & dispensat. cap. 14. *Ut interior oculus vere simplex sit*, inquit, & proinde vera regula operandi, *duo illi arbitror necessaria esse, caritatem in intentione, & in electione veritatem; nam si bonum quidem diligat, sed verum non eligat; habet quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam, & nescio quemadmodum judicio veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas*. Ergo, ut conscientia sit morum regula, debet esse vera, seu legi conformis: inde est quod Scriptura loquens de lege, quæ nobis est agendi regula, dicat quod lex VERITAS est; & Christus Legislator noster de se loquens, dicit: *Ego sum via, VERITAS, & vita.*

4. *Rat.* Conscientia eatenus tantum est morum regula, quatenus est recta legis applicatio; unde Deus, Deuter. 12. v. 8. sic sancit: *Non facietis ... singuli quod rectum sibi videtur*; sed, ut subjicit v. 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantum facito:* Atqui conscientia non est recta legis applicatio, nisi sit eidem legi conformis, aut saltem inculpate præsumatur conformis: Ergo conscientia non est morum regula, nisi sit vera, aut saltem inculpate præsumatur vera.

Dixi, vel saltem inculpate præsumitur vera; quia etsi sola veritas per se sit morum regula, juxta illud Christi, Joan. 12. v. 48. *Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum*, id est, mundum, *in novissimo die:* & juxta illud Pauli ad Rom. 2. v. 16. *Judicabit Deus occulta hominum secundum Evangelium meum, per Jesum Christum*; a peccato tamen excusamur, ubi ex errore invincibili contra ipsam veritatem, seu legem agimus, juxta illud Christi: *Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*, Joan. 15. v. 22. ubi innuitur Judæos per ignorantiam excusandos esse; quia scilicet error invincibilis voluntarium tollit, sine quo non constat peccatum. Quando autem adsit error ille invincibilis, & ubi locum habeat, dicemus postea ubi de lege.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Toties peccamus, quoties conscientiam sequimur legi non conformem, si error, quo conscientia falsa vera præsumitur, vincibilis sit, seu vinci debuerit ac potuerit: ut enim conscientia sit morum regula, debet esse vera, vel saltem bona fide præsumi vera.

Sic peccant, qui ex conscientia, quam sibi pro libito efformarunt, ut licitum habent id, quod per quoddam ex decem Decalogi præceptis prohibetur, v. g. idololatriam, perjurium, irreligiositatem, blasphemiam, votorum violationem, parricidia, homicidia, furta, fornicationes, &c. quia quamvis circa hæc infanda crimina nihil eos conscientia remordeat, tamen rei sunt, quia error talis est, ut possit & debeat vinci: si enim malum quod ex ignorantia invincibili facimus, veram peccati deformitatem non habet: ergo, ut optime monet D. Bernardus, non imitandus est, sed irridendus Propheta dicens: *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris:* ergo male Pontifex offerebat sanguinem pro sua & populi ignorantia; ergo non peccavit Saulus quando ignorans persecutus est Ecclesiam Dei, nec misericordiam consequi debuit, sed mercedem, quia innoxius fuit æmulator paternarum traditionum; ergo innoxii fuerunt tyranni occisores Apostolorum & Martyrum, quia putabant obsequium se præstare Deo; ergo frustra in cruce Salvator orabat pro suis persecutoribus, quippe nescientibus, ipso teste, quid facerent, & ita nequaquam peccantibus. *Numquid hinc apparet*, ut concludam cum D. Bernardo, *in quantis jaceat ignorantiæ tenebris, qui ignorat peccari posse interdum per ignorantiam*; & proinde conscientiam culpabiliter erroneam non posse esse agendi regulam? Bernard. Epist. 77. ad Hugonem a S. Victore. Verum de his fusius infra, ubi de ignorantia.

Consect. 2. Toties immunes sumus a peccato, licet forte agamus contra legem, quoties errantem conscientiam sequimur, quam ex errore invincibili bona fide præsumimus veram; quia ut conscientia sit morum regula, sufficit quod vel sit vera, vel bona fide præsumatur vera.

Sic confisi in misericordia Dei possumus ut licitum habere id omne, quod in simplici corde putamus conforme divinæ legi, quamvis forte eidem legi non concordet; si enim ignorantia invincibilis non excusaret, coram Deo male diceret Abimelhec: *Domine num gentem ignorantem & justam interficies?* ut excusaret se a detentione Sarai, quam uxoratam ignorabat: male etiam respondisset Deus: *Et ego scio quod simplici corde feceris*. Gen. 10. Male diceretur, peccatum esse voluntarium, cum ibi esset peccatum, ubi nulla esset nec formalis, nec virtualis, ut ajunt, cognitio. Demum male diceretur, quod Deus impossibilia non jubet, cum ea ignorantia nobis imputaretur ad culpam, quam nullo modo possumus vincere.

Non

Non diffiteor tamen sæpissime nos decipi specie recti,& bonam fidem præsumpere, ubi non est: sicuti enim Sathanas transfigurat se aliquando in Angelum lucis; ita & concupiscentia induit speciem caritatis, & vitium velat se pallio probitatis: & sæpius evenit, ut docet Greg. lib.4.Moral. cap.7. novæ editionis, ut id, quod rectum credimus, causa sit nostræ damnationis. *Nonnumquam*, inquit,*ea ipsa,quæ recte non agere credimus, an in districti judicis examine recta sint ignoramus*; *sæpe enim, sicut & longe superius diximus, opus nostrum causa damnationis est, & profectus putatur esse virtutis*; *sæpe unde placari judex creditur, inde ad irascendum placidus instigatur*, *Salomone attestante, qui ait*: Est via quæ videtur homini recta, novissima autem ejus ducunt ad mortem. *Unde sancti viri cum mala superant, sua etiam bene gesta formidant: ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur;ne pestifera tabes putredinis sub boni specie lateat coloris*.

Prob. 2. Ut conscientia sit morum regula, debet esse certa,hoc est firmiter & sine formidine partis oppositæ judicare debemus actum quem eligimus, esse legi conformem.

Prob. 1. Ex Scriptura. Eccl. 37. v. 21. *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, & ante omnem actum* CONSILIUM STABILE: ergo conscientia, ex qua agimus, certa debet esse, & firma; id enim significant voces istæ: *Consilium stabile*. Deinde ait Apostolus ad Rom.14. v. 23. *Quod non est ex fide, peccatum est*: ergo non excusamur a peccato, dum conscientiam sequimur, quæ certa non est; *ex fide* enim agere, idem est ac ex *Conscientia, sive ex persuasione*, operari, uti exponit Clerus Gallicanus ann. 1700. in regula de probabilium usu.

2.Ex Aug. lib.50. homil.41. Ubi loquens de eo, qui ad finem vitæ pœnitentiam differt, pro certo principio statuit, non agendum esse in dubio, sed a dubio exeundum. *Vis ergo*, inquit, *a dubio liberari, vis, quod incertum est, evadere, age pœnitentiam dum sanus es: si sic agis, dico tibi quod securus es: quia pœnitentiam egisti eo tempore,quo peccare potuisti:* ergo sicut sanctus Doctor vult, ut e statu dubio exeamus, ita & vult, ut sententiam dubiam deponamus,& non agamus secundum sententiam dubiam, & incertam.

3. Ex Gregor. in cap.40. Job lib.32. cap.18. ubi ostendit, perplexitatem provenire a suggestione Diaboli, & proinde non posse esse agendi regulam: ergo ut conscientia sit morum regula non debet esse dubia, vel perplexa; sed certa, & firma.

4. Ex D. Thom. quolib. 8. a. 13. ubi agens de conscientia, quæ potest esse morum regula, requirit, quod non sit dubia, sed certa. *Ex conscientia*, inquit, *obligatur aliquis ad peccatum*, id est, ligatur tamquam reus peccato; *sive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit*; *sive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione* ..... *Cum autem conscientia ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur*,seu cum est certa,agens *sic non committit se discrimini*, *nec peccat*: Ergo, ut conscientia sit morum regula, debet esse certa.

Ex D.Antonino 1.P.tit.3. §.10. ubi sanctus Doct. requirit ad licitam operationem, ut quis *ex contrarietate opinionum non inducatur ad dubitandum; sed bonam conscientiam, & credulitatem formet de eo quod credit tamquam probabiliori parti*: Ergo supponit sanctus Doctor ad licitam operationem ita firmum esse debere conscientiæ judicium, ut dubium excludat & formidinem partis oppositæ.

Rat. Qui non est certus,sed timet cum fundamento, ne conscientia ex qua agit, sit legi conformis, exponit se peccandi periculo; actionem enim elicit timens cum fundamento, ne ea sit legi contraria: Ergo conscientia non est morum regula, nisi sit ita certa, ut excludat formidinem partis oppositæ; neque enim conscientia, quæ exponit peccandi periculo, potest esse morum regula.

Deinde,qui timet cum fundamento, ne legi contrarium sit opus quod elicit, legem Dei censetur negligere; quemadmodum is amicum censetur negligere, qui timens ne aliquid ei esset ingratum,illud tamen non omitteret: Atqui non licet negligere legem Dei, ut per se notum est: Ergo non licet agere ex conscientia, quæ non sit certa.

Consectaria hujus Doctrinæ.

*Consect.*1.Ut licita sit operatio,non sufficit actionem, quam elicimus, esse legi conformem; sed & præterea certi esse debemus, quod ea sit legi conformis.Quandiu enim non adest certitudo, sed cum fundamento timemus, ne legi contrarium sit quod operamur, peccandi periculo nos exponimus, imo legem Dei negligere censemur, si spreta hujusmodi formidine in actum prorumpamus.

Sic ex Apostolo 1 ad Corint. 8. v. 7. Licet illicitum non sit idolothytis vesci, peccant tamen qui idolothytis vescuntur cum *conscientia infirma*, hoc est non firma & certa; sed timentes, ne illud illicitum sit.

*Consect.*2.Ut licita sit operatio,non sufficit certitudo qualiscumque de bonitate operis, quod

quod elicimus; sed ea debet dubium excludere, & formidinem partis oppositæ: nec excusamur a peccato, si stante tali dubio, seu formidine in actum prorumpamus, etsi forte is legi conformis sit: ut enim conscientia sit morum regula, ita certa debet esse, ut firmum sit mentis nostræ judicium, & formidinem partis oppositæ excludat. Ita D. Thom. quolib. 8. a. 13. ubi supponens S. Doctor quod sententia, quæ asserit, licitum esse plures habere præbendas, sit vera, sic loquitur de eo, qui eam sequitur. *Aut talis*, inquit, *habet conscientiam de contrario, & sic peccat contra conscientiam faciens, quamvis non contra legem: aut non habet conscientiam de contrario, sed* CERTITUDINEM, *sed tamen in* QUAMDAM DUBITATIONEM *inducitur contrarietate opinionum; & sic, si manente* DUBITATIONE *plures præbendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem: aut ex contrariis opinionibus in nullam* DUBITATIONEM *adducitur, & sic nec committit se crimini, nec peccat.*

Consect. 3. Conscientia dubia non est morum regula, imo nec ea quæ mere probabilis est; neutra enim formidinem excludit partis oppositæ, ut fuse deinde explicabimus.

Prop. 3. Ut conscientia sit morum regula, non est necesse, quod sit semper *metaphysice* certa; sed sæpe sufficit quod sit solum *moraliter* certa: quod priusquam probetur.

Nota 1. Conscientiam dici metaphysice certam, quando ex principiis adeo certis & infallibilibus oritur ejus certitudo, ut citra ullum errandi periculum judicemus, id, quod agimus, esse legi conforme; quæ certitudo toties occurrit, quoties aut ex revelatione, aut ex recta ratione evidenter colligimus, actionem quam elicimus esse legi conformem.

Sic ex conscientia *metaphysice* certa operamur, cum ex hoc fidei principio, *Verbum est incarnatum*, colligimus Christum, ubicumque sit, esse adorandum; aut dum ex hoc principio naturaliter noto, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, colligimus non esse furandum, non esse mœchandum, &c.

Nota 2. Conscientiam dici *moraliter* certam, quando oritur ejus certitudo ex principiis absolute quidem fallibilibus, sed ut plurimum certis & raro fallibilibus; quæque viros prudentes movere solent, ut certum ac firmum ferant judicium. Quæ certitudo toties occurrit, quoties in praxi prudenter & firmiter judicamus, actum quem elicimus, esse legi conformem.

Sic judex, qui ex actis Notarii publici, & jurati judicat, conscientiam habet moraliter certam; quia licet absolute Notarius quatenus homo possit fallere, ex eo tamen quod sit Notarius publicus, & juratus, *moraliter* præsumitur non mentiri: sicque viri prudentes de hujusmodi actis judicare solent, quandiu non constat de eorum falsitate.

Prob. itaque propositio 1. ex Scriptura. Ait Apostolus ad Rom. 14 v. 5. *Unusquisque in suo sensu abundet*, hoc est, uti explicat Glossa, *agat secundum suam conscientiam*, vel ut explicat Ambr. *quisque suo remittatur consilio*; in his scilicet quæ obscura sunt; *modo*, ut monet Leo Papa distinct. 14. Can. Sicut quædam, *in his quæ dubia sunt aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum.*

2. Ex D. Th. 1. 2. q. 96. a. 1. ad 3. *Non est eadem certitudo quærenda in omnibus .... Unde in rebus contingentibus, sicut sunt res naturales, & res humanæ, sufficit talis certitudo, ut aliquid sit verum, ut in pluribus, licet interdum deficiat in paucioribus*: & q. 105. a. 4. ad 8. sic habet: *Dicendum, quod in negotiis humanis non potest haberi demonstrativa probatio & infallibilis, sed sufficit aliqua conjecturalis probabilitas, secundum quod Rethor persuadet; & ideo licet sit possibile duos aut tres testes in mendacium convenire, non tamen est facile nec probabile quod conveniant; & ideo accipitur eorum testimonium tamquam verum.* Ergo ut conscientia sit morum regula sufficit quod sit moraliter certa.

3. Ex D. Antonino 1. P. T. 3. cap. 10. §. 10. in fine. *Certitudo, quæ requiritur in materia morali, non est certitudo evidentiæ, sed probabilis conjecturæ .... Disciplina optima est in unaquaque re certitudinem quærere juxta exigentiam materiæ; æque enim vitiosum est persuadentem quærere mathematicum, & moralem demonstrantem; non enim consurgit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis, grossis, figurabilibus, magis ad unam partem quam ad aliam se habentibus. Dicitur autem probabile, quod pluribus & maxime sapientibus apparet verum. Ex his igitur sequitur, quod in humanis agibilibus, quæ tantam habent varietatem, teste Aristotele & experientia, sufficit talis certitudo, quæ non semper scrupulos omnes abjiciat, sed sufficit, ut contemnat seu superet eos .... Ista autem certitudo moralis colligitur vel ex alterius authoritate .... vel ex propria eruditione .... vel ex circumspectione circumstantiarum.* Ergo ut conscientia sit morum regula, non est necesse quod sit metaphysice certa.

3. *Rat.* Impossibile est, ut in omnibus vitæ nostræ actionibus certitudinem habeamus metaphysicam, quod sint legi conformes: ergo sufficit quod habeamus certitudinem moralem; neque enim Deus impossibilia nobis præcipit. Unde merito damnata est a Clero Gallic. hæc propositio tanquam erronea: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*, qua scilicet innuebatur, solam evidentiæ certitudinem esse tutam morum regulam.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Non peccant fideles, qui nullius lethalis culpæ sibi conscii bona fide Sacramenta recipiunt, quæ statum gratiæ requirunt; licet enim certitudinem non habeant evidentiæ, quod sint in statu gratiæ, moraliter tamen certi sunt, ubi conscientia nihil remordet, sed bonum testimonium reddit. Idemque dicendum de Sacerdotibus, qui cum eadem certitudine, quod sint in statu gratiæ, vel Missam celebrant, vel Sacramenta fidelibus conferunt. Ita Gersonius de contractibus proposit. 13. circa medium. *Probabilis*, inquit, *certitudo sufficit in moralibus, ut non exponat se quis periculo, ut dicunt Doctores de celebrante Missam & similibus, ubi requiritur status gratiæ, quod sufficit ad hoc probabilis conjectura; quia certitudo alia sine revelatione non habetur.*

Consect. 2. Non peccat Minister pœnitentiæ, qui pœnitentibus absolutionem impartitur, ubi, habita ratione omnium circumstantiarum, prudenter judicat, eum sufficientem habere de peccatis suis dolorem; licet enim absolute fieri possit, ut pœnitens dolorem simulet, pœnitenti tamen credendum est, quando nullus occurrit dubitandi locus, quod mentiatur; neque enim Sacerdos aliam in tribunali pœnitentiæ certitudinem habere potest.

Consect. 3. Non peccat Judex ubi ex depositione duorum testium, aut ex actis publicis judicat, quamdiu nihil est quod testium aut instrumentorum fidem destruat: licet enim, ut supra diximus, & falsi testes, & falsa instrumenta esse possint, judici tamen sufficit certitudo, quæ ex depositione testium, aut ex actis publicis oritur, quia scilicet alia in rebus civilibus, ut plurimum haberi non potest.

Consect. 4. Non peccat qui in dubio salutis Pastorem suum, vel Confessarium consuluit, quem virum prudentem, ac satis eruditum existimat, si Pastoris sui, vel Confessarii judicium seu decisionem sequatur. Tunc enim Pastoris, vel Confessarii authoritas reddit eum moraliter certum de re, de qua antea dubitabat. Deinde sincere facit quod in se est, ut veritatem agnoscat, ac proinde immunis a peccato censeri debet. Adde, quod si hæc certitudo non sufficeret, rustici, & alii omnes rudiores, ac præsertim mulierculæ numquam fere in tuta conscientia esse possent. Neque enim vulgo alios consulere possunt, quam Pastores, & Confessarios; dum dubiis exagitantur. Denique Deus in Scriptura mittit nos ad Pastores, ut in dubiis nostris nos instruant. Et certe si rusticus prudenter facit, si credat quod ei Parochus credendum proponit: quidni igitur prudenter faciet in materia morum, si ex consilio & authoritate ejusdem Parochi operetur?

Mon. Observa tamen non immunem fore a peccato eum, qui Parochi, aut Confessarii sui judicium sequitur, quando legi non est conforme, si consulens bona fide non agat, & cum sincera veritatis cognoscendæ voluntate. Ut autem bona fide agat requiritur 1. Ut credat Confessarium esse satis peritum, & pium. 2. Ut Doctores non quærat, quos sciat laxiorum opinionum esse sectatores. 3. Ut cum fundamento non suspicetur acceptam a Parocho, vel Confessario decisionem, contrariam esse rectæ rationi, vel doctrinæ a sanctis Patribus vel a gravioribus Doctoribus traditæ.

Ex quo intelligitur, eum, qui aliquando tuta conscientia decisionem sui Confessarii secutus est, teneri sub pœna peccati conscientiam, & agendi rationem mutare, aut saltem quæstionem melius explorare, statim atque vel ex lectione facta, vel ex concione audita, vel aliunde, justum habuit fundamentum suspicandi, decisionem acceptam non esse cum lege consentaneam; tunc enim ejus conscientia desinit esse moraliter certa, & formidinem non excludit partis oppositæ. v.g. Petrus audit a suo Confessario, vel Parocho, se in talibus circumstantiis licite posse exigere *interesse*, ut dicunt, ex mutuo quod alteri tradidit; deinde vero ab alio audit, se in iisdem circumstantiis nullatenus posse præfatum *interesse* tuta conscientia accipere propter rationes, quæ ipsi explicatæ, graves sibi apparent. Petrus hucusque bona fide agendo non peccavit hujusmodi *interesse* accipiens; immo non tenetur ad restitutionem illius, quod cum tali bona fide consumpsit; sed tamen tenetur hic & nunc propter subortam suspicionem sine negligenti mora examinare, an re ipsa licite possit idem *interesse* exigere. Quod si ex rationibus recenter ipsi exhibitis judicaverit hujusmodi *interesse* illicitum esse, peccabit impo-

sterum, si priori decisioni velit adhærere. Verum de his fusius in sequentibus capitibus, ubi de conscientia dubia, probabili, & scrupulosa acturi sumus.

CAPUT III.

De Conscientia dubia.

NOta 1. Conscientia dubia, ut diximus, est suspensio judicii de bonitate, aut malitia operis hic & nunc agendi, quæ oritur ex eo, quod mens utrimque rationes vel æqualiter validas, vel æqualiter ambiguas deprehendat, & qua fit, ut in unam potius partem quam in aliam non inclinet; hoc est, incerta sit, licitum ne sit, an illicitum opus, quod hic & nunc agendum occurrit.

Nota 2. Qui conscientiam habet dubiam, vel actionem potest differre, vel agendi necessitate premitur: quid in utroque illo dubitantis conscientiæ statu agere nos conveniat, duobus articulis explicabimus.

ARTICULUS I.

Quid agendum sit in dubio, ubi actio differri potest.

PRop. 1. Qui conscientiam habet dubiam, debet abstinere ab actione, si agendi necessitate non prematur, & peccat si alterutrum eligat, priusquam dubium deponat.

Prob. 1. Ex Scriptura. Ait Apostolus 1. ad Corinth. cap. 8. v. 7. *Quidam cum conscientia usque nunc idoli quasi idolotythum manducant: & conscientia eorum cum sit infirma,* id est, dubia, cespitans, non plene instructa, ut exponunt interpretes, *polluitur:* Ergo peccat qui agit ex conscientia dubia.

2. Ex Clero Gallicano an. 1700. in regula de probabilium usu. *Neque,* inquiunt Gallicani patres, *quisquam in dubio salutis ad actum prosiliat, nisi ipso dubio, non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis instinctu, sed ex recta ratione, deposito, dicente Scriptura:* Rationabile obsequium vestrum; *& iterum:* Sapiens timet & declinat a malo, stultus transilit & confidit. *Postremo audiatur Apostolicum illud:* Omnia probate, quod bonum est tenete; *& iterum:* Omne quod non est ex fide, *id ex conscientia sive ex persuasione,* peccatum est. *Denique* testimonium reddente illis conscientia ipsorum, *non aliorum utique, sed ipsorum & sua.*

3. Ex S. Antonin. 1. P. tit. 3. cap. 10. §. 10. *Qui agit scienter id, de quo dubitat esse mortale, permanente dubitatione, mortaliter peccat, etiamsi illud in se non esset mortale, sumendo proprie & stricte dubitationem, prout rationes sunt æque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam partem, quam ad aliam.*

4. *Rat.* Non licet in actum erumpere, nisi simus moraliter certi bonum esse opus, quod elicimus, ut supra ostensum est: ergo stante dubio non licet in actum erumpere, ubi agendi necessitate non urgemur.

Deinde peccat ille haud dubie, qui libere, & sponte peccandi periculo se exponit: atqui ille, qui, dum nulla adest agendi necessitas, erumpit in actum, de quo dubitat, an sit licitus, vel illicitus, sponte, & libere peccandi periculo se exponit, si forte illicitus sit actus, quem elicit: ergo in dubio salutis non licet in actum erumpere, nisi prius dubium deponatur. Quod quidem rectæ rationi adeo congruum est, ut ab ipsis paganis ignoratum non fuerit. *Bene præcipiunt,* inquit Cicero lib. 1. off. *qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum sit, an iniquum.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant Confessarii, & Doctores, seu casuum conscientiæ arbitri, ubi pœnitentibus, aut consulentibus respondent aliquid esse licitum, dum dubitant, an idem sit illicitum.

Sic peccaret Doctor, aut Confessarius, qui dubitans, an talis contractus sit usurarius, eum non esse usurarium, pœnitenti responderet.

Sic peccaret quoque Doctor, vel Confessarius, qui dubitans, an sufficiat ad sanctificationem festorum, Missæ tantum sacrificio adesse, responderet consulenti, aut pœnitenti, id sufficere, & reliqua pietatis officia posse diebus festis citra ullum peccatum omitti.

Consect. 2. Peccat Sacerdos, qui dubitans, an sit in peccato mortali, quamvis habeat copiam Confessarii, Missam celebrat sine confessione præmissa, licet agendi necessitate non urgeatur; periculo enim se exponit infringendi legem a Tridentino latam, qua hujusmodi confessio præcipitur.

Consect. 3. Peccat pœnitens, qui dubitans, an sufficientem habeat contritionem, manente tali dubio, absolutionem sacramentalem recipit; periculo enim se committit reddendi Sacramentum invalidum.

Consect. 4. Peccant omnes, qui in dubio salutis in actum erumpunt, ubi non adest agendi necessitas; v. g. qui retinet duas præbendas du-

dubitans, an id sit licitum, vel illicitum: qui non jejunat dubitans, an sit dies jejunii, aut manducat carnes dubitans, an sit dies abstinentiæ; hi enim omnes periculo se exponunt agendi contra legem.

Prop. 2. In dubio salutis dubium ipsum non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis instinctu, sed ex recta ratione deponi debet.

Prob. 1. Scriptura. *Rationabile*, inquit Apostolus, *obsequium vestrum*: Ergo ubi de dubio salutis agitur, recta ratione nos duci æquum est, non voluntatis nutu, aut cupiditatis instinctu.

2. Ex Clero Gallicano an. 1700. ubi nostra propositio verbis expressis asseritur loco in præcedenti propositione allegato, & in cujus probationem citatur præfatus Apostoli locus.

3. *Rat.* In dubio salutis, qui dubium non ex recta ratione, sed ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis instinctu deponit, nequit esse moraliter certus, bonum esse quod eligit; neque enim voluntas, aut cupiditas rectæ operationis sunt regula, sed potius ad peccatum sollicitant: concupiscentia quippe *& a peccato est, & ad peccandum inclinat*, ut tota docet traditio: ergo in dubio salutis, dubium ipsum non ad nutum voluntatis, aut ex cupiditatis instinctu, sed ex recta ratione deponi debet. Recta autem ratio ea censeri debet, quæ per fidem est illuminata: ut satis in primo tractatu explicuimus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Conscientia *speculative*, id est in genere dubia, an aliquid sit licitum, vel illicitum, non potest *practice*, hoc est hic & nunc in praxi fieri certa, licitum esse idem objectum per solum imperium voluntatis & per propriam determinationem. Primo enim dubium non potest tolli nisi per novam lucem rationi advenientem, quæ mentis æquilibrium tollat: unde qui versans in dubio *speculativo*, judicat *practice* in favorem sui, factum hic & nunc sibi esse licitum absque nova ratione superveniente, non tollit dubium suum, sed quærit excæcare sese, ut sine conscientiæ remorsu agere possit quod ex cupiditate appetit. Deinde docet recta ratio, impossibile esse, ut quis conscientiam habeat *speculative* dubiam, & *practice* certam de eodem facto secundum easdem circumstantias sumpto. Qui enim certo judicat *practice* factum illud sibi esse licitum, necesse est, ut judicet idem factum in iisdem circumstantiis esse semper licitum: & viceversa, si dubitet *speculative*, an tale factum in talibus circumstantiis possit esse licitum, necesse est ut dubitet *practice*, an idem factum in iisdem circumstantiis hic & nunc possit sibi esse licitum, nisi saltem adveniat nova ratio, quæ dubium tollat. Verum si ea ratio tollat dubium practicum, tollet etiam & speculativum respectu ejusdem actus.

Sic, si quis dubitet *speculative*, an liceat pro conservanda vita exterius negare Deum, cum urget tyrannus, non potest esse certus *practice*, licitum sibi esse pro conservanda vita falsam religionem exterius fingere; quod si forte judicet talem fictionem esse licitam, illud judicium oritur ex inordinato amore mortalis hujus vitæ, & proinde peccat tale judicium ferens.

Sic, si quis dubitet *speculative*, liceat ne *æquivoce* jurare, cum compellitur a judice juramentum præstare; ille idem non potest sibi fingere licitum esse, æquivocationem juramento admiscere; quod si ita judicet, illud judicium ex cupiditate oritur, & non ex recta ratione; & proinde peccat tale judicium sequens.

Consect. 2. Dum agitur de deponendo dubio, sinceram debemus habere inveniendæ veritatis intentionem; primo enim id recta ratio suadet, deinde ad illud nos invitat Scriptura, Prov. 2. v. 2. *Inclina cor tuum ad cognoscendam prudentiam*; & Eccl. 32. v. 19. *Qui quærit legem, replebitur ab ea, & qui insidiose agit, scandalizabitur in ea.*

Consect. 3. In dubio salutis constituti debemus ad Deum preces sedulas fundere; primo enim recta ratio docet, Deum totius veri luminis esse fontem, unde a Jacobo *Pater luminum* dicitur; secundo, ad illud nos hortatur Scriptura Eccl. 37. v. 19. *Deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam*, & Jacobus cap. 1. v. 5. *Si quis vestrum*, inquit, *indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.*

Consect. 4. In dubio salutis, non negligenter, sed sedulo curare debemus, ut veritatem agnoscamus: primo enim postulat recta ratio, ut in negotio salutis non minorem adhibeamus curam, quam in negotiis temporalibus: secundo, his solum Scriptura promittit sapientiam, qui sedulo eam quærunt, juxta illud Prov c. 2. v. 4. *Si quæsieris eam*, sapientiam, *quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis eam; tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei invenies.*

Consect. 5. In dubio salutis aliorum consilio uti maxime expedit: primo enim docet recta ratio, ut sicut dum agitur de re tem-

temporanea, quæ gravis est momenti, propriæ sapientiæ non acquiescimus; ita & dum agitur de salute æterna, aliorum consilium non negligamus: deinde verum omnino est quod vulgo dicitur: *Unumquemque in rebus suis cæcutire*, & alios licet vel minus eruditos videre clarius: unde illud Sapientis Prov. 3. v. 7. *Ne sis sapiens apud temetipsum:* & illud Christi: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?*

Consect. 6. In capessendo consilio, non quoscumque, sed eos, quos novimus & doctiores, & sanctiores, debemus adire: doctiores quidem; si enim suadente ratione doctiores Medicos, & Jurisperitos consulimus, quidni doctiores Theologos consulamus? præsertim dicente Christo: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt:* sanctiores vero; cum enim, teste Scriptura Sap. 1 v. 11. *in malevolam animam non introeat sapientia Dei*; a probo potius quam improbo expectandum est consilium æquum, juxta illud Eccl. c. 7. v. 1. *Anima viri sancti enuntiat aliquando vera* potius *quam septem circumspectatores sedentes in excelso ad speculandum.*

Consect. 7. Qui consilium petit, debet se bona fide gerere, & nihil ei quem consulit dissimulare. Primo enim, sicuti Medicis & Jurisperitis omnia sincere aperimus, si decipi nolumus; ita & in negotio salutis Doctoribus, quos adimus, res sincere est declaranda, si in errorem induci nolumus. Deinde periculum est, ne in pœnam simulationis nostræ permittat Deus, ut Doctores falsa nobis respondeant, juxta illud Ezech. c. 14. v. 4. *Qui posuerit immunditias in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit contra faciem suam, & venerit ad Prophetam interrogans me per eum: ego Dominus respondebo in multitudine immunditiarum.*

Consect. 8. Peccant qui in dubio salutis varios Doctores adeunt, donec invenerint aliquem, qui cupiditati blandiatur; & sunt e numero eorum, quos Isaias cap. 30. v. 10. sic loquentes inducit: *Loquimini nobis placentia, videte nobis errores:* & de quibus Paulus 2. ad Timoth. c. 4. v. 3. ait: *Coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur:* eos enim ex cupiditatis instinctu, non ex recta ratione, dubium deponere certum est.

CAPUT IV.

Quid agendum sit in dubio salutis, dum urget agendi necessitas.

PRop. 1. In dubio salutis, dum urget agendi necessitas, tutior pars est eligenda in foro conscientiæ, & extra materiam justitiæ commutativæ.

Prob. 1. ex Scriptura, Eccli. 21. v. 2. *Quasi a facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis, dentes ejus interficientes animas hominum, quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas.* Ergo sicut dum occurrit coluber, vel leo, aut imminet gladius, tutius eligimus; ita & dum periculum est, ne incidamus in peccatum, tutius debemus eligere, dicente præsertim Scriptura: *Qui amat periculum, peribit in illo.*

2. Ex innumeris Canonibus, ubi assertio nostra expresse traditur. Cap. Ad *audientiam*, extra de homicidio voluntario, & casuali, sic habetur: *Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, vos convenit &c.* Cap. *Significasti* eodem titulo, & cap. *Illud* extra de Clerico excommunicato minist. sic habetur: *In dubiis via tutior eligenda, etsi delata, &c.* Ergo.

3. Ex Aug. qui lib. 2. de baptis. cont. Donatist. c. 3. de Donatista loquens, qui dubitabat, an licite apud Donatistas baptismus susciperetur: *Si dubium*, inquit, *haberet, non illic recte accipi quod in Catholica recte accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quod certis incerta proponeret:* Ergo in dubiis tutior pars est eligenda: unde illud juris axioma sumptum ex Aug. *Tene certum & dimitte incertum.*

4. Ex Clero Gallicano an. 1700. in regula de probabilium usu, ubi ante omnia præcipiunt Gallicani Præsules: *Ut in dubio de salutis negotio, ubi æqualia utrimque animo sese offerunt rationum momenta, sequamur id quod tutius, sive quod est eo in casu unice tutum; neque id consilii, sed præcepti loco habeamus, dicente Scriptura:* Qui amat periculum, in illo peribit.

5. *Rat.* Qui in dubio salutis tutiorem partem non eligit, non est moraliter certus, actionem, quam elicit, esse legi conformem; sed potius manifesto peccandi periculo se exponit, cum incerta certis præponat: Ergo in dubio salutis non licet in actum erumpere, nisi partem eligamus tutiorem.

Deinde non minorem debemus adhibere cau-

cautionem, & prudentiam in negotio salutis nostræ, quam in negotiis nostris temporalibus,& ad vitandam jacturam bonorum, aut infamiam, aut ægritudinem, vel mortem: Atqui nemo est adeo imprudens, qui in dubiis, dum versatur in aliqua ancipiti occasione, ubi periculum est perdendi vel fortunam, vel famam, vel vitam, non eligat partem tutiorem: quis enim mercator, v. g. hic conditionibus societatem init, quas noxias magis, quam utiles judicat? quis escam eligit, quam suspicatur veneno infectam, ubi integra & veneni experte vesci potest? quis viam ingreditur a prædonibus obsitam, aut præcipitiis periculosam, dum tutam ingredi potest? Ergo a fortiori in dubio salutis, viam debemus eligere tutiorem, cum, ut ait Aug. *numquam satis magna est securitas, ubi periclitatur æternitas*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Prædicta juris regula, *In dubiis tutior pars est eligenda*, strictum est præceptum, non consilium. Primo enim, verba, quibus in jure canonico exprimitur, non merum consilium, sed strictum præceptum important; sic enim loquuntur canones: *Via tutior est eligenda, pars securior est tenenda, semitam debemus eligere tutiorem*. Secundo, sic docet Aug. qui, ut modo dictum est, asserit, eum qui *incerta certis præponit, peccare graviter... certum admittere peccatum*. Tertio, sacri Canones pœnam his infligunt, qui hujusmodi regulæ non obtemperant, ut patet ex cap. *Illud* de Clerico excommunicato ministrante, ubi jubetur deponi Episcopus, qui in dubio, an esset excommunicatus, a Sacris non abstinuerat. Denique verbis expressis sic statuit Clerus Gallicanus an. 1700. ut patet ex loco in probationibus allegato.

Consect. 2. Prædicta juris regula, *In dubiis tutior pars est eligenda*, locum habet non tantum in dubio facti, sed etiam in dubio juris; hoc est, non tantum cum quis dubitat, an actum fecerit, quem constat esse illicitum; sed etiam dum dubitat, an actus eliciendus licitus sit, nec ne: generaliter enim sanciunt Canones in dubiis tutiorem partem esse eligendam, immo speciatim in dubiis juris idem decernunt, ut patet ex c. *Illud* de Clerico excommunicato ministrante, ubi in dubio juris, an sententia a delegato, non præmissa monitione, & ante intimationem, liget, nec ne, deciditur tutiorem partem esse eligendam; & Episcopus, qui in tali dubio a Sacris non abstinuerat, jubetur deponi, ut modo diximus. Et clarius etiam ex Clement. *Exivi*, de verborum significatione: ubi nempe in quæstione *meri juris*, an Fratres Minores teneantur sub præcepto mortalis peccati ea observare, quæ B. Franciscus in sua regula verbis imperativis expressit, deciditur, partem tutiorem esse tenendam his verbis: *Ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda*.

Consect. 3. Peccat qui postquam duas opiniones oppositas ponderavit, dubius manet utra verior sit, si non amplectatur eam, quæ tutior est; vel ut illam doceat, si sit Professor: vel ut secundum illam pœnitentium conscientiam regat, si sit Confessarius; vel demum ad ejus normam propriam agendi rationem instituat.

Consect. 4. Peccat peccato sacrilegii, qui dubitans, an confessus sit peccatum aliquod mortale, quod certe cognoscit se commisisse, si illud peccatum non confiteatur: idemque esto judicium de eo, qui dubitans, an pœnitentiam sibi a Confessario injunctam impleverit, eam non exequitur; uterque enim tutiorem partem in dubio non eligit.

Consect. 5. Peccat ille, qui dubitans, an inciderit in excommunicationem, aut irregularitatem, non se gerit ut excommunicatus, aut irregularis, adeoque non cessat a divinis, donec absolutionem, dispensationemve impetraverit: quia in dubio tutiorem partem non eligit.

Consect. 6. Peccat Clericus, Monachusve, qui tenetur recitare horas Canonicas, si dubitans, an aliquam officii divini partem omiserit, eam non recitat: tunc enim tutiorem partem non eligit.

Consect. 7. Peccat qui dubitans, an aliquod sit impedimentum dirimens ad matrimonium, quod contrahere meditatur, si, stante illo dubio, matrimonium illud ineat absque dispensatione obtenta: quia tutiorem partem non eligit.

Consect. 8. Peccat ille, qui dubitans, an votum valide emiserit, non exequitur votum, aut saltem dispensationem non postulat (quæ in tali casu, ab Episcopo concedi potest cum votum sit dubium) quia tutiorem partem non eligit.

Consect. 9. Peccat ille, qui dubitans, an revera peccatum aliquod mortale commiserit, v.g. pravæ alicui cogitationi, aut libidinoso cuidam carnis motui consenserit; aut dubitans, an peccatum illud, quod certo scit se commisisse, sit mortale vel veniale, non declarat utrumque in confessione, non quidem tamquam certum, sed tam-

quam

quam dubium; quia in neutro casu sequitur partem tutiorem.

Mon. Dixi in præcedenti propositione: In dubiis tutiorem partem esse eligendam *in foro interno, & extra materiam justitiæ commutativæ*; quia, dum agitur de materia justitiæ commutativæ, immo & in foro externo, secundum aliam juris regulam est judicandum, uti duabus sequentibus propositionibus explicamus.

Prop. 2. Dum agitur de materia justitiæ commutativæ, seu de obligatione, qua quis tenetur alteri quidpiam solvere, aut restituere, *in dubiis melior est conditio possidentis*, si post sufficientem diligentiam, ut detegatur veritas, res maneat dubia.

Prob. 1. Nemo a se ipso dejici debet possessione legitima; tamdiu enim id quod possidemus censendum est nostrum, quamdiu non constat illud esse alienum: Ergo nemo tenetur ad aliquid alteri restituendum, vel solvendum, nisi constet hoc illi esse debitum; sed in dubiis illud non constat: ergo in dubiis nemo tenetur id, quod bona fide possidet, alteri tradere.

2. Si in materia justitiæ commutativæ tutior pars esset eligenda, dum res dubia est, sequeretur, quod in tali hypothesi unus tenetur solvere, quod alter non potest accipere: exempli causa, supponamus dubium esse, an Petrus Joanni aliquid restituere debeat, in eo casu tenetur Petrus restituere; quia hæc pars est illi tutior; Joannes vero teneretur non accipere: quia hæc pars sibi tutior est: absurdum consequens: ergo & antecedens.

3. Quando rationes æquales pugnant pro creditore simul ac debitore, tunc possessio quæstionem dirimit, probabiliusque fit, rem esse possessoris; unde non peccat possessor, sit in sui favorem judicet; possessio enim reddit eum moraliter certum, quod res, alioquin dubia, sua sit.

Dixi, si post sufficientem diligentiam res maneat dubia; quia possessor, priusquam in sui favorem judicet, sufficientem debet adhibere diligentiam, ut rei veritatem, quantum potest, detegat; alioquin enim peccandi periculo sponte se exponeret, retinendi nimirum alienum, neque moraliter esset certus, rem, quam retinet, esse suam.

Consect. Hinc intellige, quod si dubites, an prædium, quod possides, tuum sit, an alienum, vel utrum damnum alteri creaveris, nec ne; teneris quidem, quantum potes, rei veritatem explorare: sed si, adhibita diligentia sufficienti, una pars generatim non appareat probabilior quam altera, tunc in tui favorem judicare licite potes, & nihil alteri restituere, aut solvere; quia scilicet possessio tibi favet, & dubium dirimit.

Monit. Verum adverte, possessorem non semper eum esse dicendum, qui rem detinet; sed eum pro quo præsumptio stat. Præsumptio autem censetur stare pro illa parte, quæ in foro externo potest ad aliam onus probandi transferre.

Sic, v. g. si certus quidem sis, te damnum intulisse, aut mutuum accepisse; dubites autem, an damnum resarcieris, vel mutuum persolveris: teneris damnum resarcire, & debitum solvere; possessio enim pro creditore stat, & præsumptio contra te pugnat; ex quo enim constat te aliquid debere, tamdiu teneris solvere, quamdiu non probas te solvisse.

Prop. 3. In foro externo judex tenetur ferre sententiam secundum hanc juris regulam: *In dubiis melior est conditio possidentis*.

Prob. 1. Ex hac juris regula: *cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori*: Ergo in dubiis judex sententiam ferre debet in favorem possessoris; reus enim censetur possessor illius rei, quam ab eo actor exigit.

2. *Rat.* Nemo a sua possessione dejici debet, quamdiu non constat illud, quod possidet, esse alienum: ergo judex in dubiis tenetur ferre sententiam in favorem illius, pro quo stat possessio; quamdiu enim dubia est res, non constat rem possessoris esse alienam.

Denique tutior & probabilior pars stat pro possessore in dubiis, cum pro eo stet præsumptio: ergo in dubiis sententiam ferre debet judex in favorem possessoris.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. In dubiis, an homo sit excommunicatus, irregularis, aut suspensus, in foro externo pro non excommunicato, irregulari, aut suspenso habendus est. Possessio enim, & præsumptio stant pro immunitate a censura, cum ille, qui in judicium vocatur ut excommunicatus, possit ad actorem onus probandi transferre. Secus vero judicandum est in foro interno, & in tribunali pœnitentiæ, ut supra explicuimus; quia ut tutiorem partem sequatur, qui dubitat, an sit excommunicatus, debet se gerere ut excommunicatus.

Consect. 2. Si constet, aliquem fuisse valide excommunicatum, dubium vero sit, an fuerit absolutus; tunc etiam in foro externo, ut non absolutus habendus est; quia

scilicet præsumptio illi adversatur, & possessio stat pro excommunicatione: si enim constet de censura valide inflicta, illius munus est probare sublatam esse censuram; alioquin semper præsumetur, quod eadem censura irretitus permaneat, juxta hanc juris regulam: *Semel malus semper censetur malus, donec probetur esse non malus.*

Quæres, cur istud axioma, Melior est conditio possidentis, generaliter non admittatur etiam in foro conscientiæ.

R. Prædictum axioma ideo in foro conscientiæ ad materiam justitiæ commutativæ restringi, quia in ea solum materia certitudinem moralem habere possumus, licitam esse partem, quam sequimur, etsi tutiorem non eligamus; quia scilicet, ut diximus, possessio quæstionem dirimit, & dubium tollit.

Deinde dici etiam potest, illud esse discrimen inter forum internum & externum, quod externum intendat pœnam, internum vero hominis nocentis emendationem, & sanctificationem; quæ quidem res odiosa non est, quæ restringi debeat, sed favorabilis, quæ, quantum potest, debet assecurari; ac proinde in foro interno tutiori parti est adhærendum.

Denique, præfatum axioma generaliter etiam ad forum internum transferri poterit, modo possessio supponatur stare semper pro lege, adeo ut id sequamur, quod legi favet, non nostræ libertati; revera enim possessio pro lege stare debet, cum lex, utpote æterna, vim habeat antequam homines libertatis suæ possessione fruantur: in quam sententiam recte Vasquesius 1. 2. disp. 65. c. *Nec potest quis*, inquit, *contra Deum opponere, quod melior sit conditio possidentis: & sane quis imaginari umquam poterit, Deum litigare & contendere nobiscum de anterioritate, aut potioritate possessionis, quinimmo succumbere in causa, si nostra possessio anterior sit?*

Prop. 4. In dubiis; si nulla pars tutior videatur, sed utraque periculosa appareat; hoc est, si conscientia æquale periculum infringendi Dei legem advertat, aut in actu, aut in omissione actus; voluntas in his angustiis constituta, si urgeat agendi necessitas, præmissa divini luminis invocatione, eligere debet actum, qui minus cupiditati favebit, aut juri proximi favorabilior erit.

Prop. Voluntas in prædicto casu ad eam partem debet se determinare, quæ minus periculosa est: atqui voluntas id amplectetur, quod minus est periculosum, si partem sequatur, quæ suæ minus favet cupiditati, aut juri proximi favorabilior est; tunc enim, quantum in se est, peccandi periculum a se amovebit: ergo, &c.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Si dubitet mulier de matrimonii sui validitate, non potest quidem debitum petere, sed illud tenetur reddere viro, cui persuasum est valere hujusmodi matrimonium; alioquin in dubio, aut partem sequeretur, quæ cupiditati favet, si nimirum debitum peteret; aut partem omitteret, quæ juri proximi favet, si negaret: unde & Canones decernunt, ut debitum reddat, minime vero exigat. cap. *Inquisitori* de senten. excom. *Cum conscientia pulsat animum*, circa impedimentum aliquod matrimonii, *ex credulitate probabili & discreta, quamvis non evidenti & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium conscientiæ committat offensam.*

Consect. 2. Si puella dubitet, an die Dominica templum adire debeat ad audiendam Missam, an domi se continere ad impediendum, ne adolescens ipsam videat, quem scit ita sui amore flagrare, ut quotiescumque ipsam videt, desideria impudica concipiat, debet in eo casu omittere adire templum: sic enim partem sequetur, quæ minus cupiditati favet, & proximo favorabilior est. Adde, quod in concursu duorum præceptorum, quorum alterum divinum est, alterum humanum, si utrumque observari nequit, divino parendum sit potius quam humano, uti in sequenti tractatu explicabimus. Ac proinde cum lege divina nobis prohibitum sit, ne proximo simus occasio peccandi, Missæ vero præceptum in die Dominica sit tantum Ecclesiasticum; in casu prædicto puella debet omittere Missam, ne præfato adolescenti sit offendiculo, præcipue si ipsa timeat, ne adiens consensura sit peccato.

CAPUT V.

De Conscientia probabili.

NOta 1. Conscientia probabilis est judicium de bonitate aut malitia operis hic & nunc agendi, sed infirmum & titubans, dubioque intermistum; hoc est, conscientia probabilis judicium est, quo mens non evidentibus quidem, sed tamen gravibus ducta rationibus, actum aliquem hic & nunc eliciendum licitum esse, vel illicitum pro-

pronuntiat; sed ita tamen, ut cum fundamento timeat, ne falsa sit conscientia quam sequitur. Sicut enim conscientia probabilis in hoc a dubia distinguitur, quod probabilis assensum præbeat, & uni parti adhæreat; dubia vero assensum cohibeat, & inter utramque partem suspensa maneat, quod, ut diximus, vel nulla menti occurrat, vel utrinque æquales rationes animo obversentur: ita & a certa conscientia in eo secernitur, quod probabilis conscientia incertum tantum & infirmum assensum præbeat, & formidinem importet partis oppositæ; certa vero firmiter assentiatur, & formidinem excludat partis oppositæ. Ex qua conscientiæ probabilis definitione intelligi potest, eum, qui probabiliter tantum de bonitate, aut malitia operis alicujus judicat, ita se habere, ut licet uni parti adhæreat tamquam vero simili, absolute tamen incertus sit, an licitum sit, vel illicitum opus quod hic & nunc agendum est: unde D. Bernard. lib. 5. de considerat. cap. 3. *Opinio certi nihil habens, verum per verisimilia quærit potius quam apprehendit .... Et hoc sciendum, quia opinio, si habet assertionem, temeraria est: fides si habet hæsitationem, infirma est.*

Nota 2. Quod licet duæ sententiæ oppositæ non possint esse veræ, quia si una sit conformis objecto, necesse est, ut contradictoria eidem non sit conformis; duæ tamen sententiæ contradictoriæ possunt simul esse probabiles; immo si una sit tantum probabilis, opposita necessario probabilis esse debet. Si enim una propositio non appareat nisi probabiliter vera, ejus contradictoria non potest apparere nisi probabiliter falsa. Sic, si probabiliter tantum judicem, licitum esse plures habere præbendas, necesse est, ut probabiliter quoque judicem, illicitum esse plures habere præbendas, verum quo probabilior evadit una, tanto improbabilior evadit altera.

Ex quo intelligi potest, quod dum dicitur, opinionem probabilem gravibus rationibus niti, eo nomine non intelligendæ sunt rationes, quæ absolute & reipsa veræ sint; sed quæ a viris maturi judicii censentur veræ, quamvis falsæ esse possint: omnes enim fatentur opinionem probabilem posse esse falsam: immo e duabus propositionibus probabilibus, contradictorie oppositis, necesse est alterutram esse falsam.

Nota 3. Conscientia probabilis vel humana ratione, vel humana authoritate nititur: si ex ratione humana petatur, dicitur probabilis *intrinsece*, & tanto major est probabilitas, quanto solidiores apparent rationes, quibus nititur: si in nuda Doctorum authoritate fundetur, vel unius, vel plurium, dicitur probabilis *extrinsece*, eaque probabilitas eo est major, quo potior habetur illius, cui creditur, authoritas.

Nota 4. Conscientia, seu opinio probabilis, aliquando favet legi, aliquando libertati. Legi favet, quando asserit rem aliquam esse vetitam, quæ forte lege non est vetita; libertati favet, quando asserit actum esse licitum, qui forte legi contrarius est. Sic opinio, quæ tutior est, favet legi; opinio vero, quæ minus tuta est, favet libertati; v.g. opinio hæc, licitum est habere plures præbendas, favet libertati; hæc vero, illicitum est habere plures præbendas, favet legi.

Nota 5. Conscientia, seu sententia probabilior, non est semper idem cum sententia tutiore, seu cum ea, quæ nos magis a peccandi periculo removet; multa enim tutiora sunt, quæ tamen minus probabilia videntur: ut patet de opinione, quæ docet, hominem, qui mortaliter peccavit, teneri statim confiteri; hæc enim opinio tutior est, & tamen a D. Thom. minus probabilis judicatur.

Nota 6. Opinionem probabilem posse modo triplici comparari, ac 1. quidem, Cum opposita æqualiter probabili, sed non æqualiter tuta. 2. Cum opposita minus probabili, & minus tuta. 3. Cum opposita magis probabili, sed minus tuta.

Nota 7. Certum esse, & indubitatum apud omnes, licitum esse sequi semper opinionem, seu conscientiam probabilem, quæ favet legi; quia scilicet, qui sequitur conscientiam probabilem, quæ legi favet, nulli peccandi periculo se exponit, etsi forte falsa sit sua conscientia, seu etsi licitum sit quod reputat illicitum; ut patet in homine, qui abstinet a contractu quem probabiliter quidem, sed falso, ut supponitur, judicat esse usurarium.

Nota 8. Totam controversiam circa conscientiam probabilem in eo versari, an licitum sit sequi opinionem quamcumque probabilem, quæ libertati favet, contra præceptum. Qui Probabilistæ dicuntur, seu probabilitatis fautores, contendunt, opinionem probabilem, eo ipso quod est probabilis, proponi, & assumi posse tamquam tutam morum regulam: immo etsi agenti improbabilis intrinsece videatur; modo graves authores, immo vel unus, ut ajunt, eam probabilem existimet: quia scilicet, ut inquiunt, supponere quisque debet, quod difficultates, quas enodare non potest, facile solve-

solveret Doctor, qui sententiam hanc probabilem pronuntiavit, utpote acutiori ingenio, præstantiorique doctrina pollens.

Ex quo principio inferunt, e duabus opinionibus æqualiter probabilibus, licere sequi eam, quæ libertati favet, & minus tuta est, immo & minus probabilem, minusque tutam in concursu probabilioris simul & tutioris. Quid de hujusmodi Probabilistarum placitis sentiendum sit, sequentibus articulis explicabimus, in quibus expendemus. 1. An probabilitas sit morum regula. 2. Quid in prædicto triplici opinionum probabilium concursu agere nos conveniat.

ARTICULUS I.

An probabilitas sit morum regula.

PRop. *unica*. Sola probabilitas, seu opinio, vel conscientia probabilis libertati favens contra præceptum, non est morum regula.

Prob. 1. ex Scriptura. Ex Apostolo 1. ad Thessalon. cap. 6. v. 21. jubemur ab omni specie mali nos abstinere. *Omnia*, inquit, *probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos*: Atqui conscientia probabilis, quæ libertati faveat contra præceptum, prout mere probabilis est, speciem habet mali; cum, ut patet ex prænotatis, ita nos ad assensum determinet, ut cum fundamento timeamus, ne falsa sit conscientia, quam sequimur, seu legi contraria: Ergo sola probabilitas non est morum regula, seu non licet sequi conscientiam probabilem, quæ libertati favet contra præceptum, prout mere probabilis est.

2. Ex Aug. lib. 3. contra Academicos c. 16. ubi hocce Philosophorum illorum axioma: *Cum agit quisque, quod ei probabile videtur, non peccat*, sic impugnat: *Id igitur audiens adolescens insidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ. Quid aliud dicturus es: quam non tibi esse probabile, ut id faciat adolescens? At illi probabile est; nam si alieno probabili vivimus, nec tu* (Tullium alloquitur) *debuisti administrare rem publicam, quia Epicuro visum est non esse faciendum; sed vos* (Academicis loquitur) *me jocari arbitramini. Libet dejerare per omne divinum, nescire me prorsus quomodo iste* (adolescens adulter) *peccaverit; si quisquis id egerit, quod probabile videtur, non peccat*: & deinde non solum adulterium, sed & omnia scelera licita fore ostendit, si semel probabilitatis dogma admittatur. *Taceo*, inquit, *de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusque omnino, quæ fieri, aut cogitari possunt flagitiis, & facinoribus, quæ paucis verbis, & quod est gravius, apud sapientissimos judices defenduntur*. Ergo si licitum sit, quod probabile videtur, nullum est crimen, quod excusari non possit.

Ex Cajetano V. Opinio: *In operandis nisi tutiorem partem eligendo, non licet opinionem cujuscumque assumere ut regulam operis: quoniam eo ipso, quo operatio regulanda committitur opinioni, committitur regulæ ambiguæ; quia opinio omnis ambigua est, utpote cum formidine partis oppositæ; & quia præsupponitur, quod non eligatur tutior pars, consequens est, ut operatio committatur regulæ ambiguæ ad casum peccati, ac per hoc exponatur periculo peccandi, quod constat esse illicitum; & si de mortali agitur, constat esse mortale.*

Rat. Quod est indifferens ad veritatem, & falsitatem, non est morum regula; siquidem sola veritas per se est morum regula, & per accidens id quod inculpate & firmiter, hoc est, sine formidine partis oppositæ existimatur veritas, ut patet ex ante dictis: atqui conscientia probabilis libertati favens contra præceptum, prout mere probabilis est, indifferens est ad veritatem aut falsitatem; cum fatentibus omnibus opinio probabilis falsa esse possit; immo e duabus opinionibus probabilibus necesse sit, aliam esse veram, aliam falsam: ergo conscientia probabilis, quæ libertati favet contra præceptum, prout mere probabilis est, non est morum regula.

Deinde conscientia non est morum regula, nisi sit certa saltem moraliter de bonitate actionis, quam elicit, ut supra est demonstratum: atqui conscientia probabilis, quæ libertati favet contra præceptum, non est moraliter certa de bonitate actionis, quam elicit; siquidem, ut patet ex observatis, conscentia probabilis importat formidinem partis oppositæ, seu qui probabiliter tantum assentitur, is cum fundamento timet, ne falsa sit conscientia, quam sequitur, & absolute incertus est, licitus ne sit, an illicitus actus, quem elicit: ergo &c.

Denique, si sola probabilitas sive intrinseca sive extrinseca sit morum regula, nullum erit scelus, quod tuta conscientia patrari non possit. Quod enim est flagitium, cui ratio aliqua aut saltem Doctoris alicujus suffragium non patrocinetur, ut satis patet ex tot propositionum censuris, quas Doctores alioquin Catholici in medium protulerant, atque ut probabiles tuiti erant?

Cor-

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Hinc patet quam vanum sit & a vera Morali procul amandandum principium illud, quo statuitur, licere tuto sequi opinionem quamcumque probabilem, hoc ipso quod est probabilis sive intrinsece, sive extrinsece; quamque merito hæc propositio: *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus semper prudenter agimus*: hac speciali censura notata fuerit a Clero Gallicano ann. 1700. 2. 5. *Hæc propositio falsa est, temeraria, scandalosa, perniciosa: novam morum regulam, novumque prudentiæ genus, nullo Scripturarum, aut traditionis fundamento, cum magno animarum periculo, statuit.*

1. Enim si probabilitas sola non est morum regula, ut modo demonstravimus, quomodo quæcumque probabilitas, quantumvis minuta, morum regula esse poterit?

2. Omni probabilitati indiscriminatim adhærere, quid aliud est, quam contra præceptum Apostolicum: *Omni spiritui credere: omnique doctrinæ vento circumferri*, & reclamante tota traditione, salutis viam arbitrariam facere; atque celebre illud Patrum effatum: *Quod ubique, quod semper, quod ab omnibus*, irritum reddere?

Consect. 2. Hinc etiam patet, non minus vanum esse alterum illud dogma, quo statuitur licere sequi opinionem, quæ vel uni Doctori probabilis videtur, etsi nobis improbabilis videatur; quamque merito ab eodem Clero Gallicano ibidem hac gravi censura notatæ sint duæ sequentes propositiones.

Ex auctoritate unius tantum potest quis opinionem in praxi amplecti, licet, a principiis intrinsecis falsam, & improbabilem existimet.

Hæc propositio, Sexdecim ad probabilitatem requiruntur, non est probabilis. Si sufficiunt sexdecim, sufficiunt quatuor; si sufficiunt quatuor, sufficit unus... Ad probabilitatem sufficiunt quatuor: sed quatuor immo viginti & supra testantur unum sufficere: ergo sufficit unus. Quibus propositionibus hæc censura infligitur: *Hæ propositiones falsæ sunt, scandalosæ, perniciosæ: spreta veritate, quæstiones morum ad numerum auctorum exigunt, & innumeris corruptelis viam aperiunt.*

1. Enim si propria probabilitas per se non sit morum regula, quomodo alienum probabile, quod nobis improbabile videtur, recta agendi norma esse poterit?

2. Ad alienam probabilitatem contra propriam conscientiam mores exigere, quid est aliud, quam illud Apostoli: *Quod non est ex fide, peccatum est*: aperte violare, & contra ipsam rationem id sequi, quod legi magis contrarium, quam conforme nobis videtur?

Denique, si semel admittatur illud principium, poterit quicumque tuto amplecti innumeras illas morum corruptelas, quas Doctores varii, ut probabiles tradiderunt, licet sibi improbabiles, immo & falsæ, ut revera sunt, videantur.

Consect. 3. Ubi occurrit sententia probabilis libertati favens contra præceptum, non licet secundum eam operari, nisi prius diligenter observatum fuerit, an opposita sententia sit æque vel magis vel minus probabilis.

1. Enim cum probabilitas per se non sit morum regula, dum occurrit aliquid probabile tantum, hoc est, quod importet formidinem partis oppositæ, necesse est, ut oppositam sententiam examinemus, ut scilicet eam eligamus, quam veritati magis consentaneam duxerimus, uti jubet Clerus Gallicanus in regula de probabilium usu.

2. Qui meræ probabilitati statim acquiescit, non examinando sententiam oppositam, exponit se peccandi periculo, & in negotio salutis eam admittit negligentiam & imprudentiam, quam nemo in negotiis temporalibus patitur; quis enim est qui dum agitur de conservandis bonis, fama, vita, meræ probabilitati statim acquiescat, & non prius diligenter exploret, an pars opposita sit convenientior?

Denique, qui sine prævio examine mera probabilitate contentus in actum erumpit, levitatis reus est, quam reprobat Scriptura his verbis: *Qui credit cito, levis corde est, & minorabitur*. Eccl. 19. v. 4. Et spernit illud Aug. monitum lib. 22. de civit. cap. 23. *Debemus esse continuis vigiliis accubantes, ne opinio vero-similis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum est, malum aut quod malum est, bonum esse credatur.*

Cum autem peracto illo examine necessum sit, ut mens vel maneat suspensa æquali probabilitate hinc inde affecta, vel majorem probabilitatem simul & securitatem in alterutra ex oppositis opinionibus deprehendat, vel majorem quidem probabilitatem, sed minorem securitatem in una parte perspiciat; ideo quid in hoc triplici opinionum probabilium concursu agere nos conveniat, tribus sequentibus articulis explicabimus.

ARTICULUS II.

Quid agendum sit in concursu duarum opinionum æqualiter probabilium, quarum una favet legi, altera libertati.

PRop. unica. In concursu duarum opinionum æqualiter probabilium, quilibet tenetur eam sequi, quæ pro lege stat, nec potest sine peccato eam amplecti, quæ libertati favet.

Prob. 1. Scriptura. *Qui amat periculum peribit in illo.* Eccl. c 3. v. 27. quem locum ita explicat Antoninus 1. P. tit. c. 10. §. 10. *Hinc est, quod beatus Thomas & alii dicunt, quod ille qui agit id, de quo est dubium, utrum sit mortale, vel non, peccat mortaliter, quia periculo se exponit mortalis. Cum ergo in aliqua materia morali sunt variæ, & contrariæ opiniones, ille qui adhæret opinioni latioris viæ, videtur se exponere periculo mortalis, quia est in dubio; cum possit illa opinio esse falsa, & contraria vera*: Ergo cum mens fluctuat inter duas opiniones contrarias æque probabiles, sequenda est opinio tutior.

2. Ex jure Canonico. *In his quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus*: ita Eugenius Papa. Innocentius vero III. sic decernit: *Nos*, inquit, *in hoc dubitabili casu quod tutius est sequentes, mandamus, &c* Ergo cum occurrunt duæ opiniones contrariæ æque probabile, insistendum est opinioni, quæ magis nos removet a peccato.

3. Ex D. Th. quodlib. 8. a. 13. ubi sic habet: *Ille, qui in quamdam dubitationem inducitur contrarietate opinionum, si manente dubitatione plures prębendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat; utpote magis amans beneficium temporale, quam propriam salutem.*

Nec dici potest, prædictas auctoritates loqui de eo, qui est in dubio; quippe juxta D. Th. quoties movemur duabus opinionibus æque probabilibus, vere sumus in dubio; quia mens in unam partem non inclinatur magis, quam in aliam.

Rat. Certum est ex dictis, in dubiis tutiorem partem esse eligendam: atqui in concursu duarum opinionum æqualiter probabilium mens dubia est, cum propter æquale pondus rationum neutri parti assentiatur, sed suspensa maneat: ergo in concursu duarum opinionum æqualiter probabilium tutior pars est eligenda; sed pars tutior ea est, quæ legi favet: ergo in concursu duarum opinionum æqualiter probabilium ea sequenda est, quæ legi favet.

Nec obstat quod ajunt, illud esse discrimen inter intellectum dubium, & opinantem; quod intellectui dubio nullæ ex utraque parte rationes occurrant; opinanti e contra plures obversentur: namque, ut supra dictum est, non minus intellectus est dubius, cum illi æquales occurrunt utrinque rationes, quam dum ei nulla ratio pro una vel altera parte obversatur. Sicuti enim non minus in æquilibrio remanent lances, dum nullum neutri, quam dum æquale utrique pondus imponitur; ita & intellectus non minus est dubius, dum inter duas opiniones æque probabiles constituitur, quam dum nulla ex his duabus opinionibus ei videtur probabilis.

Deinde, non licet in actum errumpere, nisi simus moraliter certi de bonitate actus, quem elicimus, ut constat ex dictis: atqui ille, qui in concursu duarum opinionum æqualiter probabilium eam deserit quæ stat pro lege, ut eam sequatur quæ libertati favet, non est moraliter certus de bonitate actionis, quam elicit; cum æquale rationum pondus necessario dubium afferat, ut modo diximus; sed potius manifesto peccandi periculo se exponit, cum dubia conscientia in actum erumpat: ergo in concursu duarum opinionum æqualiter probabilium non licet eam deserere partem, quæ stat pro lege, ut eam sequamur, quæ libertati favet.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat qui post examen sedulum pro sententiis oppositis rationes æqualiter validas utrinque advertens, eam omittit sententiam, quæ pro lege stat, ut eam sequatur, quæ libertati favet; tunc enim cupiditati obsequitur, non rationi.

Consect. 2. Peccant ob eamdem rationem illi omnes, qui dum in dubio salutis a duobus vel Doctoribus vel Confessariis, quos æqualiter pios & eruditos existimant, circa quemdam conscientiæ suæ casum oppositas sententias acceperunt; adeo ut unus licitum quid, alius e contra illicitum judicet; peccant, inquam, si nulla propria adveniente nova ratione pro ea parte non stent, quæ legi favet.

Consect. 3. Peccant ipsi Doctores, & Confessarii, qui, dum consuluntur, non suadent consulentibus, ut eam partem sequantur, quæ legi favet, ubi circa rem, quæ eis proponitur, æqualia utrimque occurrunt rationum momenta.

ARTICULUS III.

Quid agendum sit in concursu duarum opinionum, quarum altera est minus probabilis & minus tuta.

PRop. unica. In concursu duarum opinionum, quarum una probabilior est simul ac tutior, altera minus probabilis & minus tuta, quilibet sub pœna peccati tenetur eligere probabiliorem, quæ tutior est, seu quæ legi favet, nec potest sequi minus probabilem, quæ minus est tuta, seu quæ libertati favet.

Prob. 1. Ex Script. Eccli. 37. v. 20. *Ante omnia opera verbum* VERAX *præcedat te*: Atqui huic præcepto, quo jubemur veritatem sectari, satisfieri non potest, nisi opinionem eligamus probabiliorem simul & tutiorem in concursu minus probabilis & minus tutæ: quomodo enim ille sectari veritatem dici potest, qui neglecta opinione probabiliore, hoc est, quæ magis ad veritatem accedit, minus probabilem amplectitur, hoc est, eam quæ magis a veritate recedit? Ergo, &c.

2. Ex Concil. Viennensi simul & Clero Gallicano ann. 1700. in regula de probabilium usu, ubi Gallicani Præsules circa rectum usum probabilium opinionum hanc regulam statuunt: *Ut circa probabiles de Christiana Doctrina sententias sequamur id, quod Viennense Oecumenicum Concilium circa infusas tam parvulis, quam adultis in baptismo virtutes, decrevit his verbis: Nos hanc opinionem .... tamquam* PROBABILIOREM, *& dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis consonam & concordem, duximus eligendam*: Ergo, ut ibidem concludunt Gallicani Patres, non licet in praxi eam sequi sententiam, quam nec ipsi ut probabiliorem eligendam judicemus.

3. *Rat.* Non licet sequi conscientiam, quæ moraliter certa non sit de bonitate operis, quod elicit, ut sæpius dictum est: Atqui ille, qui opinionem sequitur minus probabilem & minus tutam in concursu probabilioris & tutioris, non est moraliter certus de bonitate actionis, quam elicit; si enim opinio probabilis in concursu alterius æque probabilis dubia sit, ut propositione præcedenti declaravimus, a fortiori dubia est opinio probabilis in concursu probabilioris simul & tutioris: Ergo non licet sequi opinionem minus probabilem & minus tutam in concursu opinionis probabilioris & tutioris.

Deinde, qui minus probabilia & minus tuta sequitur, ubi se offerunt probabiliora simul & tutiora, agit contra rectam rationem & prudentiam: sicuti enim non imprudens modo, sed & insanus haberetur, qui navem conscenderet vel ventis, aut vetustate pene disjectam, ubi tutam & securam potest conscendere; vel pecunias ei committeret, quem non esse solvendo probabiliter prævideret, ubi sine ullo periculo alteri potest eas committere: ita & insaniæ & imprudentiæ reus est, qui, dum agitur de salute æterna, minus probabilia, minusque tuta probabilioribus simulque tutioribus anteponit. *Si enim*, ut optime Chrysostomus homil. 44. in Matth. *vestimenta empturus, gyras unum negotiatorem & alterum, & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas: an non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi sincera veritas Christi venumdetur, & ubi corrupta, & veriorem eligere plusquam vestimentum?*

Denique, qui minus probabilia minusque tuta probabilioribus simulque tutioribus anteponit, manifesto peccandi periculo se exponit; cum eam partem eligat, quam esse legi contrariam probabilius judicat.

Sicuti manifesto mortis periculo se committit, qui cibis vescitur, quos probabilius judicat esse veneno infectos, ubi integri occurrunt.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat qui in conferendis sacramentis sequitur opinionem minus probabilem, relicta probabiliori simul & tutiori. 1. Quia generatim non licet sequi opinionem minus probabilem & minus tutam. 2. Quia sequens hæc propositio damnata est: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiori, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi*. 3. Quia, qui sequitur opinionem minus probabilem & minus tutam, relicta probabiliori simul & tutiori, dum agitur de valore Sacramenti, peccat contra Religionem debitam Sacramento; addit enim periculum exponendi sacramentum nullitati. Peccat quoque contra caritatem debitam proximo; quippe, cum proximus est in extremo salutis periculo, eique potest conferre subsidium certo profuturum, certum scilicet Sacramentum, confert dubium. Peccat demum contra justitiam; etenim, dum exponit sacramentum nullitati, subtrahit fidelibus subsidium, ad quod fideles habent jus.

Con-

Consect. 2. Non licet judici sequi opinionem minus probabilem relicta probabiliori. 1. Quia generatim non licet sequi opinionem minus probabilem & minus tutam. 2. Quia damnata est hæc propositio ab Alexandro VII. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio ... probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Judex est minister Dei in terris; unde necesse est, ut imitetur Deum, qui veritas est, & non probabilitas.

Consect. 3. Non licet Medico in medicinæ praxi minus probabilem opinionem sequi, præbendo medicamenta, quæ probabilius nocitura sunt ægroto, quam profutura. 1. Quia generatim non licet sequi opinionem minus probabilem & minus tutam. 2. Quia leges mulctant Medicos, qui perperam usi fuerint medicamento.

Consect. 4. In administratione Sacramenti pœnitentiæ non licet Confessario sequi opinionem minus probabilem, relicta opinione probabiliori & tutiori. 1. Quia generatim non licet sequi opinionem minus probabilem & minus tutam. 2. Quia Confessarius est minister Sacramentorum, & in Sacramentis ministrandis non licet sequi opinionem minus probabilem & minus tutam. 3. Quia Confessarius est Judex & Medicus, quibus non licet sequi opinionem minus probabilem & minus tutam.

Consect. 5. Non licet Theologo consilium dare secundum opinionem, quæ ipsi minus probabilis, minusque tuta videtur. 1. Quia generatim non licet sequi opinionem minus probabilem & minus tutam pro seipso: ergo neque pro aliis. 2. Quia Theologus, qui dat consilium, vices gerit Christi, & proinde debet loqui sermones Dei, & non sermones hominum. 3. Qui dat consilium, est Angelus a Deo missus in ministerium eorum, qui hæreditatem capiunt salutis: & ille, qui petit consilium, est fidelis, qui optat salutem consequi: ergo ambo debent mutuo se adjuvare, iste suadendo, alter obediendo, ut viam tutiorem inveniant. Totum illud Ambrosius confirmat his verbis: *Hoc est consilium Dei habere, explorare diligenter omnia, & quæ meliora sunt suadere, quæ tutiora demonstrare*; ideo damnatæ sunt sequentes propositiones a Clero Gallicano.

Licet consultori consilium dare secundum eam opinionem, quæ ipsi minus probabilis minusque tuta videatur.

Si quis vult consuli secundum eam opinionem, quæ sit faventissima, peccat qui non secundum eam consulit. Potest etiam ad libitum consulere, modo secundum unam, modo secundum aliam sententiam, dummodo caveat, ne incurrat levitatis notam.

Consect. 6. Non licet varios adire Doctores ea intentione, ut ex eorum opinionibus ea eligatur, non quæ probabilior & tutior, sed quæ commodior visa fuerit. 1. Quia generatim non licet sequi opinionem minus probabilem & minus tutam. 2. Quia, qui ita legerunt, imitantur Balac, qui sæpius Balaam interrogavit, ut ab eo responsum acciperet juxta depravati cordis concupiscentiam: imitantur impios Judæos, de quibus ita Isaias c. 30. v. 9. *Populus ad iracundiam provocans est, & filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus: nolite videre, & aspicientibus: nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.*

ARTICULUS IV.

Quid liceat in concursu duarum opinionum, quarum altera est longe probabilior, sed minus tuta, altera vero longe minus probabilis, sed magis tuta.

NOta, quod duplex potest esse *probabilioritas*, ut dicunt altera Theologica, altera non Theologica.

Probabilioritas Theologica est, quæ fundatur in aliquo loco Theologico v. g. in Scriptura, Traditione, Conciliis, Patribus, &c.

Probabilioritas non Theologica est, quæ meris ratiunculis nititur, quas humana cupiditas suggerit.

Prop. unica. Licet sequi opinionem probabiliorem licet minus tutam, in concursu opinionis minus probabilis, licet magis tutæ, modo probabilioritas sit Theologica.

Prob. 1. authoritate Cleri Gallicani de opinionum probabilium usu. *Absit vero*, inquit, *ut probemus eorum errorem, qui negant, licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*: Ergo licet aliquando agere secundum opinionem, quæ nobis probabilior apparet.

2. Ex Anton. 1. p. tit. 3. de conscientia §. 10. ubi sic habet: *Cum bona conscientia potest quis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundum eam operari, excluso saltem scandalo: quæ scilicet pars habeat pro se notabiles Doctores, dummodo talis opinio non sit contra authoritatem expressam sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ, & quod etiam ex contrarietate talium opinionum, non inducatur ad dubitandum; sed bonam sibi conscientiam & credulitatem formet de eo, quod*

cre-

credit, tamquam de probabiliori parte: & præcipue quando quis adhibet diligentiam inquirendo, an liceat: nec invenit aliquid quod eum sufficienter moveat ad hoc, quod sit illicitum.

Nec obstat, inquit idem Antoninus ibidem, id, quod dicit D. Thom. scilicet, quod quando sunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet alteram esse veram, alteram vero falsam: *Si ergo ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, ut puta, in habendo plures præbendas, faciat contra veram opinionem, non excusatur a peccato; cum faciat contra legem Dei, quamvis non faciat contra conscientiam.*

Sic enim respondet Antoninus. *Hæc enim*, inquit, *verba B. Thomæ non possunt intelligi nisi de his, ubi manifeste patet ex Scriptura, vel Ecclesiæ determinatione, quod sit contra legem Dei: & non de illis intelligit, ubi non apparet; alias sibi contradiceret in eodem libro, quod non est credendum.*

3. *Rat.* 1. Ratio. Licet sequi conscientiam, quæ moraliter certa sit de bonitate suæ operationis, ut sæpius diximus: atqui ille, qui sequitur opinionem probabiliorem probabilioritate Theologica, licet minus tuta sit, moraliter certus est de bonitate suæ operationis; etenim post maturum examen amplectitur id, quod Scripturæ & traditioni, ac proinde legi conformius videtur: ergo licet sequi opinionem probabiliorem, licet minus tutam, modo probabilitas sit Theologica.

2. Ratio. Recta ratio permittit, ut sicut probabiliora amplectimur assensu; ita & possimus amplecti affectu: etenim sicuti intellectus potest sine culpa probabilioribus adhærere, ita & voluntas potest sine peccato probabiliora amplecti.

Et licet forte contingat tunc hominem agere contra legem, excusabitur ob bonam fidem & ignorantiam, ut dicit Antoninus loco supradicto. *Item*, inquit, *Ulricus in summa dicit, quod si quis de aliquo agendo dubius magis peritos consulat, de quo nullam habet expressam authoritatem, utrum ita sit, an non: dummodo formet sibi bonam conscientiam, etiam si res aliter se habeat, quàm id, quod sentit, & quod sibi consultum fuerit, excusatur; quia fecit quod potuit, & Deus plus non requirit.*

3. Ratio. Si probabilioritas Theologica non esset tuta regula operandi, sequeretur, 1. Quod non liceret uti juramento illius, qui verum per falsos Deos juraturus est. 2. Quod non liceret injustum aggressorem, cum moderamine inculpatæ tutelæ se defendendo, occidere. 3. Quod ubi in mortale peccatum lapsi sumus, non liceret expectare tempus commodum confessionis, sed statim teneremur adire Sacerdotem: prædictæ enim opiniones, licet minus probabiles, sunt tamen magis tutæ; quia magis nos removent a peccato: atqui hujusmodi sequelas communiter rejiciunt Theologi, ut notat D. Antoninus loco supra citato: ergo licet sequi opinionem probabiliorem in concursu minus probabilis, licet magis tutæ.

Monita circa usum prædictæ propositionis.

Mon. 1. Ut probabilioritas sit morum regula, debet esse Theologica; quia si probabilioritas fundetur solis ratiunculis, quas humana cupiditas suggerit, tunc non est regula operandi: Moralis enim christiana non alias debet regulas agnoscere, quam eas, quæ ex revelatione vel mediate vel immediate emanant, ut docent SS. Patres. Sic enim habet Leo Magnus Epist. 6. *Frequenter quidem*, inquit, *in diversarum quæstionum ambiguo fratrum corda titubantia spiritu Dei instruente solidabimus, responsionum formas vel ex sanctarum Scripturarum disciplina, vel ex Patrum regulis colligentes.* Idem dicit Gregorius VII. lib. 3. Epist. 1. ad Henricum Regem. *Ad sanctorum Patrum decreta*, inquit, *doctrinamque recurrimus, nihil nobis, nihil ab inventione nostra statuentes.* Et idem Gregorius scribens cuidam Principi, sic eum præmonet: *Nihil tibi præter quod sancta Scriptura, & sacri Canones præcipiunt, respondere possumus: nulli licentiam peccandi dare possumus, aut debemus, cum ipsi eam non habeamus.*

Sic probabilioritas Academica, quæ vulgo oritur ex disputandi prurigine, non potest esse agendi regula: talis est ea probabilioritas, quæ vulgo reperitur in aliquibus authoribus, qui res morales problematice tractant; & ex arbitrio, quod magis placet, probabilius pronuntiant.

Sic probabilioritas carnalis, quæ ex pravis affectibus oritur, non potest esse agendi regula: talis est ea probabilioritas, quam efformant sibi homines carnales; affectus enim efficit, ut id appareat probabilius, quod magis cupiditati favet.

Mon. 2. Ut probabilioritas etiam Theologica sit morum regula, non debet esse tenuis, sed longe excedens; adeo ut mentem moraliter certam efficiat de bonitate operationis, excludatque omne dubium, omnemque suspicionem proprii amoris subtiliter illudentis; fieri enim potest, ut amor proprius repræsentet id, de quo agitur, probabilius quam re ipsa sit. Unde *probabilioritas* non potest esse tuta morum regula, nisi sit maxime excedens; de quo ita loquitur P. Gisbertus Societatis Jesu in suo Antiprobabilismo p. 341.

Qua-

Quare, inquit, *apud bonas & religiosas mentes principium esto, libertatem non sequi postposita lege, nisi probabilitas libertatis notabiliter excedat probabilitatem legis; nimirum ubi non apparet notabilis excessus unius supra alterum censeri debent in pari causa; in causa vero pari habet lex Divina jus prælationis supra libertatem humanam*. Et ibidem inquirens, qualis excessus requiratur, respondet: *Excessum illum apparentem, ita debere esse notabilem, ut æquivaleat testimonio duorum aut trium testium*.

Sic quando duæ opiniones oppositæ conferuntur ad invicem, quarum altera est rigidior & favet legi, altera benignior & favet libertati: v. g. *Licitum est occidere injustum aggressorem: non licitum est occidere injustum aggressorem*: ut opinio favens libertati habeatur probabilior probabilioritate, quæ sit morum regula, illa probabilioritas, qua dicitur licitum esse occidere injustum aggressorem, tanta debet esse, ut opposita sententia vix videatur probabilis. Oportet enim, ut non pronuntiemus minus tutum esse licitum, nisi prius viderimus minus tutum & urgentioribus argumentis, & authoritatibus gravioribus roborari.

Monit. 3. Ut probabilioritas & Theologica & excedens sit morum regula, opinio proposita debet esse circa quæstiones, *an liceat*, & non circa quæstiones, *an valeat*; quia quando quæritur, an aliquid liceat, ut homo excusetura peccato, sufficit quod ejus actio sit juxta regulas prudentiæ; etenim quamvis post diligens examen contingere possit, quod actio, quæ creditur licita, sit contra legem Dei; tamen non imputabitur ad peccatum, quia bona fides a peccato excusat: immo poterit imputari ad meritum, ut patet ex actione Iacob Liam suppositam pro Rachele carnaliter cognoscentis; ille enim concubitus erat contra legem Dei, & tamen ob bonam fidem Jacob Patriarcha immunis fuit a peccato: immo actio ejus, si facta fuerit in gratia, & motivo reddendi debitum conjugale, potuit esse meritoria.

Sed quando quæritur, an aliquod Sacramentum valeat, non est eadem ratio; quia valor Sacramenti desumitur, non ex bona fide operantis, sed ex daterminatione Christi, qui instituit Sacramenta: ideo quando agitur de valore Sacramenti, sequendum semper id, quod est tutius.

CAPUT VI.

De Conscientia scrupulosa.

ARTICULUS UNICUS.

Quomodo deponenda sit Conscientia scrupulosa.

Nota. Conscientia scrupulosa est ea, quæ licet certa, vel metaphysice, vel moraliter, ut dicunt, aliquid esse licitum; levibus tamen conjecturis anxia, suspicatur illicitum esse, quod jam prudenter judicaverat licitum.

Prop. unica. Conscientia scrupulosa non est audienda, sed prudenter deponenda.

Prob. 1. Script. *Quod non est ex fide, peccatum est*, ad Rom. 14. v. 23. atqui quod fit ex conscientia scrupulosa, non est ex fide; quia scrupuli impediunt, ne conscientia certa sit & firma: ergo quod fit ex conscientia scrupulosa, est peccatum: ergo conscientia scrupulosa est deponenda.

2. Ex jure Canonico cap. *per tuas* de Simonia. Ubi decernitur, eum, qui Ordinem recepit ab Episcopo, quem simoniacum credebat, debere conscientiam scrupulosam deponere. *Nos*, inquit Innocent. III. *respondemus, ut idem in Ordine sic suscepto secure ministret: sed contra conscientiam ad superiores Ordines non ascendat, ne forte ædificet ad gehennam, licet ex eo quod conscientiam nimis habuerit scrupulosam in difficultatem hujusmodi sit collapsus: quam utique non evadet, nisi deponat errorem*: Ergo conscientia scrupulosa est prudenter deponenda.

3. *Rat*. Ut conscientia sit morum regula, debet esse certa, saltem moraliter: atqui conscientia scrupulosa non est moraliter certa, ut patet: ergo non potest esse agendi regula: ergo est prudenter deponenda.

Quæ observanda in deponendo Conscientiam scrupulosam.

1. Considerandum, unde scrupuli oriantur.

Si scrupuli veniant a Deo sic ordinante vel ut puniat, vel ut probet, unicum remedium est oratio. *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut dirigat vias tuas, & omnia consilia tua in ipso permaneant*. Tob. cap. 4. v. 20.

Si scrupuli veniant a Diabolo suggerente, & tranquillitatem animæ interturbante, præsens remedium est fiducia in Deum, juxta illud Petri: *Diabolus circuit tamquam leo rugiens . . . cui resistite fortes in fide*.

Si

Si scrupuli veniant ex defectu scientiæ, inquirendum a sapientioribus, quid agendum sit, ut monet Tobias: *Consilium semper a sapiente perquire:* Tob.cap.4.v.19. eique contra omnes inanes scrupulos fideliter obtemperandum: *Fili ne innitaris prudentiæ tuæ*, ut monet Sapiens Prov.3. v.5.

Si scrupuli veniant ex corporis constitutione, scilicet ex melancholia, quæ vulgo solet ad vanos terrores incitare, remedia corporalia adhibenda sunt, quæ atrum illum humorem evacuent; etenim, ut monet Scriptura, *Altissimus de terra creavit medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.* Eccl.c.38.v.4.

2. Considerandum est, an conscientiæ, remorsus fundamentum habeant, nec ne.

Si proprio vel alieno lumine videamus, non inanes esse, sed fundatas conscientiæ remordentis monitiones, non spernendæ sunt, sed his salubriter utendum. *Beatus*, inquit Scriptura, *homo ille, qui semper est pavidus*; & rursus: *Initium sapientiæ timor Domini.*

Si e contra proprio, vel alieno lumine constet, inanes esse, nulloque innixos fundamento conscientiæ nostræ tumultus; tunc non audiendæ, sed spernendæ sunt conscientiæ agitatæ suspiciones, nec de illis, si fieri potest, cogitandum; quanto enim attentius consideras, tanto vehementius cruciaris; ubi enim semel imaginatio movetur, multi motus consequuntur, qui vix compesci possunt; sicut in lateribus ordine contextis uno cadente cæteri cadunt. Inde est, quod conscientia scrupulosa cogitando potius inflammetur, quam quiescat.

3. Considerandum, circa quam materiam versentur scrupulosi illi timores: an circa præteritum, an circa præsens, an circa futurum; nam juxta Bonaven. *Conscientia accusat de præterito, obmurmurat de præsenti, præcavet de futuro.*

Si conscientia accuset de præterito, inaniter torquens nos, quod nec de peccatis præteritis doluerimus, ut oportet, nec ea Sacerdoti declaraverimus, ut Deus exigit, ideoque esse iterum examini, iterum confessioni subjicienda; non insumendum est tempus iterandis confessionibus; sed in Deo fidenter quiescendum, & dicendum cum Psalmista: *Si iniquitates observaveris Domine, Domine, quis sustinebit?*

Si conscientia obmurmuret de præsenti, inaniter inspirans, opera omnia, quibus insistimus, quamtumvis in se bona, mala esse, quia fiunt a nobis non movente caritate, sed occulta cupiditate alliciente, & ideo ab his operibus, etsi aliunde sanctis, abstinendum; ridenda est stulta illa cogitatio, & interim instandum bonis operibus, juxta illud: *Quodcumque potest manus tua, instanter operare.* Eccl. 9. v. 10. Non tamen de illis operibus præsumendum, juxta illud Job c.9. v.28. *Verebar omnia opera mea.* Operare semper quasi certus tibi adesse gratiam: time semper, quasi ignarus ne restiteris oblatæ gratiæ.

Si conscientia præcaveat de futuro, mentemque nostram sollicitet, nos certo damnandos esse, quia sumus de numero reproborum; remedium quæramus in Christo, ut docet Paulus ad Rom. c 5. v. 1. *Justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum ... Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii ejus: multo magis reconciliati, salvi erimus in vita ipsius.*

TRACTATUS IV.

De Lege.

Divisio Tractatus.

QUæ de Lege dicturi sumus, ad septem capita reducemus. In primo quæremus, quid & quotuplex sit Lex. In secundo, quæ sit Legum in homines authoritas, seu an Leges ligent in conscientia. In tertio, quomodo Lex obliget. In quarto, quantum Lex quælibet pateat: qui sint actus, quæ objecta, quæve personæ ad quas Lex extendatur. In quinto, quomodo sit observanda. In sexto, quomodo Lex sit interpretanda. In septimo denique, quæ excusent a trasgressione Legis.

CAPUT I.

Quid & quotuplex sit Lex.

§. I.

Definitur Lex.

LEx generatim sumpta potest definiri, regula agendorum vel omittendorum. Sicuti enim artifex habet regulas, ad quas debet opus suum exigere; ita creatura rationalis habet regulam aliquam, qua debet actus suos morales dirigere, & hæc regula dicitur Lex. Unde Lex a D.Thom. 1.2. q.90. a.1. definitur: *Regula aut mensura actuum humanorum, per quam ad agendum id quod est rectum, & ad omittendum id quod est pravum, dirigimur.*

§. II.

§. II.

Quomodo Lex a Præcepto distinguatur.

Lex a præcepto distinguitur multis modis. 1. Lex semper datur alicui communitati perfectæ, hoc est, alicui societati hominum, qui certo fœderis alicujus vinculo connectuntur: hujusmodi est Regnum, Provincia, Urbs, quæ communitates sæculares vocantur: hujusmodi quoque est Ecclesia, Diœcesis, ordo Religiosus, quæ communitates Ecclesiasticæ dicuntur. Præceptum vero simplex uni vel pluribus tantum datur: cujusmodi fuit præceptum impositum Abrahamo de immolando filio.

2. Lex non fertur nisi ab eo, qui jurisdictionem habet, vel politicam, ut Rex; vel Ecclesiasticam, ut Episcopus. Præceptum vero fertur etiam ab eo, qui talem jurisdictionem non habet: sic pater-familias potest domesticis suis præcepta imponere, minime vero Legem statuere.

3. Lex perpetuitatem aliquam habet: unde & præsentes & posteros respicit: ideo post mortem Legislatoris vigorem habet. Præceptum vero non datur nisi præsentibus, nullumque vigorem habet post mortem præcipientis.

4. Lex datur in utilitatem communitatis: præceptum vero sæpius fertur in utilitatem præcipientis.

Si ergo quis Legem per oppositionem ad præceptum definire voluerit, sic eam describere poterit.

Lex est quædam rationis ordinatio, directa ad perfectam communitatem ab eo, qui jurisdictionem habet supra ipsam, debite promulgata, bonumque ipsius spectans, præcipiens quid sit agendum, vel omittendum.

§. III.

Dividitur Lex.

Lex generatim dividitur in naturalem, & positivam.

Lex naturalis generatim ea est, quæ non libere, sed necessario imponitur, præcipiens quæ sunt ex se bona, vetans vero quæ sunt ex se mala. Talis est Lex contenta in Decalogo.

Lex naturalis duobus modis spectari potest, vel in Deo, vel in nobis.

Lex naturalis, in Deo spectata, est summa Dei ratio, exhibens primas & immutabiles morum regulas, dictans, quid rectum sit, quid honestum, quid pravum, quid illicitum.

Lex naturalis, in nobis spectata, nihil aliud est, quam lumen naturale, seu inserta menti nostræ Legis æternæ notitia, qua quid rectum quid pravum sit, naturaliter intelligimus.

Vulgo dicitur cum D. Thom. 1. 2. q. 91. a. 2. *Participatio Legis æternæ in rationali creatura*: quæ quidem sic accipienda non sunt, quasi lumen naturale, seu recta nostra ratio sit quædam quasi pars rationis æternæ a Deo decisa, quæ in hominem migraverit; sed recta hominis ratio, eo sensu Legis, seu rationis æternæ participatio dicitur, quod sicuti lege æterna Deus primas & immutabiles morum regulas perfectissime novit, & juxta eas homines regit; ita & menti nostræ naturalem earum notitiam impresserit, ut ad eas actiones nostras dirigeremus.

Lex positiva ea est, quæ imponitur libere a legitimo Superiore, præcipiens, vel vetans ea, quæ sunt ex se indifferentia. Talis est Lex, quam dedit Deus in veteri testamento per Moysem, in novo testamento per Christum. Talis est Lex Ecclesiastica statuta per Concilia, per Papam, per Episcopum. Talis est Lex civilis statuta per Imperatorem, per Rempublicam.

§. IV.

Varia inter Legem naturalem & positivam discrimina.

Variæ sunt differentiæ inter Legem naturalem & positivam: hæ sunt præcipuæ. Lex naturalis necessario imponitur; Lex positiva libere. Lex naturalis vetat, quæ sunt ex se mala, jubet, quæ sunt ex se bona; Lex positiva jubet aut vetat, quæ sunt ex se indifferentia; Lex naturalis est omnium temporum, omnium locorum, omnium nationum; Lex positiva est eorum tantum temporum, locorum & populorum, ad quæ Legislator vult eam extendi. Lex naturalis est immutabilis; Lex positiva est mutabilis. Lex naturalis ignorari nequit sine culpa, saltem quoad communia præcepta; quia scripta est in corde cujuscumque hominis; Lex positiva ignorari potest sine culpa; quia non est scripta in cordibus nostris.

§. V.

Quotuplicis generis sint præcepta Legis cum naturalis, tum positivæ.

In Lege tum naturali, tum positiva, alia sunt

sunt præcepta affirmativa, alia negativa. Præcepta negativa sunt ea, quæ vetant actum vitiosum: Præcepta affirmativa sunt ea, quæ præcipiunt actum virtuosum, ut docet D. Thom. his verbis: *Præcepta affirmativa inducunt ad actus virtutis: præcepta negativa prohibent actus peccatorum*. 2.2. q.33.a.2. in corp.

Præcepta affirmativa obligant ad semper & non pro semper; negativa vero obligant ad semper & pro semper; id est, præcepta affirmativa obligant toto tempore, quo vigent, sed non pro omnibus temporum circumstantiis: v.g. toto tempore vitæ teneor honorare parentes, sed in singulis instantibus non teneor exercere actus interiores vel exteriores honoris erga parentes: præcepta negativa obligant toto tempore, quo vigent, & in singulis temporum circumstantiis: v.g. toto tempore vitæ debeo abstinere a perjurio, immo nulla est temporis differentia, in qua possim perjurium committere.

§. VI.

Quæ sit Lex justa, quæ injusta.

Lex justa ea est, quæ est conformis Legi æternæ: injusta vero ea est, quæ est contraria Legi æternæ.

Sic Lex positiva divina est semper justa, quia Deus agit semper conformiter ad suam legem æternam: & ita Lex Mosaica justa fuit toto tempore, quo Deus voluit illam durare, scilicet, usque ad illud tempus, quo Christus eam abrogatam voluit. Sic Lex evangelica est justa toto tempore, quo duratura est: habemus autem ex revelatione, quod semper duratura sit.

Sic Lex naturalis, etiam spectata prout est in nobis, est semper justa, quia est participatio Legis æternæ.

Sic Lex positiva humana, sive ecclesiastica, sive civilis, eatenus est justa, quatenus conformis est Legi æternæ.

Ut Lex positiva humana, sive ecclesiastica, sive civilis, sit justa, quatuor requiruntur, ut docet D. Thom. 1. 2. q.96. a.4.

1. Debet esse justa ex *authore*; quia debet imponi a legitimo Superiore, qualis est v. g. Deus, Christus, Respublica vel Ecclesiastica, vel civilis.

2. Debet esse justa ex *fine*; quia debet institui in bonum commune, qualis est vel salus hominum, quæ intenditur per Legem positivam divinam, & ecclesiasticam; vel quies Reipublicæ, quæ intendi semper debet per Legem civilem.

3. Debet esse justa ex *objecto*; quia debet præcipere ea, quæ ad justitiam possunt deducere, vetare vero ea, quæ ad malitiam possunt inclinare, determinando in particulari ea, quæ per Legem naturalem in communi vel præcipiuntur, vel vetantur.

4. Debet esse justa ex *modo*; quia debet ita se attemperare viribus, & facultatibus subditorum, ut singulis imponantur onera juxta statum & facultatem cujuslibet.

Lex autem humana potest esse injusta, vel ex *authore*, scilicet, quando fertur ab eo, qui non habet legitimam authoritatem; vel ex *fine*, scilicet, quando non fertur propter bonum commune; vel ex *objecto*, scilicet, quando præcipitur aliquid, quod est malum, vel vetatur aliquid, quod est bonum; vel ex *modo*, scilicet, quando non attemperatur viribus & facultatibus subditorum.

CAPUT II.

Quæ sit Legum tam justarum, quam injustarum in homines authoritas.

ARTICULUS I.

Quid sit discriminis inter Legem & consilium.

PRop. *unica*. Ea est inter Legem justam & merum consilium differentia, ut Lex justa obliget in conscientia ad sui observantiam, minime vero consilium.

Prob. 1. authoritate Scripturæ. Christus, Matth. 19. v. 16. aperte tradidit Legem necessario observandam, consilia vero liberæ observationis esse constituit: ibi enim interrogatus ab adolescente his verbis: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* sic respondet: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Quæ quidem responsio pertinet ad necessariam mandatorum observantiam. Cum autem dicit illi adolescens v. 20. *Omnia hæc custodivi a juventute mea, quia adhuc mihi deest?* ait illi Jesus v. 21. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, & sequere me*. Ubi Christus distinguens inter præceptum & consilium, declarat præceptorum observationem ad salutem consequendam esse necessariam, minime vero consiliorum observantiam: ergo Lex justa obligat, minime consilium.

2. Ex factis ex Scriptura desumptis. Quando Christus loquitur de statu virginitatis, non necessitatem imponit, sed libertatem relinquit. *Sunt*, inquit, *Eunuchi, qui seipsos castra-*

ve-

verunt propter regnum Cælorum : qui potest capere capiat. Et Paulus de eodem statu loquens 1. ad Corinth.7 v.25. ait:*De Virginibus autem præceptum Domini non habeo:consilium autem do,tamquam misericordiam consecutus a Domino*. Christus paupertatem Evangelicam liberam pariter voluit, non necessariam. *Si vis perfectus esse*,inquit, *vade & vende omnia*. Et Petrus Act.5.v.4.sic compellat Ananiam:*Nonne manens tibi manebat, & venumdatum erat in tua potestate?* Ergo Lex ligat, minime consilium.

3.Ex Greg.Nazianzeno orat. 3. quæ est prima adversus Julianum Apostatam. *Quomodo*, inquit, *non animadvertis, quod in Legibus nostris aliæ parendi necessitatem imponunt,nec sine periculo prætermitti possunt; aliæ non necessitatem habent, ut qui ea custodierint, honore & præmio afficiantur, qui autem minus ea expleverint, nihil periculi pertimescant?*

4. Ex Hieronymo lib.1. adversus Jovinianum, ita loquente: *Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est, ubi præceptum, necessitas est servientis*.

5.*Rat*.Lex est mensura agendorum & omittendorum: Ergo necessarium est, ut ad eam homo se componat. Et sicut artifex tenetur sequi regulas artis, dum operatur, ut artifex; ita homo tenetur sequi suam regulam seu Legem, dum operatur, ut homo liber & rationalis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Lex naturalis obligat omnes homines adultos, id est,usum rationis habentes. Primo, quia est vera Lex, cui adulti omnes subjiciuntur. Secundo, quia est justa ex omni parte. 1. *Ex authore*, cum sit participatio Legis æternæ in hominum mentibus impressa per inspirationem lucis & amoris. 2. *Ex objecto*, cum præcipiat id, quod est ex se bonum, & vetet id,quod est ex se malum. 3.*Ex modo*, quia nihil jubet,nisi juxta vires cujuslibet hominis, cui manifestatur. 4. *Ex fine*, cum statuat modum vivendi juxta regulas honestatis. Demum Lex naturalis est hujusmodi, ut infractores illius puniantur in hoc mundo conscientiæ stimulis interdum remordentibus; in altero vero, verme, qui numquam moriturus est: Ergo lex naturalis obligat omnes adultos.

Ad eam legem mittit nos Isaias 47. v.8. *Redite*, inquit,*prævaricatores ad cor*. Ad eam pariter nos advocat Christus, dicens: *Quæcumque vultis,ut faciant vobis homines,& vos facite illis*. Eodem nos mittit pariter Paulus ad Rom.2. ubi sic habet: *Gentes, quæ Legem*, scilicet scriptam, *non habent, naturaliter ea, quæ sunt Legis, faciunt: hujusmodi Legem non habentes, ipsi sibi sunt Lex; qui ostendunt opus Legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus*, dum scilicet male operantur, *aut etiam defendentibus*,dum bene operantur. De hac Lege ita Tullius lib. 3. de Repub. qui liber periit, sed fragmentum istud refertur a Lactantio lib.6. Instit. cap.8. *Est quidem vera Lex, recta ratio naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo,vetando a fraude deterreat;quæ tamen neque probos frustra jubet, aut vetat;neque improbos jubendo,aut vetando movet.Huic Legi nec propagari fas est,neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest per Senatum, aut per populum solvi hac Lege possumus.Neque est quærendus explanator, aut interpres ejus alius.Nec erit alia Lex Romæ, alia Athenis,alia nunc, alia post hæc;sed & omnes gentes,& omni tempore una Lex,& sempiterna, & immutabilis continebit*. De eadem Lege ita Ambr.Epist.41 ad Irenæum:*Ea igitur Lex non scribitur,sed innascitur;nec aliqua percipitur lectione,sed profluo quodam naturæ fonte in singulis exprimitur,& ingeniis humanis hauritur .... Est enim sancta sine versutia, sine fraude consors est,expers iniquitatis*. Demum talis est Lex naturalis, ut nec violari possit sine peccato, nec per peccatum penitus aboleri. *Numquam enim*, inquit Aug. lib.8. de Genesi ad litteram cap.23. *ita punit Deus voluntatem malam, ut naturæ perimat dignitatem*.

Consect. 2. Lex positiva divina, sive data olim Judæis per Moysem,sive data nunc Christianis per Christum, obligat omnes homines, quibus imponitur. Primo, quia est vera Lex, Secundo,quia est justa ex omni parte. 1. *Ex Authore*, cum feratur a Deo, cui omnes homines tenentur subesse. 2. *Ex fine*, quia dirigit homines ad finem supernaturalem. 3. *Ex objecto*, Deus etenim non jubet, nisi quod sanctum est. 4. *Ex modo*, quia Deus est Legislator disponens omnia suaviter. Demum Lex positiva divina talis est, ut infractores illius puniantur in hoc mundo aliquando pœnis temporalibus, semper vero in altero pœnis in æternum duraturis: ergo obligat sub peccato.

De lege positiva, a Deo statuta, ita loquitur Psalmista: *Lex Domini immaculata, convertens animas, testimonium fidele sapientiam præstans parvulis*. Psal. 17. Quem locum sic explicat D. Thom. 1.2. q.91. a. 4. in corp. Lex Domini immaculata, id est, nullam pec-

cati

tati turpitudinem permittens: convertens animas, quia non solum exteriores actus, sed etiam interiores dirigit: testimonium Domini fidele, propter certitudinem veritatis & rectitudinis; sapientiam præstans parvulis, inquantum ordinat hominem ad supernaturalem finem & divinum, mediis quidem sanctis, sed non æque perfectis, ut replicat Ambrosius lib. 1. de offic. c. 18. ubi late ostendit, quo pacto in lege Mosaica, Evangelica, & in cælesti patria Deus homines ad se attrahat. *Hic umbra*, inquit, *hic imago*, *illic veritas*; *umbra in lege*, *imago in Evangelio*, *veritas in cælestibus*. *Ante Agnus offerebatur*, *offerebatur vitulus*; *nunc Christus offertur*, *sed offertur quasi homo*, *quasi recipiens passionem*, *& offert se ipse quasi Sacerdos*, *ut peccata nostra adimat*. *Hic in imagine*, *ibi in veritate*, *ubi apud Patrem pro nobis quasi advocatus intervenit*. *Hic ergo in imagine ambulantes*, *in imagine videmus*; *illic facie ad faciem*, *ubi plena perfectio*, *quia perfectio omnis in veritate est*: & Hieron. lib. 1. cont. Pelag. c. *Christus in lege promittitur*, *in Evangelio impletur*: *ibi initia*, *hic perfectio est*: *in illa operum fundamenta jaciuntur*, *hic fidei & gratiæ culmen imponitur*.

Consect. 3. Lex Ecclesiastica obligat omnes fideles baptizatos. Primo quia est vera Lex. Secundo quia est Lex justa ex omni parte 1. *Ex auctore*, Superior enim Ecclesiasticus, qualis est Papa in tota Ecclesia, Episcopus in sua Diœcesi, Concilium generale in tota Ecclesia, Concilium nationale in tota sua natione, Diœcesanum in tota sua Diœcesi: Superior, inquam, Ecclesiasticus accepit potestatem a Deo condendi leges; nam Papæ dictum est in persona Petri: *Quodcumque ligaveris super terram*, *erit ligatum & in cælis*. *Quodcumque solveris super terram*, *erit solutum & in cælis*. Matth. 16. v. 10. De Episcopis vero dicitur: *Attendite vobis & universo gregi*, *in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*. Act. 20. v. 28. Patres vero in Concilio congregati confidenter pronuntiant: *Visum est Spiritui sancto & nobis ... ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato*. Act. 15. v. 28. 2. Est justa *ex fine*, cum Ecclesia, utpote sancta, nihil aliud intendat per suas Leges, quam fideles ad sanctitatem adducere. 3. Est justa *ex objecto*, cum Ecclesia, utpote infallibilis, nihil vetet, nisi quod iniquum, nihil jubeat, nisi quod sanctum. 4. Est justa *ex modo*, cum Ecclesia, utpote pia mater, nihil præcipiat nisi juxta facultatem fidelium. Demum Lex Ecclesiastica ejusmodi est, ut infractores illius puniantur in hoc mundo per censuras, semper vero in altero igne perpetuo; habendi enim sunt ut Ethnici & Publicani.

De legibus ab Ecclesia statuendis sic loquitur Christus contra eum, qui eis subesse noluerit: *Si autem Ecclesiam non audierit*, *sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus*. Matth. 18. v. 17. & rursus: *Qui vos audit*, *me audit*; *qui vos spernit*, *me spernit*; *qui autem me spernit*, *spernit eum*, *qui me misit*. Luc. 10. v. 16. Et iterum: *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi*: *quæcumque dixerint vobis*, *servate & facite*. Matth. 23. v. 3. Si ergo Synagoga vim habuerit condendi Leges, uti facit instituendo novos festivos dies, nova jejunia, ut cernere est in libro Esther c. 9. in lib. Judith c. 16. in lib. 1. Machab. c. 4. quid ni Ecclesia habebit potestatem condendi legem, quam quilibet baptizatus religiose observare teneatur? non enim habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem. Ideo Tridentinum sess. 6. can. 20. anathema pronuntiat contra eos, qui docuerint, homines justificatos non teneri ad observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ.

Consect. 4. Lex civilis & politica justa obligat omnes sibi subditos. Primo, quia est vera Lex. Secundo, quia, ut supponitur, est justa ex omni parte. 1. Quidem *ex auctore*, quia Superior politicus, qualis est legitimus Princeps, a Deo accepit vim condendi Leges: *Per me Reges regnant*, *& legum conditores justa decernunt*, inquit Sap. Prov. 8. v. 15. Ideo Paulus dicit Rom. 13. v. 5. *Subditi estote Principibus*, *non solum propter iram*, *sed etiam propter conscientiam*. 2. Est justa *ex fine*; quia, ut supponitur, Princeps nihil aliud intendit per legem, quam tranquillitatem publicam, & quietem temporalem Civium simul vitam degentium, quod utique bonum est. 3. Est justa *ex objecto*, quia, ut supponitur, nihil præcipit, nisi quod bonum Reipublicæ promovet. 4. Est justa *ex modo*, quia, ut supponitur, æqualem servat onerum munerumque distributionem. Demum Lex civilis ejusmodi est, ut infractores illius, Deo volente, in hoc sæculo pœnis temporalibus puniantur; ut enim monet Paulus ad Rom. 13. v. 4. Princeps *non sine causa gladium portat*; in futuro vero sibi damnationem acquirunt juxta eumdem Paulum: *Qui autem resistunt potestati*, *ipsi sibi damnationem acquirunt*: Ergo Lex civilis ligat in conscientia.

Quam religigiose observanda sit Lex civilis, modo nihil contra bonos mores præcipiat, ostendit Petrus his verbis, Ep. 1. c. 2. *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum*; *sive Regi quasi præcellenti*; *sive ducibus* tam-

tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia sic est voluntas... Deum timete: Regem honorificate: Illud idem ostendunt antiqui Christiani, qui nulla persecutionum acerbitate a deferendo Principibus etiam Ethnicis obsequio potuerunt dimoveri, modo nihil injungeretur, quod divinæ Legi repugnaret. Sic enim Polycarpus Herodem alloquitur, teste Euseb. lib. 4. hist. c. 15. *Tibi quidem rationem reddere non me piget; præceptum enim nobis est, ut Magistratibus & Potestatibus a Deo constitutis honorem debitum exhibeamus, qui nobis ipsis nihil noceat*, ut noceret, si esset obedientia illa contra bonos mores. Sanctus Theophilus Episc. Antioch. lib. 1. ad Autolicum hæc habet: *Quæ cum ita sint, magis honorabo Regem, sive Cæsarem, non tamen eum adorabo: verum pro eo orabo Deum, qui vere verus Deus est, & quia vere verus est Deus, adorabo, sciens Cæsarem ab ipso fuisse ordinatum.*

ARTICULUS II.

Qualiter coram Deo reus sit, qui Legem justam infringit.

PRop. unica. Quicumque Legem justam infringit, peccat mortaliter, vel venialiter.

Mortaliter quidem, si cum plena deliberatione violetur lex in materia gravi, vel si in materia levi interveniat contemptus, aut scandalum: venialiter vero, si lex violetur in materia levi, vel si cum violatur in materia gravi, non adsit plena deliberatio.

Prob. Prima pars. 1. Ex Script. Paulus scribens ad Rom. c.2. v.13. *Non enim auditores Legis justi sunt apud Deum, sed factores Legis justificabuntur*, & c. 14. v. 15. ait: *Lex enim iram operatur. Ubi enim non est Lex, nec prævaricatio*. Ergo Lex per gratiam Christi observata justos homines efficit; per malitiam vero nostram violata peccatores efficit & prævaricatores: Ergo pie agit quicumque per gratiam Christi observat legem; peccat vero quicumque legem malitia sua infringit.

2. Ex August. lib. de virginitate c. 5. ubi ita scribit: *Præceptum est enim hoc, cui non obedire peccatum est; non consilium, quo si uti nolueris, minus boni adipisceris, non mali aliquid perpetrabis*: Ergo peccat quicumque legem infringit, minime vero, qui propositum consilium non amplectitur.

3. *Rat.* Omnis Lex secum affert obedientiæ præceptum: ergo obediens est, qui observat legem; inobediens vero & prævaricator, qui eam violat: Ergo peccat, qui infringit legem; quia non obedire est haud dubie peccare.

Prob. Secunda pars ex dictis, ubi de differentia inter peccatum mortale & veniale. Ad peccatum mortale duo requiruntur, scilicet, & plena deliberatio, & materiæ gravitas: ad peccatum veniale sufficit vel materiæ levitas, vel indeliberatio: Ergo violatio legis erit peccatum mortale, si cum plena deliberatione Lex in materia gravi infringatur; erit vero peccatum veniale, si Lex vel in materia levi omittatur, vel sine plena deliberatione non observetur. Et quia scandalum & contemptus rem ex se levem gravem efficiunt, violatio Legis semper erit mortalis, quoties interveniet scandalum aut contemptus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant omnes adulti, quoties non observant Legem naturalem in Decalogo expressam; quia præcepta Decalogi sunt naturalia, si determinationem sabbati excipias, ut dicetur suo loco: licet enim homines adulti nihil de Deo audierint, nihil de Scripturis legerint, tamen, ut monet Paulus ad Rom. 2. *Ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt Lex*. Teste enim Eusebio lib. 6. de præpar. Evang. c. 6. *Divina Lex... lampadis instar facisque conjunctæ inclamat subinde ac monet interius, uti regia incedat via, nec ad sinistram aut dexteram ullatenus declinet... quippe naturalem hanc Legem, qua suis in actionibus uteretur, animæ cuilibet, tamquam auxiliatricem, universi molitor impressit*: adeo ut sine Doctore exterius personante sciamus, quod in Decalogo scribitur, teste Chrysost. hom. 12. ad populum Antioch. *Non opus habemus*, inquit, *discere, quod malum est fornicari, & bonum continentia*, (idem dic de aliis præceptis Decalogi) *sed ab initio hoc scimus*.

Non peccant tamen non adulti carentes usu rationis, v.g. infantes, amentes, licet videantur exterius agere contra Decalogum, quia eis Lex naturalis non innotescit, cum per solum rationis exercitium nobis pateat, & ut dicunt, intimetur.

Consect. 2. Peccant omnes, qui non observant Legem positivam divinam sufficienter cognitam; quia Lex divina ligat omnes homines, quibus innotescit. Sic peccat homo quicumque, cui sufficienter prædicatum est Evangelium, si ejus non observet præcepta: Lex enim evangelica est a Deo, cui omnis homo subesse debet. Dicitur enim Apostolis: *Prædicate Evangelium omni creaturæ...*

& post-

& postea additur: *qui non crediderit, condemnabitur*. Matth. 15. v. 16.

Non tamen peccaret infidelis *negative*, qui nihil audivisset, vel audire potuisset de Evangelio, etiamsi non observaret præcepta per Legem Evangelicam imposita; Lex enim, ut infra dicitur, non obligat nisi promulgata. Ideo dicitur: *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt; aut quomodo credent ei, quem non audierunt; quomodo autem audient sine prædicante?*

Consect. 3. Peccat quicumque baptizatus, sive sit hæreticus, sive catholicus, si non observet Leges universales Ecclesiæ; quia subditur Ecclesiæ. Sicuti enim juxta Paulum Circumcisus tenebatur olim observare Legem omnem Moysis, ut monet Apostolus his verbis: *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ Legis servandæ*; ita baptizatus tenetur observare Legem Ecclesiæ.

Et ita peccant infantes, modo rationis usum assecuti fuerint, si non audiant Missam festis diebus, si non confiteantur peccata tempore ab Ecclesia designato, si non abstineant a carnibus statutis diebus; vere enim subjiciuntur Ecclesiæ, ut docet Tri. sess. 7. can. 14. his verbis: *Si quis dixerit, hujusmodi parvulos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt; & ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant: anathema sit.*

Non peccat tamen, qui nondum baptizatus, non observat leges Ecclesiæ; quia non subditur legi ecclesiasticæ, juxta illud Pauli: *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, judicare? non ne de his, qui intus sunt, vos judicatis?*

Consect. 4. Peccat personæ omnes sæculares, quæ non observant statuta Principum, quæ ad bonum Reipublicæ regimen pertinent, quales sunt Leges, quæ feruntur vel circa contractus ineundos, vel circa res forenses tractandas, vel circa merces aut vendendas, aut emendas, vel circa disciplinam militarem, &c. quia ista omnia pertinent ad bonum Reipublicæ, & personas respiciunt, quæ Principibus sæcularibus subesse debent, juxta illud Pauli: *Admone illos, Principibus & Potestatibus subditos esse, & dicto obedire.*

Sic, quando viget aliqua Lex civilis, præcipiens aliquas formalitates in quibusdam contractibus observandas, peccat qui eas formalitates non observat; quia tenetur legi subesse: immo si lex illa sit irritans, seu declaret contractus sine illis formalitatibus irritos, tunc contractus erit nullus, ut dicemus, ubi de contractibus.

Sic peccat judex, si in ferenda sententia non servet normam regiis edictis præscriptam.

Sic peccat mercator, qui sine Regis licentia vendit merces, quas Principis edictum vendi prohibet, v. g. arma tempore belli, libros sine Regis privilegio, tabacum, sal, &c. vel qui habens licentiam a Rege vendit merces altiori pretio, quam Magistratuum auctoritate taxatæ sint.

Sic peccant milites, Duces, Præfecti, &c. qui statuta Regia circa disciplinam militarem non observant.

Consect. 5. Peccant personæ sacræ, quæ Leges civiles non observant in his, in quibus non sunt exemptæ vel ex dignitate status, vel ex concessione Principum; quia personæ sacræ ex consecratione non desinunt esse membra Reipublicæ; immo ex statu suo habent, quod exemplo Christi & Apostolorum potestatibus politicis fidelibus subsint, & ad eam obedientiam suo exemplo populos componant, & obedientia sua gratiam Principum pro Ecclesiæ commodis mereantur: de quo ita Chrysost. hom. 13. in epist. ad Rom. 13. *Omnis anima Potestatibus supereminentibus subdita sit, etiamsi Apostolus sis, si Evangelista, si Propheta, sive quisquis tandem fueris: neque enim pietatem subvertit ista subjectio.* Et Theodor. in c. 3. ad Rom. ait: *Sacerdos, & Antistes, & monasticam vitam professus, iis debent parere, quibus demandati sunt Principatus.*

Non tamen peccant Clerici vel Monachi, quando non observant Leges civiles, a quibus aut ex concessione Principum, aut ex dignitate sui status eximuntur, in quo observandus est mos cujuscumque Regni.

Consect. 6. Peccant quicumque subditi, qui vectigalia & tributa a Regibus juste imposita non persolvunt; docet enim Christus, Luc. 20. v. 25. censum Cæsari esse tribuendum. *Reddite ergo*, inquit, *quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo*: unde Justinus apolog. ad Antoninum sic scribit: *Vectigalia sane & collationes eis, qui a vobis sunt ordinati, exactoribus, præ omnibus inferre contendimus, quemadmodum ab illo*, idest Christo, *sumus instituti*; & Tatianus in Apolog. *Atqui Rex si jubeat tributum pendere, paratus sum inservire & ministrare.*

Consect. 7. Peccat quicumque membrum alicujus communitatis vel civilis, vel Ecclesiasticæ, vel Monasticæ, non observat Leges ejusdem communitatis, cujus est

membrum, quia, ut optime ait Aug. lib. 3. Confess. c. 8. *Turpis est omnis pars suo universo non congruens.*

Sic peccat Gallus leges Galliæ non observans, Hispanus leges Hispaniæ &c.

Sic peccat Clericus non observans statuta suæ Ecclesiæ, & Monachus statuta sui Monasterii.

Non peccant tamen, qui transeuntes ad aliam communitatem, non servant leges prioris communitatis, quam deserunt, sed novæ, quam ingrediuntur; quia non sunt membra prioris communitatis, sed posterioris.

Consect. 8. Peccat quicumque transiens ad aliquam communitatem, & in aliquo etiam obiter degens territorio, cum scandalo aliquo infringit leges illius communitatis & territorii; quia toto tempore, quo degit in territorio, censetur subesse legibus illius loci: unde ait Aug. scribens ad Casul. *Ad quamcumque Ecclesiam veneritis & locum, ejus morem servate, si pati scandalum non vultis, aut facere.*

Sic qui veniunt ad aliquam urbem vel ut ibi lites defendant suas, vel ut studeant, aut aliquid aliud operentur, licet domicilium ibi statuere non intendant, tamen tenentur festa & jejunia ejus loci observare.

Non peccant tamen, si non observent leges, quæ directe respiciunt personas illius loci, v. g. leges municipales, quæ pro solis feruntur civibus.

Consect. 10. Peccant viatores, qui eo tempore, quo manent in territorio, non servant Leges hujus territorii, si maneant per tempus sufficiens, ut censeantur obligari: v. g. si maneant integro die, tenentur Missam audire, si ibi sit festum: tenentur & jejunare, si sit dies jejunii; quia ut ait Aug. lib. 3. conf. c. 8. Lex justa talis debet esse, *ut nulla civis aut peregrini libidine violetur.*

Non tamen peccarent, si ita obiter manerent, ut non persisterent sufficienti tempore, quo Lex censeatur obligare: v. g. licet viatores illic manerent per unicam horam, non tenerentur audire Missam, aut observare jejunium.

Per oppositam rationem manentes in aliquo loco sufficienti tempore quo Lex censeatur obligare, possunt uti privilegiis illius loci; quia juxta regulam juris, qui sentit onus, debet sentire & commodum.

Sic manens Parisiis, possum vesci carnibus certis Sabbatis secundum usum Ecclesiæ Parisiensis: manens in Hispania, possum vesci intestinis animalium die Sabbati secundum usum Ecclesiæ Hispanicæ.

Consect. 10. Peccat Legislator sive civilis, sive ecclesiasticus, qui non observat Leges directivas quas ipse statuit; quia Legislatori dicitur: *Patere Legem, quam tuleris*; & hi increpantur a Christo: *Qui dicunt, & non faciunt.* Matth. 23.

Sed non peccat, si ipse non subeat pœnas, quas contra infractores legis decernit; quia nullus proprie a se ipso pœnis subjicitur: v. g. Episcopus censuris a se inflictis non ligatur, nec Princeps pœnis per ipsum destinatis contra infractores legis subesse debet. Ita D. Th. 1. 2. q. q. 96. a. 5. ad 3.

Consect. 11. Peccant, qui leges justas nolunt ex contumacia recipere; quia hæc contumacia est rebellio contra legem; ideo damnata est sequens propositio ab Alexandro VII.

Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

Sic peccant Laici & Clerici, qui pertinaciter obstant, ne Leges civiles justæ introducantur & recipiantur.

Sic peccant Monaci & Moniales, qui resistunt Superioribus legitimis volentibus justam regularum observantiam introducere; quia ex Trident. sess. 25. de reform. c. 5. gravissimis censuris afficiuntur quotquot tam salutari reformationi restiterint.

Non peccant tamen, qui secluso omni scandalo & contumacia, veras causas & certa privilegia proponunt, quibus possunt eximi a tali Lege, quæ statuitur; quia tunc nulla rebellio. Sic varii sunt Canones circa disciplinam, quæ in certis regionibus non vigent. Vide Dominum Marca lib. 2. de Concord. c. 16. & 17.

ARTICULUS III.

An Lex, manifeste injusta, sit observanda.

Constat, legem injustam non habere vim obligandi; sed quomodo id intelligendum sit, sequentes propositiones aperient.

PRop. 1. Quoties Lex est injusta *ex objecto*, præcipiens aliquid, quod est ex se malum, vel vetans aliquid, quod est ex se bonum, quæque est aperte contraria Legi vel naturali, vel divinæ, vel ecclesiasticæ, nullatenus est observanda.

Prob. 1. Ex Scriptura. Prædicta Lex est injusta *ex objecto*; de Lege autem injusta *ex objecto*, dictum est Act. 4. v. 29. *Obedire oportet Deo, magis quam hominibus*: Ergo prædicta Lex nullatenus est observanda.

2. Ex Hieron. in c. 6. Epist. ad Ephes. *Non audiat servus carnalem dominum, si contraria Dei præceptis voluerit imperare.*

3. Ex-

3. Ex D. Thom. 1. 2. q. 96. art. 3. in c. ubi habet: *Leges possunt esse injustæ per contrarietatem ad bonum divinum, sicut Leges tyrannorum inducentes ad idololatriam, vel ad quodcumque aliud, quod sit contra Legem divinam: & tales Leges nullo modo licet observare.*

4. Ratione. Lex injusta, *ex objecto*, non est recta rationis ordinatio; sed e contra est rationis deordinatio: ergo non est observanda, sed spernenda.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Honorandus est Legislator, qui Legem statuit, sed non est audiendus, quoties statuit aliquid contra Legem naturalem. Honorandus, quia habet dignitatem: non audiendus in tali casu; quia non habet authoritatem. Quod uno verbo ita digerit Tertullianus in lib. ad Scapulam cap. 1. *Colimus ergo & Imperatorem sic, quomodo nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, & quidquid est, a Deo consecutum, & solo Deo minorem.*

Sic generatim spernenda est Lex Imperatoris contraria legi naturæ, ut docet Origenes lib. 5. contra Celsum. *Cum*, inquit, *sint duæ Leges in genere, altera naturæ Lex, cujus Deus lator est, altera scripta, valens in civitatibus: ubicumque scripta Lex Legi Dei non adversatur, decet accommodare se civibus, nec affectare leges exteras: ubi vero scripta contrarium naturæ... imperat, vide, an non ratio dictet, ut... Legislatori Deo te committens, vivas juxta illius præscriptum, etiamsi id faciendum sit cum innumeris periculis, laboribus, mortibus, ignominiis.*

Sic in particulari spernenda est Lex, quæ idololatriam imperat, qualis fuit Antiochi in veteri testamento, & Lex Ethnicorum Imperatorum in novo testamento, de quo ita Theophilus Episcop. Antioch. l. 1. ad Autholicum. *Dices ergo*, inquit *quare Regem, sive Cæsarem adorare recusas? quia non ad id est institutus, ut adoretur; sed ut legitimo, qui ipsi congruit, honoretur honore: Rex enim, sive Cæsar, Deus non est; sed meminerit se esse hominem a Deo in hanc dignitatem promotum, non ut adoretur, sed ut juste, quemadmodum justitia exigit, judicet.*

Sic pariter spernenda est Lex, qua præciperetur occidi innocentes, qualis fuit Lex Pharaonis jubentis occidi omnes infantes masculos Judæorum, ut habetur Exod. 1. v. 16. qualis fuit etiam Lex Saulis jubentis occidi Sacerdotes Domini, ut habetur 1. Reg. 22. v. 18. qualis demum fuit Lex tyrannorum jubentium occidi eos omnes, qui Christi religionem profiterentur; dicitur enim Exod. 23. *Insontem & justum non occides.*

Consect. 2. Non audiendus est Imperator, quando statuit Legem Legi positivæ divinæ contrariam. Id disertis verbis explicat Aug. in expositione quarumdam propositionum Epist. ad Rom. ubi sic habet: *Si quis ergo putat, quoniam Christianus est, non sibi esse vectigal reddendum, aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum illis, qui hæc curant, Potestatibus, in magno errore versatur. Item, si quis sic se putat esse subdendum, ut etiam in sua fide habere potestatem arbitretur eum, qui temporalibus administrandis aliqua sublimitate præcellit, in majorem errorem labitur; sed modus iste servandus est, quem Dominus ipse præscribit, ut reddamus Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ Dei sunt.*

Sic generatim loquendo, non observanda est Lex humana Legi divinitus traditæ contraria; sed dicendum cum Apostolis: *Si justum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate.* Act. 4. v. 19.

Sic in specie loquendo, spernenda esset Lex, qua juberetur Scripturas Sacras non servari, uti jussit Julianus Apostata, teste Aug. lib. 18. de civ. cap. 52. jussit enim Deus Sacros Codices fideliter servari.

Sic pariter spernenda esset Lex, qua juberetur, homines non instrui circa religionem, fidelibus Sacramenta non conferri, &c. uti jubent multi Ethnici Imperatores; contrarium enim jussit Christus, dicens: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.*

Consect. 3. Non audiendus pariter Legislator politicus, quando statuens circa materiam sibi non subjectam, condit Legem Constitutionibus Ecclesiasticis contrariam, ut habetur in Capitulo Hadriani num. 39. *Constitutiones contra Canones & Decreta Præsulum Romanorum, vel bonos mores, nullius sint momenti.*

Consect. 4. Quantacumque sit iniquitas humanarum Legum, quibus aut res ex se mala præcipiatur, aut res ex se bona prohibeatur, abstinendum quidem a malo, & faciendum bonum; sed nulla unquam in iniquum Legislatorem molienda est rebellio, sed patienter sustinenda est persecutio. *In hoc enim vitæ genus*, inquit Petrus 1. cap. 2. v. 21. *vocati estis*, ut patiamini: *Quia & Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem* vel Pilato, *judicanti se injuste*, vel Patri judicanti se juste, ut explicat Menoch. *Recogitate*, inquit Paul. ad Hebr. 12. *eum, qui talem sustinuit a pecca-*

peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. Et alibi exemplo suo Paulus compellans nos, ait: *Persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur, & obsecramus*. Ideo numquam visum in Ecclesia Catholica a fidelibus motam esse vel minimam seditionem contra nequiores & sæviores tyrannos.

Prop. 2. Quando Lex non est injusta ex objecto, seu cum Lex nihil præcipit mali, sed injusta solum est vel ex authore, vel ex modo, vel ex fine. Ex authore, cum Legislator fert legem ultra sibi commissam potestatem: ex modo, ut cum Legislator injuste distribuit onera aliunde justa: ex fine, ut cum Legislator in ferenda lege non quærit utilitatem Civium, sed propriam. Tunc ea Lex observari quidem potest; sed citra peccatum licet ejus observantiam omittere, modo non timeatur vel scandalum, vel perturbatio; quo in casu esset ex necessitate observanda.

Prob. 1. Scriptura. 1. Petr. cap. 2. v. 19. ubi sic habetur: *Hæc est enim gratia*, idest, id gratum Deo est, *si propter Dei conscientiam*, id est, fidem & religionem Dei, *sustinet quis tristitias, patiens injuste*, ut explicat Menoch. Ergo ut concludit D. Thom. ex isto textu, Lex etsi aliunde injusta, observari utiliter potest.

2. Ex D. Thom. 1. 2. q. 96. a. 4. in corp. ubi sic habetur: *Hujusmodi Leges*, injustæ scilicet vel ex authore, vel ex fine, vel ex modo, *magis sunt violentiæ, quam Leges: quia sicut Aug. dicit de lib. arbit*. Lex esse non videtur, quæ justa non fuerit. *Unde tales Leges non obligant in foro conscientiæ, nisi forte propter vitandum scandalum, vel turbationem, propter quod etiam homo juri suo debet cedere, secundum illud*. Matth. 5. Qui angariaverit te mille passus, vade cum eo alia duo, & qui abstulerit tibi tunicam, da ei & pallium. Ergo Lex injusta aliquo modo ex prædictis observari debet ex necessitate, ubi timetur scandalum & perturbatio; extra illum casum observari tantum debet ex consilio.

3. *Rat*. Lex in tantum ligat, in quantum Legislator accipit a Deo jurisdictionem, juxta illud Pauli: *Omnis ordinatio a Deo est*. Atqui Deus non concessit jurisdictionem ad condendam Legem injustam vel ex authore, vel ex fine, vel ex modo; quia quæ sunt a Deo ordinata sunt: Ergo hujusmodi Lex non ligat in conscientia; & ita potest citra peccatum omitti, modo non interveniat scandalum, vel perturbatio.

Quia tamen quisque potest juri suo cedere, cum ea Lex, ut supponitur, nihil præcipiat mali, poterit sine peccato, immo cum laude observari: ideo Paulus ad hujusmodi observantiam hortatur his verbis: *Ut quid non magis injuriam patimini?*

Et quia rursus quisque debet juri suo cedere ad vitandum scandalum & perturbationem, hujusmodi Lex etsi injusta, ex necessitate observanda est, quoties timetur vel scandalum, vel perturbatio.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quoties Legislator vel non habet absolute potestatem legem statuendi, vel non habet potestatem super illos, quibus imperat, vel non habet potestatem super eam rem, quam imperat; tunc ea lex non ligat: quia non est justa ex authore.

Sic Lex lata a privato homine, nullatenus ligat; quia privata persona nullam habet authoritatem condendi Legem: de hoc ita D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 3. in corp. *Lex*, inquit, *proprie, primo, & principaliter respicit ordinem ad bonum commune: ordinare autem aliquid in bonum commune, est vel totius multitudinis, vel alicujus gerentis vicem totius multitudinis; & ideo condere legem, pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad personam publicam, quæ totius multitudinis curam habet*.

Sic Lex lata a persona quidem publica, sed circa sibi non subditos, non ligat: v. g. Lex Ecclesiastica non ligat non baptizatos. Lex alicujus Regni non ligat eos, qui ad regnum nullatenus pertinent: de hoc ita D. Thom. 1. 2. q 96. a. 6. *Illi*, inquit, *qui sunt de civitate vel regno, non subduntur Legibus Principis alterius Civitatis, vel Regni, sicut nec ejus Dominio*.

Sic Lex lata a legitimo Legislatore, sed circa materiam non sibi subditam, non ligat; quia est injusta ex authore: v. g. Lex lata ab Episcopis circa res temporales, aut Lex Principis lata circa res religionis, non ligat; quia est injusta ex authore; de quo Canon. *Nos* c. 2. q. 1. *Sicut Reges*, inquit, *præsunt in rebus sæculi, ita Sacerdotes in rebus Dei*. Ad quæ extendat se Lex Ecclesiastica, & civilis, dicetur infra.

Consect. 2. Quoties Legislator in imponendis oneribus non servat justam æqualitatis proportionem, toties Lex illa non ligat, quantum ad eam partem, in qua exceditur; quia tunc Lex est injusta ex modo: ligat vero quantum ad eam partem, in qua non exceditur; quia circa id non est injusta.

Sic tributa legitime imposita solvenda sunt a quolibet secundum eam quantitatem,

quæ

quæ servata proportione ipsi competere debet.

Sic pariter si Lex vergat in gravamen injustum aliquorum tantum, & non omnium, obligat eos, quos non gravat, quamvis alios non obliget.

Consect. 3. Quoties Legislator in ferenda Lege non quærit finem legis, nullumque commodum commune assignari potest, tunc Lex non ligat in conscientia; quia Lex non esset justa ex fine.

Sic, v.g. statuta est gabella ad struendos muros civitatis; constructis muris, si Cives sine auctoritate idem tributum exigant, tunc injusta est, inquit Cajetanus, exactio; quia cessavit finis, propter quem impositum est tributum.

Consect. 4. Quando Lex est justa ex objecto, ex auctore, ex fine generali, ex modo, sed injusta solum ex motivo particulari Legislatoris, quia scilicet Legislator tulit legem pravo motivo; tunc Lex illa justa ex objecto, ex auctore, ex fine generali, ex modo, est observanda: quia est vera Lex, & proinde ligans in conscientia. Et quamvis Legislator peccet condendo tali motivo legem aliunde justam; tamen per peccatum non amittit jurisdictionem, & proinde vim obligandi subditos.

Sic quamvis Episcopus ex odio, vel malitia, qua flagraret erga sibi subditos, jejunium præciperet, aut diem festivum observandum mandaret; hæc Lex, etsi injusta ex motivo particulari, esset observanda.

Consect. 5. Quando Lex est injusta ex auctore tantum, semper est observanda, donec manifeste declaretur, auctorem Legis nullam habere jurisdictionem; quia alias subditi infinitas causarentur excusationes, quibus se ab observantia legum liberarent.

Sic Lex legitimi Principis est observanda, quamvis dure, immo tyrannice regat imperium; quia veram habet jurisdictionem: & hoc est, quod jubet Petrus 1. c. 11. v. 18. *Subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.*

Sic Lex etiam tyranni, qui injuste regnum invasit, est observanda, quamdiu est possessor pacificus; quia Respublica illum tolerando, censetur in illum jurisdictionem transferre.

CAPUT III

De modo, secundum quem Lex obligat.

VIdimus Legem singulos sibi subditos obligare in conscientia: jam, quo pacto eos liget, videamus.

ARTICULUS I.

Secundum quam intentionem vel expressam, vel interpretativam, obliget Lex.

PRop. unica. Lex non ligat, nisi juxta intentionem rationalem Legislatoris.

Prob. 1. Scriptura. *Littera occidit*, inquit Paulus, *spiritus autem vivificat*: Ergo Lex est observanda, non secundum sensum externum verborum, sed juxta intentionem a Legislatore rationaliter intentam, & per sensum obvium verborum propositam.

2. Ex Hilario relato a D. Th. 1.2. q. 92. art. 1. *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi:* Ergo Lex debet sumi, non secundum externum verborum sonum, sed secundum mentem Legilatoris expressam vel per seipsum, vel per ejus verba in sensu obvio accepta.

3. *Rat.* Prima Ratio. Legislator præcipit obedientiam; obedientia autem exigit, ut obsequamur juxta intentionem præcipientis: Ergo lex ligat juxta intentionem Legislatoris justa præcipientis.

2. Ratio. Legislator nihil potest ultra exigere, quam ut ejus subditi ei plane subjiciantur; ei autem plane subjiciuntur, si legem observent juxta suam ipsius legislatoris intentionem: ergo Lex ligat juxta intentionem legislatoris.

3. Ratio. Legislator se habet in communitate, sicut Deus in mundo, anima in corpore, pater in domo, præfectus in exercitu: ergo sicuti perfecta est subordinatio, cum milites sequuntur nutum præfecti, filii nutum patris, corpus nutum animæ, & creaturæ nutum Dei; ita perfecta est obedientia, cum sequimur nutum legislatoris: ergo lex ligare non potest, nisi juxta intentionem legislatoris.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ille est prævaricator Legis, qui verbis legis exterius adhærens, intentionem Lagislatoris non sequitur; quia, ut dicitur lege *Contra* ff. de legibus. *In fraudem legis facit, qui salvis verbis legis sententiam ejus circumvenit.* Sic adulter relinquens alicui hæreditatem ea Lege, ut suo spurio reddatur, in Legem peccat, quamvis verba legis videatur servare. Sic Sacerdos filio transmittens beneficium, non per se, sed per alium, verbis legis obsequitur, sed ipsam legem violat; dicitur enim de Reg. Juris in 6. Reg. ultima:

Certum est, quod is committit in Legem, qui Legis verba complectens, contra Legis nititur voluntatem; quia ut ait JurisConsultus: *Scire Leges, non est verba earum tenere, sed vim ac potestatem.*

Consect. 2. Toties observantia Legis omitti potest, quoties occurrunt casus particulares, in quibus, si prudens legislator interrogaretur, responderet, se non habuisse intentionem obligandi in tali casu; quia Lex non ligat, nisi juxta intentionem legislatoris.

Sic contra verba Legis agendum, quoties in rigore accepta, noceret bono communi; v. g. contra verba legis aperiendæ sunt fores urbis obsessæ, si egressi cives ab hostibus lacessiti, velint in eam recipi: non est reddendum depositum, cum depositor vult eo uti vel ad sui, vel ad alterius perniciem.

Consect. 3. Lex non ligat sub peccato, nisi post legitimam & sufficientem promulgationem; quia talis debet esse intentio rationalis Legislatoris: iniquum enim esset ad Legem incognitam obligare; & ita

Lex naturalis non ligat ante usum rationis, per quam Lex naturalis nobis manifestatur.

Lex Mosaica non ligabat Gentiles, quibus erat incognita, sed solos Judæos, quibus in monte Sinai fuerat promulgata.

Lex Evangelica non ligabat infideles, apud quos non erat prædicata; immo juxta Bernardum Epist. 77. licet Hierosolymis promulgata, non obligabat, nisi postquam fuit toto orbe annuntiata.

Lex Ecclesiastica non ligat, nisi ubi cum debitis solemnitatibus promulgata est: v. g. Lex de continentia Diaconorum non ligabat, nisi post promulgationem. *His ignorationis venia remittitur*, inquit Innoc. I. *ita ut de cetero penitus incipiant abstinere)* Epist. 3. Lex de supprimendis matrimoniis clandestinis non ligabat, nisi post triginta dies a prima die promulgationis, ut docet expresse Triden. sess. 24. cap. 1.

Sic juxta Dominum de Marca lib. 2. de Concor. c. 15. qui in confirmationem suæ sententiæ citat Panormitanum, Sylvestrum, Cajetanum, Soto, Axorium, Serarium, &c. Lex Romani Pontificis non ligat, nisi fuerit solemniter promulgata apud eos populos, qui ei subesse debent.

Sed qualis debeat esse in Gallia solemnis illa promulgatio, non apud omnes convenit: alii censent requiri, ut constitutiones Papales a Parlamentis acceptentur: alii vero censent sufficere, quod ab Episcopis acceptentur, & ab eisdem populo proponantur; sed quidquid sit de illa controversia, illud est omnino certum, Constitutiones Papales editas contra Jansenistas, contra Quietistas, contra laxiores aut rigidiores Casuistas, plenum & integrum Legis robur habere, & eos graviter peccare, qui dictis Constitutionibus religiose non obtemperant; quia & a Parlamentis acceptatæ sunt, & in solemnioribus Cleri Gallicani comitiis nedum humiliter & religiose exceptæ fuerunt, sed etiam jussum est ut eis fideles omnes acquiescerent.

Sic Lex civilis non ligat, nisi promulgata. *Tunc*, inquit Justinian. *Leges valere jubentur, cum in communi factæ sunt manifestæ*: Novel. 66. Inde est, quod apud Gallos edicta Regum mittuntur ad Parlamenta, a Parlamentis ad Curias inferiores.

Sic Lex derogatoria tum consuetudinis habentis vim legis, tum privilegii eximentis a Lege, non habet robur nisi promulgata; quia est instar legis: ideo qui habet facultatem absolvendi a reservatis, hac uti potest, donec revocatio illius illi fuerit cognita.

Consect. 4. Lex positiva sive ecclesiastica, sive civilis, si sit privati juris, & aliunde non sit bonis moribus necessaria, non ligat, cum, seclusa omni pertinacia & scandalo, moribus utentium non est recepta; quia talis est intentio Legilatoris: qui enim tacet, consentire videtur, si lubens & sponte taceat; de quo ita Gratianus Can. *In illis. Leges* Ecclesiasticæ *instituuntur, cum promulgantur: firmantur, cum moribus utentium recipiuntur*. Et Julianus L. *Ex quibus* ff. de legibus: *Leges ipsæ nulla alia ex causa civiles nos tenent, quam cum judicio populi recepta sunt.*

Sic Leges ecclesiasticæ aliæ valens in occidente, aliæ in oriente: olim Romæ jejunabatur Sabbato, minime vero alibi. Lex erat de ordinandis cantoribus in oriente, de non ordinandis in occidente.

Si autem Leges sint non privati juris, quo privatum bonum singulorum quæri debet, sed sint juris publici, quo bonum universale quæritur; tunc nullatenus necessarius est populi consensus, ut Leges illæ obligent; quia esto Lex privati juris nihil aliud sit, ut dicit Papinianus, *Quam communis Reipublicæ sponsio*; Lex vero publici juris nihil est aliud, ut dicit Plato, quam salus totius etiam cum periculo partis.

Sic Leges istæ publici juris, v. g. de bello, de pace, de fœderibus, de vectigalibus, de Regum eminenti dominio, &c. ad solum Principum arbitrium pertinent, sola populis obsequii gloria relicta, & obligare censentur etiam.

si injuste obmurmurent populi; quia intentio rationalis Legislatoris est, ut bonum universale totius Reipublicæ procuretur, etiam cum dispendio boni privati & particularis.

Consect. 5. Lex positiva sive ecclesiastica, sive civilis, non rescindit, ut plurimum, antiquas locorum consuetudines, si aliunde nihil mali contineant; quia talis est intentio Legislatoris. *Ipsa* quippe *mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat*, inquit Aug. Epist. ad Januar. Ita sine schismate particulares Ecclesiæ servant suos ritus, & sine rebellionis crimine particulares Provinciæ suis moribus adhærent: alii sunt ritus in Ecclesia Græca, alii in Ecclesia Latina.

Consect. 6. Lex fundata in falsa præsumptione non ligat, quando constat, Legislatorem non habiturum fuisse intentionem obligandi, si falsitatem præsumptionis cognovisset; quia tunc Legislator non habet intentionem obligandi.

Sic sententia lata ex falso allegatis, & probatis, non ligat in foro conscientiæ, nisi ut scandalum vitetur, si sit illius periculum: proinde secluso scandalo possum non solvere quod judex jubet, si vere non debeam. Sic sententia jubens aliquid secundum se bonum, sed in talibus circumstantiis illicitum, v. g. jubens matrimonium Monacho incognito ut tali, non ligat; quia nititur falsa præsumptione.

Sic sententia jubens reddi debitum conjugale, non ligat eos, qui non vere contraxerunt; quia inter eos non est verum matrimonium.

Consect. 7. Nulla præcepta affirmativa Legis naturalis obligant ad sui observantiam cum aperto vitæ discrimine in his circumstantiis, in quibus eorum omissio nec honori Dei, nec utilitati proximi contrariatur; quia talis est intentio Legislatoris: *Præcepta affirmativa obligant ad semper, sed non pro semper*, idest, urgent in aliquibus instantibus, & non in omnibus: ergo intentio Legislatoris talis est, ut cesset obligatio tunc exercendi actus per legem imperatos, quando tale exercitium citra necessitatem periculum vitæ induceret.

Sic præceptum confitendi fidem, celebrandi nomen divinum, honorandi parentes, reddendi depositum, restituendi ablatum, cum periculo vitæ non ligat semper & in omni instanti; sed tunc solum urget, cum honor Dei & utilitas proximi contrarie subtraherentur, ut loquitur D. Thom. agens de professione fidei 2. 2. q. 3. a. 2.

Consect. 8. Nulla præcepta affirmativa Legis positivæ vel ecclesiasticæ, vel civilis ligant ad sui observantiam cum evidenti vitæ discrimine, nisi in his circumstantiis, in quibus eorum omissio vel honori Dei, vel utilitati proximi, vel bono publico insigniter contrariatur: quia talis est, aut esse debet rationalis intentio Legislatoris; minus enim ligat Lex positiva, quam naturalis.

Sic præceptum ecclesiasticum celebrandi exterius festa, audiendi Missam, confitendi peccata, communicandi, recitandi horas canonicas, recedendi ab excommunicatis, &c. non ligat imminente periculo vitæ, modo nihil fiat his præceptis contrarium.

Sic præceptum civile, quo statuuntur servitutes tum urbanæ, tum agrestes, cessat hoc ipso, quod ad ejus observantiam intervenit præsens vitæ periculum.

Consect. 9. Præcepta negativa juris naturalis obligant ad sui observantiam, etiam in ipso vitæ discrimine, quia, cum *Præcepta negativa obligent ad semper, & pro semper*, & vetent quod est ex se malum, talis est intentio Legis, ut obligent etiam cum vitæ dispendio.

Sic debemus potius mortem obire, quam hæc præcepta naturalia negativa infringere: non habebis Deos alienos coram me: non perjurabis: non inhonorabis parentes: non fornicaberis: non mentieris; non concupisces, &c.

Consect. 10. Præcepta negativa juris positivi tunc solum obligant ad sui observantiam, etiam instante periculo vitæ, cum ex eorum omissione secutura est vel contumelia contra Deum, vel jactura salutis æternæ proximi, vel periculum boni universalis; quia talis est intentio Legislatoris: honor enim Dei, salus æterna proximi, & bonum universale Reipublicæ, debent conservari illæsa, etiam dispendio vitæ nostræ.

Sic fidelis baptizatus debet potius mortem subire, quam non abstinere a carnibus diebus ab Ecclesia vetitis, quam non abstinere a servilibus diebus festis, quam non abstinere ab idolothytis, si ad hoc cogatur, non ut satisfaciat necessitati naturali, sed solum in derisum religionis Catholicæ. Ita se gessit Eleazarus, abstinens a carnibus porcinis.

Sic debemus potius mori, quam non abstinere ab aliquo indifferenti, quod scandalum est fratri; ita docet Paulus. *Ergo peribit*, inquit, *infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est?* ad Corinth. 8. v. 12. & rursus: *Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est*, ad Rom. 14. v. 16.

Sic miles in statione difficili & periculosa

ſa conſtitutus, debet potius mortem oppetere, quam eam deſerere, ſi ex ejus fuga ſecutura ſit deletio exercitus, aut periculum Reipublicæ. Ita præſtitit Judas Machabæus. *Quoniam*, inquit, *melius eſt nos mori in bello, quam videre mala gentis noſtræ & ſanctorum*. 1. Mach. cap. 3. v. 59.

Sic tempore peſtis, Medicus debet potius vitam ſuam periculo mortis exponere, quam cives ſine remedio deſerere: debet, inquam, hoc ex juſtitia, ſi ſit pretio conductus; ex caritate vero, ſi non ſit pretio conductus.

Sic ſimplex Sacerdos ex caritate, Parochus vero ex juſtitia debet potius vitam ſuam periculo mortis exponere, quam fideles ſine Sacramentis deſerere. *Niſi forte*, inquit Aug. Epiſt. 228. ad Honoratum, *quiſquam contenderit non eſſe miniſtrum impium, qui tunc ſubtrahat miniſterium pietati neceſſarium, quando eſt magis neceſſarium*; debemus enim Chriſtum imitari, qui vitam ſuam pro nobis poſuit.

ARTICULUS II.

De modo, ſecundum quem Lex pœnalis obliget. Quomodo & quando pœnæ per Legem inflictæ, ſint ſubeundæ.

NOta. Lex pœnalis ea eſt, quæ præcipit aut vetat aliquid, infligendo infractoribus pœnam aliquam, quæ habeat rationem vindictæ, v. g exilium, mutilationem, & mulctam pecuniariam, &c.

Lex pœnalis, alia eſt mere pœnalis, alia mixta.

Lex mere pœnalis ea eſt, quæ non eſt præceptiva, ſed tantum pœnalis, ut cum Legislator non habet intentionem obligandi, ſed ſolum infligendi pœnam.

Lex pœnalis mixta ea eſt, quæ ſimul præceptiva eſt & pœnalis, ut cum Legislator habet intentionem obligandi ſub peccato, & ſimul infligendi pœnam. Legislator autem cenſetur ſemper habere intentionem obligandi ſub peccato, quando legem ſtatuit, niſi expreſſe exprimat ſe non habere intentionem obligandi ſub peccato.

Prop. unica. Lex mere pœnalis obligat ſolum ad pœnam juxta rationalem intentionem Legislatoris ſubeundam: Lex vero pœnalis mixta obligat ad culpam ſimul & pœnam ſubeundam pariter juxta intentionem rationalem Legislatoris.

Prob. Omnis Lex obligat juxta intentionem rationalem Legislatoris, ut patet ex dictis: atqui Legislator habet intentionem obligandi ſolum ad pœnam, cum condit Legem mere pœnalem, habet vero intentionem obligandi ad culpam, ſimul & pœnam, quando condit Legem pœnalem mixtam, ut patet ex prænotatis: ergo Lex mere pœnalis obligat tantum ad pœnam, Lex vero pœnalis mixta obligat ad culpam ſimul & pœnam. Et quia Lex non obligat niſi juxta intentionem rationalem Legislatoris, culpa non contrahitur, & pœna non eſt ſubeunda, niſi juxta intentionem rationalem Legislatoris.

Conſectaria hujus Doctrinæ circa vim obligatoriam Legis & mere pœnalis, & mixtæ.

Conſect. 1. Lex mere pœnalis, in qua Legislator expreſſe aſſerit ſe nolle obligare ſub peccato, non ligat ſub reatu culpæ; quia talis eſt intentio Legislatoris.

Sic ſtatuta multorum Religioſorum, v. g. Dominicanorum, Patrum Doctrinæ Chriſtianæ, non obligant ſub peccato; quia ita expreſſe fertur in Conſtitutionibus, modo abſit ſcandalum & contemptus.

Conſect. 2. Lex pœnalis disjunctive, in qua Legislator expreſſe aſſerit, ſe velle obligare vel ad culpam, vel ad pœnam, non obligat ad utrumque, ſed ſolum ad alterutrum, vel ad pœnam, vel ad culpam: ſicuti votum pœnale obligat tantum vel ad culpam, vel ad pœnam; quia talis eſt intentio Legislatoris.

Sic iſta lex: nemo frumentum extra Regnum efferat, vel ſi efferat, ſolvat centum nummos; cogit vel ut non efferas frumentum, vel ſi efferas, ut ſolvas argentum præſcriptum.

Conſect. 3. Lex pœnalis mixta, in qua Legislator expreſſe aſſerit, ſe velle obligare ſubditos juxta formam juris, obligat ſub peccato; quia Lex tunc cenſetur præceptiva & pœnalis.

Sic peccant, qui contra vetitum cædunt ligna in ſylvis, qui piſcantur in fluminibus, qui ſal, tabacum emunt, aut vendunt; quia edicta regia, edita circa hæc, vulgo ſecundum formam juris exprimuntur.

Conſect. 4. Lex pœnalis mixta, in qua Legislator non explicite aſſerit ad quid velit obligare, an ad culpam ſolum, an ad pœnam ſolum, an ad culpam ſimul & pœnam, eſt examinanda, ut conſtet de intentione Legislatoris; quia Lex ligat juxta intentionem Legislatoris.

Regulæ ad dignoſcendum, quandonam Lex pœnalis ſit mere pœnalis, quando vero ſit mixta.

1. *Reg.* Si Legislator intendat vere Legem con-

condere, tunc Lex pœnalis est mixta, & obligat sub peccato; quia, ut ait Bellarminus lib. 3. de Laicis cap. 11. *Ex intentione Legislatoris pendet, an revera velit imperare ... Sed non est in ejus potestate impedire, quin Lex obliget, & tantum abest quod appositio eximat a culpa, quin immo indicat violationi Legis inesse peccatum;* omnis enim pœna si justa, peccati pœna est, inquit August. lib. 2. retract. cap. 9.

Sic omnis Lex naturalis, cui additur conscientiæ remorsus: omnis Lex divina, cujus violationi additur pœnæ æternæ inflictio: omnis Lex ecclesiastica, cui additur excommunicatio: omnis Lex civilis, cui additur pœna vel diffamans, vel corporalis; obligat sub peccato. 1. Quia Lex pœnalis obligat. 2. Quia nemo ita est dominus tum sui corporis, tum suæ famæ, ut possit voluntaria Legis violatione exponere se aut subeundæ pœnæ corporali, aut infamiæ incurrendæ.

2. *Regula*. Si Legislator non intendat vere Legem condere; sed concessionem stabilire, qua acquirat pecunias, & ærarium augeat; tunc videtur non velle obligare ad culpam, sed solum ad solvendam summam taxatam pro obtinenda concessione: tunc, inquit Soto de Just. & Jure lib. 1. q. 6. a. 6. intentio Legislatoris non est Legem condere, quæ liget ad culpam, sed conventionem inire, qua pretio licitum fiat id, quod sine tali pretio esset illicitum: tales sunt vulgo Leges, quas statuunt Principes instantibus & quasi cogentibus publicanis.

3. *Regula*. In dubio, an edictum Principis liget vel ad culpam solum, vel ad pœnam solum, an velit Legem condere, vel solum media invenire, quibus ærarium augeat; tunc judicandum est edictum obligare ad culpam: quia in dubiis tutior pars est amplectenda, ut dicitur ubi de probabilitate.

Consectaria circa obligationem subeundi pœnas per Legislatorem inflictas.

Consect. 1. Quando Lex pœnalis statuit contra infractores pœnas aliquas temporales, auferentes bona; quæ transgressor actu possidet, v.g. statuit mortem, exilium, mutilationem, carcerem, bonorum fortunæ expilationem: licet Lex dicat, *ipso facto*; tamen transgressor non tenetur illam pœnam subire, nisi post juridicam sententiam: quia talis est rationalis intentio Legislatoris; alias quicumque in hanc legem peccaret, simul in seipsum judex esset, & reus, quod nec natura patitur, nec conditio nocentis sustinet: unde ait Gregorius cap. *Susceptis*, de causarum possessione & proprietate: *Contra inauditam partem nihil possumus definire*.

Sic Leges pœnales contra Hæreticos, contra Sicarios, contra eos, qui nefarias nuptias contrahunt, contra raptores, contra fautores infidelium, privantes illos *ipso facto* omnibus bonis temporalibus, non ita ligant, ut pœna illa statim subeatur ab infractoribus, sed solum post latam sententiam; potest enim reus multas excusationes allegare, quæ vigorem juris temperabunt.

Consect. 2. Quando Lex pœnalis conditionalis statuit contra infractores pœnas temporales impedientes aut acquisitionem, aut retentionem bonorum, quæ nec acquiri, nec retineri possunt, nisi per observantiam Legis conditionalis: illæ, inquam, pœnæ, sunt subeundæ a transgressoribus ante juridicam sententiam, quia rationalis intentio Legislatoris est, ut nec acquirantur, nec retineantur bona, nisi ab his, qui Legem aut conditionem statutam observaverint. Ita Soto de justitia & jure lib 1. q. 6. ar. 6. in responsione ad objecta.

Sic pœnæ latæ contra Simoniacos, privantes illos aut beneficiis simoniace acceptis, aut fructibus eorumdem beneficiorum vel perceptis, vel a diligenti possessore percipiendis, sunt subeundæ ante sententiam Judicis; quia talis est intentio Legislatoris: ita videtur docere D. Th. 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3. Collatio enim simoniaca est non solum illicita, sed etiam invalida & nulla: si collatio est nulla; ergo recipiens beneficium nullum jus acquirit circa illud, nec circa ejus fructus: sicque ante judicis sententiam tenetur beneficio renuntiare, & quod accepit, utpote alienum, restituere.

Sic Lex vetans, ne temporale recipiatur pro collatione Ordinum, vel Beneficii, pro ingressu in religionem: vel jubens, ut temporale acceptum restituatur Ecclesiæ, cui facta est injuria: illa, inquam, Lex pœnalis est observanda ante judicis sententiam; quia jus reddit recipientem incapacem tale pretium recipiendi, & a dante removet facultatem datum temporale repetendi, utrumque in pœnam ex ipso delicto incurrendam: ita videtur docere D. Thom. q. 100. art. ad 4.

Sic Lex lata contra Clericos alienantes bona ecclesiastica, privans illos *ipso facto* omni Beneficio ecclesiastico: Lex data contra judices ferentes sententiam pro pecunia, vetans, ne pecunias accipiant, aut jubens, ut acceptam pecuniam restituant: Lex lata contra Clericos non residentes, non recitantes horas Canonicas, vetans, ne redditus Ecclesiasticos suos faciant: hæ, inquam, pœnæ sunt sub-

subeundæ ab infractoribus ante juridicam sententiam, quia talis est intentio Legislatoris: unde damnata est hæc propositio a Cl. Gal. art. 22. *Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus officium, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam, eo quod pœna sit.*

Sic conditio pœnalis statuta a fundatore Collegii, ut qui tale crimen commiserit, fit *ipso facto* privatus juribus Collegii: item conditio statuta a testatore, ut hæres aut legatarius frui bonis testatoris non valeat, si rem talem omittat, aut talem faciat; adimplenda est ante juridicam sententiam: quia talis est rationalis intentio vel fundatoris, vel testatoris, quæ vim habet Legis.

Consect. 3. Quando Lex pœnalis statuit contra infractores pœnas solum spirituales, vel inhabilitatem ad aliquid spirituale *ipso facto* incurrendam, illæ pœnæ subeundæ sunt ante sententiam juridicam; quia talis est rationalis intentio Legislatoris: talis quippe pœna non postulat actionem ipsi reo valde contrariam, sed exigit solum cessationem spiritualis alicujus exercitii, v. g. cessationem a divinis, absentiam a choro: & æquum est, ut Ecclesia absque strepitu forensi possit bona spiritualia, quorum est dispensatrix, largiri filiis obedientibus, & eisdem bonis privare filios contumaces.

Sic simoniacus confidentialis, simoniacus in electione Papæ, simoniacus recipiendo aliquid pro examine Parochorum, ante sententiam judicis privatur omnibus beneficiis, quæ habet, & redditur inhabilis ad alia. Primum casum determinat Bulla Pii V. Secundum vero, Concilium Lateranense sub Julio II. Tertium autem, Concilium Triden. Sic censuræ *ipso facto* incurrendæ, incurruntur in foro conscientiæ ante juridicam sententiam.

Sic pœnæ spirituales leves, ipsisque infractoribus utiles, v. g. jejunium, oratio, &c. sunt subeundæ ante sententiam juridicam; quia levitas pœnæ, & peccantis utilitas id videntur exigere.

Consect. 4. Quando Lex nomine tenus pœnalis, statuit inhabilitatem aliquam incurrendam ab illo, qui istud aut illud fecerit, inhabilitas illa contrahitur *ipso facto*, ante juridicam sententiam; quia talis est rationalis intentio Legislatoris, ut qui id fecerit, fiat incapax talis dignitatis.

Sic judex damnans reum morte, *ipso facto*, fit irregularis: homo contrahendo secundas nuptias, & natus nascens ex turpi commercio, *ipso facto* eumdem defectum incurrit.

Consect. 5. Quando Lex pœnalis statuit contra infractores pœnas aliquas spirituales, quæ irritent *ipso facto* actus judiciales, aut quasi judiciales, elicitos, aut eliciendos, non habet suum effectum, nisi post juridicam sententiam; quia rationalis intentio Legislatoris talis est, aut esse debet, ut potestas judicialis, aut quasi judicialis non cesset, nisi actu judiciali.

Sic ante sententiam juridicam acta interna Parochi, v. g. absolutio sacramentalis, acta publica electoris, v. g. electio activa, vel passiva, habentur ut valida, si fiant ab eo, qui habet titulum vel verum, vel coloratum, licet peccaverit contra Legem vetantem aliquid sub pœna privationis Beneficii, vel officii, vel potestatis eligendi, *ipso facto* incurrenda. Absolutio sacramentalis est valida, ut consulatur conscientiarum quieti: ita Natalis lib. 4. reg. 13. Electio est valida; alioquin vix ulla tuta esset electio; quia dubitandi locus esset in omni electione, num aliquis ex electoribus inhabilis occulte esset ad eligendum.

ARTICULUS II.

Quomodo obliget Lex, quando plures Leges concurrunt, & una vel determinatur, vel emendatur, vel roboratur per aliam.

NOta 1. Quod homo quadruplici jure dirigitur, scilicet, jure naturali, jure gentium, jure civili, & jure ecclesiastico.

Si homo consideretur quatenus animal, dirigitur jure naturali præcise; quo jure masculus & femina conjunguntur, natos procreant, & nutriunt: ut natura duce cernimus animalia facere.

Si homo consideretur ut rationalis, dirigitur jure naturali determinato per jus gentium; quo jure fidem servamus, pacta non frangimus, Deum, patriam, & parentes observamus & colimus: uti fieri videmus apud gentes etiam maxime barbaras.

Si homo consideretur quatenus pars alicujus Reipublicæ, dirigitur jure naturali & gentium determinato per jus civile; quo jure Romanus jure Romanorum vivit, Gallus jure Gallorum.

Si homo consideretur quatenus Christianus, dirigitur jure naturali, jure gentium, jure

jure civili, determinatis per jus ecclesiasticum; quo jure homo ad æternam salutem consequendam destinatur.

Nota 2. Quod prædictæ leges, scilicet Lex naturalis, Lex gentium, Lex civilis, Lex ecclesiastica, ita se habent, ut sæpe versentur circa idem objectum: v.g. jus naturale, jus gentium, jus civile, jus ecclesiasticum versantur circa matrimonium; & jus quodlibet determinat aliquid circa matrimonium. v.g. Jus naturæ jubet tantum vage, ut masculus cum femina ejusdem speciei, & non alterius, connubium ineat. Jus gentium jubet insuper, ut matrimonia maris & feminæ cum certis pactis celebrentur. Jus civile arctius matrimonium limitat, & jubet fieri, ut Regni & Civitatis commodum postulat. Jus ecclesiasticum matrimonium adhuc strictius frænat, & jubet fieri matrimonium, non modo masculi cum femina, ut natura suggerit, non solum cum certis pactis, ut ratio suadet, non solum pariter juxta Civium placita, ut civilis utilitas postulat; sed adhuc cum sacris solemnitatibus, uti salus æterna contrahentium exigit.

Nota 3. Quod quando plures Leges versantur circa eamdem rem vel præceptam, vel prohibitam, hæ leges ita se habent ad invicem, ut vel minus vaga determinet magis vagam, vel magis perfecta emendet minus perfectam, vel demum altera alteram corroboret & confirmet.

Sic in exemplo allato matrimonii, jus naturale per jus gentium, jus gentium per jus civile, jus vero civile per jus ecclesiasticum determinantur.

Sic Lex Mosaica per Evangelicam emendatur, & Lex civilis per Ecclesiasticam in multis corrigitur.

Sic demum sæpe Lex Ecclesiastica & civilis mutuo se juvant. Ecclesia civiles Leges potestate sua spirituali venerandas efficit, infligendo scilicet censuras his, qui potestatibus resistunt. Item Princeps Ecclesiasticas Leges tremendas reddit, infligendo mulctas, exilia, mortem his, qui Ecclesiæ resistunt: istud paucis verbis expressit Julius III. *Sicut Leges*, inquit, *non dedignantur Sacros Canones imitari, ita & Sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur*. His prænotatis, quæ fusius infra discutientur, sit ergo

Prop. 1. Quando Lex magis universalis determinatur per minus universalem, v.g. jus naturale per jus gentium, jus gentium per jus civile, jus civile per ecclesiasticum: tunc oportet Legem magis universalem observare juxta modum, secundum quem determinatur per minus universalem.

Prob. 1. Exemplo desumpto ex Scriptura. Constat, quod Lex naturalis Decalogi observabatur a Judæis juxta modum, secundum quem determinabatur per Legem Mosaicam; observatur modo a Christianis juxta modum, secundum quem determinatur per Legem evangelicam: ergo Lex magis universalis observanda est juxta modum, secundum quem determinatur per Legem minus universalem.

2. Rat. Homo debet tendere ad beatitudinem supernaturalem; quia ob illam creatus est: atqui non potest tendere ad illam beatitudinem, nisi observet Leges juxta modum, secundum quem una determinatur per aliam, v.g. jus naturæ per jus gentium, jus gentium per jus civile, jus civile per jus Ecclesiasticum, quia alias homo non circa sua omnia munia dirigeretur: homo quippe dirigitur ut animal per jus naturale, ut rationalis per jus gentium, ut civis per jus civile, ut Christianus per jus Ecclesiasticum: ergo homo debet Legem magis universalem observare juxta modum, secundum quem determinatur per minus universalem. Adde, quod Lex non dirigit hominem, ut oportet, nisi munia omnia ab homine exequenda explicet: quod Lex minime facit, nisi consideretur quatenus magis vaga determinatur per minus vagam, & magis universalis per minus universalem.

Consectarium hujus Doctrinæ.

Jus naturæ, jus gentium, jus civile non observantur, ut oportet, nisi considerentur quatenus per Leges particulares determinantur.

Sic jus naturæ vage & generatim inspirat, quod homo debeat Deo religionem, sibi ipsi curam mentis & corporis, æqualibus amorem, superioribus observantiam, Reipublicæ subjectionem. Sed ea omnia munia, quæ natura inspirat, ut par est, exerceri non possunt, nisi observentur juxta modum, secundum quem per Leges particulares determinantur. v.g. Qualis debeat esse pietas nostra erga Deum, determinat Ecclesia, festa instituendo, certa pietatis exercitia, quibus festa celebrentur, præscribendo; dispositiones, quibus instituta a Christo Sacramenta recipiantur, decernendo. Qualis debeat esse cura nostri tum corporis, tum animi determinat Ecclesia, decernendo quædam abstinentiæ & jejunio-

niorum tempora, corporibus animisque curandis salubriter instituta. Qualis debeat esse amor erga æquales, observantia erga superiores, subjectio erga Rempublicam, determinat Ecclesia, dum sigillatim istæc omnia munia suis Canonibus præscribit.

Sic bella, servitutes, &c. jus gentium indicit, ut remotis perduellionibus quiete & pacifice vivamus; sed qualia debeant esse bella, quibusve conditionibus fieri debeant servitutes, jus civile & ecclesiasticum determinant.

Sic jus civile commune, contractus, testamenta, donationes, &c. introducit, quibus rerum dominia transferuntur: sed jus civile peculiare certas conditiones contractibus, testamentis, donationibus, &c. apponit, quæ juxta locorum & temporum diversitatem variantur.

Prop.2. Quando aliqua Lex emendatur per aliam, v.g. civilis per ecclesiasticam; tunc oportet Legi juxta modum, secundum quem emendatur, obtemperare.

Prop.1. Exemplo desumpto ex Scriptura. Lex Mosaica in multis emendata est per Legem Evangelicam: nunc autem Mosaicam Legem non sequimur, nisi juxta emendationem a Christo traditam: ergo cum Lex emendatur per aliam, non est audienda, nisi juxta modum, secundum quem emendatur.

2. Ratione. Quoties potentia, per quam dirigimur, est fallibilis, eam in his, in quibus fallitur, non sequimur, nisi prout emendatur per superiorem potentiam; quia imprudentis est his, qui semel deceperunt, leviter credere. Sic sensum in his, in quibus fallitur, non sequimur, nisi prius emendetur per intellectum. Sic intellectum pariter non sequimur in his, in quibus errat, nisi prout emendatur per fidem: ergo cum Lex aliqua est fallibilis, in his, in quibus fallitur, non est sequenda, nisi prout per Legem superiorem emendatur.

Consectarium hujus Doctrinæ.

Quoties Lex civilis emendatur per ecclesiasticam, toties sequenda est præcise juxta modum, secundum quem emendatur; alias sequeremur regulam fallacem, etiam in eo, in quo fallitur.

Sic jus civile usucapiones & præscriptiones stabilit; & hoc quidem merito; scilicet, ne dominia rerum maneant in incerto, ne lites fiant immortales: & in hoc servanda est Lex civilis, quia justa. Sed jure civili receptum est, quod sufficiat a principio bona fides, non autem quod necessaria sit ad perficiendam, sive complendam præscriptionem: & in hoc corrigenda est Lex civilis per Ecclesiasticam, quæ exigit, ut & initio, & successu, & demum toto tempore præscriptionis possessor sit bonæ fidei, hoc est, quod existimet, rem, quam possidet, esse suam, & non alienam, juxta hanc regulam: *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Reg. 11. in 6.

Sic Leges extant civiles de non alendis liberis a parentibus, ex incestu, vel alias a Legibus damnato concubitu natis, scilicet, ut incestuosæ copulæ horrorem ingenerent.

Justæ Leges in eo, quod horrorem contra incestum animis hominum velint imprimere; sed injustæ, quod prolem innocentem puniant: & in hoc corrigendæ sunt per jus ecclesiasticum, quo parentes hujus criminis rei pœnitentiæ addicuntur, incestuosæ proli alimenta ministrantur, sed titulus hæreditarius ei interdicitur.

Sic Leges civiles tolerant, & impunitum relinquunt patrem, qui filiam suam in adulterio deprehensam interficit. ff. de adult. L. *Pater.*

Justæ quidem Leges in hoc, quod velint adulterium puniri; sed injustæ in hoc, quod homini privato jus conferant puniendi adulterii: & circa hoc corrigendæ per jus ecclesiasticum, quo nec adulter, nec adultera occiditur, sed thorus separatur, & femina ad pœnitentiam agendam in arctissimum Monasterium detruditur.

Sic Leges aliquæ civiles usuras solutas repeti posse prohibent: venditiones, & emptiones, modo non sint infra, vel supra dimidium justi pretii, non rescindunt. C. de rescin. vend. L. 2.

Justæ quidem in eo Leges, quod in odium litium pro modica læsione actionem dari non permittant; sed injustæ in hoc, quod vel minimum damnum illatum proximo reparari non jubeant: & circa hoc corriguntur per jus ecclesiasticum, quo habetur usuras injuste acceptas restitui; & in emptione & venditione res ad æqualitatem reduci.

Sic circa matrimonium jus civile permittit, filium germani unius posse contrahere matrimonium cum filia germani alterius. Inst. de nup. §. *Inter eas.* Lex vero Canonica vetat.

Jus civile interdicit puellam raptam posse contrahere cum suo raptore. C. de rap. Virg. L. unica. Lex vero Canonica permittit, modo in loco tuto reddita fuerit.

Jus

Jus civile viduam nubentem intra annum luctus damnat infamia. C. de secund. nupt. L. 1. & 2. Jus vero Canonicum a tali infamia liberat; quia, ut permittit Apostolus: *Nubat mulier, cui voluerit, in Domino*.

Sic jus civile permittens homini soluto concubinam habere, ut in auth. quibus mod. nat. effi. sui §. *Si quis* Coll. VII. corrigitur per jus canonicum, quo illicita declaratur simplex fornicatio. Item jus civile permittens maleficia circa imbres fugandas, ventos retinendos, grandines arcendas, C. de mal. L. *Eorum*, per jus canonicum corrigitur, quo interdicitur omne cum Dæmone commercium.

Sic demum quoties Leges civiles conscientiam, ut oportet, non dirigunt, utpote externam potius politiam attendentes, quam internam coram Deo justitiam exigentes, toties ex ipsomet etiam Justiniano emendandæ sunt per Jus Ecclesiasticum; sic enim Nov. 131. de Eccles. titulis §. *Sancimus igitur*, inquit: *vicem Legum obtinere sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ a sanctis quatuor Conciliis expositæ sunt aut firmatæ*, Nicæno scilicet, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi; idem dicito de aliis: *Prædictarum quatuor Synodorum dogmata, sicut sanctas Scripturas, accipimus, & regulas sicut Leges observamus*.

Prop. 3. Quando Lex ecclesiastica est accessoria Legi civili, vel Lex civilis accessoria Legi ecclesiasticæ, tamdiu viget Lex accessoria, quamdiu viget Lex principalis; & hoc ipso Lex accessoria vigorem amittit, quo vigere cessat Lex principalis.

Prob. 1. Ex communi effato juris: *Accessorium sequitur naturam principalis*: Ergo lex accessoria viget quamdiu viget principalis, abrogatur vero, abrogata principali.

2. *Rat.* Lex accessoria est quasi medium, Lex vero principalis est quasi finis, cum Lex accessoria sit propter principalem: atqui tamdiu durat medium, quamdiu durat finis; cessat vero, cessante fine: ergo tamdiu viget Lex accessoria, quamdiu viget Lex principalis; cessat vero Lex accessoria, hoc ipso quo cessat principalis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Leges ecclesiasticæ infligentes censuras, eo præcise fine, ut robur addant Legibus civilibus, easque magis venerandas populis reddant, cessant censuras infligere hoc ipso quod vel per authoritatem Principis, vel per non usum abrogatæ sunt Leges illæ civiles.

Sic teste D. de Marca lib. 4. Conc. cap. 14 qui ob violatam treguam & pacem excommunicabantur, vel ob alia crimina cadebant in censuras, eas censuras Principibus ab Ecclesia postulantibus: illæ, inquam, excommunicationes, illæ censuræ cessabant, hoc ipso quod qui eas censuras incurrerant admittebantur a Principibus ad communionem, ad mensam; quia Ecclesia non alio fine censuras statuerat, quam ut Regum voluntati faveret.

Consect. 2. Leges civiles infligentes pœnas temporales præcise eo fine, ut robur addant quibusdam Legibus ecclesiasticis, cessant hoc ipso quod vel per authoritatem Præsulum, vel per consuetudinem legitimam Leges illæ ecclesiasticæ vigere desinunt.

Sic Leges imperiales de Diaconissarum ætate, ut quinquaginta sint annorum, de ætate Presbyterorum, ut sint triginta quinque annorum, de ætate professionis in Monasterio, ut non fiat ante annum vigesimum: hæ, inquam, & aliæ multæ Leges civiles, & pœnæ ab ipsis inflictæ cessarunt; quia eæ Leges non latæ sunt nisi ad confirmandas Leges ecclesiasticas, quæ non amplius vigent, aliter Ecclesia disponente.

Consect. 3. Qui voluerint Jus Canonicum & civile addiscere methodo, quæ viris Ecclesiasticis conveniat, poterunt utriusque juris Concordantiam efformare: ita præstitit Joannes Antiochenus, & Photius uterque in suo Monocanone: eam nos Methodum uberius trademus in quarto Tom. ubi compendium utriusque juris elaborabimus pro nostro modulo.

ARTICULUS IV.

Quomodo obligent Leges, quando plures concurrunt, quæ invicem videntur opponi, quæque simul servari non possunt.

PRop. unica. In concursu Legum, quæ invicem videntur opponi, & quæ simul servari non possunt, Lex fortior est observanda, alia vero omittenda.

Prob. 1. Scriptura. *Si justum est*, inquiunt Apostoli, *in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate*: Act. 4. v. 19. indicantes Legem divinam, utpote fortiorem, esse humanæ præferendam: & proinde cum Leges invicem videntur opponi, eam esse observandam, quæ fortior est, & minus esse dispensabilem.

2. Ex Greg. lib. 2. Moral. *Dum mens per majora & minora peccata constringitur, & non est aditus evadendi, minora semper eligantur.*

3. Ratione. Lex ligat juxta intentionem ra-

rationalem Legislatoris: intentio autem Legislatoris, si justa sit, talis debet esse, ut Lex fortior fortius liget; quia inferior potestas cessat vim habere, accedente superiore.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Præcepta negativa fortius ligant, quam affirmativa ejusdem generis; quia ista obligant *Ad semper, & pro semper*, minime alia: ideo omittuntur affirmativa, ut observentur negativa ejusdem generis.

Sic, Conserva vitam tuam, præceptum est affirmativum juris naturæ: non habebis Deos alienos coram me, non perjurabis, non inhonorabis parentes, non mœchaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, præcepta sunt negativa ejusdem juris naturæ. Debemus prætermittere præceptum affirmativum de conservanda vita, & mori potius quam violare aliquod ex prædictis præceptis negativis.

Sacerdos non celebret Missam nisi jejunus, præceptum est negativum Juris positivi Ecclesiastici: fideles Missam audiant diebus festis, præceptum est affirmativum ejusdem juris positivi: satius est prætermittere istud præceptum affirmativum, Missam audito, quam violare istud negativum, nullus celebret post comestionem; satius est, ut aliquis privatus fidelis non audiat Missam, sed vacet aliis piis exercitiis, quam ut Missa celebretur a Sacerdote non jejuno.

Consect. 2. Præcepta naturalia fortius ligant, quam præcepta positiva; quia jus naturale vetat, quod est ex se malum, & jubet quod est ex se bonum: jus vero positivum jubet, aut vetat, quod est indifferens: ideo omittuntur præcepta positiva, ut observentur naturalia.

Sic præceptum observandi festa, audiendi Missam, confitendi peccata, communicandi, jejunandi, & abstinendi a carnibus certis diebus, sunt præcepta positiva juris Ecclesiastici · si non potes aliquod ex illis præceptis servare sine violatione præcepti naturalis, debes prætermittere præceptum positivum, ut observes naturale; v. g. debes vacare servilibus diebus festis potius, quam omittere defensionem patriæ ab hostibus devastandæ, uti fecerunt Machabæi bellantes fortiter die Sabbati; debes Missam omittere potius, quam proximum graviter ægrotantem sine auxilio solum deserere; debes manducare carnes potius, quam fame obire; debes non jejunare potius, quam jejunio indiscreto tibi vitam eripere.

Consect. 3. Præcepta positiva juris divini fortius ligant, quam positiva juris Ecclesiastici: & positiva juris Ecclesiastici fortius ligant, quam positiva juris civilis: quia lex divina est fortior humana, & Ecclesiastica lex haud dubie prævalet imperiali.

Sic præceptum Christi est, ut Sacramentum Eucharistiæ semel inceptum perficiatur, ne Sacrificium derelinquatur imperfectum; præceptum Ecclesiæ est, ut Sacerdos non celebret nisi jejunus; si Sacerdos jejunus post consecrationis, vel panis solum, vel panis simul & vini in sincopem incideret, ita ut non posset Sacrificium inceptum perficere, vel perfectum consummare, & non adesset alius Sacerdos jejunus; debet Sacerdos etiam non jejunus persequi, speciem non consecratam consecrare, & si ambæ sint consecratæ, eas sumere, omittendo præceptum Ecclesiasticum, quo cavetur, ut Sacerdos jejunus celebret; id quidem ut observetur divinum præceptum, quo interdicitur, ne Sacrificium inceptum relinquatur imperfectum.

Sic præceptum est, ut Sacramenta conferantur rite dispositis, & opus tali remedio habentibus: præceptum Ecclesiasticum est, ut eadem Sacramenta conferantur cum solemni quodam ritu: instat mortis periculum, non potes ritus omnes ab Ecclesia præscriptos peragere, debes illos ritus omittere, & sola requisita ad Sacramenti substantiam adhibere potius, quam permittere, ut fidelis sine Sacramento decedat.

Consect. 4. Præcepta magis necessaria fortius ligant, quam minus necessaria: & ita si concurrant duo præcepta invicem opposita sive ejusdem, sive diversi generis, illud præceptum est observandum, cujus transgressio magis noceret, illud vero omittendum, cujus observantia minus prodesset; nam præceptum eo magis urget, quo magis ejus violatio est noxia, cum præcepta observentur ad vitandum periculum animæ.

Sic, non expones salutem proximi, præceptum est caritatis: non expones Sacramentum nullitati, præceptum est religionis; oportet potius exponere Sacramentum nullitati, quam salutem proximi, tum quia præceptum caritatis magis urget, quam præceptum religionis, tum quia Sacramenta sunt propter hominem, & non homo propter Sacramenta.

Sic, non sines perire infantem sine baptismo, præceptum est Christi: baptizabis in aqua vera & naturali, est pariter præceptum Christi· occurrit tibi infans proxime moriturus, non habes nisi aquam dubiam, debes potius baptizare in aqua dubia, quam permitte-

re

re infantem decedere sine Baptismo; quia tutius est, eum baptizari baptismo dubio, quam nullo: ob idem principium damus absolutionem moribundo sub levi conjectura, eum esse contritum; quia melius est eum sic absolvi, quam non absolvi.

Sic non dabis Sacramenta adultis, nisi sis moraliter certus, eos esse dispositos: nam præceptum est Christi, dicentis: *Nolite dare sanctum canibus*.

Accedit adultus sanus corpore, petens Sacramentum sibi absolute necessarium, v. g. baptismum, vel pœnitentiam: dubitas prudenter, an sit sufficienter dispositus, debes differre, donec constet de dispositione; quia nihil periclitaris differendo, sed periclitaris maxime præcipitando.

Accedit adultus brevi moriturus, vel per se, per alios petit Sacramentum sibi absolute necessarium, v. g. Baptismum, aut pœnitentiam: si tibi non constet, eum positive indignum, debes incunctanter conferre Sacramentum; quia satius est exponere Sacramentum, quam salutis proximi æternum periculum facere.

CAPUT IV.

Quantum extendatur quælibet Lex.

ARTICULUS I.

Ad quæ se extendat voluntas Dei & quatenus causa, & quatenus Lex.

NOTA. Voluntas Dei potest considerari ut causa, & potest considerari ut Lex. Voluntas Dei ut causa, est principium vel effectivum, vel permissivum omnium, quæ in mundo evenire cernimus.

Voluntas Dei ut Lex, est regula omnium vel agendorum, vel omittendorum.

Prop. unica. Voluntas Dei considerata ut causa, est principium effectivum bonorum omnium, quæ auxilio Dei facimus, & principium permissivum peccatorum omnium, quæ malitia nostra committimus: considerata vero ut Lex, est regula omnium, quæ aut agere debemus, aut omittere.

Probatur 1. Scriptura. Esther 13. v. 9. *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita; & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel*: Ergo, si omnia sint sub *ditione* Dei, omnia subjiciuntur voluntati Dei, quatenus est Lex: quod si nihil possit resistere voluntati Dei, omnia, quæ fiunt in mundo, voluntate divina, prout est causa vel effectiva, vel permissiva, eveniunt.

2. Ex Aug. qui loquens de voluntate Dei ut est causa, sic habet: *Nihil fit, nisi Omnipotens fieri voluerit, vel sinendo, ut fiat, vel ipse faciendo*. Loquens vero de voluntate Dei ut est lex, sic scribit lib 19. de Civ. c. 22. *Nullo modo aliquid Legibus summi Creatoris, ordinationique subtrahitur, a quo pax universitatis administratur*: Ergo voluntas Dei ut causa, vel efficit, vel permittit omnia; ut lex, est regula omnium.

3. Ratione. Deus est causa universalis: ergo est principium effectivum omnium bonorum; ideo dicitur Jacob. 1. v. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens a Patre luminum*. Est vero principium permissivum peccatorum; ideo dicitur Amos 3. v. 6. *Si erit malum in civitate, quod non fecerit Dominus*. Deus est supremus Legislator, quem in omnibus debemus consulere, juxta illud Psal. 118. v. 27. *Viam justificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis*; & v. 66. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me*: Ergo voluntas Dei ut causa, vel efficit, vel permittit omnia; ut lex, est regula omnium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Voluntas Dei ut causa, efficit, vel permittit omnia: ergo in omnibus, quæ in mundo eveniunt, adoranda est, & non curiosius scrutanda. *Altiora te ne quæsieris*, inquit Sapiens, *& fortiora te ne scrutatus fueris*: Eccli. 3. v. 22. etenim, ut dicit idem Sapiens: *Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum; sic qui scrutator est majestatis, opprimetur a gloria*. Prov. 25. v. 27.

Ideo voluntas Dei in operibus naturæ, tam rite & sapienter concinnatis, est & contemplanda, & laudanda, juxta illud Psal. 91. v. 5. *Quia delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo*: & rursus Psal. 103. v. 25. *Quoniam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti: impleta est terra possessione tua*.

In operibus gratiæ, in quibus Deus *cujus vult miseretur, & quem vult indurat*, ad Rom. 9. v. 28. non audienda est ratio humana superbe ratiocinans, sed auscultanda fides Catholica humiliter credens, audiendus est Christus dicens: *Confiteor tibi Pater Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis; ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te*. Matth. 11. v. 25. Audiendus Paulus exclamans: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investiga-*

biles viæ ejus, ad Rom. 11. v. 33. Audiendus est Aug. tract. 26. in Joan. sic nos sapienter monens: *Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle dijudicare, si non vis errare*.

In operibus justitiæ, in quibus Deus punit peccatores, & remunerat justos, non accusandus, quod, ut loquitur Paulus ad Roman. 9. v. 22. *volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum*; sed laudandus & benedicendus, quod *ostenderit divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam*. Gratiæ agendæ Deo, quod misericorditer per gratiam Christi salvet quamplurimos, qui in pœnam peccati Adami potuisset perdere singulos.

In peccatis, quæ permittit, adoranda est suprema Dei bonitas, ut docet Aug. Ench. c. 11. ubi docet, quod, *Deus adeo est potens, quod etiam bona potest facere de malis*; sed nequaquam inculpandus, quod ea etiam peccata puniat, quæ permittit, ut docet Paulus ad Rom. 3. v. 5. his verbis: *Si autem iniquitas nostra justitiam Dei commendat, quid dicemus? numquid iniquus est Deus, qui infert iram? (secundum hominem dico) absit, alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum?*

Consect. 2. Voluntas Dei ut Lex, est regula omnium, quæ agere debemus, aut omittere: ergo est totis viribus scrutanda, ut monet Sapiens his verbis: *Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper: & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus*. Eccli. 3. v. 22.

Sic consulenda & inquirenda voluntas Dei, seu Lex æterna, ut nos ipsos dirigamus, juxta illud Psal. 24. v. 4. *Vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me*: & juxta illud Pauli Act. 9. v. 6. *Domine, quid me vis facere?*

Sic consulenda & inquirenda pariter est voluntas Dei, seu Lex æterna, ut alios dirigamus exemplo Salomonis, de quo sic habetur 3. Reg. cap. 3. v. 7. *Et nunc Domine Deus*, inquit, *tu regnare fecisti servum tuum .... Ego autem sum puer parvulus, & ignorans egressum & introitum meum .... Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, & discernere inter bonum & malum*.

Et quia Lex æterna manifestatur primo per Legem naturalem omnibus insitam; ideo quænam sint officia, quæ præcipiuntur per Legem naturalem, ostendamus.

ARTICULUS II.

Ad quæ officia extendat se Lex naturalis.

PRrop. unica. Ad ea omnia officia se extendit Lex naturæ, quæ homo sine lumine fidei; & sui conscius, se debere cognoscit sibi, Deo, & proximo tum superiori, tum æquali: v. g. Lex naturalis inspirat etiam sine fide, quod homo debeat sibi curam mentis & corporis, Deo reverentiam, superioribus obedientiam, æqualibus amorem, singulis æquitatem & justitiam.

Prob. 1. Scriptura. Quando Scriptura loquitur vel de cura, quam sibi debet homo, vel de reverentia, quæ Deo exhibenda est, vel de officiis proximo rependendis; sæpius Textus Sacer ad notiones naturaliter cognitas recurrit: v. g. docens, quam curam sui ipsius homo habere debeat, ait Eccles. 14. v. 5. *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit?* Loquens vero de reverentia erga Deum, sic habet Malach. 1. v. 6. *Filius honorat patrem, & servus Dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus?* Et agens de mutuis officiis, quæ homines sibi debent impendere, sic omnes alloquitur: *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis*. Matth. 7. v. 12. Quæ omnes rationes naturales sunt, & sine lumine fidei cognitæ: ergo Lex naturalis ad prædicta munia se extendit.

2. Ex D. Thom. 1. 2. q. 94. a. 2. ad 3. *Sub lege rationis*, idest naturali, *continentur omnia ea, quæ ratione*, nude sumpta, *regulari possunt*: atqui prædicta munia dirigi possunt per rationem nude sumptam, ut patet ex scriptis paganorum, qui varia documenta, & quidem utilia circa curam erga nos, circa reverentiam erga Deum, circa justitiam & amorem erga proximum tradiderunt: ergo prædicta officia præcipiuntur per Legem naturalem.

3. *Rat.* Lex naturalis est ratio nude sumpta, inspirans homini, quid agendum, quid non agendum: atqui ratio nude sumpta inspirat, quod homo debeat sibi curam mentis, & corporis; quia est sui ipsius custos: Deo cultum; quia est illius effectus: superioribus obedientiam; quia est illis subditus: æqualibus amorem; quia est illis similis: singulis æquitatem & justitiam; quia nulli nocendum est: ergo lex naturalis præcipit homini omnia prædicta munia, scilicet, sibi curam, Deo reverentiam, superioribus obedientiam, æqualibus amorem, singulis æquitatem, & justitiam.

Statuuntur quædam principia naturaliter nota, ex quibus inferuntur magis in particulari quę debeant esse officia hominis erga se ipsum, erga Deum, & erga proximum tum superiorem, tum inferiorem, tum æqualem.

Princip. 1. Homo quilibet debet justam & ra-

rationalem curam gerere tum suæ mentis, tum corporis: quia est sui ipsius custos: *Ex quo infertur*.

1. Ut homo & conservet, & perficiat se, quatenus est intelligens & volens.

Debet ea addiscere, quæ pertinent ad bonos mores: mens enim non aliter perficitur, & integra perseverat, quam per cognitionem virtutis, quam exerceat, & per cognitionem vitii, quod fugiat.

Debet ea omnia omittere, quæ rationis usum aut tollunt, aut præpediunt: v. gr. numquam potest rationem vino sepelire, nimio cibo prægravare, luxuria hebetare, effrenatis moribus excæcare: demum debet homo ea omnia sibi interdicere, quæ præcipuam sui partem, mentem scilicet, possent labefactare.

2. Ut homo conservet se, perficiatve quoad corpus.

Debet ea omnia inquirere, sibique providere quæ ad vitam sustentandam judicantur secundum rectam rationem necessaria, v. g. victum, & vestitum.

Numquam debet sibi permittere quæ vel valetudinem corporis minuant, vel naturalem prolis generationem pervertant: quia custos est sui corporis, non dominus; minister prolis generandæ, non inordinatæ voluptatis percipiendæ: atque ideo illicitus est omnis potus & cibus quantumvis delectabilis, quibus sanitas alteratur: illicita omnis seminis effusio, ex qua humana proles nasci nullatenus potest.

Princ. 2. Homo debet Deo cognito, etiam præcise prout est author naturæ, assensum, fiduciam, amorem, & reverentiam: assensum; quia est verax in dictis: fiduciam; quia est firmus in promissis: amorem; quia est bonus: reverentiam; quia est excelsus: *Ex quo infertur*

1. Ut homo rependat Deo debita.

Debet Deo loquenti credere, promittenti fidere, benefacientem redamare, & utpote supereminentem omnibus supremo honore venerari.

Numquam debet Deo loquenti discredere, promittenti diffidere, Deum tam beneficum odio habere, aut creaturam magis quam Deum diligere: demum numquam debet Deum inhonorare, aut cultum Deo debitum in creaturam transferre.

Princ. 3. Homo debet aliis hominibus æqualibus amorem, superioribus filialem obedientiam, inferioribus paternam providentiam, omnibus æquitatem & justitiam; quia alias stare non potest ea, ad quam nati omnes sumus, societas *Ex quo inferuntur isthæc omnia*.

Homo debet cuilibet homini amorem.

Oportet ergo, quod prudenter ei procuret bonum, quod poterit & quoad corpus, & quoad animam; quia amare est velle bonum.

Oportet vero, quod pariter abstineat ab eo omni, quod proximo nociturum videt.

Homo debet superioribus filialem obedientiam, & inferioribus paternam providentiam: ergo oportet, quod servi erga Dominos, subditi erga Reges filiorum animos habeant: & vice versa, quod Domini erga servos, & Reges erga subditos paterna viscera induant.

Oportet vero, quod singuli numquam a mutuis illius officiis deflectant.

Homo debet cunctis hominibus æquitatem & justitiam: ergo oportet, quod vitam, famam, & bona temporalia proximi juxta regulas æquitatis & justitiæ tueatur.

Numquam vero aliquid moliatur, quod vel vitæ, vel famæ, vel bonis temporalibus proximi tantisper noceat.

Sic nequit vitam proximi privata authoritate vel verberando alterare, vel mutilando minuere, vel occidendo perdere.

Sic nequit famam proximi minuere vel temerarie de eo judicando, vel occulta ejus crimina manifestando, vel calumniando, vel falso accusando, vel falsum contra ipsum testificando, aut verum pro tuenda ipsius innocentia non declarando.

Sic nequit bona temporalia proximi injuste vel accipere, vel retinere, neque clanculum furando, neque palam rapiendo, neque iniquis contractibus circumveniendo.

Sic demum nihil potest attentare, quod humanam societatem perturbet, vel gravem efficiat sive promissa violando, sive mentiendo, sive iniustis æquivocationibus illudendo, &c.

Hæc est summa Legis naturalis, quam quilibet homo in seipso advertit, sed ut plurimum negligit Legem illam consulere: ideo in suppetias veniunt aliæ Leges.

Quia vero Lex naturalis per Legem civilem determinatur; ideo fit

ARTICULUS III.

Ad quæ officia Lex civilis extendatur.

§. I.

Quas personas, quas res, quas actiones attingat, vel non attingat jurisdictio civilis, & politica.

PRop. unica. Lex civilis & politica solum ad ea omnia se extendit, quæ ad communita-

nitatem civilem hominum vel constituendam, vel jam constitutam conservandam, inservire possunt; minime vero ad alia, quibus homo virtutibus vel moralibus, vel supernaturalibus interius dirigitur.

Prob. 1. Ex D. Thom. 1. 2. q. 100. a. 2. in c. ***Lex humana***, inquit, ***ordinatur ad communitatem civilem, quae est hominum ad invicem***. Ergo lex civilis solum ad ea se extendit directe & per se, quae ad communitatem civilem hominum inter se possunt inservire.

2. *Rat.* Homo potest considerari, ut animal ratione, ut membrum alicujus saecularis Reipublicae, ut Christianus, & ut hospes futurus caelestis gloriae; ut animal rationale dirigitur jure naturali & gentium; ut membrum Reipublicae, jure civili; ut Christianus, jure Ecclesiastico; ut hospes caeli futurus, jure divino: ergo jus civile ad ea omnia se extendit, quae ad Rempublicam vel constituendam, vel constitutam conservandam inservire possunt.

Consectaria hujus Doctrinae.

Consect. 1. Lex civilis se extendit ad eas omnes personas, ad eas omnes res, ad eas omnes actiones, quae concurrunt ad communitatem civilem, quae est hominum ad invicem: & ita extendit se primo ad personas, quae constituunt familias; ad familias, quae constituunt civitates; ad civitates, quae constituunt provincias; ad provincias, quae constituunt vel Imperia, vel Regna, vel Respublicas. Secundo se extendit ad res illas, sive mobiles, sive immobiles, quae sunt in hominum commercio. Tertio se extendit ad eas omnes actiones, quae mutuum cum hominibus commercium fovere possunt; quia isthaec omnia ad communitatem civilem hominum inter se concurrunt.

Quae sit divisio personarum, rerum, & actionum, dicemus ubi de Justitia & Jure.

Consect. 2. Lex civilis non se extendit ad actus interiores virtutis moralis, quos lex naturalis inspirat, nec ad actus supernaturales, quos lex divina imperat; sed ad exteriores actus ad publicam pacem requisitos: quia pax, quam homo habet cum conscientia propria per virtutes morales, vel quam habet cum Deo per virtutes supernaturales, non est finis Legis civilis, sed solum ea pax, quam homines habent inter se; de quo ita D. Thom. 1. 2. quaest. 98. a. 1. in c. *Est autem*, inquit, *sciendum, quod alius est finis Legis humanae, alius est finis Legis divinae; Legis enim humanae finis est temporalis tranquillitas civitatis; ad quem finem pervenit Lex, cohibendo exteriores actus quantum ad illa mala, quae possunt perturbare pacificum statum Civitatis.*

Consect. 3. Eaedem personae, eaedem res, eaedem actiones, quae pertinent ad jus civile, quatenus concurrunt ad communitatem civilem vel constituendam, vel constitutam conservandam, possunt ex aliquo superaddito pertinere ad Legem aliquam superiorem, v. g. ad jus Ecclesiasticum: sicuti enim, quod est juris naturae, v. g. pactum ex addita solemnitate, quam praecipit jus civile, fit juris civilis; ita quod est praecise juris civilis, ex addita aliqua circumstantia pertinente ad jus Ecclesiasticum, fit juris Ecclesiastici.

Sic homo quilibet, quatenus ad civilem societatem natus, pertinet ad jus civile: quatenus baptizatus, quatenus Clericus, quatenus Monachus, pertinet ad jus Ecclesiasticum.

Sic fundus ad Ecclesiam pertinens, quatenus est in commercio hominum, pertinet ad jus civile; quatenus consecratus divinis officiis, vel destinatus ad nutriendas personas Deo sacras, pertinet ad jus Ecclesiasticum.

Sic *matrimonium*, ut notat D. Thom. in 4. dist. 34. q. 1. a. 1. ad 4. in quantum est in officium naturae, statuitur jure naturae; in quantum est in officium communitatis, statuitur jure civili; inquantum est Sacramentum, statuitur jure divino: *Et ideo, sicut ex qualibet dictarum Legum, naturalis, humanae, & divinae, potest persona effici ad matrimonium illegitima*; ita persona, res, & actio eadem ex diversa consideratione poterit ad diversas Leges pertinere.

§. II.

An Principibus saecularibus competat jus aliquod ad Leges suo arbitratu condendas in his, quae fidem aut disciplinam Ecclesiasticam respiciunt.

Prop. unica. Post constitutam a Christo Regalis & Pontificalis potestatis divisionem, Reges ex vi saecularis authoritatis nullam habent potestatem condendi Leges circa spiritualia ad religionem pertinentia, nullamque iurisdictionem, nisi ad suppetias ferendas Ecclesiae.

Probatur 1. Scriptura. Ad Apostolos, eorumque successores, & non ad Principes saeculares dictum est: *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. v. 16. Item non Reges, sed Apostoli di-

dicunt: *Visum est Spiritui Sancto, & nobis &c.* Act. 15. v. 28. Ergo non Reges, sed Episcopi potestatem habent condendi Leges circa spiritualia ad religionem pertinentia.

2. Ex Ambrosio epist. 35. lib. 5. ubi refert rescriptum Valentiniani: *In causa fidei*, inquit, *vel ecclesiastici alicujus ordinis, eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis; hæc enim verba rescripti sunt, hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare*. Et mox sic audacter pronuntiat: *Quis est, qui abnuat in causa fidei, in causa, inquam, fidei, Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, & non Imperatores de Episcopis judicare?...Si conferendum de fide, Sacerdotum debet esse ista collatio*.

3. Ex confessione Principum, qui passim fatentur, non ad se, sed ad Episcopos pertinere de rebus ad religionem pertinentibus Leges & judicium ferre. Sic enim habet Constantinus Magnus Donatistis petentibus, ut de Cæciliano judicium ferret, teste Optato lib. 1. *Judicium a me petitis in sæculo, cum ego ipse Christum judicem expecto?* Et August. teste, Epist. 68. idem Imperator hac responsione eosdem Donatistas repulit: *Dico, ut se veritas habet. Sacerdotum judicium ita debet haberi, ac si Dominus ipse residens* per Episcopos *judicet*. Valentinianus vero senior interpellatus ab Hypatiano, Episcoporum Orientalium Legato pro resarcienda fide, quam Constantius pessum dederat, respondit, teste Sozomeno lib. 6. *Sibi, qui unus e Laicorum numero erat, non licere se ejusmodi negotiis interponere*. Theodosius vero junior Candidianum Comitem Synodo Ephesino interesse jussit, *ea lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat. Nefas enim est*, inquit, *eum, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, ecclesiasticis negotiis & consultationibus sese immiscere*. Constantinus vero, teste Rufino lib. 1. hist. sic allocutus est Patres Nicænos: *Deus vos constituit Sacerdotes, & nobis a Deo dati estis judices: & conveniens non est, ut homo judicet Deos; sed ille solum, de quo scriptum est: Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat*. Et Basilius Imp. allocutione ad octavam Synodum, Act. 10. *Laico cuicumque*, inquit, *nulla ratione de Ecclesiasticis causis disputare fas est*. Demum, cum in Concilio Chalcedonensi, Act. 4. istud pronuntiatum esset: *Contra regulas pragmaticum nihil valebit, regulæ Patrum teneant*: Marcianus Imperator ann. 454. illud edicto suo confirmavit, ut habetur L. privilegia C. de Sacrosf. Eccles. cujus hæc sunt verba: *Omnes Pragmaticas Sanctiones, quæ contra Canones Ecclesiasticos interventu gratiæ & ambitionis elicitæ sunt, robore suo & firmitate vacuatas cessare præcipimus*. Ergo constat ex confessione Principum, quod Lex civilis, jurisdictio politica ad spiritualia extendenda non sit, nisi ad suppetias Ecclesiæ ferendas, ut infra explicabimus.

4. Ratione. Lex naturalis eo tendit, ut homo habeat pacem cum semetipso; Lex divina, ut homo habeat pacem cum Deo; Lex civilis, ut habeat pacem cum ceteris hominibus: ergo Lex civilis ea solum potest attingere, quæ publicam pacem fovere inter homines possunt; relinquitur vero legi naturali, vel ecclesiasticæ, vel divinæ, quod hominem cum semetipso, vel cum Deo concordem efficere potest. Adde quod potestas Regum est sæcularis, & non spiritualis: ergo sæcularia, & non spiritualia debet attingere. Et ut scribit Felix summus Pontifex ad 3. Zenonem. *Certum est*, inquit, *hoc rebus vestris esse salutare, ut cum de causis Dei agitur, juxta ipsius constitutum, regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre, & Sacro-Sancta per eorum Præsules discere potius quam docere: Ecclesiæ formam sequi, non huic humanitus sequenda præfigere, neque ejus sanctionibus velle dominari*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Principes sæculares non habent potestatem neque circa verbum divinum prædicandum, neque circa Sacramenta ministranda; quia oves sunt, & non pastores, ut fatetur Basilius Imperator in Concil. Gener. 8. Act. 10. *Quantæcumque enim*, inquit, *Religionis & sapientiæ Laicus existat, vel etiam si universa interius virtute polleat, donec Laicus est, ovis vocari non desinet*.

Consect. 2. Principes sæculares non habent potestatem neque in Conciliis, neque extra Concilia determinandi quæstiones ad religionem pertinentes, quia discipuli sunt, & non magistri: de quo ita idem Basilius ibidem. *De vobis*, inquit, *Laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam non habeo, quam quod nullo modo nobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & universali Synodo adversari. Hæc enim investigare, & quærere, Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt; qui sanctificandi, qui solvendi, & ligandi potestatem habent, qui Ecclesiasticas & cælestes adepti sunt claves: non nostrum, qui pasci debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel a ligamento solvi egemus*.

Confect. 3. Principes sæculares non habent potestatem neque per seipsos exercendi sacra, neque per se ipsos consecrandi ministros, qui sacra exerceant: quocirca piissimus Sacerdos 2. Paralyp. sic Oziam sacra affectantem deterret. *Non est*, inquit, *officii tui, Ozia, ut adoleas incensum coram Domino, sed Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium.*

Confect. 4. Principes sæculares non habent potestatem judicandi Sacerdotes, Episcopos, &c. cum agitur de degradatione, suspensione, interdicto, excommunicatione, aliisque pœnis spiritualibus, quibus Ecclesia rebelles & contumaces filios punire solet; quia circa id non judicare debent, sed judicari: de quo ita scribit Honorius Imperator ad Arcadium fratrem in causa Chrysost. *Si quid*, inquit, *de causa religionis inter Antistites ageretur, episcopale oportuit esse judicium: ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium.* De penis vero infligendis personis ecclesiasticis ob crimina pacem publicam perturbantia agemus infra.

§. III.

An defensio Ecclesiæ, ejusque deceretorum, Principibus sæcularibus competat.

Prop. unica. Principes sæculares possunt, immo debent Leges condere circa & personas & res sacras, modo id faciant in suppetias Ecclesiæ, non ut Doctores fidei, sed ut defensores, non ut conditores Canonum, sed ut vindices.

Probatur 1. Scriptura. Paulus 1. ad Tim. 2. sic habet: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate:* Ergo pertinet ad Reges, ut curent populos tranquillos vivere in pietate & castitate: ergo ad eos spectat Leges condere, quibus & personæ, & res sacræ, & fides, & mores, disciplinave in tuto sint posita.

2. Ex Aug. qui ita loquitur contra Cresconium lib. 3. cap. 51. *In hoc*, inquit, *Reges, sicut eis divintus præcipitur, Deo serviunt in quantum Reges sunt, si in regno suo bona jubeant, mala probibeant, non solum quæ pertineant ad humanam societatem, verum etiam quæ pertinent ad divinam Religionem.* Et Leo Epist. 82. scribit ad Leonem Imperatorem his verbis: *Debes incunctanter advertere, Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut abusus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem iis, quæ sunt turbata, restituas:* Ergo ad Reges pertinet Leges condere in defensionem Ecclesiæ.

3. Ex titulis, qui Imperatoribus tribuuntur. Constantinus vocatur ab Eusebio, *Communis Episcopus*, idest; invigilans bono totius Ecclesiæ. Marcianus vocatur a Concilio Chalcedonensi, *Imperator & Sacerdos.* Clodovæus a Remigio dicitur non solum *Prædicator fidei, sed Defensor.* Sed instar omnium sit ille titulus, quem sibi gloriosum putat Ludovicus VII. Galliæ Rex, sic enim fatur: *Ludovicus Dei gratia Francorum Rex. Omnibus in perpetuum digna vox est majestate regnantis, Dei servum & Ecclesiæ defensorem se Principem profiteri.* Ita Baluzius in additionibus D. de Marca L. 2. cap. 13. Ergo Regum est, Leges pro defensione Ecclesiæ statuere.

4. Rat. Tanta est inter Regalem & Ecclesiasticam dignitatem connexio, ut vix una sine altera possit consistere: Ecclesia enim inspirat populis amorem erga Reges, & Reges Ecclesiastica statuta populis tremenda efficiunt. Quod mutuum utriusque authoritatis commercium sic eleganter describit Arnulphus Lexoviensis Episcopus. *Dignitas*, inquit, *Ecclesiastica Regiam provehit potius, quam adimit dignitatem; & Regalis dignitas Ecclesiasticam conservare potius consuevit, quam tollere libertatem. Etenim quasi quibusdam invicem sibi complexibus dignitas Ecclesiastica & Regalis occurrunt; cum nec Reges salutem sine Ecclesia, nec Ecclesia pacem sine protectione Regia consequatur:* Ergo Regum est Leges condere, quibus Ecclesiam tueantur; & ut ait Greg. VII. Epist. 19. lib. 1. *sicut duobus oculis humanum corpus temporali lumine regitur, ita his duabus dignitatibus in pura Religione concordantibus, corpus Ecclesiæ spirituali lumine regi & illuminari probatur.*

Consectaria bujus Doctrinæ.

Confect. 1. Principes possunt & debent, non quidem verbo insistere, sed concionatoribus verbi divini suppetias ferre, eosque regia protectione defendere.

Sic Josaphat, 2. Paral. 17. v. 9. mittit Doctores legis, qui populum doceant. *Docebantque populum*, inquit Textus Sacer, *habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas urbes Judæ, atque erudiebant populum. Itaque factus est pavor Domini super omnia regna terrarum .... Nec audebant bellare contra*

tra Josaphat. Ut enim monet Cælestinus Papa Theodosium Imperatorem: *Major debet esse sollicitudo fidei, quam Regni, & amplius pro pace Ecclesiæ decet esse sollicitum, quam pro securitate terrarum, subsequentur enim omnia prospera, si penitus, quæ Deo sunt cariora, serventur*.

Consect. 2. Principes possunt & debent insistere Conciliis, quando sunt necessaria, convocandis: opem ferre eisdem Conciliis, dum actu habentur, reprimendo contumaces hereticos: ubi vero finita sunt Concilia, executionem eorum sedulo procurare, infligendo pœnas temporales his omnibus, qui ausu temerario contradicere tentaverint.

Sic Constantinus Nicænam Synodum convocandam curavit, convocatam adjuvit, & pertinaces Arianos decretis Synodi resistentes, variis pœnis mulctavit. Socrat. lib. 1. c. 6.

Sic Marcianus triplici edicto Synodum Chalcedonensem confirmat, & pœnas in Clericos & Laicos contumaces infligit: ita edictum Marc. Act. 4. & ut notat Hermianus lib. 12. cap. 3. *Ecclesiasticorum Canonum voluit esse executor, non conditor, non exactor*.

Sic Justinianus sententiam adversus Anthimum latam Imperialem effecit: *Imperialibus legibus corroboravit, perinde ac si ab imperio ipso provenisset*.

Consect. 3. Principes sæculares possunt Leges speciales ferre circa eas omnes materias, circa quas Ecclesia suas statuit regulas, v. g. circa fidem, circa mores, circa disciplinam: quæ Leges sint quasi accessoriæ ad Leges Ecclesiasticas jam statutas, & media, quibus efficacius executioni mandentur: quæ leges non condant Canones, sed conditos foveant, conservent, & custodiendos jubeant.

Sic tot Leges Imperiales in corpore juris sparsæ circa res mere ecclesiasticas, non sunt signum authoritatis, quam Reges habeant circa sacra, sed signum zeli & amoris, quem habuerunt erga Ecclesiam; ut enim præmonet Justinianus: *Nos tutores sumus*, inquit, *vetustatis, & vindices*. Jussio Just. pro Concil. Bizac.

Sic tot capitularia Regum Galliæ, cum ex Episcoporum, tum ex optimatum Regni consilio, lata circa res omnino ad Ecclesiam pertinentes, non sunt argumenta Regiæ authoritatis in rebus fidei aut disciplinæ Ecclesiasticæ, sed solum indicia, quibus Reges nostri se protectores Ecclesiæ profitebantur; unde effectum est, ut Leo IV. Papa C. de capitulis, dist. 10. apud Gratianum spondeat se *Capitula illa & præcepta Lotharii, ejusque prædecessorum in omnibus observaturum*. Et Synodus Meldensis an. 845. cap. 78. postulet: *Ut capitula Ecclesiastica a Domno Carolo Magno Imperatore, nec non a Domno Ludovico pio Augusto promulgata, obnoxie observari præcipiantur; sicut & legalia observanda esse noscuntur*.

Sic demum tot edicta Regum nostrorum, sive Aurelianensia, sive Blesensia, illa pariter edicta quæ Ludovicus XIV. edidit contra Jansenistas, Quietistas, &c. licet in rebus ad Religionem pertinentibus, authoritatem Ecclesiasticam non offendunt, sed defendunt; non minuunt, sed augent: viris probis reddunt venerandam; improbis vero terribilem exhibent.

Consect. 4. Principes sæculares, ut tuitores Ecclesiæ possunt & debent personis sacris injuste vexatis suppetias ferre, Canonum violationi, & bonorum Ecclesiasticorum direptioni fortiter se opponere.

Ex eo quod Imperatores sint personarum Ecclesiasticarum defensores factum vidimus quod Paulus injuste vexatus a Judæis Cæsarem appellaverit: quod Athanasius injuste condemnatus in Tyrio conciliabulo Constantinum Augustum provocaverit. Ath. Apol. 2. Quod Eusebius Dorilæi Episcopus exagitatus a Dioscoro, & Eunomius Episcopus Nicomediæ male habitus ab Anatolio Neocæsariensi, Marcianum Imperatorem adierint, ut ab eo jus exposcerent. Concil. Chalc. Act. 1. & 11. & alii multi Episcopi ad Principes sæculares recurrerunt: quibus in casibus solebant Principes vel Clericos judices nominare, uti fecit Constantinus in causa Donatistarum, vel prioris Concilii judicatum suspendere, nova Synodo indicta, ut fecit Theodosius in causa Nestorii: immo si Episcopi durius agerent cum Clericis, isti aliquando ad Principes recurrebant auxilium postulantes, ut habet Concil. Francof. cap. 6. ann. 794. ubi jubetur, ut si Clerici male habeantur ab Episcopis, ad Metropolitanum provocent; & si Metropolitanus *rem non possit corrigere, vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores cum accusato* ad domnum Regem, *ut sciat veritatem rei*.

Ex eo quod Principes sint tuitores Canonum, & bonorum Ecclesiasticorum, vidimus leges edidisse, quibus violatio Canonum, & direptio bonorum Ecclesiasticorum districtius inhibetur. Sic Codex Theod. L. *Omni* 45. ita loquitur: *Omni innovatione cessante vetustatem & Canones pristinos Ecclesiasticos .... servari præcipimus*.

ARTICULUS IV.

Ad quæ extendatur, vel non extendatur Lex & potestas Ecclesiastica.

§. I.

De potestate spirituali Ecclesiastica.

PRop. *unica*. Ecclesia iure divino habet potestatem spiritualem, per quam fidelibus potest præcipere quidquid ad eorum salutem conducere potest.

Prob.1. Scriptura. *Omnis potestas mihi data est in cælo & in terra*, inquit Christus Matth. 28. v. 18. Ergo si Christus habet potestatem spiritualem supra fideles, cum eo tantum fine venerit, ut eos salvos faceret, Ecclesiæ Pastores eam pariter habent potestatem; quia ita eos alloquitur Christus: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: Joan. 20. v. 21. & rursus: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit spernit eum, qui me misit*. Luc. 10. v. 16. Ergo Ecclesia habet potestatem spiritualem supra fideles.

2. Ex Osio Cordub. in Epist. ad Constan. & Athan. qua eadem authoritate utitur Athan. in Apolog. ad Constant. ubi sic habet: *Tibi Deus imperium commisit; nobis, quæ sunt Ecclesiæ, concredidit*: & Gelasius 1. Ad Anastasium Imperatorem: *Duo quippe sunt, Imperator Auguste*, inquit, *quibus mundus hic regitur, authoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas*: Ergo sicut Imperialis potestas ad temporalia se extendit, tia Ecclesiastica authoritas ad spiritualia debet se extendere.

3. Rat. Omnis Respublica habet potestatem supra suos subditos; & talem quidem, qualis est Respublica; alias, ut optime ita Aug. sine tali potestate Regna non essent Regna, sed latrocinia; nec essent multitudo bene ordinata, sed congeries confusa: atqui Ecclesia est Respublica spiritualis a Christo fundata: ergo debet habere potestatem spiritualem supra suos subditos, scilicet baptizatos, circa ea, quæ baptizatos ad salutem æternam conducere possunt: & si Ecclesia sit sponsa, cuius Christus est sponsus; Regnum, cujus Christus est Rex; corpus, cujus Christus est caput; nullam ne habebit potestatem circa fideles, qui sunt & filii, & membra, & subditi per baptismum?

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ecclesia habet potestatem in verbo & in Sacramentis, idest, habet potestatem docendi quæ a Christo didicit, & ministrandi Sacramenta, quæ a Christo accepit. Hanc potestatem contulit Christus Ecclesiæ his verbis: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Matth. 28. v. 19. Ea potestate usi sunt Apostoli, & Episcopi, eorumque successores, qua *in omnem terram exivit sonus eorum*, & qua mundus ex pagano factus est Christianus.

Consect. 2. Ecclesia habet potestatem circa quæstiones fidei, & morum, & disciplinæ; seu habet potestatem determinandi quæ pertinent ad fidem, ad mores, & ad disciplinam; & fideles tenentur decisionibus ab Ecclesia statutis acquiescere: *Si quis enim Ecclesiam non audierit*, habendus est, *ut Ethnicus, & publicanus*.

Exercitium hujus authoritatis expresse describitur Act. cap. 15. ubi habes formam Concilii; qui scilicet debeant Concilio interesse; quo modo debeant Concilia procedere; qua authoritate definire; de qua materia tractare; & quam obedientiam Conciliis debeant populi exhibere. 1. Non Laici, sed Apostoli, & seniores conveniunt. *Surrexerunt*, inquit Lucas, *quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque servare legem Moysi, conveneruntque APOSTOLI, ET SENIORES videre de verbo hoc*. Proceduntque, non tumultuose, sed maxima cum prudentia & diligentia. *Cum autem conquisitio fieret*, ait Lucas, quæstione mature perpensa difficultatem resolvunt, non proprio lumine, sed divino, non authoritate propria, sed Dei. *VISUM EST*, inquiunt, *SPIRITUI SANCTO ET NOBIS*. Materiam tractant non sæcularem, sed Ecclesiasticam, scilicet, quæstiones pertinentes ad fidem, ad mores, ad disciplinam. Ad fidem quidem, dum statuunt infallibilitatem Ecclesiæ. Ad mores, dum res ex se malas interdicunt, fornicationem scilicet, & idololatriam. Ad disciplinam, dum, ut Synagogam quodam cum honore sepeliant, a sanguine & suffocato, licet res essent indifferentes, volunt fideles abstinere: quam determinationem paucissimis his verbis comprehendunt in Epist. Synodica. *Visum est*, inquiunt, *Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine & suffocato, & fornicatione; a quibus custodientes vos, bene agetis: valete .... Illi ergo*, idest Paulus & Barnabas, *congregata multitudine tradiderunt epistolam, quam cum legissent*, non restiterunt, *sed gavisi sunt super consolatione. Et Paulus perambulabat Syriam,*

&

& Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum. En obedientia fidelium erga Ecclesiam, quoties determinat aliquid circa fidem, mores, & disciplinam.

Consect. 3. Ecclesia habet potestatem constituendi Prælatos, & ministros, ad ædificationem corporis Christi, scilicet Ecclesiæ, necessarios, ut docet Paulus ad Ephes. 4. v. 11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi.* Ea potestate usa est Ecclesia, & sic interrupta permansit successio Pastorum ab Apostolis usque ad nos.

Consect. 4. Ecclesia habet potestatem judicandi quoscumque baptizatos circa participationem Sacramentorum, excludendo indignos, & admittendo dignos; quæ potestas non obscure significatur his verbis: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatus & in cælis.* Matth. 16. v. 19.

Ea potestate utuntur ministri Ecclesiæ, quoties fideles vel arcent a Sacramentis, vel eos ad Sacramenta admittunt.

Consect. 5. Ecclesia habet potestatem judicandi in foro secreto & interiori de peccatis tam occultis quam publicis, vel remittendo per absolutionem, vel retinendo per dilationem absolutionis, juxta dispositionesconfitentium, quas Christus & Ecclesia præscribunt; quæ potestas satis aperte his verbis declaratur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt.* Joan. 20. v. 23.

Ea potestate utuntur Confessarii in tribunali pœnitentiæ.

Consect. 6. Ecclesia habet potestatem judicandi in foro publico & contentioso de peccatis publicis, infligendo pœnas spirituales, scilicet excommunicationes Laicis contumacibus, excommunicationes & suspensiones & irregularitates Clericis pariter contumacibus; quæ potestas videtur exprimi his verbis: *Dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Matth. 18. v. 17.

Ea auctoritate usus est Paulus contra Corinthium incestuosum. *Judicavi*, inquit Script. 1. ad Corint. 5. v. 5. *tradere hujusmodi in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.*

Eadem potestate utuntur Episcopi, infligendo censuras.

Consect 7. Ecclesia habet potestatem judicandi circa materiam pure spiritualem, utpote & sponsa & corpus, & regnum Christi, qui auctoritatem exercere voluit, non temporalem, sed spiritualem, dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Jo: 18. v. 36.

Ea potestate utitur Ecclesia, dum judicat de validitate & invaliditate Sacramentorum, de decentia vel indecentia officii Ecclesiastici.

Eadem potestate utuntur judices ecclesiastici, v.g. Officiales, dum in suo territorio etiam contentiose judicant de eadem materia, & pœnis quibusdam ab Ecclesia determinatis addicunt fideles, qui non recipiunt Sacramenta temporibus ab Ecclesia determinatis, v.g. non communicant in paschate, non confitentur semel in anno: & eos fideles, qui non observant Constitutiones mere spirituales ab Ecclesia editas, v.g. non observant festa, non observant jejunia. Item Clericos tam regulares, quam sæculares in contentioso foro judicant, si in verbo prædicando, in sacramentis ministrandis non sequantur statuta Ecclesiæ.

Consect. 8. Ecclesia habet potestatem judicandi circa materiam partim spiritualem, partim temporalem, attingendo præcise quod est spirituale: Christus enim spiritualem jurisdictionem exercuit, sed circa res temporales judicium ferre recusavit: dum enim ei quis diceret: *Dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem; at ille dixit: Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* Luc. 12. v. 13.

Ea potestate utuntur Ecclesiæ judices, v. g. Officiales, dum in foro etiam contentioso judicant de validitate sponsalium, de validitate matrimonii, aut declarant, quando desponsati possint dissolvere sponsalia, quando conjugati debeant cohabitare, vel ab invicem separari, modo sistant intra limites spiritualitatis; nam si attingat temporale, in Gallia esset *abusus*, ut dicunt, idest, abusus potestatis spiritualis, quæ ad solum spirituale & non temporale debet extendi.

Sic Ecclesia posset judicare de decimis, de beneficiis ecclesiasticis; sed propter connexionem, quam hæ res habent cum temporali, lites circa beneficia, circa decimas, agitantur in foro civili, & non ecclesiastico in Gallia.

§. II.

De modo, secundum quem in Ecclesia Gallicana exercetur potestas spiritualis Ecclesiastica.

Nota, quod auctoritas Ecclesiæ circa fidem,

dem, mores, & disciplinam est indubitata apud omnes Catholicos, sed qualis debeat esse illius potestatis usus, quæ applicatio, quodve ejus exercitium, non apud omnes convenit: alii volunt, eam per Papam, utpote supremum Pastorem, Monarchico regimine exercendam esse: alii vero, per Papam & per Episcopos Monarchico quidem regimine sed aristocratia temperato exercendam esse contendunt; ita tamen, ut Episcopi omnes Romano Pontifici, tamquam capiti, jure divino subjiciantur, ut fatetur D. de Marca Præfat. 2. n. 7.

Qualis sit circa id præsens Ecclesiæ Gallicanæ praxis sequenti Paragrapho ostendam, totumque illud ex probatis auctoribus educo, temperans ab odiosis quæstionibus, sistens intra eos limites, qui ad resolvendos casus conscientiæ inservire possunt.

Prop. unica. Potestas ecclesiastica spiritualis talis est juxta Gallos Doctores & præcipue Sorbonicos, ut in sui exercitio debeat juxta statuta Patrum, & antiquos Canones exerceri.

Probatur 1. Scriptura. *Reges gentium*, inquit Christus, *dominantur eorum*, scilicet despotice, *vos autem non sic*; sed moderate secundum regulas per traditionem ab Apostolis acceptas, vel in Conciliis statutas.

2. Authoritate Patrum. 1. Offert se Innocentius I. qui Chrysostomi condemnationem in Synodo ad Quercum latam, vel ob id solum rejicit, quod non esset juxta Canones. *Nam longe præstiterit*, inquit, *vel ea condemnare, fratres carissimi, quæ recte facta sunt; quam ea robur ullum sortiri, quæ adversus Canones gesta sunt*. Ita apud Sozom. lib. 8. cap. 16. Innocentium sequitur Zosimus ep. 7. *Apud nos enim*, inquit, *inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui statuta Patrum sanxere reverentiam*. Zosimo consentit Bonifacius Epist. 3. ad Hilarium Narbon. Epis. *Convenit nos*, inquit, *paternarum sanctionum diligentes esse custodes*: & Leo Epis. ad Anatolium loquens de Canonibus Nicænis sic pronuntiat: *Omni penitus*, inquit, *auctoritate sit vacuum quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum*: Ergo constat ex Patribus, qui Romanam rexerunt Ecclesiam, auctoritatem Ecclesiasticam juxta Canones esse exercendam.

3. Ratione. Regimen bene ordinatum debet esse temperatum per Legem in Comitiis generalibus institutas; quia regimen monarchicum temperatum per Aristocratiam, id est per consilium Majorum, est perfectissimum, habet enim dotes Monarchiæ & Aristocratiæ: atqui Ecclesiæ regimen est perfectissimum, utpote a Christo Domino institutum: ergo Ecclesiæ regimen debet esse temperatum per Leges vel a traditione Apostolorum acceptas, vel in Conciliis constitutas; & proinde potestas spiritualis ecclesiastica talis est ut debeat juxta Canones exerceri.

Ex hoc principio educuntur Consectaria, quibus explicatur, quomodo in Gallia exerceatur potestas spiritualis Ecclesiastica. Vide D. de Fleury in suis institutionibus Canonicis 3. p. cap. 25. Vid. Dom. de Mar. de Concord.

Consect. 1. Agnoscunt Galli, Romanum Pontificem jure divino esse universalis Ecclesiæ caput, & proinde Gallicanæ, quæ illius est membrum. Caput etiam omnium Domini Sacerdotum. Potissimum Sacerdotem cæteris Pontificibus in orbe constitutis reverentiorem. Christi Vicarium, Petri successorem, &c. quas Dotes multis argumentis probat D. de Marca Tomo primo Concor. lib. 7. Sed his potissimum primo affert Cyp. Epist. 2. vel 55. edit. Pamel. ubi dicit: *Ecclesiam Romanam Petri esse Cathedram principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est*. 2. Affert Optatum Milev. lib. 2. cont. Parm. ubi ait: Romanam Ecclesiam eam esse, *in qua una Cathedræ unitas ab omnibus servaretur... Ut iam Schismaticus & peccator esset, qui contra singulorum Cathedram alteram collocaret*; & ideo, ut ait Heronym Epis. ad Damas. *Quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus est; si quis in Arca Noe non fuerit peribit regnante diluvio*. adeoque, ut optime ait Natalis Alexander in Histor. Eccles. sæcul. XIII. & VIV. dissert. IX. DE NECESSITATE SALUTIS EXISTIT, OMNES CHRISTI FIDELES ROMANO PONTIFICI SUBESSE, PROUT DIVINÆ SCRIPTURÆ ET SANCTOR. PATRUM TESTIMONIO EDOCEMUR.

Sed non admittunt Galli Doctores, quod Papa dominium habeat directum, vel indirectum in Regum temporalia; sed juxta eumdem Alexandrum, alterum est dogma & Scripturæ Sacræ, & traditioni omnino consonum; fideique proximum, & apud Gallos indubitatum, scilicet: SUPREMA EST ET A SOLO DEO DEPENDENS REGUM AUCTORITAS, ITA UT NULLAM PENITUS ETIAM INDIRECTAM IN EORUM TEMPORALIA POTESTATEM HABEANT ROMANUS PONTIFEX, VEL ECCLESIA. De hoc infra sequenti Paragrapho.

Consect. 2. Admittunt Galli, quod Papa habeat auctoritatem condendi leges: & hoc multi-

triplici titulo; quia est totius Ecclesiæ caput,& specialis Ecclesiæ occidentalis Patriarcha, ita D.de Marca, in cujus rei probationem affert rescriptum Valentiniani, cujus hæc sunt verba: *Omnibusque pro lege sit quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ sedis auctoritas*; & affert etiam hæc a Greg. VII. dictata in digesto: *Illi soli*, id est Romanæ sedi, *licet pro temporis necessitate novas leges condere*. Quibus legibus Galli acquiescendum credunt; ut enim ait Irenæus Lugdunensis Epis. *Ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*, lib.3.c. 1. Eamque obedientiam præcipiat Concil. Turon. 11. Can. 2. his verbis: *Quis Sacerdotum contra decreta talia, quæ a Sede Apostolica processerunt, agere præsumat?* Idemque jubeant Regum capitularia, adeo ut Synodo Galliarum a Pipino & Carolo Magno coacta an. 743. Galli professi sunt: *Unitatem & subjectionem Romanæ Ecclesiæ fine tenus vitæ velle servare: Sancto Petro, & ejus Vicario velle subjici*, ut dicit Bonifacius Mogunt. Epist. 105.

Sed non admittunt Galli quod vigorem strictæ legis habeat quidquid in omni curiæ Romanæ Tribunali geritur aut resolvitur, si antiquo Ecclesiæ usui sit contrarium; quemadmodum enim Græci non Schismatici, sed post unionem Florentinam Romano Pontifici subjecti, primatum Ecclesiæ Romanæ ejusque decreta suscipiunt, *salvis privilegiis & juribus Patriarcharum*; ita Galli supremam Papæ authoritatem agnoscunt & colunt, *salvis juribus & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*. Quæ libertates ad duo capita reducuntur. Primum scilicet est: Papa non habet dominium supra temporale Regum. Secundum: Papæ tradita est a Christo plena potestas exercenda, quemadmodum & in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur; unde fit

Consect. 3. Admittunt Galli omnes Canones Conciliorum generalium, immo particularium, quæ universali Ecclesiæ consensu admittuntur, sive Canones illi fidem, vel sanctos mores respiciant; quia una & eadem & invariabilis est doctrina totius Ecclesiæ circa fidem, & sanctos mores.

Sed non admittunt Galli omnes Canones Conciliorum circa disciplinam; quia non una nec eadem, nec invariabilis est disciplina Ecclesiæ: disciplinam enim Ecclesiasticam vocamus in Republica Christiana, quod in Republica sæculi vocatur politica; est autem politica Principatus ea consuetudo, secundum quam decet unumquemque civium conversari: patet autem, quod non sit eadem in unaquaque Ecclesia consuetudo, alii enim sunt ritus Ecclesiæ Latinæ, alii Ecclesiæ Græcæ: & quemadmodum quælibet Ecclesia suos ritus sequitur; ita Ecclesia Gallicana suam æmulatur disciplinam: itaque

Galli recipiunt antiquos circa disciplinam Canones, quales sunt in antiqua collectione Dionysii Exigui, Hincmari, & in Bibliotheca Justelli, quia antiquam continent disciplinam

Venerantur Galli, sed non recipiunt saltem ut legem recentiores circa meram disciplinam Canones, quales sunt in collectione decreti Gratiani, in decretalibus, in sexto, in Clementinis, in Extravagantibus, nisi concordent antiquo Gallorum usui: quia, inquiunt, Gratianus multis scatet mendis, & ea, quæ affert, vim legis non habent ab auctore collectionis, sed solum ex instrumentis, quæ citat: constitutiones vero, quæ sparsæ sunt in Decretalibus, in sexto, in Clementinis, in Extravagantibus, si fidem vel mores respiciant, a Gallis humiliter suscipiuntur; si vero disciplinam spectent, a Gallis non recipiuntur nisi quatenus usui Gallorum concordant.

Sic pariter Galli non recipiunt omnes regulas Concellariæ Romanæ, omnes censuras in Bulla in Cœna Domini contentas, decreta Inquisitionis, regulas indicis librorum, Constitutiones Congregationum regularium, nisi quatenus concordant usui Gallorum: ita expressis terminis D. de Fleury loco citato. Unum quod moneo istud est, scilicet, quod quamvis omnium Curiarum Romanarum decisiones vigorem Legis in Gallia non habeant, quando tractant de rebus ad meram disciplinam pertinentes, tamen apud nos authoritatem debent habere quam maximam, tum quia sunt effata Curiæ maxime venerandæ, & ratiocinia virorum in jurisprudentia canonica consummatorum. Deinde, si hæ decisiones vel in edictis Regiis, v.g. Blesensibus, Aurelianensibus, aut Concilio aliquo particulari Galliæ determinentur, tunc incipiunt vigorem Legis habere: demum attendendum est, an disciplina Italica, tali decisione præscripta, propius ad disciplinam antiquam, quam usus Gallicanus, videatur accedere, & tunc præferri debet disciplina Italica Gallicanæ.

§. III.

An Ecclesia jure divino potestatem habeat vel directe vel indirecte circa Regum temporalia, vel circa temporale subditorum, etiam sine consensu Regum.

Nota. Quod non eadem est omnium Theolo-

logorum circa hanc quæstionem doctrina: aliqui volunt, Ecclesiam habere dominium saltem indirectum circa Regum temporalia: hæc fuit sententia Bonifacii VIII. in Bulla, quæ incipit *Unam sanctam*; sed Clemens V. Bulla quæ incipit, *Meruit*, decretalem Bonifacii revocavit, quatenus Regiæ dignitati, ac juribus officere poterat; ideo sit

Prop. unica. Post constitutam a Christo Regalis & Pontificalis potestatis divisionem, Ecclesiastica authoritas jure divino neque directe, neque indirecte extendi debet ad temporale vel Regum, vel etiam subditorum, sine consensu Regum.

Prob. 1. Scriptura. *Regnum meum non est de hoc mundo*, inquit Christus, Joan. 18. v. 36. *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari : & quæ sunt Dei Deo.* Matth. 22. v. 21. Ergo cum Christus omne dominium temporale abjecerit, immo cum vellent eum Regem facere aufugerit, & cum in hoc Apostoli eorumque immediate successores Christum rigide imitati fuerint, signum est, authoritatem Ecclesiæ non esse ad temporale Regum vel subditorum extendendam invitis Regibus.

2. Ex differentia, quam statuunt Patres inter Regnum & Ecclesiam, Regnum ascribentes Principibus sæcularibus, Ecclesiam vero Præsulibus. Athanasius citans Osium, sic Constantinum in sua Apolog. alloquitur : *Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit .... Neque enim fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator.* Synesius Epist. 57. *Illi*, id est, Imperatores, *in negotiis, nos in oratione collocati sumus*. Symmachus in Apol. advers. Anast. comparans Imperatorem cum Sacerdote, sic concludit : *Postremo tu*, Imperator, *humana administras, ille tibi divina dispensat*. Greg. II. Epist. ad Leonem Isaurum Imper. comparato Sacerdotio cum Imperio, sic concludit : *Idcirco Ecclesiis præfecti sunt Pontifices, a Reipublicæ negotiis abstinentes, ut Imperatores similiter ab Ecclesiasticis abstineant.* Demum Nicolaus I. Epist. ad Michaelem Imperatorem, quod sit munus distinctum utriusque, Imperatoris & Præsulis in novo Testamento, licet forte in veteri conjungeretur, eleganter describit his verbis: *Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidam typice Reges simul ac Sacerdotes existerent, quod sanctum Melchisedec fuisse sacra prodit historia .... sed cum ad verum ventum est eumdem Regem atque Sacerdotem, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit; quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus Legibus uterentur, quatenus spiritualis actio carnalibus distaret incursibus.* Ergo, sicut post divisam a Christo Regiam & Ecclesiasticam dignitatem, Principes sæculares jure divino non habent potestatem circa spiritualia ita nec Præsules circa temporalia.

3. Rat. Respublica instituta a Christo eo fine, ut ejus subditi beatitudinem spiritualem consequantur, non debet auctoritatem suam nisi ad spiritualia extendere: quorsus enim ad temporalia, quæ magis abducunt a cælo, quam adducunt? Atqui Ecclesia est hujusmodi Respublica: Ergo authoritatem, quam accepit a Christo, ad spiritualia non ad temporalia debet extendere. Ea fuit D. Bernardi cautio scribendo ad Eug. IV. lib. 4. de consid. cap. 3. *Fac opus*, inquit, *Evangelistæ, & pastoris opus implesti ... Aggredere verbo, non ferro :* & lib. 2. cap. 6. *Disce sarculo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias Prophetæ: & quidem ille non regnaturus ascendit, sed extirpaturus.* Et ut ostendat Regna temporalia jure divino Pontificibus etiam supremis non competere, sed solum aliis titulis, si Regno aliquando potiantur: *Esto*, inquit, *ut alia quacumque ratione hoc tibi vindices, sed non Apostolico jure*; *nec enim tibi ille*, scilicet Petrus, *dare quod non habuit, potuit: quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem, ut dixi, super Ecclesias; nunquid dominationem* super Regna.

Consectaria, quæ ex hoc principio educunt Doctores Galli, ut videre est apud Dominum de Fleury in suis institutionibus Juris Canonici 3. P. cap. 25.

Consect. 1. Ecclesia nullatenus potest exercere suam potestatem supra Reges, vel subditos non baptizatos; quin nullam habet supra illos jurisdictionem. *Quid mihi*, inquit, Paulus 1. ad Corin. 5. *de illis, qui foris sunt, judicare?* & quidem prioribus sæculis Ecclesia nihil contra Imperatores Paganos molita est, sed eis in temporalibus humiliter obsequebatur.

Consect. 2. Ecclesia non potest exercere suam authoritatem juridicam circa temporale Regum, vel subditorum etiam baptizatorum; quia Reges in temporalibus solum Deum agnoscunt superiorem, a quo immediate vim regnandi accipiunt, juxta illud Sap. 6. v. 4. *Quoniam data est a Domino potestas vobis,*

bis, & virtus ab Altissimo; & juxta illud Paul. ad Rom. 13. v. 1. *Non est enim potestas nisi a Deo*, Ut enim eleganter dicit Tertul. in Apol. *Inde est Imperator, unde & homo antequam Imperator*; *inde potestas illi, unde spiritus*. Et Aug. nihil distinguens inter Imperatorem Paganum & Christianum, crudelem & mitem, sic universaliter pronuntiat lib. 5. de Civ. cap. 21. *Qui Augusto imperium dedit*, inquit, *ipse & Neroni: qui Vespasiano vel patri vel filio suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo*. Et subditi in temporalibus solos Reges habent superiores. *Omnis anima*, inquit Paulus ad Rom. 13 *potestatibus sublimioribus subdita sit;* & Petrus: *Subditi estote omni creaturæ, sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis*. 1. Pet. 2. Tertul. ad Scapulam cap 2. agnoscit primo Deum, secundo Imperatorem in temporalibus, nequaquam vero Præsules. *Colimus*, inquit, *sic Imperatorem ut hominem a Deo secundum, & quidquid est a Deo consecutum, solo Deo minorem*. Immo Innoc. III. summus Pontifex cap. *Novit*. de judiciis, eamdem doctrinam ut constantem supponit. *Cum Rex*, inquit, *superiorem in temporalibus neminem recognoscat, &c.*

Consect. 3. Ecclesiæ ministri, v. g. Papa, Episcopi, possunt Reges baptizatos eorumque subditos justis de causis excommunicare; quia hoc judicium est pure spirituale: sed non possunt in pœnam contumaciæ Reges excommunicatos regno temporali privare, aut subditos ab Regis obsequio dimovere; quia hæc sententia temporale Regum attingeret: Christus autem non jussit, ut Apostoli eorumque successores hujusmodi pœnis uterentur; non enim, ut canit Ecclesia, eripit mortalia qui regna dat cælestia. Nec est quod dicatur, Athaliam fuisse, jubente Jojada, abdicatam; vel Oziam usurpantem sacra fuisse ab Azaria Sacerdote e solio ejectum: tum quia non valet consecutio, a veteri Testamento ad novum; Christus enim dignitatem regiam & Sacerdotalem in Evangelio voluit esse abinvicem discretas, licet in veteri Testamento essent quasi conjunctæ: deinde Athalia non ejecta est e solio legitimo, sed e solio quod usurpaverat, & Joas legitimus princeps in thronum patris evectus est; Ozias vero non ejectus est, sed ipsemet leprosus habitavit segregatus a populo, ut Lex jubebat.

Consect. 4. Ecclesiæ ministri, v. g. Papa, Episcopi, non possunt subditos Regis excommunicati absolvere a juramento fidelitatis; quia sic privaretur Rex bono suo temporali, (subditi enim sunt Regis dominium. Et sicut Reges, licet excommunicati, non desinunt esse homines civiles, ita neque Reges; quia auctoritas Regia juris est gentium, quod non tollitur per jus ecclesiasticum.

Nec est quod dicatur, quod in Concilio Lateranensi 4. & in Concilio Lugdunensi videatur determinari, Reges privari posse suo regno, si vel labantur in hæresim, vel hæreticis suppetias ferant; ut enim late probant Doctores Sorbonici, vel Concilium ibi loquitur comminatorie, non decretorie: vel id propositum solum fuit, & non decisum: vel demum Concilium, quoad hoc, non recipitur in Gallia.

Consect. 5. Ecclesiæ ministri, v. g. Papa, Episcopi, non possunt invitis Regibus pro libito contra statuta Regni de redditibus Ecclesiæ disponere, v. g. extra regnum transferendo, alienigenis impertiendo; quia pertinet ad Regem quod ejus hostes non ditentur bonis Ecclesiasticis.

Consect. 6. Ecclesiæ ministri, v. g. Papa, Episcopi, non possunt de personis baptizatis contra statuta Regni disponere; quia personæ baptizatæ non desinunt esse Regi subditæ, & ita, invito Rege, simplices fideles, Clerici, Monachi non possunt e Regno exire.

Consect. 7. Ecclesiæ ministri, v. g. Papa, Episcopi, non possunt invito Rege beneficia Ecclesiastica, immo nec prælaturas monasticas personis, quæ non sunt Regnicolæ, conferre; quia, sicuti ad Regem spectat, ut nullus alienigena, ipso invito, in ejus Regno degat, negotietur; ita ad Regem spectat, ut nullus alienigena ipso invito beneficium aut prælaturam possideat: quod ita exprimit Glossator Pragmaticæ Sanctionis. *Rex Franciæ habet privilegium*, inquit, *quod exterus & alienigena non potest beneficiari in suo regno sine eius permissione*.

Consect. 8. Ecclesiæ ministri, v. g. Papa, Episcopi, personæ, quæ jure civili sunt inhabiles ad aliquod officium, non possunt ad idem officium habiles reddere: quia habiles reddendo, temporale quodammodo attingerent.

Sic infames, jure civili inhabiles ad successionem, non possunt per solam dispensationem Papæ, si consensus Regis non interveniat, fieri habiles.

Sic spurii, jure civili inhabiles ad hæreditatem patris, sine consensu Regis per solam dispensationem Papæ non possunt ad eam hæreditatem fieri habiles. D. de Marc. L. 2. Conc. cap. 3.

§. IV.

olim Clerici flagitiosi detrudebantur in monasterium. Tertio, pœnam ejectionis; sic Clerici jubentur in suam Diœcesim se recipere. Quarto, pœnam pecuniarum, non per modum mulctæ, sed per modum eleemosynæ.

3. Circa crimina ita exercetur.

Judex Ecclesiasticus non potest judicare nisi de his criminibus, quibus præcise violantur constitutiones Ecclesiasticæ. Talis est, v. g. venatio Lege civili non vetita, popinarum frequentatio, &c. quia cum hæc crimina nihil involvant contra edicta Regum, per solos judices Ecclesiasticos judicanda sunt.

Judex Ecclesiasticus olim judicabat de hæresi, de schismate, blasphemia, apostasia, sacrilegio, superstitione, simonia, homicidio, adulterio, usura, &c. sed cum hæc crimina Legibus etiam civilibus prohibeantur, & insuper Reges glorientur se esse protectores Canonum, hæc omnia crimina commissa, etiam a Clericis, judicantur per judices civiles, sed una cum judice Ecclesiastico.

4. Circa res temporales ita exercetur.

1. Judex Ecclesiasticus in causa civili nullam litem attingere potest. Primo, quæ sit inter duos Laicos, quia sic attingeret temporale. Secundo, quæ sit inter Laicum & Clericum, si Clericus sit actor; quia actor debet sequi forum rei. Tertio, neque inter Clericos, si actio sit realis, id est respiciens res temporales; quia sic attingeret temporale. Quarto, neque inter Clericos, etiam si actio sit personalis, si hæc actio fundata sit in contractu inito coram Notario Regio; quia actio illa, utpote Regia, transfert litem ad judicem Regium.

2. Judex Ecclesiasticus in causa civili potest litem dirimere. Primo, si sit inter duos Clericos habentes ad invicem solum actiones personales; quia persona Clerici subjicitur foro Ecclesiastico. Secundo, si sit inter Laicum & Clericum, & Laicus habeat solam actionem personalem contra Clericum; quia actor sequitur forum rei.

5. Circa modum procedendi ita exercetur.

In judicio Ecclesiastico, uti in civili, debent esse judex, actor & reus, & modus procedendi.

Judex Ecclesiasticus ordinarius est Episcopus erga sibi subditos, Abbas erga suos monachos, & Capitulum exemptum erga Clericos ejusdem Capituli.

Judex Ecclesiasticus delegatus est Vicarius Generalis in jurisdictione voluntaria, Officialis in jurisdictione contentiosa.

Actor est ille, qui in judicio petit id, quod sibi debitum putat. Reus est is, a quo res exigitur in judicio.

Modus procedendi in jure Ecclesiastico est fere idem qui in jure civili, præcipue in Gallia, ubi Officiales tenentur formulis a Rege præscriptis adhærere. Proceditur ergo vel accusatione, vel denunciatione, vel inquisitione.

Accusatio est delatio rei de crimine per actorem respondentem, se illud probaturum: si probet, condemnatur reus; si deficiat in probatione, talionis pœnæ accusator addicitur.

Denunciatio est delatio rei de crimine per actorem non suscipientem onus probandi.

Inquisitio est informatio contra criminum auctores; quia judex satagit devenire ad plenam probationem.

Hæc executus sum multis, ut qui aliquando vel inviti coguntur vel judicare, vel litigare, sciant, quomodo procedendum sit in tribunali Ecclesiastico.

Quoties autem judex Ecclesiasticus prædictos terminos transgreditur, fit provocatio ad judicem sæcularem, & hoc vocant: *Appel comme dabus*. Legat, si quis ea materia egeat, Ferret.

ARTICULUS V.

Ad quæ extendatur Lex positiva divina.

PRop. unica. Lex positiva divina extenditur ad ea omnia, quæ nos ad salutem consequendam conducere possunt.

Prob. 1. Scriptura. Lex positiva divina nihil est aliud, quam divina revelatio, in Scriptura & traditione contenta, docens quid agendum, quid non agendum: atqui divina hæc revelatio extenditur ad ea omnia, quæ nos ad salutem possunt conducere, juxta illud Pauli ad Timot. 2. c. 3. v. 16. *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*: Ergo Lex positiva divina extendit se ad ea omnia, quæ nos ad salutem consequendam conducere possunt.

2. Rat.

2.*Rat.* Lex positiva divina, cum nihil aliud sit, quam divina revelatio, manifestans quid agendum, quid non agendum, Legem æternam in Deo latentem nobis exterius Scriptura & traditione manifestat; Legem naturalem in corde nostro involutam, revelatione nobis per Ecclesiam manifestata, evolvit; Legem positivam, tum civilem, tum Ecclesiasticam in multis deficientem, perficit infallibili sua veritate: ergo debet se extendere ad ea omnia, quæ nos ad salutem consequendam conducere possunt, ut eam salutem infallibiliter assequamur.

Consectarium unicum hujus Doctrinæ.

Cum Lex positiva divina sit idem ac divina revelatio contenta in Scriptura & traditione, docens quid agendum, quid non agendum, oportet, ut homo talis sit erga divinam Legem positivam, qualis esse debet erga divinam revelationem. Vide quæ circa illud officium diximus primo tractatu, & quæ dicturi sumus in ultimo tractatu.

ARTICULUS VI.

De extensione Legis quoad actus, sive de actibus, quos una & eadem Lex vetat, aut jubet; simulque explicatur, quomodo Lex per actus internos & externos violetur.

PRop. 1. Quælibet Lex justa præcipit actus virtuosos, qui per se conducunt ad finem Legis; vetat vero actus vitiosos, qui per se abducunt a fine Legis.

Prob. 1. Scriptura. *Declina a malo & fac bonum*: Psal. 36. v. 27. ubi Scriptura innuit actus virtuosos imperari, vitiosos vero vitari.

2 Ex D. Th. *Proprius effectus Legis est bonos facere eos, quibus datur, vel simpliciter, vel secundum quid*. 1. 2. q. 92. a. 1. Ergo Lex præcipit actus virtuosos, qui per se ducunt ad finem legis, vetat vero eos, qui abducunt; quia non aliter possunt homines boni & virtuosi fieri, nisi exercendo actus virtuosos, fugiendo vitiosos.

3. *Rat.* Lex est regula actionum humanarum, sicuti ars est regula artefactorum: ergo sicuti ars præcipit artifici actus, qui per se conducunt ad conficiendum artefactum, vetat vero eos, qui removent a confectione artefacti; ita Lex præcipit homini eos actus, qui per se conducunt ad finem legis, vetat vero eos, qui abducunt hominem a fine legis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Lex naturalis præcipit virtutes morales ordinis naturalis, v.g. prudentiam, justitiam, fortitudinem, & temperantiam; quia per se conducunt ad honestatem: vetat vero vitia his virtutibus opposita; quia *Honeste vivere, neminem lædere*, est finis Legis naturalis.

Consect. 2. Lex supernaturalis præcipit virtutes supernaturales infusas, quales sunt virtutes Theologicæ, fides, spes, caritas, & quales sunt virtutes morales infusæ, scilicet, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia: & vetat vitia iis virtutibus opposita; quia finis legis divinæ est videre Deum, ut est in se. Ad quod obtinendum requiritur, ut prædictæ virtutes exerceantur, & vitia eis opposita vitentur.

Consect. 3. Lex Ecclesiastica præcipit ea, quæ conducunt per se ad cultum vere religiosum, & prohibet ea, quæ abducunt ab eo cultu; quia finis Ecclesiæ est verum cultum religiosum inter homines fovere.

Consect. 4. Lex civilis virtutes politicas præcipit, quæ per se conducunt ad quietem Reipublicæ, vetat vero ea, quæ eam perturbant; quia finis legis civilis est fovere quietem, & pacem inter Cives.

Consect. 5. Lex naturalis per se directe præcipit actus interiores & exteriores virtutum moralium; quia actus interior & exterior est necessarius ad veram honestatem.

Consect. 6. Lex divina supernaturalis per se directe præcipit actus interiores, & exteriores virtutum supernaturalium; quia illi actus sunt necessarii ad finem supernaturalem obtinendum.

Consect. 7. Lex Ecclesiastica per se directe præcipit actus externos ad religiosum cultum peragendum requisitos; quia illi actus sunt necessarii ad obtinendum finem, quem Ecclesia sibi proponit, scilicet, cultum sensibilem Deo dignum.

Consect. 8. Lex civilis per se directe præcipit actus externos ad quietem publicam inducendam necessarios; quia talis quies est ejus finis.

Consect. 9. Lex ecclesiastica & civilis indirecte præcipiunt actus inter nos necessario requisitos ad hoc, ut actus externi sint liberi & morales, ea libertate, & moralitate, quæ competit actui qui præcipitur; quia, cum directe præcipitur aliquod opus externum, præcipitur indirecte id, quod exigitur, ut opus externum fiat; actus autem in-

Consect. 3. Principes sæculares non habent potestatem neque per seipsos exercendi sacra, neque per se ipsos consecrandi ministros, qui sacra exerceant: quocirca piissimus Sacerdos 2. Paralyp. sic Oziam sacra affectantem deterret. *Non est*, inquit, *officii tui, Ozia, ut adoleas incensum coram Domino, sed Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad hujusmodi ministerium.*

Consect. 4. Principes sæculares non habent potestatem judicandi Sacerdotes, Episcopos, &c. cum agitur de degradatione, suspensione, interdicto, excommunicatione, aliisque pœnis spiritualibus, quibus Ecclesia rebelles & contumaces filios punire solet; quia circa id non judicare debent, sed judicari: de quo ita scribit Honorius Imperator ad Arcadium fratrem in causa Chrysost. *Si quid*, inquit, *de causa religionis inter Antistites ageretur, episcopale oportuit esse judicium: ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium.* De penis vero infligendis personis ecclesiasticis ob crimina pacem publicam perturbantia agemus infra.

§. III.

An defensio Ecclesiæ, ejusque deceretorum, Principibus sæcularibus competat.

Prop. unica. Principes sæculares possunt, immo debent Leges condere circa & personas & res sacras, modo id faciant in suppetias Ecclesiæ, non ut Doctores fidei, sed ut defensores, non ut conditores Canonum, sed ut vindices.

Probatur 1. Scriptura. Paulus 1. ad Tim. 2. sic habet: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate:* Ergo pertinet ad Reges, ut curent populos tranquillos vivere in pietate & castitate: ergo ad eos spectat Leges condere, quibus & personæ, & res sacræ, & fides, & mores, disciplinave in tuto sint posita.

2. Ex Aug. qui ita loquitur contra Cresconium lib. 3. cap. 51. *In hoc*, inquit, *Reges, sicut eis divintus præcipitur, Deo serviunt in quantum Reges sunt, si in regno suo bona jubeant, mala probibeant, non solum quæ pertineant ad humanam societatem, verum etiam quæ pertinent ad divinam Religionem.* Et Leo Epist. 82. scribit ad Leonem Imperatorem his verbis: *Debes incunctanter advertere, Regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed etiam maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut abusus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem iis, quæ sunt turbata, restituas:* Ergo ad Reges pertinet Leges condere in defensionem Ecclesiæ.

3. Ex titulis, qui Imperatoribus tribuuntur. Constantinus vocatur ab Eusebio, *Communis Episcopus*, idest; invigilans bono totius Ecclesiæ. Marcianus vocatur a Concilio Chalcedonensi, *Imperator & Sacerdos*. Clodovæus a Remigio dicitur non solum *Prædicator fidei, sed Defensor*. Sed instar omnium sit ille titulus, quem sibi gloriosum putat Ludovicus VII. Galliæ Rex, sic enim fatur: *Ludovicus Dei gratia Francorum Rex. Omnibus in perpetuum digna vox est majestate regnantis, Dei servum & Ecclesiæ defensorem se Principem profiteri.* Ita Baluzius in additionibus D. de Marca L. 2. cap. 13. Ergo Regum est, Leges pro defensione Ecclesiæ statuere.

4. Rat. Tanta est inter Regalem & Ecclesiasticam dignitatem connexio, ut vix una sine altera possit consistere: Ecclesia enim inspirat populis amorem erga Reges, & Reges Ecclesiastica statuta populis tremenda efficiunt. Quod mutuum utriusque authoritatis commercium sic eleganter describit Arnulphus Lexoviensis Episcopus. *Dignitas*, inquit, *Ecclesiastica Regiam provehit potius, quam adimit dignitatem; & Regalis dignitas Ecclesiasticam conservare potius consuevit, quam tollere libertatem. Etenim quasi quibusdam invicem sibi complexibus dignitas Ecclesiastica & Regalis occurrunt; cum nec Reges salutem sine Ecclesia, nec Ecclesia pacem sine protectione Regia consequatur:* Ergo Regum est Leges condere, quibus Ecclesiam tueantur; & ut ait Greg. VII. Epist. 19. lib. 1. *sicut duobus oculis humanum corpus temporali lumine regitur, ita his duabus dignitatibus in pura Religione concordantibus, corpus Ecclesiæ spirituali lumine regi & illuminari probatur.*

Consectaria bujus Doctrinæ.

Consect. 1. Principes possunt & debent, non quidem verbo insistere, sed concionatoribus verbi divini suppetias ferre, eosque regia protectione defendere.

Sic Josaphat, 2. Paral. 17. v. 9. mittit Doctores legis, qui populum doceant. *Docebantque populum*, inquit Textus Sacer, *habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas urbes Judæ, atque erudiebant populum. Itaque factus est pavor Domini super omnia regna terrarum .... Nec audebant bellare contra*

tra Josaphat. Ut enim monet Cælestinus Papa Theodosium Imperatorem: *Major debet esse sollicitudo fidei, quam Regni, & amplius pro pace Ecclesiæ decet esse sollicitum, quam pro securitate terrarum, subsequentur enim omnia prospera, si penitus, quæ Deo sunt cariora, serventur*.

Consect. 2. Principes possunt & debent insistere Conciliis, quando sunt necessaria, convocandis: opem ferre eisdem Conciliis, dum actu habentur, reprimendo contumaces hereticos: ubi vero finita sunt Concilia, executionem eorum sedulo procurare, infligendo pœnas temporales his omnibus, qui ausu temerario contradicere tentaverint.

Sic Constantinus Nicænam Synodum convocandam curavit, convocatam adjuvit, & pertinaces Arianos decretis Synodi resistentes, variis pœnis mulctavit. Socrat. lib. 1. c. 6.

Sic Marcianus triplici edicto Synodum Chalcedonensem confirmat, & pœnas in Clericos & Laicos contumaces infligit: ita edictum Marc. Act. 4. & ut notat Hermianus lib. 12. cap. 3. *Ecclesiasticorum Canonum voluit esse executor, non conditor, non exactor*.

Sic Justinianus sententiam adversus Anthimum latam Imperialem effecit: *Imperialibus legibus corroboravit, perinde ac si ab imperio ipso provenisset*.

Consect. 3. Principes sæculares possunt Leges speciales ferre circa eas omnes materias, circa quas Ecclesia suas statuit regulas, v. g. circa fidem, circa mores, circa disciplinam: quæ Leges sint quasi accessoriæ ad Leges Ecclesiasticas jam statutas, & media, quibus efficacius executioni mandentur: quæ leges non condant Canones, sed conditos foveant, conservent, & custodiendos jubeant.

Sic tot Leges Imperiales in corpore juris sparsæ circa res mere ecclesiasticas, non sunt signum authoritatis, quam Reges habeant circa sacra, sed signum zeli & amoris, quem habuerunt erga Ecclesiam; ut enim præmonet Justinianus: *Nos tutores sumus*, inquit, *vetustatis, & vindices*. Jussio Just. pro Concil. Bizac.

Sic tot capitularia Regum Galliæ, cum ex Episcoporum, tum ex optimatum Regni consilio, lata circa res omnino ad Ecclesiam pertinentes, non sunt argumenta Regiæ authoritatis in rebus fidei aut disciplinæ Ecclesiasticæ, sed solum indicia, quibus Reges nostri se protectores Ecclesiæ profitebantur; unde effectum est, ut Leo IV. Papa C. de capitulis, dist. 10. apud Gratianum spondeat se *Capitula illa & præcepta Lotharii, ejusque prædecessorum in omnibus observaturum*. Et Synodus Meldensis an. 845. cap. 78. postulet: *Ut capitula Ecclesiastica a Domno Carolo Magno Imperatore, nec non a Domno Ludovico pio Augusto promulgata, obnoxie observari præcipiantur; sicut & legalia observanda esse noscuntur*.

Sic demum tot edicta Regum nostrorum, sive Aurelianensia, sive Blesensia, illa pariter edicta quæ Ludovicus XIV. edidit contra Jansenistas, Quietistas, &c. licet in rebus ad Religionem pertinentibus, authoritatem Ecclesiasticam non offendunt, sed defendunt; non minuunt, sed augent: viris probis reddunt venerandam; improbis vero terribilem exhibent.

Consect. 4. Principes sæculares, ut tuitores Ecclesiæ possunt & debent personis sacris injuste vexatis suppetias ferre, Canonum violationi, & bonorum Ecclesiasticorum direptioni fortiter se opponere.

Ex eo quod Imperatores sint personarum Ecclesiasticarum defensores factum vidimus quod Paulus injuste vexatus a Judæis Cæsarem appellaverit: quod Athanasius injuste condemnatus in Tyrio conciliabulo Constantinum Augustum provocaverit. Ath. Apol. 2. Quod Eusebius Dorilæi Episcopus exagitatus a Dioscoro, & Eunomius Episcopus Nicomediæ male habitus ab Anatolio Neocæsariensi, Marcianum Imperatorem adierint, ut ab eo jus exposcerent. Concil. Chalc. Act. 1. & 11. & alii multi Episcopi ad Principes sæculares recurrerunt: quibus in casibus solebant Principes vel Clericos judices nominare, uti fecit Costantinus in causa Donatistarum, vel prioris Concilii judicatum suspendere, nova Synodo indicta, ut fecit Theodosius in causa Nestorii: immo si Episcopi durius agerent cum Clericis, isti aliquando ad Principes recurrebant auxilium postulantes, ut habet Concil. Francof. cap. 6. ann. 794. ubi jubetur, ut si Clerici male habeantur ab Episcopis, ad Metropolitanum provocent; & si Metropolitanus *rem non possit corrigere, vel pacificare, tunc tandem veniant accusatores cum accusato* ad domnum Regem, *ut sciat veritatem rei*.

Ex eo quod Principes sint tuitores Canonum, & bonorum Ecclesiasticorum, vidimus leges edidisse, quibus violatio Canonum, & direptio bonorum Ecclesiasticorum districtius inhibetur. Sic Codex Theod. L. *Omni* 45. ita loquitur: *Omni innovatione cessante vetustatem & Canones pristinos Ecclesiasticos .... servari præcipimus*.

ARTICULUS IV.

Ad quæ extendatur, vel non extendatur Lex & poteſtas Eccleſiaſtica.

§. I.

De poteſtate ſpirituali Eccleſiaſtica.

PRop. *unica*. Eccleſia iure divino habet poteſtatem ſpiritualem, per quam fidelibus poteſt præcipere quidquid ad eorum ſalutem conducere poteſt.

Prob. 1. Scriptura. *Omnis poteſtas mihi data eſt in cælo & in terra*, inquit Chriſtus Matth. 28. v. 18. Ergo ſi Chriſtus habet poteſtatem ſpiritualem ſupra fideles, cum eo tantum fine venerit, ut eos ſalvos faceret, Eccleſiæ Paſtores eam pariter habent poteſtatem; quia ita eos alloquitur Chriſtus: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*: Joan. 20. v. 21. & rurſus: *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit; qui autem me ſpernit ſpernit eum, qui me miſit*. Luc. 10. v. 16. Ergo Eccleſia habet poteſtatem ſpiritualem ſupra fideles.

2. Ex Oſio Cordub. in Epiſt. ad Conſtan. & Athan. qua eadem authoritate utitur Athan. in Apolog. ad Conſtant. ubi ſic habet: *Tibi Deus imperium commiſit; nobis, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit*: & Gelaſius 1. Ad Anaſtaſium Imperatorem: *Duo quippe ſunt, Imperator Auguſte*, inquit, *quibus mundus hic regitur, authoritas ſacra Pontificum, & Regalis poteſtas*: Ergo ſicut Imperialis poteſtas ad temporalia ſe extendit, tia Eccleſiaſtica authoritas ad ſpiritualia debet ſe extendere.

3. Rat. Omnis Reſpublica habet poteſtatem ſupra ſuos ſubditos; & talem quidem, qualis eſt Reſpublica; alias, ut optime ita Aug. ſine tali poteſtate Regna non eſſent Regna, ſed latrocinia; nec eſſent multitudo bene ordinata, ſed congeries confuſa: atqui Eccleſia eſt Reſpublica ſpiritualis a Chriſto fundata: ergo debet habere poteſtatem ſpiritualem ſupra ſuos ſubditos, ſcilicet baptizatos, circa ea, quæ baptizatos ad ſalutem æternam conducere poſſunt: & ſi Eccleſia ſit ſponſa, cuius Chriſtus eſt ſponſus; Regnum, cujus Chriſtus eſt Rex; corpus, cujus Chriſtus eſt caput; nullam ne habebit poteſtatem circa fideles, qui ſunt & filii, & membra, & ſubditi per baptiſmum?

Conſectaria hujus Doctrinæ.

Conſect. 1. Eccleſia habet poteſtatem in verbo & in Sacramentis, ideſt, habet poteſtatem docendi quæ a Chriſto didicit, & miniſtrandi Sacramenta, quæ a Chriſto accepit. Hanc poteſtatem contulit Chriſtus Eccleſiæ his verbis: *Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Matth. 28. v. 19. Ea poteſtate uſi ſunt Apoſtoli, & Epiſcopi, eorumque ſucceſſores, qua *in omnem terram exivit ſonus eorum*, & qua mundus ex pagano factus eſt Chriſtianus.

Conſect. 2. Eccleſia habet poteſtatem circa quæſtiones fidei, & morum, & diſciplinæ; ſeu habet poteſtatem determinandi quæ pertinent ad fidem, ad mores, & ad diſciplinam; & fideles tenentur deciſionibus ab Eccleſia ſtatutis acquieſcere: *Si quis enim Eccleſiam non audierit*, habendus eſt, *ut Ethnicus, & publicanus*.

Exercitium hujus authoritatis expreſſe deſcribitur Act. cap. 15. ubi habes formam Concilii; qui ſcilicet debeant Concilio intereſſe; quo modo debeant Concilia procedere; qua authoritate definire; de qua materia tractare; & quam obedientiam Conciliis debeant populi exhibere. 1. Non Laici, ſed Apoſtoli, & ſeniores conveniunt. *Surrexerunt*, inquit Lucas, *quidam de hæreſi Phariſæorum, qui crediderunt, dicentes: quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque ſervare legem Moyſi, conveneruntque APOSTOLI, ET SENIORES videre de verbo hoc*. Proceduntque, non tumultuoſe, ſed maxima cum prudentia & diligentia. *Cum autem conquiſitio fieret*, ait Lucas, quæſtione mature perpenſa difficultatem reſolvunt, non proprio lumine, ſed divino, non authoritate propria, ſed Dei. *VISUM EST*, inquiunt, *SPIRITUI SANCTO ET NOBIS*. Materiam tractant non ſæcularem, ſed Eccleſiaſticam, ſcilicet, quæſtiones pertinentes ad fidem, ad mores, ad diſciplinam. Ad fidem quidem, dum ſtatuunt infallibilitatem Eccleſiæ. Ad mores, dum res ex ſe malas interdicunt, fornicationem ſcilicet, & idololatriam. Ad diſciplinam, dum, ut Synagogam quodam cum honore ſepeliant, a ſanguine & ſuffocato, licet res eſſent indifferentes, volunt fideles abſtinere: quam determinationem pauciſſimis his verbis comprehendunt in Epiſt. Synodica. *Viſum eſt*, inquiunt, *Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine & ſuffocato, & fornicatione; a quibus cuſtudientes vos, bene agetis: valete.... Illi ergo*, ideſt Paulus & Barnabas, *congregata multitudine tradiderunt epiſtolam, quam cum legiſſent*, non reſtiterunt, *ſed gaviſi ſunt ſuper conſolatione. Et Paulus perambulabat Syriam, &*

& Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum. En obedientia fidelium erga Ecclesiam, quoties determinat aliquid circa fidem, mores, & disciplinam.

*Consect.*3. Ecclesia habet potestatem constituendi Prælatos, & ministros, ad ædificationem corporis Christi, scilicet Ecclesiæ, necessarios, ut docet Paulus ad Ephes.4.v.11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi.* Ea potestate usa est Ecclesia, & sic interrupta permansit successio Pastorum ab Apostolis usque ad nos.

*Consect.*4. Ecclesia habet potestatem judicandi quoscumque baptizatos circa participationem Sacramentorum, excludendo indignos, & admittendo dignos; quæ potestas non obscure significatur his verbis: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatus & in cælis.* Matth.16. v.19.

Ea potestate utuntur ministri Ecclesiæ, quoties fideles vel arcent a Sacramentis, vel eos ad Sacramenta admittunt.

Consect. 5. Ecclesia habet potestatem judicandi in foro secreto & interiori de peccatis tam occultis quam publicis, vel remittendo per absolutionem, vel retinendo per dilationem absolutionis, juxta dispositiones confitentium, quas Christus & Ecclesia præscribunt; quæ potestas satis aperte his verbis declaratur: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt.* Joan. 20. v. 23.

Ea potestate utuntur Confessarii in tribunali pœnitentiæ.

Consect. 6. Ecclesia habet potestatem judicandi in foro publico & contentioso de peccatis publicis, infligendo pœnas spirituales, scilicet excommunicationes Laicis contumacibus, excommunicationes & suspensiones & irregularitates Clericis pariter contumacibus; quæ potestas videtur exprimi his verbis: *Dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Matth. 18. v. 17.

Ea auctoritate usus est Paulus contra Corinthium incestuosum. *Judicavi*, inquit Script. 1. ad Corint. 5. v. 5. *tradere hujusmodi in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.*

Eadem potestate utuntur Episcopi, infligendo censuras.

Consect 7. Ecclesia habet potestatem judicandi circa materiam pure spiritualem, utpote & sponsa & corpus, & regnum Christi, qui auctoritatem exercere voluit, non temporalem, sed spiritualem, dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Jo: 18. v. 36.

Ea potestate utitur Ecclesia, dum judicat de validitate & invaliditate Sacramentorum, de decentia vel indecentia officii Ecclesiastici.

Eadem potestate utuntur judices ecclesiastici, v.g. Officiales, dum in suo territorio etiam contentiose judicant de eadem materia, & pœnis quibusdam ab Ecclesia determinatis addicunt fideles, qui non recipiunt Sacramenta temporibus ab Ecclesia determinatis, v.g. non communicant in paschate, non confitentur semel in anno: & eos fideles, qui non observant Constitutiones mere spirituales ab Ecclesia editas, v.g. non observant festa, non observant jejunia. Item Clericos tam regulares, quam sæculares in contentioso foro judicant, si in verbo prædicando, in sacramentis ministrandis non sequantur statuta Ecclesiæ.

Consect. 8. Ecclesia habet potestatem judicandi circa materiam partim spiritualem, partim temporalem, attingendo præcise quod est spirituale: Christus enim spiritualem jurisdictionem exercuit, sed circa res temporales judicium ferre recusavit: dum enim ei quis diceret: *Dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem; at ille dixit: Homo, quis me constituit judicem, aut divisorem super vos?* Luc. 12. v. 13.

Ea potestate utuntur Ecclesiæ judices, v. g. Officiales, dum in foro etiam contentioso judicant de validitate sponsalium, de validitate matrimonii, aut declarant, quando desponsati possint dissolvere sponsalia, quando conjugati debeant cohabitare, vel ab invicem separari, modo sistant intra limites spiritualitatis; nam si attingat temporale, in Gallia esset *abusus*, ut dicunt, idest, abusus potestatis spiritualis, quæ ad solum spirituale & non temporale debet extendi.

Sic Ecclesia posset judicare de decimis, de beneficiis ecclesiasticis; sed propter connexionem, quam hæ res habent cum temporali, lites circa beneficia, circa decimas, agitantur in foro civili, & non ecclesiastico in Gallia.

§. II.

De modo, secundum quem in Ecclesia Gallicana exercetur potestas spiritualis Ecclesiastica.

Nota, quod auctoritas Ecclesiæ circa fidem,

dem, mores, & disciplinam est indubitata apud omnes Catholicos, sed qualis debeat esse illius potestatis usus, quæ applicatio, quodve ejus exercitium, non apud omnes convenit: alii volunt, eam per Papam, utpote supremum Pastorem, Monarchico regimine exercendam esse: alii vero, per Papam & per Episcopos Monarchico quidem regimine sed aristocratia temperato exercendam esse contendunt; ita tamen, ut Episcopi omnes Romano Pontifici, tamquam capiti, jure divino subjiciantur, ut fatetur D. de Marca Præfat. 2. n. 7.

Qualis sit circa id præsens Ecclesiæ Gallicanæ praxis sequenti Paragrapho ostendam, totumque illud ex probatis auctoribus educo, temperans ab odiosis quæstionibus, sistens intra eos limites, qui ad resolvendos casus conscientiæ inservire possunt.

Prop. unica. Potestas ecclesiastica spiritualis talis est juxta Gallos Doctores & præcipue Sorbonicos, ut in sui exercitio debeat juxta statuta Patrum, & antiquos Canones exerceri.

Probatur 1. Scriptura. *Reges gentium*, inquit Christus, *dominantur eorum*, scilicet despotice, *vos autem non sic*; sed moderate secundum regulas per traditionem ab Apostolis acceptas, vel in Conciliis statutas.

2. Authoritate Patrum. 1. Offert se Innocentius I. qui Chrysostomi condemnationem in Synodo ad Quercum latam, vel ob id solum rejicit, quod non esset juxta Canones. *Nam longe præstiterit*, inquit; *vel ea condemnare, fratres carissimi, quæ recte facta sunt; quam ea robur ullum sortiri, quæ adversus Canones gesta sunt*. Ita apud Sozom. lib. 8. cap. 16. Innocentium sequitur Zosimus ep. 7. *Apud nos enim*, inquit, *inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui statuta Patrum sanxere reverentiam*. Zosimo consentit Bonifacius Epist. 3. ad Hilarium Narbon. Epis. *Convenit nos*, inquit, *paternarum sanctionum diligentes esse custodes*: & Leo Epis. ad Anatolium loquens de Canonibus Nicænis sic pronuntiat: *Omni penitus*, inquit, *auctoritate sit vacuum quidquid ab illorum fuerit constitutione diversum*: Ergo constat ex Patribus, qui Romanam rexerunt Ecclesiam, auctoritatem Ecclesiasticam juxta Canones esse exercendam.

3. Ratione. Regimen bene ordinatum debet esse temperatum per Legem in Comitiis generalibus institutas; quia regimen monarchicum temperatum per Aristocratiam, id est per consilium Majorum, est perfectissimum, habet enim dotes Monarchiæ & Aristocratiæ: atqui Ecclesiæ regimen est perfectissimum, utpote a Christo Domino institutum: ergo Ecclesiæ regimen debet esse temperatum per Leges vel a traditione Apostolorum acceptas, vel in Conciliis constitutas; & proinde potestas spiritualis ecclesiastica talis est ut debeat juxta Canones exerceri.

Ex hoc principio educuntur Consectaria, quibus explicatur, quomodo in Gallia exerceatur potestas spiritualis Ecclesiastica. Vide D. de Fleury in suis institutionibus Canonicis 3. p. cap. 25. Vid. Dom. de Mar. de Concord.

Consect. 1. Agnoscunt Galli, Romanum Pontificem jure divino esse universalis Ecclesiæ caput, & proinde Gallicanæ, quæ illius est membrum. Caput etiam omnium Domini Sacerdotum. Potissimum Sacerdotem cæteris Pontificibus in orbe constitutis reverentiorem. Christi Vicarium, Petri successorem, &c: quas Dotes multis argumentis probat D. de Marca Tomo primo Concor. lib. 7. Sed his potissimum primo affert Cyp. Epist. 2. vel 55. edit. Pamel. ubi dicit: *Ecclesiam Romanam Petri esse Cathedram principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est*. 2. Affert Optatum Milev. lib. 2. cont. Parm. ubi ait: Romanam Ecclesiam eam esse, *in qua una Cathedræ unitas ab omnibus servaretur... Ut iam Schismaticus & peccator esset, qui contra singulorum Cathedram alteram collocaret*; & ideo, ut ait Heronym Epis. ad Damas. *Quicumque extra hanc domum agnum comederit profanus est, si quis in Arca Noe non fuerit peribit regnante diluvio*. adeoque, ut optime ait Natalis Alexander in Histor. Eccles. sæcul. XIII. & VIV. dissert. IX. DE NECESSITATE SALUTIS EXISTIT, OMNES CHRISTI FIDELES ROMANO PONTIFICI SUBESSE, PROUT DIVINÆ SCRIPTURÆ ET SANCTOR. PATRUM TESTIMONIO EDOCEMUR.

Sed non admittunt Galli Doctores, quod Papa dominium habeat directum, vel indirectum in Regum temporalia; sed juxta eumdem Alexandrum, alterum est dogma & Scripturæ Sacræ, & traditioni omnino consonum; fideique proximum, & apud Gallos indubitatum, scilicet: SUPREMA EST ET A SOLO DEO DEPENDENS REGUM AUCTORITAS, ITA UT NULLAM PENITUS ETIAM INDIRECTAM IN EORUM TEMPORALIA POTESTATEM HABEANT ROMANUS PONTIFEX, VEL ECCLESIA. De hoc infra sequenti Paragrapho.

Consect. 2. Admittunt Galli, quod Papa habeat auctoritatem condendi leges: & hoc multi-

triplici titulo; quia est totius Ecclesiæ caput, & specialis Ecclesiæ occidentalis Patriarcha, ita D. de Marca, in cujus rei probationem affert rescriptum Valentiniani, cujus hæc sunt verba: *Omnibusque pro lege sit quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ sedis auctoritas*; & affert etiam hæc a Greg. VII. dictata in digesto: *Illi soli*, id est Romanæ sedi, *licet pro temporis necessitate novas leges condere*. Quibus legibus Galli acquiescendum credunt; ut enim ait Irenæus Lugdunensis Epis. *Ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*, lib. 3. c. 1. Eamque obedientiam præcipiat Concil. Turon. II. Can. 2. his verbis: *Quis Sacerdotum contra decreta talia, quæ a Sede Apostolica processerunt, agere præsumat?* Idemque jubeant Regum capitularia, adeo ut Synodo Galliarum a Pipino & Carolo Magno coacta an. 743. Galli professi sunt: *Unitatem & subjectionem Romanæ Ecclesiæ fine tenus vitæ velle servare: Sancto Petro, & ejus Vicario velle subjici*, ut dicit Bonifacius Mogunt. Epist. 105.

Sed non admittunt Galli quod vigorem strictæ legis habeat quidquid in omni curiæ Romanæ Tribunali geritur aut resolvitur, si antiquo Ecclesiæ usui sit contrarium; quemadmodum enim Græci non Schismatici, sed post unionem Florentinam Romano Pontifici subjecti, primatum Ecclesiæ Romanæ ejusque decreta suscipiunt, *salvis privilegiis & juribus Patriarcharum*; ita Galli supremam Papæ authoritatem agnoscunt & colunt, *salvis juribus & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*. Quæ libertates ad duo capita reducuntur. Primum scilicet est: Papa non habet dominium supra temporale Regum. Secundum: Papæ tradita est a Christo plena potestas exercenda, quemadmodum & in gestis œcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur; unde fit

Consect. 3. Admittunt Galli omnes Canones Conciliorum generalium, immo particularium, quæ universali Ecclesiæ consensu admittuntur, sive Canones illi fidem, vel sanctos mores respiciant; quia una & eadem & invariabilis est doctrina totius Ecclesiæ circa fidem, & sanctos mores.

Sed non admittunt Galli omnes Canones Conciliorum circa disciplinam; quia non una nec eadem, nec invariabilis est disciplina Ecclesiæ: disciplinam enim Ecclesiasticam vocamus in Republica Christiana, quod in Republica sæculi vocatur politica; est autem politica Principatus ea consuetudo, secundum quam decet unumquemque civium conversari: patet autem, quod non sit eadem in unaquaque Ecclesia consuetudo, alii enim sunt ritus Ecclesiæ Latinæ, alii Ecclesiæ Græcæ: & quemadmodum quælibet Ecclesia suos ritus sequitur; ita Ecclesia Gallicana suam æmulatur disciplinam: itaque

Galli recipiunt antiquos circa disciplinam Canones, quales sunt in antiqua collectione Dionysii Exigui, Hincmari, & in Bibliotheca Justelli, quia antiquam continent disciplinam

Venerantur Galli, sed non recipiunt saltem ut legem recentiores circa meram disciplinam Canones, quales sunt in collectione decreti Gratiani, in decretalibus, in sexto, in Clementinis, in Extravagantibus, nisi concordent antiquo Gallorum usui: quia, inquiunt, Gratianus multis scatet mendis, & ea, quæ affert, vim legis non habent ab auctore collectionis, sed solum ex instrumentis, quæ citat: constitutiones vero, quæ sparsæ sunt in Decretalibus, in sexto, in Clementinis, in Extravagantibus, si fidem vel mores respiciant, a Gallis humiliter suscipiuntur; si vero disciplinam spectent, a Gallis non recipiuntur nisi quatenus usui Gallorum concordant.

Sic pariter Galli non recipiunt omnes regulas Concellariæ Romanæ, omnes censuras in Bulla in Cœna Domini contentas, decreta Inquisitionis, regulas indicis librorum, Constitutiones Congregationum regularium, nisi quatenus concordant usui Gallorum: ita expressis terminis D. de Fleury loco citato. Unum quod moneo istud est, scilicet, quod quamvis omnium Curiarum Romanarum decisiones vigorem Legis in Gallia non habeant, quando tractant de rebus ad meram disciplinam pertinentes, tamen apud nos authoritatem debent habere quam maximam, tum quia sunt effata Curiæ maxime venerandæ, & ratiocinia virorum in jurisprudentia canonica consummatorum. Deinde, si hæ decisiones vel in edictis Regiis, v. g. Blesensibus, Aurelianensibus, aut Concilio aliquo particulari Galliæ determinentur, tunc incipiunt vigorem Legis habere: demum attendendum est, an disciplina Italica, tali decisione præscripta, propius ad disciplinam antiquam, quam usus Gallicanus, videatur accedere, & tunc præferri debet disciplina Italica Gallicanæ.

§. III.

An Ecclesia jure divino potestatem habeat vel directe vel indirecte circa Regum temporalia, vel circa temporale subditorum, etiam sine consensu Regum.

Nota, Quod non eadem est omnium Theolo-

logorum circa hanc quæstionem doctrina: aliqui volunt, Ecclesiam habere dominium saltem indirectum circa Regum temporalia: hæc fuit sententia Bonifacii VIII. in Bulla, quæ incipit *Unam sanctam*; sed Clemens V. Bulla quæ incipit, *Meruit*, decretalem Bonifacii revocavit, quatenus Regiæ dignitati, ac juribus officere poterat; ideo sit

Prop. unica. Post constitutam a Christo Regalis & Pontificalis potestatis divisionem, Ecclesiastica authoritas jure divino neque directe, neque indirecte extendi debet ad temporale vel Regum, vel etiam subditorum, sine consensu Regum.

Prob. 1. Scriptura. *Regnum meum non est de hoc mundo*, inquit Christus, Joan. 18. v. 36. *Reddite*, inquit, *quæ sunt Cæsaris Cæsari: & quæ sunt Dei Deo*. Matth. 22. v. 21. Ergo cum Christus omne dominium temporale abjecerit, immo cum vellent eum Regem facere aufugerit, & cum in hoc Apostoli eorumque immediate successores Christum rigide imitati fuerint, signum est, authoritatem Ecclesiæ non esse ad temporale Regum vel subditorum extendendam invitis Regibus.

2. Ex differentia, quam statuunt Patres inter Regnum & Ecclesiam, Regnum ascribentes Principibus sæcularibus, Ecclesiam vero Præsulibus. Athanasius citans Osium, sic Constantinum in sua Apolog. alloquitur: *Tibi Deus imperium commisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ concredidit .... Neque enim fas est nobis in terris imperium tenere, neque tu thymiamatum & sacrorum potestatem habes, Imperator*. Synesius Epist. 57. *Illi*, id est, Imperatores, *in negotiis, nos in oratione collocati sumus*. Symmachus in Apol. advers. Anast. comparans Imperatorem cum Sacerdote, sic concludit: *Postremo tu*, Imperator, *humana administras, ille tibi divina dispensat*. Greg. II. Epist. ad Leonem Isaurum Imper. comparato Sacerdotio cum Imperio, sic concludit: *Idcirco Ecclesiis præfecti sunt Pontifices, a Reipublicæ negotiis abstinentes, ut Imperatores similiter ab Ecclesiasticis abstineant*. Demum Nicolaus I. Epist. ad Michaelem Imperatorem, quod sit munus distinctum utriusque, Imperatoris & Præsulis in novo Testamento, licet forte in veteri conjungeretur, eleganter describit his verbis: *Fuerunt hæc ante adventum Christi, ut quidam typice Reges simul ac Sacerdotes existerent, quod sanctum Melchisedec fuisse sacra prodit historia .... sed cum ad verum ventum est eumdem Regem atque Sacerdotem, ultra sibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium usurpavit; quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Jesus, sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis, officia potestatis utriusque discrevit, ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus Legibus uterentur, quatenus spiritualis actio carnalibus distaret incursibus*. Ergo, sicut post divisam a Christo Regiam & Ecclesiasticam dignitatem, Principes sæculares jure divino non habent potestatem circa spiritualia ita nec Præsules circa temporalia.

3. Rat. Respublica instituta a Christo eo fine, ut ejus subditi beatitudinem spiritualem consequantur, non debet auctoritatem suam nisi ad spiritualia extendere: quorsus enim ad temporalia, quæ magis abducunt a cælo, quam adducunt? Atqui Ecclesia est hujusmodi Respublica: Ergo authoritatem, quam accepit a Christo, ad spiritualia non ad temporalia debet extendere. Ea fuit D. Bernardi cautio scribendo ad Eug. IV. lib. 4. de consid. cap. 3. *Fac opus*, inquit, *Evangelistæ, & pastoris opus implesti ... Aggredere verbo, non ferro*: & lib. 2. cap. 6. *Disce sarculo tibi opus esse, non sceptro, ut opus facias Prophetæ: & quidem ille non regnaturus ascendit, sed extirpaturus*. Et ut ostendat Regna temporalia jure divino Pontificibus etiam supremis non competere, sed solum aliis titulis, si Regno aliquando potiantur: *Esto*, inquit, *ut alia quacumque ratione hoc tibi vindices, sed non Apostolico jure; nec enim tibi ille*, scilicet Petrus, *dare quod non habuit, potuit: quod habuit, hoc dedit, sollicitudinem, ut dixi, super Ecclesias; nunquid dominationem* super Regna.

Consectaria, quæ ex hoc principio educunt Doctores Galli, ut videre est apud Dominum de Fleury in suis institutionibus Juris Canonici 3. P. cap. 25.

Consect. 1. Ecclesia nullatenus potest exercere suam potestatem supra Reges, vel subditos non baptizatos; quin nullam habet supra illos jurisdictionem. *Quid mihi*, inquit, Paulus 1. ad Corin. 5. *de illis, qui foris sunt, judicare?* & quidem prioribus sæculis Ecclesia nihil contra Imperatores Paganos molita est, sed eis in temporalibus humiliter obsequebatur.

Consect. 2. Ecclesia non potest exercere suam authoritatem juridicam circa temporale Regum, vel subditorum etiam baptizatorum; quia Reges in temporalibus solum Deum agnoscunt superiorem, a quo immediate vim regnandi accipiunt, juxta illud Sap. 6. v. 4. *Quoniam data est a Domino potestas vobis*,

bis, & virtus ab Altissimo; & juxta illud Paul. ad Rom. 13. v. 1. *Non est enim potestas nisi a Deo*, Ut enim eleganter dicit Tertul. in Apol. *Inde est Imperator, unde & homo antequam Imperator; inde potestas illi, unde spiritus*. Et Aug. nihil distinguens inter Imperatorem Paganum & Christianum, crudelem & mitem, sic universaliter pronuntiat lib. 5. de Civ. cap. 21. *Qui Augusto imperium dedit*, inquit, *ipse & Neroni: qui Vespasiano vel patri vel filio suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo*. Et subditi in temporalibus solos Reges habent superiores. *Omnis anima*, inquit Paulus ad Rom. 13 *potestatibus sublimioribus subdita sit*; & Petrus: *Subditi estote omni creaturæ, sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis*. 1. Pet. 2. Tertul. ad Scapulam cap 2. agnoscit primo Deum, secundo Imperatorem in temporalibus, nequaquam vero Præsules. *Colimus*, inquit, *sic Imperatorem ut hominem a Deo secundum, & quidquid est a Deo consecutum, solo Deo minorem*. Immo Innoc. III. summus Pontifex cap. *Novit* de judiciis, eamdem doctrinam ut constantem supponit. *Cum Rex*, inquit, *superiorem in temporalibus neminem recognoscat, &c.*

Consect. 3. Ecclesiæ ministri, v. g. Papa, Episcopi, possunt Reges baptizatos eorumque subditos justis de causis excommunicare; quia hoc judicium est pure spirituale: sed non possunt in pœnam contumaciæ Reges excommunicatos regno temporali privare, aut subditos ab Regis obsequio dimovere; quia hæc sententia temporale Regum attingeret: Christus autem non jussit, ut Apostoli eorumque successores hujusmodi pœnis uterentur; non enim, ut canit Ecclesia, eripit mortalia qui regna dat cælestia. Nec est quod dicatur, Athaliam fuisse, jubente Jojada, abdicatam; vel Oziam usurpantem sacra fuisse ab Azaria Sacerdote e solio ejectum: tum quia non valet consecutio, a veteri Testamento ad novum; Christus enim dignitatem regiam & Sacerdotalem in Evangelio voluit esse abinvicem discretas, licet in veteri Testamento essent quasi conjunctæ: deinde Athalia non ejecta est e solio legitimo, sed e solio quod usurpaverat, & Joas legitimus princeps in thronum patris evectus est; Ozias vero non ejectus est, sed ipsemet leprosus habitavit segregatus a populo, ut Lex jubebat.

Consect. 4. Ecclesiæ ministri, v. g. Papa, Episcopi, non possunt subditos Regis excommunicati absolvere a juramento fidelitatis; quia sic privaretur Rex bono suo temporali, (subditi enim sunt Regis dominium. Et sicut Reges, licet excommunicati, non desinunt esse homines civiles, ita neque Reges; quia auctoritas Regia juris est gentium, quod non tollitur per jus ecclesiasticum.

Nec est quod dicatur, quod in Concilio Lateranensi 4. & in Concilio Lugdunensi videatur determinari, Reges privari posse suo regno, si vel labantur in hæresim, vel hæreticis suppetias ferant; ut enim late probant Doctores Sorbonici, vel Concilium ibi loquitur comminatorie, non decretorie: vel id propositum solum fuit, & non decisum: vel demum Concilium, quoad hoc, non recipitur in Gallia.

Consect. 5. Ecclesiæ ministri, v. g. Papa, Episcopi, non possunt invitis Regibus pro libito contra statuta Regni de redditibus Ecclesiæ disponere, v. g. extra regnum transferendo, alienigenis impertiendo; quia pertinet ad Regem quod ejus hostes non ditentur bonis Ecclesiasticis.

Consect. 6. Ecclesiæ ministri, v. g. Papa, Episcopi, non possunt de personis baptizatis contra statuta Regni disponere; quia personæ baptizatæ non desinunt esse Regi subditæ, & ita, invito Rege, simplices fideles, Clerici, Monachi non possunt e Regno exire.

Consect. 7. Ecclesiæ ministri, v. g. Papa, Episcopi, non possunt invito Rege beneficia Ecclesiastica, immo nec prælaturas monasticas personis, quæ non sunt Regnicolæ, conferre; quia, sicuti ad Regem spectat, ut nullus alienigena, ipso invito, in ejus Regno degat, negotietur; ita ad Regem spectat, ut nullus alienigena ipso invito beneficium aut prælaturam possideat: quod ita exprimit Glossator Pragmaticæ Sanctionis. *Rex Franciæ habet privilegium*, inquit, *quod exterus & alienigena non potest beneficiari in suo regno sine eius permissione*.

Consect. 8. Ecclesiæ ministri, v. g. Papa, Episcopi, personæ, quæ jure civili sunt inhabiles ad aliquod officium, non possunt ad idem officium habiles reddere: quia habiles reddendo, temporale quodammodo attingerent.

Sic infames, jure civili inhabiles ad successionem, non possunt per solam dispensationem Papæ, si consensus Regis non interveniat, fieri habiles.

Sic spurii, jure civili inhabiles ad hæreditatem patris, sine consensu Regis per solam dispensationem Papæ non possunt ad eam hæreditatem fieri habiles. D. de Marc. L. 2. Conc. cap. 3.

§. IV.

§. IV.

An Clerici humano jure possint ditiones & Principatus obtinere, & proinde jurisdictionem aliquam circa res non mere spirituales exercere.

Prop. unica. Humano jure possunt Clerici ditiones, aut Principatus obtinere, titulo v.g. donationis, emptionis, cessionis, labore proprio, demum aliis titulis, quibus cæteri homines acquirunt rerum dominium.

Prob. 1. Scriptura. In veteri testamento Levitis datæ sunt urbes in possessionem. Num. 35. Jeremias Propheta, & Sacerdos, patruelis agrum emere jussus est. Jerem. 32. Machabæi supremam authoritatem obtinuerunt.

In novo Testamento nulla est Lex, quæ Clericos a dominio rerum temporalium amoveat; quin immo justum declarant Christus, & Paulus, ut qui altari serviunt, de altari vivant: ergo Clerici possunt ditiones & Principatus obtinere iisdem titulis, quibus alii homines obtinent: & proinde possunt jurisdictionem circa res mere spirituales exercere.

3. *Rat.* Clerici non sunt pejoris conditionis quam cæteri homines: ergo cum cæteri homines ditiones & Principatus obtinere possint, ita & Clerici.

Sic jure justæ retributionis acquirunt oblationes, quæ eis ad victum & vestitum decentem dantur a populis.

Sic jure donationis acquisitum est jus circa Principatus, circa Regna, quæ multi Reges vel summo Pontifici, vel aliis Præsulibus contulerunt.

Sic jure emptionis acquisitum est dominium eorum Principatuum, quos aliquando Clerici compararunt.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quando Clerici habent alicujus vel Regni, vel Principatus dominium, tunc possunt Leges circa temporalia statuere, & circa eadem temporalia jurisdictionem ordinariam exercere; quia non sunt pejoris conditionis quam Principes sæculares: Principes autem sæculares possunt & leges condere & jurisdictionem exercere: ergo & Clerici, quando habent principatus & Regna in sua ditione: de quo ita D. Th. 2. 2. q. 60. a. 6. ad 3. *Potestas sæcularis subditur spirituali, sicut corpus animæ; & ideo non est usurpatum judicium, si spiritualis Prælatus se intromittat de temporalibus, quantum ad ea, in quibus subditur ei sæcularis potestas, vel quæ ei a sæculari potestate relinquitur.*

Sic Papa, quatenus Christi Vicarius, potestatem spiritualem habet in tota Ecclesia, quatenus Patriarcha Occidentis potestatem habet Patriarchalem in toto Occidente, quatenus Romanus Episcopus potestatem habet Episcopalem in suo Episcopatu, quatenus Princeps temporalis potestatem habet temporalem circa temporale eorum, qui sibi subjiciuntur: inde est, quod Leges etiam civiles, quas condit, ligent Cives sibi subditos & non ligent eos, qui ei temporaliter non subjiciuntur.

Sic Papa, Episcopi, Abbates, si habeant Principatus terrenos, possunt, non secus ac Principes sæculares, judicare, & Vicarios judices statuere.

Consect. 2. Licet Clerici non habeant Principatus, vel ditionem temporalem, tamen possunt a Principibus authoritatem judicandi ex delegatione accipere; quia si Princeps sæcularis possit personam sæcularem delegare, ut judicet: ergo & Ecclesiasticam, modo habeat dotes ad judicandum necessarias. Illud præstitum fuit a Principibus sæcularibus; ut patet ex Codice de Episc. Audient. L. 22. 23. 24. 25. 26. 27. & 33.

Consect. 3. Licet Clerici nec ditiones temporales habeant, nec delegentur a Principe sæculari, possunt, ut arbitri, judicare; quia quilibet homo potest eligi ut judex arbitrarius, modo habeat dotes ad judicandum necessarias. Si id possit quilibet homo, quidni Clericus? & ita tempore Pauli fideles judicabantur per arbitros: & tempore Justiniani permissum erat Clericis, ut tamquam arbitri judicarent. Cod. L. 7. & 8. de Episc. audien.

Hinc ego constat, quod ecclesiasticæ personæ potestatem habeant spiritualem, qua judicant spiritualia; & potestatem temporalem, qua judicant temporalia, quando sunt Principes; potestatem delegatam, quando delegantur a Principibus; potestatem arbitrorum, quando eliguntur ut arbitri. Hinc fit quod personæ Ecclesiasticæ tribunal habeant, in quo judicant contentiose; sed quo modo exerceatur hæc potestas judicandi in Gallia, sequenti Paragrapho ostendemus.

§. V.

§. V.

De modo, secundum quem Ecclesia in Gallia exercet potestatem judicandi, quando non est quæstio de rebus omnino spiritualibus, sed de rebus, quæ aliquam habent cum temporali connexionem.

Prop. unica. Juxta præsentem Ecclesiæ Gallicanæ praxim, jurisdictio Ecclesiastica circa causas non mere spirituales certis limitibus adstringitur.

Prob. 1. Authoritate D. de Marca, qui in prolegom. ad suum opus de Conc. pag. 80. ita loquitur: *Sane dissimulandum non est in variis causarum figuris cognitionem adversus Clericos a Regiis Magistratibus suscipi, lites de possessione Beneficiorum, & jurium Ecclesiasticorum motas ab iisdem dirimi, & alia quædam nonnulla in foro disceptari*, quæ jure communi ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinent; sed eam potestatem usurpant tum ex privilegio atque indulgentia Sedis Apostolicæ, tum ex pactis cum eadem Sede initis; quam alioquin, quatenus Decretis, & Canonibus esset contraria, sine dubio abjicerent: ergo jurisdictio Ecclesiastica in Gallia quibusdam limitibus constringitur.

2. *Rat*. Authoritas, quæ in aliquo pendet ex concessione Principum, potest juxta beneplacitum Principis, præcipue consentiente Papa, limitari: atqui authoritas Ecclesiastica circa causas non mere spirituales pendet in aliquo ex concessione Principum; quia potestas Ecclesiæ propria est solum spiritualis: ergo authoritas Ecclesiastica potest certis limitibus constringi, præcipue si interveniat, ut supponimus, consensus Papæ & concordatum cum ipso. Quomodo autem exerceatur, videamus.

Explicatur exercitium jurisdictionis Ecclesiasticæ in Gallia.

1. Circa personas ita exercetur.

Jurisdictio Ecclesiastica in causa criminis extenditur

1. Ad Clericos, non qualescumque, sed solum ad eos, qui fruuntur privilegio Clericorum. Tales sunt primo, omnes in majoribus Ordinibus constituti. Secundo, omnes Beneficiati. Tertio, studentes in aliqua Universitate. Quarto, alicui officio Clericali addicti, v. g. qui solemniter ministrant sacris. Ducasse in suo opere de Jurisdictione Ecclesiastica.

2. Ad Regulares, non qualescumque, sed eos, qui eximuntur a privilegio Regularium. Tales sunt primo, Monachi Curati in aliqua Parœcia. Secundo, qui reclamant a votis monasticis. Tertio, qui extra clausuram labuntur in crimen aliquod enorme. Quarto, Moniales, quæ sunt extra claustra sine licentia Episcopi. Ducasse ibid.

3. Ad Laicos, non omnes; sed eos solum, qui non observant constitutiones mere spirituales. Tales sunt primo, qui non communicant tempore Paschatis. Secundo, qui non confitentur semel in anno. Tertio, qui contra jura Ecclesiæ sponsalia ineunt. Quarto, qui in matrimonio ineundo non servant statuta Ecclesiæ. Ducasse ibid.

Jurisdictio Ecclesiastica in causa criminis extendi non potest.

1. Ad Laicos, qualescumque sint, nisi sit quæstio de causa mere spirituali; quia Laici ut pote sæculares subjiciuntur judicibus sæcularibus.

2. Ad Clericos qualescumque, reos criminis privilegiati, ut dicunt: tale est crimen læsæ majestatis Regiæ, crimen falsi in Moneta, rebellio contra Regem aut Judices Regios, immo, juxta Julium Clarum, omne crimen merens pœnam capitalem, dicitur & censetur privilegiatum.

3. Ad Regulares reos criminis intra claustra commissi; quia tale crimen punitur a Regularibus.

4. Clericus vel Monachus, qui rei sunt vulgaris criminis merentis pœnam inflictivam judicantur ab Officiali Episcopi, & a judice civili.

2. Circa pœnas ita exercetur.

1. Judex Ecclesiasticus in causa criminis cujuscumque non potest infligere etiam Clericis, primo, pœnam capitalem vel mutilationem; quia Ecclesia abhorret a sanguine. Secundo, pœnam exilii; quia Ecclesia proprie non habet territorium. Tertio, pœnam flagellationis infligendæ per carnificem; quia pœna est diffamatoria. Quarto mulctam pecuniariam; quia pœna hæc respicit temporale.

2. Judex Ecclesiasticus in causa criminis potest infligere suis Clericis primo pœnam flagellationis per modum paternæ correctionis: sic juxta Aug. Episcopi jubebant juniores Clericos virgis cædi, & Abbates Monachos. Secundo, pœnam incarcerationis; sic olim

olim Clerici flagitiosi detrudebantur in monasterium. Tertio, pœnam ejectionis; sic Clerici jubentur in suam Diœcesim se recipere. Quarto, pœnam pecuniarum, non per modum mulctæ, sed per modum eleemosynæ.

3. *Circa crimina ita exercetur.*

Judex Ecclesiasticus non potest judicare nisi de his criminibus, quibus præcise violantur constitutiones Ecclesiasticæ. Talis est, v. g. venatio Lege civili non vetita, popinarum frequentatio, &c. quia cum hæc crimina nihil involvant contra edicta Regum, per solos judices Ecclesiasticos judicanda sunt.

Judex Ecclesiasticus olim judicabat de hæresi, de schismate, blasphemia, apostasia, sacrilegio, superstitione, simonia, homicidio, adulterio, usura, &c. sed cum hæc crimina Legibus etiam civilibus prohibeantur, & insuper Reges glorientur se esse protectores Canonum, hæc omnia crimina commissa, etiam a Clericis, judicantur per judices civiles, sed una cum judice Ecclesiastico.

4. *Circa res temporales ita exercetur.*

1. Judex Ecclesiasticus in causa civili nullam litem attingere potest. Primo, quæ fit inter duos Laicos, quia sic attingeret temporale. Secundo, quæ fit inter Laicum & Clericum, si Clericus sit actor; quia actor debet sequi forum rei. Tertio, neque inter Clericos, si actio sit realis, id est respiciens res temporales; quia sic attingeret temporale. Quarto, neque inter Clericos, etiam si actio sit personalis, si hæc actio fundata sit in contractu inito coram Notario Regio; quia actio illa, utpote Regia, transfert litem ad judicem Regium.

2. Judex Ecclesiasticus in causa civili potest litem dirimere. Primo, si sit inter duos Clericos habentes ad invicem solum actiones personales; quia persona Clerici subjicitur foro Ecclesiastico. Secundo, si sit inter Laicum & Clericum, & Laicus habeat solam actionem personalem contra Clericum; quia actor sequitur forum rei.

5. *Circa modum procedendi ita exercetur.*

In judicio Ecclesiastico, uti in civili, debent esse judex, actor & reus, & modus procedendi.

Judex Ecclesiasticus ordinarius est Episcopus erga sibi subditos, Abbas erga suos monachos, & Capitulum exemptum erga Clericos ejusdem Capituli.

Judex Ecclesiasticus delegatus est Vicarius Generalis in jurisdictione voluntaria, Officialis in jurisdictione contentiosa.

Actor est ille, qui in judicio petit id, quod sibi debitum putat. Reus est is, a quo res exigitur in judicio.

Modus procedendi in jure Ecclesiastico est fere idem qui in jure civili, præcipue in Gallia, ubi Officiales tenentur formulis a Rege præscriptis adhærere. Proceditur ergo vel accusatione, vel denunciatione, vel inquisitione.

Accusatio est delatio rei de crimine per actorem respondentem, se illud probaturum: si probet, condemnatur reus; si deficiat in probatione, talionis pœnæ accusator addicitur.

Denunciatio est delatio rei de crimine per actorem non suscipientem onus probandi.

Inquisitio est informatio contra criminum auctores; quia judex satagit devenire ad plenam probationem.

Hæc executus sum multis, ut qui aliquando vel inviti coguntur vel judicare, vel litigare, sciant, quomodo procedendum sit in tribunali Ecclesiastico.

Quoties autem judex Ecclesiasticus prædictos terminos transgreditur, fit provocatio ad judicem sæcularem, & hoc vocant: *Appel comme dabus*. Legat, si quis ea materia egeat, Ferret.

ARTICULUS V.

Ad quæ extendatur Lex positiva divina.

PRop. unica. Lex positiva divina extenditur ad ea omnia, quæ nos ad salutem consequendam conducere possunt.

Prob. 1. Scriptura. Lex positiva divina nihil est aliud, quam divina revelatio, in Scriptura & traditione contenta, docens quid agendum, quid non agendum: atqui divina hæc revelatio extenditur ad ea omnia, quæ nos ad salutem possunt conducere, juxta illud Pauli ad Timot. 2. c. 3. v. 16. *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*: Ergo Lex positiva divina extendit se ad ea omnia, quæ nos ad salutem consequendam conducere possunt.

2. Rat.

2.*Rat*.Lex positiva divina, cum nihil aliud sit, quam divina revelatio, manifestans quid agendum, quid non agendum, Legem æternam in Deo latentem nobis exterius Scriptura & traditione manifestat; Legem naturalem in corde nostro involutam, revelatione nobis per Ecclesiam manifestata, evolvit; Legem positivam, tum civilem, tum Ecclesiasticam in multis deficientem, perficit infallibili sua veritate: ergo debet se extendere ad ea omnia, quæ nos ad salutem consequendam conducere possunt, ut eam salutem infallibiliter assequamur.

Consectarium unicum hujus Doctrinæ.

Cum Lex positiva divina sit idem ac divina revelatio contenta in Scriptura & traditione, docens quid agendum, quid non agendum, oportet, ut homo talis sit erga divinam Legem positivam, qualis esse debet erga divinam revelationem. Vide quæ circa illud officium diximus primo tractatu, & quæ dicturi sumus in ultimo tractatu.

ARTICULUS VI.

De extensione Legis quoad actus, sive de actibus, quos una & eadem Lex vetat, aut jubet; simulque explicatur, quomodo Lex per actus internos & externos violetur.

PRop. 1. Quælibet Lex justa præcipit actus virtuosos, qui per se conducunt ad finem Legis; vetat vero actus vitiosos, qui per se abducunt a fine Legis.

Prob. 1. Scriptura. *Declina a malo & fac bonum*: Psal. 36. v. 27. ubi Scriptura innuit actus virtuosos imperari, vitiosos vero vitari.

2. Ex D. Th. *Proprius effectus Legis est bonos facere eos, quibus datur, vel simpliciter, vel secundum quid*. 1. 2. q. 92. a. 1. Ergo Lex præcipit actus virtuosos, qui per se ducunt ad finem legis, vetat vero eos, qui abducunt; quia non aliter possunt homines boni & virtuosi fieri, nisi exercendo actus virtuosos, fugiendo vitiosos.

3. *Rat*. Lex est regula actionum humanarum, sicuti ars est regula artefactorum: ergo sicuti ars præcipit artifici actus, qui per se conducunt ad conficiendum artefactum, vetat vero eos, qui removent a confectione artefacti; ita Lex præcipit homini eos actus, qui per se conducunt ad finem legis, vetat vero eos, qui abducunt hominem a fine legis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Lex naturalis præcipit virtutes morales ordinis naturalis, v.g. prudentiam, justitiam, fortitudinem, & temperantiam; quia per se conducunt ad honestatem: vetat vero vitia his virtutibus opposita; quia *Honeste vivere, neminem lædere*, est finis Legis naturalis.

Consect. 2. Lex supernaturalis præcipit virtutes supernaturales infusas, quales sunt virtutes Theologicæ, fides, spes, caritas, & quales sunt virtutes morales infusæ, scilicet, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia: & vetat vitia iis virtutibus opposita; quia finis legis divinæ est videre Deum, ut est in se. Ad quod obtinendum requiritur, ut prædictæ virtutes exerceantur, & vitia eis opposita vitentur.

Consect. 3. Lex Ecclesiastica præcipit ea, quæ conducunt per se ad cultum vere religiosum, & prohibet ea, quæ abducunt ab eo cultu; quia finis Ecclesiæ est verum cultum religiosum inter homines fovere.

Consect. 4. Lex civilis virtutes politicas præcipit, quæ per se conducunt ad quietem Reipublicæ, vetat vero ea, quæ eam perturbant; quia finis legis civilis est fovere quietem, & pacem inter Cives.

Consect. 5. Lex naturalis per se directe præcipit actus interiores & exteriores virtutum moralium; quia actus interior & exterior est necessarius ad veram honestatem.

Consect. 6. Lex divina supernaturalis per se directe præcipit actus interiores, & exteriores virtutum supernaturalium; quia illi actus sunt necessarii ad finem supernaturalem obtinendum.

Consect. 7. Lex Ecclesiastica per se directe præcipit actus externos ad religiosum cultum peragendum requisitos; quia illi actus sunt necessarii ad obtinendum finem, quem Ecclesia sibi proponit, scilicet, cultum sensibilem Deo dignum.

Consect. 8. Lex civilis per se directe præcipit actus externos ad quietem publicam inducendam necessarios; quia talis quies est ejus finis.

Consect. 9. Lex ecclesiastica & civilis indirecte præcipiunt actus inter nos necessario requisitos ad hoc, ut actus externi sint liberi & morales, ea libertate, & moralitate, quæ competit actui qui præcipitur; quia, cum directe præcipitur aliquod opus externum, præcipitur indirecte id, quod exigitur, ut opus externum fiat; actus autem interior

terior præexigitur, ut actus externus sit liber & moralis.

*Consect.*10. Quando Lex Ecclesiastica & civilis determinant solum Legm naturalem & divinam, tunc directe præcipiunt actus interiores & exteriores, sicuti & ipsamet Lex naturalis & divina; quia tunc Lex Ecclesiastica & civilis nihil aliud sunt, quam ipsamet Lex naturalis, vel divina applicata.

Sic quando Ecclesia præcipit orationem, celebrationem festorum, Sacramentorum receptionem, Ecclesia jubet rem præceptam fieri eo modo, & his actibus, quibus fieri deberet, si Deus præciperet; quia tunc tantum determinatur in particulari, quod Deus jubet in communi.

Sic quando Lex positiva determinat honorem erga parentes, justitiam erga proximum, Legislator præcipit rem fieri eo modo, & his actibus, quibus facienda esset, si præciperetur a Deo; quia tunc determinatur in particulari id, quod Deus jubet in communi.

Prop. 2. Actus internus libere & voluntarie elicitus, repugnans legi, est peccatum, licet exterius non adimpleatur.

Prob. 1. Scriptura. *Homo qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Matth. 5. Ergo, si homo ille coram Deo sit mœchus in corde, actus internus sufficit ad peccatum, licet exterius non adimpleatur.

2. Ex Aug. lib. 2. de Libero Arbit. cap. 3. *Ut intelligas*, inquit, *libidinem in adulterio malum esse, si cuiquam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit id eum cupere, & si potestas datur, facturum esse, non minus est reus, quam si ipso facto deprehenderetur:* Ergo ad peccatum sufficit actus internus.

3. *Rat.* Peccatum est actus liber repugnans Legi: ergo cum actus ille, de quo loquimur, licet internus, sit vere liber, & repugnans huic legi, *Non concupisces*, talis actus est peccatum.

Deinde homines vident ea, quæ exterius patent; Deus autem supremus Legislator intuetur cor: ergo, si interius corde jam conceptum sit peccatum, homo ille coram Deo reus est, ut dicit Aug. L. de continent. c. 1. & 2. loquendo de hominibus, qui actus internos non externos Legi contrarios eliciunt. *Quantum in ipsis est*, inquit, *membra sua exhibent arma iniquitatis peccato: quia hoc volunt, quod propterea non exhibent, quia non possunt.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Cogitationes voluntariæ & liberæ de rebus vanis & inutilibus, etiam citra affectum, sunt peccata venialia; quia sunt actus interni vani, otiosi: si enim verbum vanum & otiosum sit peccatum veniale, de quo homines in die judicii reddent rationem, cogitationes otiosæ & inutiles sunt etiam peccatum veniale.

Consect. 2. Omnis cogitatio libera de objecto illicito cum affectu circa illud, est peccatum ejus speciei & gravitatis, cujus est objectum: ait enim Isaias 1. v. 16. *Auferte malum cogitationum vestrarum*: & Christus: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Matth. 9. v. 4. *Non enim solum factis, sed cogitatione delinquimus, si eis illicite occurrentibus delectemur*, ut ait Isidorus lib. 2. de summo bono c. 25.

Sic cogitatio libera de objecto, quod est peccatum veniale, est pariter peccatum veniale, v. g. cogitatio de mendacio jocoso, de furto rei exiguæ &c.

Sic cogitatio libera de objecto, quod est peccatum mortale, v. g. de homicidio, de furto &c. est peccatum mortale; quia deliberatus consensus in his, quæ sunt peccata mortalia ex genere suo, est peccatum mortale. D. Th. 2. 2. q. 74. a. 10. *Perversæ enim cogitationes separant a Deo*, inquit Sap. 1. 3. Solum autem peccatum mortale a Deo separat.

Consect. 3. Omnis cogitatio libera de peccato commisso, vel committendo, vel a se, vel ab alio cum affectu circa illud, est peccatum veniale, si peccatum patratum, vel perpetrandum, sit veniale; mortale vero, si peccatum patratum, vel perpetrandum, fuerit mortale. Ita docet D. Th. *Nullus delectatur nisi in eo, quod est conforme appetitui ejus; quod autem aliquis ex deliberatione eligat quod affectus suus conformetur his, quæ secundum se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale: unde talis consensus in delectationem peccati mortalis est peccatum mortale.* 2. 2. q. 74. a. 9.

Dixi, si fiant cum affectu ad objectum, vel actum prohibitum; nam si cogitatio sit ab omni pravo affectu aliena, non est peccatum, immo potest esse utilis, ut si quis citra omne periculum cogitet de objecto prohibito, ut de eo disputet, prædicet, aut ad ejus horrorem & se, & alios excitet. Ita D. Th. ibidem. Rursus aliud est delectari de objecto, vel actu prohibito, aliud de modo actus; si enim modus non sit prohibitus,

tus, possumus de eo licite cogitare, puta, si quis furtum & homicidium abhorrens, industriam in furando, dexteritatem in homicidio perpetrato delectetur audire; potest enim modus placere, & actus vitiosus displicere: sicuti comediæ rapræsentantes bella possunt esse licitæ, bella vero illicita. Ita Nicolai in D. Thom.

Consect. 4. Delectatio morosa plene voluntaria de actu malo, sine voluntate exequendi actum cogitatum, est peccatum mortale, si actus, de quo quis cogitando delectatur, sit peccatum mortale, puta, adulterium, furtum, homicidium, &c. Peccatum vero veniale, si actus, de quo quis cogitando delectatur, sit peccatum veniale, puta, jocari verbis lætis, comedere laute, &c. Quod morosa delectatio plane deliberata in materia gravi sit peccatum mortale, certum est. De hac morosa delectatione, *Totus homo damnabitur .... nisi hæc peccata per mediatoris gratiam remittantur*, inquit Augustinus lib. 12. de Trinit. cap. 12. & D. Thom. ait: *Consensus in delectationem, quæ procedit ex complacentia actus homicidii cogitati, est peccatum mortale.* 2. 2. q. 74. art. 8. ad 5. Idem censet Clerus Gallicanus, art. 29. de cogitationibus morosis.

Unde mortaliter peccant qui delectantur cogitatione operis pro nunc illiciti, quod antea erat licitum, vel aliquando erit licitum, v. g. vidua, quæ delectatur de præteritis actibus conjugii; desponsati, qui delectantur de futura commixtione carnali inito matrimonio. Ita Natalis.

Consect. 5. Desiderium absolutum, propositum absolutum faciendi aliquid prohibitum, est peccatum; quia est actus internus contrarius legi. *Si propterea non facis*, inquit Aug. *furtum, quia times ne videaris, intus fecisti, in corde fecisti; furti teneris, & nihil tulisti.*

Consect. 6. Desiderium conditionatum, propositum conditionatum de re ex se mala, & lege naturæ prohibita, est peccatum mortale, si adsit materiæ gravitas, & plena deliberatio, nisi forte conditio apposita tollat malitiam ab objecto; quia est actus internus liber Legi contrarius; & quia conditio apposita hujusmodi desideriis, & propositis non potest tollere malitiam ab objecto: *Et ponit in voluntate affectum volendi peccatum illud*, inquit Cajetanus.

Sic ista desideria & proposita sunt peccata mortalia: vellem blasphemare, pejerare, mœchari, furari, &c. si hæc non punirentur temporaliter in hoc mundo, vel in perpetuum in altero; quia hujusmodi conditiones non impediunt, quin id, quod optatur, vel intenditur, non sit ex se malum. Idem dicendum de istis conditionatis desideriis: si non essem Sacerdos, inebriarer: si non essem monachus, luxuriæ non resisterem; quia pariter conditio apposita non aufert malitiam ab objecto.

Consect. 7. A desideriis conditionatis, in quibus etiam conditio apposita tollit malitiam ab objecto, omnino obstinendum est; quia periculum est, ne hujusmodi desideria inordinate excitent concupiscentiam.

Sic abstinendum est, tamquam a peccato, vel ad minus tamquam a periculosa tentatione, ab hujusmodi desideriis: vellem blasphemare, si actus ille non esset legi contrarius: vellem venari, si liceret Clerico: vellem nubere, si liceret Sacerdoti, &c. de quo ita Author Epist. ad Demetriadem: *Assuescat animus sollicita privigilique custodia discernere cogitationes suas: & ad primum animi motum, vel probare, vel reprobare, quæ cogitat, ut bonas cogitationes alat, vel statim extinguat malas.*

Consect. 8. Cogitationes liberæ de objecto illicito cum affectu circa illud, cogitationes liberæ de peccato commisso, vel committendo, delectationes de actu malo sine voluntate exequendi, desiderium absolutum, vel conditionatum faciendi aliquid prohibitum, sunt peccata ejusdem speciei, cujus sunt objectum: sed illa peccata eo sunt graviora, quo sunt magis voluntaria; quia cum peccatum ortum trahat a voluntate, eo debet esse gravius, quo est magis voluntarium.

Sic cogitationes quantumvis perversæ, quibus fortiter resistimus, nullatenus sunt peccata; quia nullatenus sunt liberæ, ut patet ex stimulis carnis colaphizantibus Paulum: hæc enim tentatio nihil nocuit Paulo; nec nobis pariter nocet, si ei fortiter resistamus.

Sic cogitationes de objecto mortaliter culpabili, quibus segniter resistimus, sunt peccata venialia, tanto graviora, vel leviora, quanto major, vel minor est in resistendo negligentia.

Sic cogitationes de objecto mortaliter culpabili, quæ mentem subeunt ex occasione periculosa, quam non fugimus, sunt peccata mortalia, cum eas prompte non rejicimus: ut patet exemplo David, qui cum *deambularet in solario domus regiæ, vidit mulierem se lavantem, ex adverso super solarium suum .... Tulit eam dormivitque cum ea.* 2. Reg. cap. 11. v. 2. 3. 4.

Sic cogitationes de objecto mortaliter cul-

pabili, quas non modo rejicimus cum occurrunt, sed quas sponte & ex industria evocamus, sunt peccata mortalia, tanto graviora; quanto magis insistimus in illis accersendis. Hujusmodi erant cogitationes pravæ, quas fovebant, & in se excitabant senes lascivi castissimam Susannam deperuentes. Dan. 13.

Prob 2. Actus exterior difformis legi, quo actum interiorem exequimur, novam secum affert malitiam in confessione aperiendam.

Probatur 1. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ; hæc sunt, quæ coinquinant hominem*. Matth. 15. v. 19. Ergo Evangelium declarat externa hæc peccata coinquinare hominem: ergo sunt in confessione aperienda.

2. Ex Aug. lib. 13. de Trin. cap. 6. *Mala voluntate vel sola miser quisque efficitur; sed miserior potestate, qua desiderium malæ voluntatis impletur*: ergo si actus exterior miseriores nos efficiat, reddit & nequiores, & ita est in confessione aperiendus.

3. Actus exterior bonus addit bonitatem aliquam actui interiori; perfectius enim est virginitatem servare & affectu, & re, quam solo affectu: ergo actus exterior malus addit malitiam aliquam actui interiori.

4. Ex actu exteriori addito interiori multæ emanant circumstantiæ, quas necessum est in confessione explicare, v.g. hebetantur sensus, & potentiæ fiunt ad peccandum promptiores, ut quilibet experitur. 2. Frequenter generatur scandalum, quod non fit per actus mere internos. 3. Interdum etiam obligatio reparandi damnum, ut fit in peccatis contra justitiam; quam obligationem numquam trahit actus mere internus. 4. Aliquando incurritur excommunicatio, irregularitas; quod numquam fit per actus mere internos: ergo actus externus addit interno malitiam in confessione aperiendam.

Consectarium hujus Doctrinæ.

Vitanda est periculosa illa tentatio, quam diabolus solet aliquando suggerere, scilicet, quod cum jam interius peccato consenserimus, exterius peccatum consummandum est; cum coram Deo tota malitia actus exterioris proveniat ab actu interiori: quia hac fraude utitur Dæmon ut nos ad peccandum ardentiores efficiat; vix enim fieri potest, ut voluntas peccandi opere suo non augeatur. Hug. a Sancto Victore lib. 11. de Sacra. cap. 6.

ARTICULUS VII.

De extensione Legis quoad objecta, sive de his, quæ una & eadem Lege vetantur, aut præcipiuntur.

P*Prop. unica*. Quando plura inter se necessariam habent connexionem, si Lex præcipiat unum, præcipit & aliud; si prohibeat unum, prohibet & aliud.

Prob. 1. Scriptura. Cum Scriptura loquitur de his, quæ necessario connectuntur, uno, & eodem præcepto utrumque attingit.

Sic quia exercitium virtutis, & fuga vitii connectuntur, inde est, quod Deus uno & eodem loco vitium prohibet, & virtutem imperat his verbis: *Declina a malo, & fac bonum*: & quia timor divinus excludit timorem mundanum, inde est, quod Christus uno & eodem loco his verbis unum præcipit, & alterum prohibet: *Nolite timere eos qui occidunt corpus; sed potius timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*. Matth. 10. v. 28. Ergo quando plura inter se necessariam habent connexionem, si Lex præcipiat unum, præcipit & aliud; si prohibeat unum, prohibet & aliud.

2. Ex Jure Canonico. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo. Reg. 39. de Reg. juris in 6.

3. *Rat*. Imprudentissimum est velle separare quæ ex se conjunguntur: cum ergo Lex sit actus prudentiæ in debitum finem dirigentis, non disjungit quæ conjunguntur, sed quando plura sunt connexa, si præcipiat unum, præcipit & aliud; si prohibeat unum, prohibet & aliud.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. In præceptis affirmativis negativa, & in negativis affirmativa continentur .... Quia necessario connectuntur. Sic istud præceptum affirmativum: *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies*, includit istud negativum, *non habebis Deos alienos coram me*. Istud præceptum affirmativum, *per nomen Dei tui jurabis*, includit istud negativum, *non assumes nomen Dei tui in vanum*, & sic de aliis præceptis Decalogi.

Consect. 2. Quando præcipitur aliqua virtus in specie, simul prohibetur vitium huic virtuti contrarium .... Quia hæc duo connectuntur. Cum præcipitur prudentia, justitia, fortitudo, temperantia, eadem Lege vetatur imprudentia, injustitia, pusillanimitas, & intemperantia.

Con-

Consect. 3. Quando præcipitur aliquid, quod habet necessariam relationem cum alio, utrumque sub præceptum cadit.

Sic cum præcipitur ministris Ecclesiæ, ut prædicent Evangelium; præcipitur & populis, ut prædicatum Evangelium audiant, & suscipiant.

Dum dicitur plebi, ut legitimo subsit Principi; dicitur & Principi, ut plebem sibi commissam tueatur.

Dum natis præcipitur filialis affectus erga parentes; parentibus item demandatur paternus affectus erga filios &c..... Quia hæc relative connectuntur.

Consect. 4. Quando vitium aliquod prohibetur, prohibentur pariter ea omnia, quæ sunt vel causa vel occasio inducentes per se ad illud, quod est prohibitum. Item quando aliqua virtus præcipitur, præcipiuntur pariter ea, sine quibus virtus illa non potest consistere; quia hæc invicem connectuntur. Sic quando Lex vetat peccatum, vetat simul ea, in quibus periculum est, ne pecces, quia, ut monet Sapiens, *Qui amat periculum, peribit in illo*. Et optime consulit Aug. *In occasione peccandi apprehende fugam, si vis invenire victoriam*: v.g. qui vetat idololatriam, vetat commercium cum idololatris cogentibus ad idololatriam: qui vetat fornicationem, vetat ea, quæ ad fornicationem trahunt, &c.

Quando Lex jubet fidem, spem, caritatem, religionem, jubet simul orationem, verbi divini meditationem, Sacramentorum usum, & alia hujusmodi, sine quibus prædictæ virtutes stare non possunt.

Consect. 5. Præceptio alicujus virtutis in specie, includit præceptionem cognatæ virtutis: & prohibitio alicujus peccati in specie, includit prohibitionem cognati vitii .... quia connectuntur.

Sic quando præcipitur prudentia, justitia, fortitudo, temperantia, præcipiuntur & aliæ virtutes cum illis connexæ, quæ solent vocari a Theologis partes vel integrantes, vel subjectivæ, vel potentiales superioris virtutis.

Quando prohibentur vitia capitalia, superbia, avaritia, luxuria, gula, invidia, acedia; prohibentur simul & alia vitia, quæ ab istis tamquam a suis radicibus pullulant.

ARTICULUS III.

De extensione Legis quoad personas.

PRop. *unica*. Quando Lex vetat aut præcipit aliquid, alloquitur non solum factores, sed etiam & cooperatores: & ita peccant, non solum qui faciunt rem vetitam, sed etiam ii, qui cooperantur. Similiter peccant, non solum qui omittunt rem præceptam, sed etiam qui faciendæ rei præceptæ debebant cooperari.

Prob. 1. Scriptura. *Digni sunt morte*, inquit Paulus, *non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus*, ad Rom. 1. Ergo Lex alloquitur non solum factores, sed cooperatores.

2. Ex Iure Canonico, facientem & consentientem par pœna constringit. Canon. *Notum*.

3. *Rat.* Quando Lex prohibet aliquid fieri, eo tendit, ut impediat, ne malum illud committatur: ergo debet ligare non solum eos, qui faciunt malum, sed eos etiam, qui cooperantur malo faciendo, quia & qui faciunt malum, & qui cooperantur malo faciendo, sunt causa mali; proinde resistunt Legi, & peccant.

Quando Lex pariter præcipit aliquid, eo tendit, ut res præcepta fiat, & non omittatur: ergo debet obligare & eos qui rem præceptam debent facere, & eos qui rei faciendæ debent cooperari, ut non interveniat omissio rei præceptæ; quia si interveniat, omnes resistunt Legi, & proinde peccant.

Qui aliquo ex prædictis modis violant Legem, exprimuntur his versibus.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus.

Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. In quo explicatur hæc vox, *jussio*. Qui jubent committi aliquod peccatum, peccant, licet per seipsos malum non faciant: quia sunt causa mali, juxta illud juris: *Is damnum dat, qui jubet dari*. Ideo Herodes in Scriptura dicitur amputasse caput Joannis, eo quod injustum illud homicidium præceperat. Matth. 14. Herodes censentur graviter peccasse, dum jussit occidi infantes a bimatu, & infra. Matth. 2. & Pharao censetur occidisse, quos jussit aquis submergi. Exod. Sic peccant

1. Parentes, qui præcipiunt filiis, ut inimicis familiæ non parcant, ut bona male parta retineant, &c.

2. Heri, qui imperant servis suis aliquid vetitum, v.g. opera servilia diebus festis: qui non præcipiunt servis suis, ut exerceant virtutes, quas tenentur exercere, v.g. non curant, ut jejunent diebus ab Ecclesia præceptis, &c.

3. His qui opificibus præcipiunt diebus festis servilia ut habeant vestes, quibus vestiantur superbe, & cibos quibus lautissime & ultra modum nutriantur.

Consect. 2. In quo explicatur hæc vox, *consilium*. Qui consulunt aliquid illicitum, peccant, licet ipsi rem prohibitam, quam consulunt, non faciant; quia sunt causa mali, juxta illam regulam juris civilis: qui facit per alium, est perinde ac si faciat per semetipsum; ideo Scriptura reprehendit Prophetam Balaam, qui Regi Balaac suasit, ut pulchriores feminas Moabitidas in Judæorum castra traduceret, quibus Hebræi ad fornicationem simul & idololatriam pellicerentur. Num. 24. Vituperatur & Caiphas, qui Christi mortem consuluit. Joan. 11. Sic peccant

1. Qui docent falsa dogmata, juxta illud: *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum.*

2. Qui injustas lites consulunt, uti solent facere aliquando causarum patroni.

3. Qui demonstrant quibus modis peccata committi possunt; v. g. aperiunt junioribus incognitos modos tum libidinis, tum ebrietatis, tum furti &c.

Consect. 3. In quo explicatur hæc vox, *consensus*. Peccant, qui consentiunt rei illicitæ, quando possunt & debent eam impedire; quia juxta Aug. in Psal. 139. Consensione ad peccatum alterius suum fit peccatum. Ideo Scriptura Aaronem damnat, quod erigendo aureo vitulo consensisset: & sic peccant.

1. Caupones, qui consentiunt comessationibus, ebrietatibus, blasphemiis, quæ in eorum domibus committi solent.

2. Peccant, qui inita societate cum detractoribus, blasphemis, ebriosis, &c. eorum peccatis non se fortiter opponunt.

3. Viri & feminæ, qui aut lascivis colloquiis, aut impuris aspectibus mutuo se ad libidinem provocant.

Consect. 4. In quo explicatur hæc vox, *palpo*. Peccant, qui vel laudando vitium, vel vituperando virtutem, alios ad peccandum excitant; quia sunt causa mali. Illud vitium vehementer Psalmista detestatur, dicens: *Ladatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur*. Psal. 10. Ideo Scriptura factum Jezabel arguit, quæ Regem Achab & laudibus & desideriis eo adduxit, ut vineam Naboth usurparet. Sic peccant

1. Confessarii, qui peccatores excusant, & toti sunt ad *excusandas excusationes in peccatis*, justta illud: *Væ, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas*. Ezech. 13. v. 18.

2. Hi, qui rident homines vere pios; impios vero non erubescunt laudibus efferre.

3. Hi, qui ex professo impii, alios infectantur, eosque vituperant, eo quod non sint ad peccandum satis audaces.

Consect. 5. In quo explicatur hæc vox, *recursus*. Graviter peccant, qui peccatores recipiunt, eisque suppetias ad peccandum libelius offerunt; quia sunt causa peccati. Ideo Scriptura nobis exhibet Tobiam furtivos recursus ita reprehendentem: *Videte, ne hædus furtivus sit, reddite eum dominis suis; quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere*. Tob. 2. v. 12. Sic peccant

1. Peccato hæreseos, qui hæreticis suppetias administrant: peccato rebellionis, qui Christianos contra Ecclesiam rebelles tuentur: peccato furti, qui furibus auxilium promittunt.

2. Peccant, qui aut a filiisfamilias, aut a servis accipiunt, quæ ipsi subfurati sunt.

3. Caupones, & alii, apud quos eduntur aut consumuntur ea, quæ sciunt esse furto ablata.

Consect. 6. In quo explicatur hæc vox, *participans*. Peccant, qui una cum aliis mutuo se excitando peccatum committunt; quia sunt causa mali. Ideo Scriptura proditorem Judam inter eos, qui Christum occiderunt, annumerat; quia tanti criminis particeps fuit: & Aug. dicit, quod Paulus magis sæviebat in Stephanum Judæos adjuvando, quam suis manibus lapidando. Sic peccant

1. Servi, qui dominis suis inserviunt in his, quæ sunt ab intrinseco mala: v. g. inserviunt libidini explendæ, fovendæ vindictæ, &c.

2. Milites, qui duces & præfectos exercitus adjuvant in his, quæ manifeste iura belli non permittunt.

3. Hi, qui suo suffragio suoque calculo injustis contra plebem exactionibus cooperantur.

Consect. 7. In quo explicatur hæc vox, *mutus*. Peccant, qui cum possent & deberent peccata proximi utili correctione impedire, ea tamen non impediunt, sed silent, dum loqui oporteret. Ideo Scriptura Heli vituperat, quod peccantes filios paternis commonitionibus fortiter a peccando non retraxerit: increpat pariter omnes pastores, qui tamquam canes muti non valentes latrare, populum peccantem non arguunt, non increpant cum omni patientia. Sic peccant

1. Fidelis quilibet, qui cum posset fratrem suum opportuna correctione a peccato aver-

vertere, illam tamen fraternam correctionem omittit.

2. Peccant parentes, & qui loco parentum sunt, qui sibi subditos paterna auctoritate a peccato non retrahunt.

3. Peccant Superiores Ecclesiastici & politici, qui silent, dum sibi subditi peccatum aliquod committunt, quod solo verbo possent impedire.

Consect. 8. In quo explicatur hæc vox, *non obstans*. Peccant hi, qui peccata non impediunt, quæ possunt auctoritate sua impedire; quia connivendo sunt causa peccati, juxta illud vulgare dictum: negligere, cum possis deturbare perversos, nihil aliud est, quam fovere; nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto desinit obviare. Ideo Scriptura vituperat Regem Joas, quod cum potuisset, & debuisset excelsa destruere, ea tamen non abstulit. *Fecitque Joas*, inquit Scriptura, *rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Jojadas Sacerdos; verumtamen excelsa non abstulit*. 4. Reg. c. 22. Ideo his verbis Scriptura Prælatos omnes commonet: *Noli fieri judex, si non valeas perrumpere iniquitatem*. Sic peccant

1. Omnes, qui ex officio suo peccata debent impedire, & non impediunt? quales sunt Superiores Ecclesiastici & politici.

2. Omnes, qui ex naturali, quam habent supra sibi subditos, auctoritate eorum peccata non impediunt: quales sunt parentes erga filios, & heri erga servos.

3. Omnes, qui ex conventione inita eorum peccata non impediunt, quorum curam susceperint: tales sunt v. g. tutores erga pupilos, magistri erga discipulos.

Consect. 9. In quo explicatur hæc vox, *non manifestans*. Peccant hi, qui peccata ab aliis commissa, vel committenda, legitimis superioribus non denuntiant, cum oportet; quia tali silentio sunt causa peccati. Ideo Scriptura eos peccati conscios declarat. *Si peccaverit*, inquit, *anima, & audierit vocem jurantis, testisque fuerit, quod aut ipse vidit, aut conscius est: nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam*. Lev. 5. & Paulus ad Ephes. 5. *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, sed magis redarguite*; & ita peccant

1. Qui ex officio tenentur revelare peccatores, & non revelant: tales sunt, qui huic officio præficiuntur a Republica.

2. Qui ex conventione ad idem munus tenentur: tales sunt v. g. servi erga res sibi ab heris suis commissas.

3. Qui ex præcepto civili vel ecclesiastico tenentur testimonium proferre vel pro tuendo innocente, vel pro reo accusando.

Consect. 10. In quo explicatur, quandonam prædicti teneantur restituere. Prædicti omnes peccant; quia sunt causa peccati: sed aliquando non solum peccant, sed insuper tenentur interdum ad restitutionem, scilicet, quoties peccantes contra justitiam fuerunt causa efficax damni illati proximi circa ejus bona vel corporis, vel animæ, vel fortunæ, vel honoris; quia, ut dicetur ubi de restitutione, duo requiruntur ad inducendam obligationem restituendi.

Primum est damnum illatum proximo. Secundum, violatio justitiæ: & ita si prædicti cooperatores peccaverint contra virtutem diversam a justitia, excusantur a restitutione; & si peccaverint contra justitiam, & damnum revera ex eorum peccato secutum non fuerit, excusantur pariter a restitutione.

Sic qui ex solo defectu caritatis aut silet, aut non obstat, dum fit damnum proximo, aut non revelat, dum factum est; peccat quidem, sed non tenetur restituere: quia non peccavit contra justitiam. Si vero damnum illud teneretur impedire vel ex officio, vel ex conventione, obligatio restituendi incumberet; quia peccasset contra justitiam.

Sic qui peccat contra justitiam, sed non est causa efficax damni, eximitur pariter a restitutione: v. g. qui jubet, aut consulit, sed jussum retractat, & consilium corrigit: qui consentit, adulatur, participat damno, quod seclusa ejus consensione, adulatione, & ope, æque contingeret; quia non est causa efficax damni. De hoc fuse agemus, ubi de restitutione.

CAPUT V.

De modo, secundum quem Lex debet observari.

ARTICULUS I.

De requisitis ad observantiam Legis.

PRop. unica. Lex observanda est juxta rationalem intentionem Legislatoris, ita ut res præcepta exerceatur ea libertate, honestate, intentione, quæ requiritur, ut actus præceptus sit in ea specie virtutis, quæ præcipitur.

Prob. 1. Script. *Juste, quod justum est persequeris*. Deuter. c. 16. v. 20. *Qui custodierint justa juste, justificabuntur*. Sap. cap. 6. v. 11. Ergo, ut observetur Lex, res præcepta debet fieri ea libertate, honestate, justitia, & intentione, quæ requiritur, ut

 actus

actus præceptus sit in ea specie virtutis, quæ præcipitur; alias non fieret juste, nec observantem justificaret.

2. Ex Aug. *Quidquid fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* lib. 3. contra Julia. c. 4. Ergo Lex debet observari juxta intentionem rationalem Legislatoris; alias, qui eam exterius observat, non excusatur a peccato.

3. *Rat.* Lex ligat juxta rationabilem intentionem Legislatoris, qua aliquis actus virtuosus præcipitur; quia Lex eo tendit, ut reddat homines virtuosos: ergo ut observetur Lex, res præcepta debet fieri ea libertate, honestate, justitia, & intentione, ut actus præceptus sit in specie virtutis, quæ imperatur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ad satisfaciendum Legi, qualiscumque sit, necesse est, ut substantia rei præceptæ fiat, non physice solum, sed moraliter; non coacte, sed libere; non derisorie, sed serio; non cum rebellione, sed cum subjectione animi ad legem: quia quilibet Legislator omnes illas conditiones exigit, utpote necessarias ad hoc, ut actio imperata sit virtuosa & honesta. *Intentio Legis*, inquit D. Th. *est, ut homines ad virtutem inducantur; ad virtutem autem non sufficit, ut actus virtutis qualitercumque fiat, sed oportet, ut homo sciens & volens propter debitum finem operetur.*

Sic legem non observaret, qui faceret rem præceptam sine advertentia; quia faceret rem physice, & non moraliter: & ita qui servaret votum, honoraret parentes, audiret Missam, qui actum virtuosum præceptum a jure vel Ecclesiastico, vel civili eliceret, ebrius, dormiens, non sui compos, nec attendens moraliter ad id, quod agit, non satisfaceret præcepto; quia sicuti inadvertentia involuntaria excusat a violatione præcepti, ita impedit observantiam præcepti: ideo si agnoscatur culpa in Legem admissa, urgente adhuc tempore præcepti, iteranda sunt quæ sine debitis circumstantiis fuerunt exercita; si vero tempus effluxerit, pœnitendum.

Sic legem non observaret, rem præceptam faciendo violenter, coacte, cum absoluto renisu voluntatis contra Legem; quia faceret rem tantum physice, & non moraliter: libertas enim est radix moralitatis: & ita qui invitus observat præcepta vel naturalia, vel positiva, non satisfacit Legi: v. g. qui invitus servat Decalogum, invitus servat Legem Ecclesiasticam vel civilem, non satisfacit præcepto; quia in illis casibus deest libertas, quæ sicut necessaria est ad peccatum, ita ad observantiam Legis, juxta illud Pauli: *Non ex tristitia, hilarem enim datorem diligit Deus.* 2. ad Cor. c. 9. v. 7. & Aug. *Si forinsecus ea, quæ Deus jubet, manibus fiant, & in corde non fiant; nemo est tam insulsus, qui præcepta arbitretur implere.* Quæst. 54. Deuter.

Sic legem non observaret, qui faceret rem præceptam derisorie; quia non faceret rem moraliter: moralitas quippe præscripta per Legem exigit rem fieri serio, & non mimice; & ita qui deridendo vacaret rebus divinis die festo, honoraret parentes, non satisfaceret Decalogo; qui indigne reciperet Sacramenta, v. g. Pœnitentiam, Eucharistiam; qui irridens Missam audiret, non satisfaceret præcepto Ecclesiæ: quia Legislator vult, non ut eum irrideas, sed ut ei morem geras; unde damnatæ sunt sequentes propositiones: *Qui facit confessionem voluntarie nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ. Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.*

Sic Legem non observaret, qui faceret exterius rem præceptam cum intentione formali & explicita non satisfaciendi Legi; quia primo requiritur intentio saltem interpretativa servandi Legem: secundo, intentio illa, utpote directe opposita Legi, est quædam rebellio contra Legem, & proinde peccatum; quia Legislator vult subditum subesse legi, & non ei resistere. Ideo dicit Scriptura: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus.* Genes. c. 4. v. 4. Quia Deus prius respicit intentionem dantis, quam ejus munera: quippe, ut ait Gregorius, lib. 22. moralium: *Dantis corde, id quod datur, accipitur*; & Hieronymus Epist. 26. ad Pammachium: *Si offeramus Christo opes cum anima nostra, libenter suscipiet, si autem quæ foris sunt Deo, quæ intus sunt diabolo demus, non est æqua partitio.*

Notandum tamen, quod in prædictis casibus qui physice tantum, qui violenter, qui coacte, qui derisorie tributum solvisset, aut pecunias dedisset, ut restitutioni satisfaceret, peccasset quidem; quia non adimplesset Legem, ut debet: sed non teneretur novas pecunias solvere; quia ad solutionem tributi, vel solutionem ablati, sufficit quod detur tributum, restituatur ablatum, quomodocumque fiat; sed pœniteat oportet, quod non habuit intentionem, quam debebat habere.

Consect. 2. Ad satisfaciendum Legi, qualiscumque sit, actus virtuosus debet fieri motivo

tivo

tivo virtutis, quæ præcipitur; quia motivum virtutis est de intrinseca ratione illius: ideo ait Aug. *Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur; si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur: quæ tu non attendens, fines ab officiis separasti, & virtutes veras sine finibus appetendas esse dixisti*. Lib. 3. in Julian. cap. 4.

Sic cum præcipitur actus virtutis Theologicæ, debet fieri motivo virtutis Theologicæ, v. g. actus fidei motivo fidei, actus spei motivo spei, actus caritatis motivo caritatis.

Sic cum præcipitur actus virtutis moralis, actus ille debet elici motivo illius virtutis, quæ præcipitur, v. g. actus prudentiæ motivo prudentiæ, actus iustitiæ motivo justitiæ, actus temperantiæ motivo temperantiæ; &c. quia motivum virtutis moralis est de intrinseca ratione virtutis moralis.

Consect. 3. Ad satisfaciendum Legi necesse est, ut res præcepta, & omnia, quæ sunt de essentia rei præceptæ, fiant nedum quoad opus externum, uti fit ab hypocritis, sed quoad opus internum, uti decet fieri a Christianis.

Primo illud certum est quoad præcepta naturalia & positiva juris divini; Deus enim externam Judæorum obedientiam repudiat, & internam obedientiam requirit his verbis Isaiæ 1. *Populus hic labiis me honorat, cor autem illorum longe est a me*. Matth. 15. c. v. & 8. & Ecclesi. cap. 17. v. 7. *Posuit oculum suum super corda eorum .... Spiritus timentium Deum quæritur, & in respectu illius benedicetur*. cap. 34. v. 14. & ubique Scripturarum dicitur: *Deus intuetur cor*. 1. Reg. cap. 17. v. 7.

Illud pariter certum est quoad præcepta Ecclesiastica; Ecclesia quippe nihil præcipit, nisi in ordine ad cultum Dei, quem decet esse internum, & non mere externum. *Spiritus enim est Deus .... Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate*. Joan. cap. 4. v. 24. Deinde Ecclesiæ Prælatis dictum est in persona Apostolorum: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*. Luc. cap. 10. v. 16. & rursus: *Sicut me misit Pater, & ego mitto vos*. Cum ergo Christus internum & non externum solum cultum præcipiat, Ecclesia pariter & internos & externos actus potest præcipere, quamvis non soleat nisi de actibus externis contentiose judicare, juxta illud vulgare dictum: *Ecclesia non judicat de internis*.

Illud pariter constare videtur quoad Legem civilem; quia Apostolus jubet Christianos Superioribus etiam discolis subesse interno affectu, & non solum exteriori habitu: *Non tantum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, ad Rom. cap. 131. v. 5. quando honesta præcipiunt; quia licet, ut videtur docere D. Thom. 1. 2. q. 1. art. 4. solus Deus actus internos directe præcipere valeat, quia solus intuetur cor; tamen homines possunt indirecte actus internos præcipere, quatenus interior actus est necessarius, ut actus exterior sit non solum physicus, sed liber & moralis.

Sic legem naturalem non observaret, qui solum exterius opera per Decalogum præcepta perageret, & interius iisdem operibus contradiceret: v. g. Deum exterius adoraret, nomen ejus veneraretur, dies festos observaret, parentes honoraret, adulteria, furta, homicidia, falsa testimonia effugeret; interius vero operibus a se palam elicitis dissentiret; quia Lex naturalis obedientiam, non externam tantum, sed internam exigit; quia Lex naturalis est Lex conscientiæ, quæ interna est, & internos cordis motus dirigit: ideo dicit Deus in Scriptura: *Præbe fili mi cor tuum mihi*. Prover. cap. 33. v. 26.

Sic legem Evangelicam non observaret, qui exterius solum & non interius præcepta Evangelica custodiret, v. g. Sacramenta externo solum ritu, & non interno cultu conferret, vel reciperet.

Sic legem Ecclesiasticam non observaret, qui solum exterius opera per Ecclesiam præcepta perageret, & iisdem operibus non consentiret: qui v. g. audiret Missam sine attentione & affectu, Sacramenta sine debitis dispositionibus reciperet, dies festos sine ullo interno devotionis exercitio observaret, contentus solo operis exterioris exercitio.

Sic legem civilem non observare videtur, qui solum exterius opera honesta per jus civile præscripta perageret, si iisdem operibus honestis interius contradiceret; sic enim loquitur Scriptura: *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes*: ad Eph. cap. 6. v. 6. Aug. propositione 74. Epist. ad Rom. addit, non solum propter iram, sed propter conscientiam, idest, non solum ad iram evadendam, quod potest simulate fieri; sed ut in conscientia tua certus sis illius dilectione te facere, cui subditus fueris jussu Domini.

Consect. 4. Nulli Legi aut præcepto satisfieri potest per actum moraliter vitiosum; quia Legi non satisfit, nisi quando observatur id, quod præcipit Legislator. Prudens autem Legislator præcipit, non malum, sed bonum; virtutem, non vitium; jubet

jubet rem fieri bene, vetat rem fieri male; adeoque prohibet iniquam illam & solum externam Legis observantiam, quam rejicit Isaias cap. 10. v. 13. *Ne feratis ultra sacrificium frustra, incensum abominatio est mihi*. Et damnati sunt qui dicunt, per sacrilegam confessionem & communionem satisfieri præcepto Ecclesiæ.

Sic qui facit externum opus præscriptum a Lege, vitiando illud aliqua circumstantia mortaliter culpabili, non satisfacit Legi; quia lex præcipit opus bonum; ex Dionysio autem *bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu consurgit*: & ita juxta D. Th. qui adit Ecclesiam, & divinum officium celebrat propter distributiones, tamquam propter finem principaliter intentum, simoniam committit, & proinde non satisfacit præcepto: *Si enim hujusmodi distributiones recipit, quasi finem operis principaliter intentum, simoniam committit*. Quolibeto 8. art. 11. Juxta Antoninum: *Non satisfacit præcepto audiendi Missam qui Ecclesiam adit principaliter ad videndum, aut alloquendum aliquam feminam, aut ob aliquod aliud quodvis illicitum motivum, si in eo perseveret*. Juxta omnes, non satisfacit præcepto orationis qui voluntarie labiis tantum, & non mente orat; quia attentio & devotio est de essentia orationis.

Sic qui vel ex pœnitentia sibi injuncta a Confessario, vel ex voto, quod elicuit, obligatur ad aliquod opus sanctum, v. g. ad orationem, ad eleemosynam, ad jejunium, non satisfacit suæ obligationi, si eadem opera vitiet aliqua circumstantia mortaliter culpabili, v. g. si illud faciat motivo vanæ gloriæ, quæ sit mortale peccatum; quia prava circumstantia impedit, ne opus sit sanctum.

Et D. Thom. docet, quod *Actus interior*, in peccato factus, *quia totaliter transit, nullo modo vivificatur, sed oportet, ut iteretur*. Actus vero externus, quale est jejunium & eleemosyna, non est iterandus, licet in peccato factus; quia ex jejunio manet corporis debilitatio, & ex eleemosyna substantiæ diminutio: & quantum ad hoc quod de eis manet, per pœnitentiam Deo accepta sunt.

Sic qui vult gratiam Jubilæi & Indulgentiam consequi, nihil consequitur, si opera injuncta eliciat, ea vitiando circumstantia mortaliter culpabili; quia sicut peccatum mortale impedit, ne Sacramenta producant gratiam; ita impedit, ne indulgentiæ remittant pœnam.

Consect. 5. Ut lex observetur, non est necesse, quod res præcepta observetur cum ea perfectione, qua observatur in cælis a Sanctis, nec cum ea perfectione, qua observata fuisset in statu innocentiæ, si perseverasset, nec ea perfectione, ut excludat omnem defectum venialem; sed sufficit, ut nihil fiat contra ordinem virtutis præceptæ: quia modus operandi proprius Beatis est impossibilis viatoribus; modus operandi naturæ innocentis est impossibilis naturæ corruptæ; modus operandi immunis ab omni defectu veniali collective sumpto, est impossibilis secluso privilegio. Id videtur docere D. Th. his verbis: *Præceptum impletur perfecte, quando pervenitur ad finem, quem intendit præcipiens. Impletur autem, sed imperfecte, quando etsi non pertingat ad finem præcipientis, non tamen receditur ab ordine ad finem*: v. g. *miles perfecte implet præceptum ducis, qui nedum pugnat, quod jubet Princeps, sed etiam pugnando hostem vincit, quod intendit Princeps: imperfecte vero implet, si nil agat contra disciplinam militarem, licet non victoriam referat*. D. Th. 2. 2. quæst. 44. art. 6. in corp.

Sic præceptum prudentiæ, justitiæ, fortitudinis, temperantiæ, fidei, & caritatis observatur, si nihil agatur contra ordinem virtutis præceptæ. Peccatum autem veniale non est contra ordinem, sed solum præter ordinem virtutis.

Sic qui vult gratiam Jubilæi & Indulgentiarum consequi, eam non quidem integre, sed aliquatenus consequitur, si opera injuncta eliciat, ea vitiando circumstantia venialiter culpabili; quia sicuti peccatum veniale non tollit totum effectum Sacramentorum, sed impedit integrum; ita non tollit totum effectum indulgentiarum, sed impedit integrum.

ARTICULUS II.

De his quæ non requiruntur ad observantiam Legis.

PRop. unica. Ad satisfaciendum speciali præcepto, quod datur de actu alicujus virtutis, non est necesse in rigore, quod actus imperatus fiat vel habitu virtutis præceptæ, vel ex motivo alterius virtutis; sed sufficit, quod fiat motivo virtutis, quæ præcipitur: v. g. ut satisfiat præcepto jejunii non est necesse quod jejunium procedat ex habitu temperantiæ, vel fiat in caritate, vel motivo caritatis: sed sufficit, quod fiat speciali motivo jejunii, modo non excludatur motivum generale caritatis.

Prop. 1. Authoritate D. Thom. *Dicendum*, inquit, *quod sub præcepto, quod datur de actu* ali-

alicujus virtutis, non cadit modus, quem habet ille actus ex alia superiori virtute; cadit tamen sub præcepto modus ille, qui pertinet ad rationem propriæ virtutis, & talis modus significatur, cum dicitur: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Et 1.2.q.100. a.9. ad 1. *Modus,* inquit, *faciendi actum justitiæ, qui cadit sub præcepto, est, ut fiat aliquid secundum ordinem juris, non autem quod fiat ex habitu justitiæ.*

2. *Rat.* Si requireretur, quod actus præceptus fieret ex habitu virtutis præceptæ, numquam homo posset acquirere habitus naturales, nec se disponere ad habitus supernaturales; quia teneretur semper habere habitus: utrumque falsum est; quia secundum Philosophos, habitus naturales acquiruntur per actus, & juxta Theologos adulti disponunt se ad habitus infusos. Si requiratur pariter, quod actus virtutis præceptæ fiat vel in habitu caritatis, vel ex motivo caritatis, omnia, quæ fiunt ante justificationem vel inceptam, vel completam, essent peccata; quia essent sine caritate initiati: quod damnatur in Tridentino sess. 6. Can. 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata; anathema sit.*

3. *Rat.* D. Thom. Omnis virtus specialis inferior caritate habet duplicem finem, alterum intrinsecum, alterum extrinsecum. Finis intrinsecus est, quod actus virtutis cadat supra debitam materiam, & vestiatur debitis circumstantiis, ut loquitur D. Th. v. g. quod fiat a sciente; quod enim aliquis facit ignorans, per accidens facit: quod fiat a volente & eligente; quod enim aliquis facit nolens & coactus, potius in eo fit, quam ab eo fiat. Finis extrinsecus est, quod fiat v. g. ex habitu virtuoso firmiter radicato, quod fiat vel in habitu, vel ex habitu superioris virtutis, nimirum caritatis. Res patet exemplo jejunii. Finis intrinsecus jejunii est, quod fiat a sciente & volente exercere actum abstinentiæ. Finis extrinsecus est, quod fiat ex firmo habitu abstinentiæ, vel ab homine existente in caritate, vel agente motivo caritatis. Finis intrinsecus virtutis est de præcepto; quia est de intrinseca ratione virtutis. Finis extrinsecus non est de præcepto; quia est extra rationem virtutis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui est sine habitu virtutis potest satisfacere præcepto, quo jubetur, ut exerceatur actus virtutis: quia habitus virtutis non cadit sub præcepto.

Sic præcepto fidei, spei, caritatis, religionis, justitiæ, temperantiæ, fortitudinis, potest satisfieri etiam ab eo, qui caret hujusmodi habitibus, modo earum virtutum actus eliciat. Ita firmitas, inquit D. Thom. proprie pertinet ad habitum, ut scilicet aliquis ex habitu radicato operetur: & quantum ad hoc, modus virtutis non cadit præcepto. 1. 2. quæst. 100. art. 9.

Consect. 2. Qui est extra habitum caritatis potest satisfacere præcepto, quo jubetur, ut exerceatur actus distinctus a caritate, v. g. actus fidei, spei, religionis, justitiæ, fortitudinis, & temperantiæ; quia ut actus sit bonus, non est necesse, quod fiat ab homine actualiter justificato: alias, ut dictum est, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, essent vere peccata, quod damnatur in Trid. sess. 6. can. 7. Item damnatur hæc propositio Baji: *Non est vera Legis obedientia, quæ fit sine caritate.* Pr. 16.

Consect. 3. Qui non agit motivo caritatis, modo agat motivo virtutis præceptæ, potest satisfacere præcepto, quo jubetur, ut exerceatur actus fidei, spei, religionis, actus justitiæ, fortitudinis & temperantiæ; quia non semper præcipitur, ut agamus motivo caritatis. *In hoc præcepto,* inquit D. Th. *honora patrem, non includitur, quod honoretur pater ex caritate, sed solum quod honoretur pater: unde qui honorat patrem, licet non habeat caritatem, non efficitur transgressor hujus præcepti: etsi sit transgressor præcepti, quod est de actu caritatis, propter quam transgressionem meretur pœnam:* hypothetice quod pro tunc urgeat, & ad 2. *Cum ista duo præcepta, honora parentes, diliges Dominum, sint affirmativa, non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obligare: & ita potest contingere, quod aliquis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præceptum de omission modi caritatis...* Quod de præcepto honorandi parentes dicit D. Thom. ad alia præcepta potest proportionaliter applicari.

Consect. 4. Qui non agit motivo caritatis, non potest satisfacere præcepto exercendi actus caritatis; quia motivum caritatis cadit sub præcepto caritatis. *Actus caritatis,* inquit D. Th. 1. 2 q. 100. art. 10. *dupliciter considerari potest. Uno modo secundum quod est quidem actus per se, & hoc modo cadit sub præcepto Legis, quod de hoc specialiter datur, scilicet, diliges Dominum Deum tuum, diliges proximum tuum: & quantum ad hoc primi Authores verum dixerunt,* nimirum, modum caritatis esse sub præcepto. *Alio modo potest considerari actus caritatis, secundum quod est modus actuum aliarum virtutum...* Et hoc modo verum

rum est... quod modus caritatis non cadit sub præcepto.

CAPUT VI.

Quomodo Lex sit interpretanda.

INterpretatio est explicatio Legis, cum non clare apparet rationalis mens Legislatoris.

ARTICULUS I.

Quandonam Lex sit interpretanda.

PRop. 1. Tunc solum interpretatione utendum est, cum ex verbis Legis non clare apparet rationalis intentio Legislatoris; minime vero, si clare appareat.

Prob. 1. Scriptura. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo: custodite mandata Domini Dei vestri: quæ ego præcipio vobis*. Deuter. cap. 4.

2. Ex D. Thom. *Interpretatio locum habet in dubiis, in quibus non licet absque determinatione Principis a verbis Legis recedere; sed in manifestis non est opus interpretatione, sed executione*. 2. 2. q. 120. a. 1. ad 3.

3. *Rat.* Interpretatio eo solum fine adhibenda est, ut pateat intentio Legislatoris: ergo, cum ex verbis Legislatoris, aut alicujus gerentis vicem Legis clare apparet, non est adhibenda interpretatio.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quando Lex ita clara est, ut nullum relinquat dubium circa rationalem mentem Legislatoris, verba Legis debent sumi ut sonant; ita Aug. Lib. 2. contra duas epistol. Pelag. *Quæ ad pietatem bonosque mores pertinent, non ad aliquam significationem ulla interpretatione sunt referenda; sed ut dicta sunt, facienda sunt*. Sic verba Legis divinæ accipienda sunt ut Ecclesia proposuit, & non ut cupiditas suggerit.

Consect. 2. Quando obscura verba Legis fuere exposita per Legislatorem, observanda sunt secundum interpretationem Legislatoris; quia interpretatio Legislatoris, facta imperative, vim habet Legis.

Sic matrimonium debet esse indissolubile, & unius cum una; quia Legem matrimonii ita Christus interpretatus est.

Consect. 3 Quando obscura verba Legis fuere explicata per consuetudinem legitimam, sunt observanda secundum eamdem consuetudinem; quia consuetudo legitima vim habet Legis.

Sic verba Legis, qua Apostoli prohibuerunt usum sanguinis & suffocati, observata sunt secundum consuetudinem Ecclesiæ, scilicet, quamdiu metus fuit, ne usus sanguinis & suffocati esset scandalo Judæis recenter conversis.

Consect. 4. Quando obscura verba Legis fuere exposita per sententiam juridicam, sunt ab eo, qui subditur judici, observanda juxta sententiam judicis; quia sententia judicis vim habet Legis.

Consect 5. Quando obscura verba Legis non fuerunt exposita nec per Legislatorem, nec per consuetudinem, nec per judicem, si dubium moram patiatur, subditus Legi debet Superiorem consulere; quia quantum fieri potest, interpretatio Legis debet fieri ab eo, a quo processit Lex: *Interpretatio juris ad eum pertinet, ad quem juris constitutio*. Cap. *Inter alia*, de sententia excommunic.

Si dubium moram non patiatur, & ad Superiorem recurri non possit, tunc licet Legem interpretari.

ARTICULUS II.

Quomodo oporteat Legem interpretari.

PRop. 1. Non licet Legem interpretari secundum privatos affectus, sed solum iuxta æquiorem justi Legislatoris intentionem.

Prob. 1. Scriptura *Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se*. Idem de Lege dici potest. 1. *Non addes quidquam verbis illius, ne arguaris, inveniarisque mendax*. Prov. cap. 30. v. 6. Ergo Lex interpretanda est, non juxta privatum affectum, sed æquiorem iusti Legislatoris intentionem. 2. *Non facietis singuli quod rectum tibi videtur*. Deut. cap. 12. *Sed quod præcipio tibi, hoc tantum facito: nec addas quidquam, nec minuas*: Ergo Lex non interpretanda est ex affectu proprio, sed juxta intentionem Legislatoris.

2. Ex Patribus. 1. Ex Tertulliano in lib. de præscript. cap. 6. ubi sic loquitur: *Nobis vero nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit: Apostolos Domini habemus authores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent elegerunt; sed acceptam a Christo disciplinam fideliter Nationibus assignaverunt*. Eamdem veritatem confirmat Vincentius Lirinensis in suo commonitorio his verbis: „Annuntiare „ergo aliquid Christianis Catholicis, præter id „quod acceperunt, numquam licuit, nusquam „licet, numquam licebit: ergo &c."

3. *Rat.*

3. *Rat.* Si liceret cuilibet Legem secundum privatos affectus interpretari, nulla esset Lex, quæ privatis interpretationibus non posset eludi. Inde est, quod Scriptura teste, Michas interpretando Legem juxta suum affectum, idololatriam in Israel invexit. *In diebus illis,* inquit textus Sacer, *non erat Rex in Israel, sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Judicum cap. 17. v. 16. Ergo Lex interpretanda est, non ex affectu proprio, sed juxta rationalem intentionem Legislatoris.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Lex generalis quoad personas generaliter est interpretanda, & quæ omnes respicit, non est ad aliquos solum restringenda; ibi enim dici potest, quod Christus dicebat Apostolis: *Quod vobis dico, omnibus dico*; & quod ait Bernardus lib. 2. de considerat. *Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.*

Sic Lex naturalis, ut pote generalis, ligat omnes homines, & in singulis casibus; nisi Deus author Legis vel per se, vel per Ecclesiam, exemptionem doceat. Ideo de quolibet Decalogi præcepto dici potest quod Aug. dicit de homicidio: Homicidium omnibus interdicitur, his exceptis, quos vel justa Lex generaliter, vel ipse fons justitiæ specialiter occidere jubet. lib. 1. de civit. cap. 22.

Sic Lex positiva divina, ut pote generalis, ligat omnes homines Deo subditos, nisi Deus author Legis eos dispenset; & ita nullus est casus, in quo quis eximatur ab observatione Evangelii, vel in quo liceat Evangelium violare, de quo ita Tertul. lib. 2. de spectac. *Numquam & nusquam excusatur quod Deus damnat*

Sic Lex positiva Ecclesiastica, quando est generalis, obligat omnes & singulos Christianos in singulis casibus, nisi ipsamet Ecclesia dispensationem largiatur. *Sciant universi, Sacratissimos Canones exacte & ab omnibus indistincte observandos esse.* Triden. sess. 25. cap. 18.

Sic Lex positiva civilis, quando est generalis, obligat omnes sibi subditos, & in singulis casibus, nisi Legislator ipsemet exceptionem adhibeat; ideo dicitur, L. *dissentientis* Cod. *de repud.* Quod Lex non dicit, non est ab homine præsumendum.

Consect. 2. Lex generalis quoad objectum ex se prohibitum generaliter est interpretanda, nec excusandus est qui rem suapte natura prohibitam facit, quoquo motivo eam faciat. Si enim quod est ab intrinseco malum, fieret ex intentione agentis licitum, nullum esset crimen adeo nefarium, quod excusari non posset; nulla est enim actio adeo mala, quæ patrari non possit ex intentione boni finis. Incestus filiarum Loth fuit ex intentione boni finis. Gen. 19. v. 32. scilicet, ut in terra servarent ex patre suo semen. Cædes Christianorum in honorem Dei sæpe patratur. Joan 16. v. 2. Ergo.

Consect. 3. Lex in per se malis est generaliter interpretanda, nec quovis motivo violanda.

Sic cum generaliter vetatur, ne quis sibi viam paret ad Beneficium per pecunias, illud ita prohibetur, ut nullo modo neque per se ipsum, neque per alios dare liceat pecunias, quibus ad Beneficium pertingatur. Et cum generaliter vetatur omne pactum, in quo temporale datur pro spirituali, vetatur, quocumque motivo detur temporale ex pacto, sive detur tamquam pretium, sive detur tamquam compensatio.

Sic cum prohibetur curiosa librorum prohibitorum lectio, si nequeas illos per te ipsum legere sine periculo subversionis, non potes alios legentes audire quandiu manet idem periculum.

Sic cum prohibetur aliquid ultra sortem exigere ex vi mutui, prohibetur itidem ne illud extorqueas debitoribus quocumque motivo, sive exigas motivo gratitudinis, sive motivo benevolentiæ.

Sic cum generaliter prohibetur homicidium injustum, prohibetur quocumque motivo injusto illud facias, sive ad sumendam vindictam, sive ad vitandam infamiam, sive ad ostendendas vires corporis.

Sic cum Ecclesia generaliter censuris percutit omnes sicarios, eosque privat altaris pro fugio, censuræ illæ quoscumque feriunt sicarios, quocumque motivo homicidium perpetrent, sive id faciant conducti pecunia, sive id præstent, ut rem gratam amico exhibeant.

Sic cum excommunicantur Religiosi, qui habitum Religiosum exuunt sine causa, censuram non effugiet qui habitum monachalem dimittit, ut liberius furetur, fornicetur, &c.

Consect. 4. Lex naturalis interpretanda est non juxta rationem cæcutientem acceptam ab Adamo generante, sed juxta illuminationem fidei acceptam a Christo regenerante; quia concupiscentia, cum qua nascimur, a peccato est, & ad peccatum inclinat: & proinde non potest esse certa regula Legem naturalem interpretandi, sed oportet eam regulam non in concupiscentia, sed in fide quærere.

Sic

Sic in interpretanda Lege naturali uti quidem possumus authoritate Aristotelis, Platonis, & aliorum Philosophorum, non tamquam regula infallibili, sed tamquam regula, quæ fidem non faciat, nisi fuerit per revelationem confirmata: ita fecit D.Th. qui morali Aristotelis utitur, sed eam emendando per principia fidei.

Consect. 5. Leo positiva divina non aliter interpretanda est, quam per universalem Ecclesiæ praxim, & per unanimem Sanctorum Patrum consensum; quia Lex positiva divina, utpote divinitus revelata, continetur vel in Scriptura, vel in traditione, ubi omnis continetur revelatio. Scriptura autem & traditio non aliter explicantur, quam per praxim universalem Ecclesiæ, & per unanimem Sanctorum Patrum consensum.

Consect. 6. Lex positiva civilis, & Lex positiva Ecclesiastica interpretandæ sunt juxta glossam, quæ est in corpore utriusque juris; quia hæc glossa continet interpretationem Doctorum, qui magis in utroque jure claruerunt.

ARTICULUS III.

Quæ consuetudines observandæ, quæ tollendæ, quid vigoris habeat consuetudo legitima in Lege interpretanda.

Consuetudo in genere est continuata frequentatio actuum humanorum.

Consuetudo alia est bona, alia est mala, alia indifferens.

Consuetudo bona ea est, quæ nulli Legi repugnat, & ad bonum deducit: talis est, v. g. observantia quadragesimæ: *Nam ut quadraginta illi dies ante pascha observentur Ecclesiæ consuetudo roboravit*, ait Aug. Epist. 19.

Consuetudo mala est ea, quæ alicui Legi repugnat: talis est v. g. consuetudo contra fidem, vel bonos mores.

Consuetudo indifferens est ea, quæ nulli quidem Legi repugnat, sed quæ non ad sanctitatem deducit: tales sunt vanæ consuetudines populorum.

Propos. 1. Consuetudo bona est observanda.

Probatur 1. Scriptura: *Quod bonum est, tenete*. 1. ad Thess. cap. 5. v. 21. Ergo legitima consuetudo est observanda.

2. Ex Basilio Epist. ad Diodorum, ubi docet, non licere demortuæ uxoris sororem matrimonio ducere propter morem, qui vim Legis habet: ergo bona consuetudo vim habet Legis: ergo est observanda.

3. *Rat.* Certum est, quod in civilibus rebus, & in Ecclesiasticis, aliqua ordine & canone tenentur, aliqua vero consuetudine firmata sunt, ut dicitur in proœmio Concilii Africani: ergo cum jus utrumque, scilicet civile & canonicum, constet ex Lege & consuetudine; sicut Legem justam observari oportet, ita & consuetudinem.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Observandæ sunt ab omnibus fidelibus universales Ecclesiæ consuetudines, quarum origo non reperitur; quia ex Aug. 118. *Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus toto terrarum orbe, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est saluberrima authoritas, commendata, atque statuta retineri*. Hujusmodi sunt celebratio festorum Christi, qualia sunt Nativitas, Circumcisio, Passio, Resurrectio, observantia quadragesimæ, observantia impedimentorum matrimonialium, & alia istius generis.

Consect. 2. Observandæ sunt a quolibet privato particulares suæ Ecclesiæ consuetudines. *Quod enim*, inquit Aug. Ep. 117. *neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est.... Hujusmodi sunt jejunium Sabbato observatum, communio quotidiana, &c.*

Consect. 3. Consuetudo sancta, sive olim fuerit instituta, sive jam de novo proponatur instituenda, si non perturbet novitate, amplectenda est. *In his*, inquit Aug. Epist. 119. *saluberrima regula tenenda est: ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicumque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, ut amplius detrimentum sit*. Idem docet Gregorius Epist. ultima ad Aug. Angliæ Apostolum, ubi sic habet: *Si aliquid invenisti sive in Romana, sive in Gallicana Ecclesia, quod plus omnipotenti Deo placere possit, sollicite eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas.*

Hinc patet, erectiones confraternitatum, v. g. Sacramenti Eucharistiæ, Rosarii, Scapularii, Angelorum, &c. non esse culpandas; sed si approbante Episcopo erigantur, maxime laudandas, & adhortandos esse fideles ad hujusmodi pietatis exercitia, modo tamen

men id fiat sine præjudicio munerum, & officiorum Parochiæ persolvendorum.

Monet tamen prudenter Aug. Epist. 119. ut hujusmodi pietatis exercitiis numquam nobis adimatur libertas Evangelica, nec habeamus ut necessaria quæ sunt indifferentia, neque ut Sacramenta Christi quæ pia sunt tantum exercitia a piis hominibus excogitata. *Quod autem instituitur*, inquit, *præter consuetudinem, ut quasi observatio Sacramenti sit, approbare non possum*.

Prop. 2. Consuetudo mala, ex quocumque capite sit vitiosa, tollenda est, & nullatenus observanda.

Prob. 1. Scriptura. Advertendum est, inquiunt Patres, quod Dominus dicit: *Ego sum veritas, & vita*; nusquam vero dixit: ego sum consuetudo: ergo consuetudo non est observanda, nisi quatenus veritati concordat, ceu quatenus est bona.

Prob. 2. Ex Aug. lib. 4. de Bapt. contra Donatistas cap. 4. *Hoc plane verum*, inquit, *quod ratio & veritas consuetudini præponenda est*.

3. *Rat.* Consuetudo, quæ observari debet, est jus moribus utentium introductum, quod pro lege habetur, ubi Lex desideratur, & deficit: ergo quoties consuetudo erit mala, toties erit tollenda.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Omnis consuetudo contraria Legi vel naturali, vel divinæ, est tollenda; quia, ut loquitur D. Th. *Lex naturalis & divina procedit a voluntate divina*; *unde non potest mutari per consuetudinem procedentem a voluntate hominis, sed solum per voluntatem divinam: & inde est, quod nulla consuetudo vim Legis obtinere potest contra Legem divinam, vel naturalem*. 1. 2. q. 97. a. 3. ad 1.

Sic nulla consuetudo potest prævalere contra Decalogum; quia est lex naturalis: nec contra Evangelium; quia est lex positiva divina.

Sic nulla consuetudine licita possunt fieri quæ sunt contra virtutes morales, scilicet, prudentiam, justitiam, fortitudinem, & temperantiam; quia sunt virtutes naturales: neque quæ sunt contra fidem, spem, & caritatem; quia sunt virtutes supernaturales.

Consect. 2. Omnis consuetudo illegitima est tollenda, sive sit illegitima ex authore, sive ex fine, sive ex objecto, sive ex modo; quia ex quocumque capite sit vitiosa, prava est. *Decet*, inquit Isidorus lib. 2. Synonim. cap. 16. *ut non consuetudo prava Legem, sed Lex pravam consuetudinem vincat; cedat consuetudo authoritati; pravum usum Lex & ratio vincat: adime consuetudinem, & serva Legem*.

Sic consuetudo permittens aliquid ex natura sua malum, v. g. consuetudo blasphemandi, furandi, &c. consuetudo vetans actus natura sua virtuosos, v. g. consuetudo impediens exercitium religionis: hæc, inquam, consuetudo est tollenda; quia est vitiosa ex *Objecto*.

Sic consuetudo inducta, non per Legislatore, aut per saniorem populi partem, sed per rebellantes subditos, v. g. consuetudo non solvendi decimas inducta per hæreticos, consuetudo non ferendi habitum Clericalem inducta per inobedientes Clericos: hæc, inquam, consuetudo est tollenda; quia est injusta ex *Authore*.

Sic consuetudo periculosa inclinans vel semper, vel ut plurimum ad peccandum, qualis est consuetudo vacandi ludis, & tripudiis diebus festis, qualis est etiam consuetudo ducendi choreas, adeundi comœdias, &c. hæc, inquam, consuetudo est tollenda; quia est injusta ex *Fine*.

Sic consuetudo non sufficienter præscripta, qualis est, v. g. consuetudo, quæ non duravit per decem annos in his, quæ pertinent ad jus civile, & per quadraginta annos in his, quæ pertinent ad jus canonicum, ut patet ex cap. *Audistis*. Extra de præscript. hæc, inquam, consuetudo est tollenda; quia est injusta ex *Modo*.

Prop. 3. Consuetudo legitima, quæ nihil habet contrarium civilibus & canonicis institutis, abrogat Legem in rebus indifferentibus, quæ sunt solum per Legem positivam vel præceptæ, vel prohibitæ.

Prob. 1. Ex Jure Canonico. Una ex conditionibus Legis est, ut sit secundum patriæ consuetudinem, loco, temporique conveniens. Can. *In istis* dist. 4. Ergo consuetudo abrogat Legem, quandoquidem nulla est Lex, quæ in rebus indifferentibus non sit consuetudini conveniens.

2. Ex Glossa in caput *Pastoralis*, ubi sic habetur: Si decretalis aliqua obviet consuetudini regionis, debet prævalere consuetudo.

3. Ratione. Consuetudo legitima vim habet Legis: ergo sicuti Lex justa est recta agendi regula; ita & consuetudo legitima: & proinde potest Legem in rebus indifferentibus abrogare; & ita licet Legem interpretari juxta consuetudinem legitimam.

Con-

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Consuetudo legitima multas Leges Ecclesiasticas abrogavit, quæ olim vigebant; nunc vero vigorem nullum habent.

Sic Can. *Rogationis* præcipiebatur jejunium & cessatio ab operibus servilibus tribus Rogationum diebus: consuetudine legitime introducta id amplius non observatur.

Sic Can. *Pronunciandum* integra Paschalis hebdomada ut festiva celebranda erat: contrarium observatur ob consuetudinem legitime introductam.

Olim cautum erat, ne baptismus extra casum necessitatis solemniter conferretur, nisi tempore Paschatis, Pentecostes, & in aliquibus Ecclesiis tempore Epiphaniæ: jam per usum contrarium confertur omni tempore.

Consect. 2. Multæ sunt Leges civiles, quæ olim vigebant: quæ consuetudine contraria jam vigorem nullum habent

Sic variæ Leges, quæ actiones litigantium dirigebant, in Gallia usu contrario non observantur, ubi non alia viget litigandi formula quam ea, quam Rex suis edictis præscripsit.

Sic varias Leges, quæ proprietatem thesaurorum inventorum figebant, quæ alluviones dirigebant, usu contrario in Gallia non vigent, sed solum ea edicta, quæ Rex constituit. Plura dicemus in synopsi juris civilis

Consect. 3. Consuetudo legitima ex authore, ex objecto, ex fine, ex modo, potest esse certa & tuta regula interpretandi Legem, in his quæ pertinent ad jus præcise positivum; quia consuetudo legitima abrogat jus positivum.

Sic in his, quæ spectant ad meram disciplinam Ecclesiasticam, attendendum est non ad id, quod antiqui Canones præscribunt, quia vel sunt emendati contrariis Canonibus, vel usu contrario vigorem suum amiserunt; sed attendendum est, quid præsens Ecclesiæ usus exigat.

Sic v.g. in ceremoniis adhiberi consuetis in solemni Sacramentorum collatione & receptione, non attendendum, quid antiquitus fiebat in Ecclesia, sed quid jam Ecclesia jubeat observari.

Sic pariter in festorum celebratione non attendendum quid olim fiebat in Ecclesia, sed quid jam Ecclesia fieri jubeat.

Sic in officii solemnis recitatione non attendendum, quomodo olim in Ecclesia distribuebantur Horæ Canonicæ; sed quomodo jam sint distributæ secundum usum hujus Ecclesiæ, in qua ministramus.

Sic in Monachorum privilegiis non attendendum, qualis esset subjectio Monachorum Episcopis, sed qualis sit præsens Ecclesiæ usus circa hanc subjectionem, circa hæc privilegia.

Sic in determinando, qua ætate Clerici sint ordinandi, quibus vestibus sint vestiendi, quibus modis sint ad Beneficia admittendi; non attendendum est, qualis fuerit olim circa id Ecclesiæ disciplina, sed qualis sit præsens Ecclesiæ usus, & Episcoporum zelum Dei habentium consuetudo: cum enim ista omnia ad meram disciplinam pertineant, juxta varias Ecclesiæ determinationes mutari potuerunt, & juxta usum præsentem ab Ecclesia approbatum observari debent. De hoc plura dicemus in sequenti tractatu cap. 2. in quo ostendemus, quomodo intelligendi sint Canones ad meram disciplinam pertinentes.

CAPUT VII.

De his, quæ excusant ad observantia Legis.

MUlta sunt quæ possunt ab observantia Legis excusare, v. g. ignorantia, passio, seu concupiscentia, metus, privilegium, dispensatio. De his omnibus sequentibus articulis agemus.

ARTICULUS I.

Quandonam ignorantia excuset a peccato quandonam minuat, aut aggravet peccatum.

NOta. Cognitio generatim est operatio animæ, per quam objectum nobis propositum & quasi in nobis depictum cognoscimus.

Cognitio juxta Aug. lib. 1. Retract. cap. 15. duplex est: alia facti, alia peccati.

Cognitio facti est ea, quæ versatur circa actum physice, ut dicunt, spectatum, qua nimirum cognoscimus nos quidem rem talem peragere: v. g. cognoscimus nos talem proferre sermonem, talem cibum potumve sumere, tali concupiscentiæ motu agitari; quin tamen cognoscamus aut advertamus, an res, quæ a nobis peragitur, sit licita vel illicita.

Cognitio peccati ea est, qua hæc duo, scilicet rem & peccatum cognoscimus: v. g. cognoscimus nos rem talem agere, & eamdem

rem,

tem, quam agimus, nobis esse prohibitam. Talis est actio illius, qui rite conscius hujus præcepti negativi: *Non furtum facies*, & istius præcepti affirmativi: *Omnia in gloriam Dei facite*, se determinat vel ad furandum, vel ad non referendum actionem suam ad Deum.

Ignorantia nihil est aliud, quam defectus & privatio cognitionis. Et sicuti ex Aug. cognitio alia est facti, alia peccati; ita ignorantia alia est facti, alia peccati.

Ignorantia facti ea est, qua latet nobis factum ipsum physice, ut dicunt, spectatum: v. g. manducat quis non advertens se manducare, loquitur non advertens se loqui: ignorantia est facti.

Ignorantia peccati ea est, qua latet nobis, an id, quod agimus, sit Lege prohibitum: v. g. manducat quis, advertit se manducare, delectatur in cibo; sed nescit aut non advertit, an cibus, quem sumit, sit lege vetitus, nec ne: ignorantia est peccati.

Rursus ignorantia est multiplex: alia est negativa, alia est privativa.

Ignorantia negativa est nescientia rerum, quas scire aliquis vel non potest, vel non debet: sic pueri, amentes, &c. dicuntur ignorantes ignorantia negativa.

Ignorantia privativa est privatio cognitionis earum rerum, quas quis scire & potest & debet, ut decenter operetur. Talis est ignorantia illius, qui nescit ea, quæ sunt sui officii, & negligit ea addiscere.

Ignorantia privativa, alia est facti, alia est juris.

Ignorantia facti est ea, quæ versatur circa ipsius facti qualitatem aut circumstantias: ut dum quis sciens Legem prohibuisse factum aliquod, ignorat tamen actionem hanc, quam elicit, habere conditiones requisitas ad hoc, ut sit actio illius speciei, quæ Lege prohibetur.

Ignorantia juris est ea, quæ versatur circa Legis dispositionem; ut dum quis ignorat Legem prohibuisse factum, quod perpetrat, vel imperasse factum, a quo abstinet.

Sic veteres Pagani ignorantes fornicationem esse illicitam, congrediendo cum meretricibus, ignorantiam juris habebant, non facti. Jacob vero probe sciens fornicationem esse illicitam, concumbens cum Lia, quam sibi desponsatam credebat, ignorantiam juris non habuit, sed facti.

Rursus ignorantia tum juris, tum facti, alia est vincibilis, alia invincibilis.

Ignorantia vincibilis est ea, quæ humano studio & diligentia vinci potest. Talis est ignorantia legis naturæ circa prima principia, & circa conclusiones faciles, quas quilibet potest facili negotio cognoscere, si ad seipsum redire voluerit.

Ignorantia invincibilis est ea, quæ ea industria, ea diligentia, quæ potest & debet adhiberi, vinci non potest. Talis est ignorantia Mysteriorum fidei in eo, qui nihil audivit de fide.

Rursus ignorantia alia est, ut loquuntur, antecedens, alia concomitans, alia consequens.

Ignorantia antecedens est ea, quæ nullo actu antecedenti quæsita aut affectata, est tamen causa volendi aliquid, quod fit, quodve alias non fieret. Talis est ignorantia illius, qui summam adhibet diligentiam, ut cognoscat, an actus eliciendus sit licitus, vel illicitus, & ignorans facit actum illicitum, putans esse licitum: v. g. occidit hominem, putans occidere feram; manducat carnem, putans manducare piscem: hæc ignorantia tollit voluntarium, & facit involuntarium, & proinde excusat a peccato.

Ignorantia concomitans est ea, quæ præcise concomitatur actum malum, nec causat, nec impedit illum; sed concomitanter se habet ad actum. Talis est ignorantia illius, qui ira accensus occidit inimicum putans occidere feram, sed nesciens occidere inimicum, quem forte vellet occidere.

Hæc ignorantia nec facit voluntarium, nec involuntarium, sed concomitanter se habet ad voluntarium, & involuntarium: proinde, nec facit peccatum, nec excusat a peccato, nec aggravat peccatum; sed extrinsece se habet ad illud.

Ignorantia consequens, seu volita, ut dicunt, per actum voluntatis, est voluntaria carentia alicujus cognitionis, quæ est causa actus mali.

Talis est ignorantia illius, qui ignorat illud, quod poterat & debebat addiscere.

Ignorantia consequens, alia est directe volita, alia indirecte volita.

Ignorantia directe volita est ea, in quam fertur voluntas plena deliberatione, quam ultro amplectitur, & affectat.

Talis est ignorantia illius, qui non vult cognoscere ea, quæ sunt sui officii, ut dispensetur a suo officio, juxta illud: *Noluit intelligere ut bene ageret*. Psal. 35. v. 3.

Ignorantia indirecte volita est illa, quæ est volita non ultro & in se, sed est volita ratione negligentiæ.

Talis est ignorantia illius, qui ductus amore rerum sensibilium, negligit addiscere ea, quæ sunt sui officii.

Prop. unica. Ignorantia invincibilis & omnino involuntaria excusat totaliter a peccato.

Prob. 1. Ex Scriptura. Gen. 20. ubi acceptatur a Deo excusatio Abimelech dicentis: *Domine non gentem ignorantem, & justam interficies*, subditur enim: *Dixitque ad eum Deus: & ego scio, quod simplici corde feceris*. Et rursus: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo*. Joan. 15. Ergo sicut Abimelech simplici corde & ignoranter agens excusatus est a peccato: & sicut Judæi, qui Christum prædicantem non audiissent, excusati similiter fuissent a peccato infidelitatis; quia invincibiliter Evangelium ignorassent: Ita universaliter dicendum, quod in omni casu ignorantia invincibilis excusat a peccato.

2. Ex D. Thom. *Non imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea, quæ scire non potest; unde horum ignorantia invincibilis dicitur, quia studio superari non potest: & propter hæc talis ignorantia, cum non sit voluntaria, eo quod non est in potestate nostra eam repellere, non est peccatum* 1. 2. q. 66. a. 2.

3. *Rat.* Nullum est peccatum, nisi sit voluntarium: nullum est voluntarium, ubi est ignorantia omnino involita; quia voluntarium est illud, quod procedit a voluntate cum cognitione finis: ergo nullum est peccatum, ubi est ignorantia invincibilis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Si quis ignoret invincibiliter conclusiones remotissimas difficillime eductas ex præceptis Decalogi non peccat, licet agat contra Legem Dei; quia ignorantia invincibilis tum juris, tum facti, excusat a peccato.

Sic excusatur a peccato ebrietatis Noe; quia potionis, qua inebriatus est, vim nesciebat.

Sic excusatur a peccato Jacob Liam Rachelis loco substitutam cognoscens carnaliter; quia Liam uxorem suam esse credebat.

Consect. 2. Si quis ignoret invincibiliter constitutiones Ecclesiæ non peccat, nec censuras incurrit, licet agat contra constitutiones Ecclesiæ; quia ignorantia invincibili excusat a peccato, ut docet D. Th. his verbis: *Si quis sufficiens habeat impedimentum, propter quod scire non potuerit constitutionem Papæ, puta, si fuit in carcere, vel in terris extraneis, ad quas constitutio non pervenit, vel propter aliquod impedimentum simile; talis ignorantia excusat, ut non peccet contra constitutionem Papæ agens*. Quolibeto 1. art. 19. Idem habet Jus canonicum: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes*. Cap. Ut animarum. De constitutionibus in 6.

Consect. 3. Si quis ignorat invincibiliter jus civile, non peccat, licet agat contra jus civile; quia ignorantia invincibilis excusat a peccato.

Consect. 4. Si quis ignorat invincibiliter aliquam circumstantiam facti, excusatur a deformitate, quæ actui suo competeret, si agendo illam circumstantiam cognovisset; quia ignorantia invincibilis excusat a peccato.

Sic Judas cognoscens carnaliter Thamarem nurum suam, quam meretricem esse putabat, peccavit quidem peccato luxuriæ, quia accessit ad mulierem non suam, sed non peccavit peccato incestus, quia non poteram nurum suam cognoscere, eo quod faciem suam velaverat.

Sic qui manducat carnes die Veneris, ut dicatur peccare, requiritur, ut non solum vel actualiter, vel virtualiter advertat se manducare carnes, sed etiam se manducare carnes die ab Ecclesia prohibito.

Sic, ut homo peccet loquendo falsum, requiritur non solum quod advertat, se loqui, sed etiam quod advertat, se loqui falsum. Ad hoc ut homo peccet verba blasphematoria vel imprecatoria proferendo, requiritur non solum, ut advertat se loqui, sed etiam ut advertat aliquo modo ad significationem verborum, quæ profert; si tamen inadvertentia sit vel directe vel indirecte voluntaria, non excusatur a peccato.

Prop. 2. Ignorantia aliquo modo affectata, vel aliquo modo vincibilis, non omnino excusat a peccato, sed solum minuit peccatum: non excusat a toto, sed a tanto: excusat a mortali, si negligentia fuerit tantum venialis: minuit mortale, si negligentia fuerit mortalis.

Prob. 1. Ex Scriptura. *Verumtamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii*, quam tibi o Capharnaum. Matth. 11. v. 24. Ergo ignorantia Sodomitarum, quia fuit indirecte volita, ob negligentiam punienda est, sed remissius, quam si fuisset directe volita: ergo ignorantia illa non omnino tollit peccatum, sed minuit: non excusat a toto, sed a tanto.

Consectaria hujus Doctrinae.

Consect. 1. Rari sunt casus, in quibus excusentur totaliter a peccato illi, qui violant ex ignorantia jus naturale; quia illa ignorantia vinci potest vel per studium proprium, suam interrogando conscientiam, vel per instructionem aliorum, consulendo doctiores, vel per frequentes orationes, deprecando Dominum hac, aut similibus precibus: *Domine quid me vis facere? Vias tuas demonstra mihi, & semitas tuas edoce me.*

Consect. 2. Rari sunt casus apud Catholicos, in quibus excusentur totaliter a peccato Catholici, qui ex ignorantia violant jus Ecclesiasticum; quia illa ignorantia est fere semper aliquo modo voluntaria: nam aut Parochi proprii, aut saltem vicini instruunt populum circa praecepta Ecclesiastica; ideo damnata est haec propositio ab Innoc. XI. *Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum fidei, etiam si per negligentiam culpabilem nesciat mysterium Trinitatis & Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.* Hoc enim insinuat, ignorantiam voluntariam non excusare a peccato, & Catholicos frequenter ex propria negligentia ignorare mysteria fidei.

Prob. 3. Probabilissimum est, dari de facto ignorantiam inculpabilem juris naturae; non relative ad praecepta communia, qualia sunt ista: bonum est faciendum, malum fugiendum; nec relative ad conclusiones facile eductas ex primis principiis, quales sunt istae: non est blasphemandum, pejerandum, furandum, adulterandum, &c. sed relative ad conclusiones longe remotas a primis principiis, quales sunt multae quaestiones, quae a gravibus & piis authoribus agitantur, in quibus alii licitum putant quod alii putant illicitum; tales sunt multae quaestiones morales nondum ab Ecclesia expresse determinatae.

Prob. 1. Authoritate Alexandri VIII. qui sequentem propositionem damnavit: „Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturae, haec in statu naturae lapsae operantem ex ipsa non excusat a peccato formali: " ergo supponit summus ille Pontifex aliquando dari ignorantiam invincibilem juris naturae.

2. D. Thom. Lec. 11. cap. 5. lib. 3. Ethic. ubi haec habet: „Difficilia juris non teneri omnes scire; quia nec possunt: " & 1. 2. q. 100. art. 11. „Praeceptorum moralium triplex est gradus: nam quaedam sunt communissima, & adeo manifesta, quod editione non indigeant, sicut mandata de dilectione Dei & proximi, & alia hujusmodi, ut supra dictum est, quae sunt quasi fines praeceptorum; unde in eis nullus potest errare secundum judicium rationis. Quaedam vero sunt magis determinata, quorum rationem statim quilibet etiam popularis potest de facili videre; & tamen quia in paucioribus circa hujusmodi contingit judicium humanum perverti, hujusmodi editione indigent; & haec sunt praecepta Decalogi. Quaedam vero sunt, quorum ratio non est adeo manifesta cuilibet, sed solum sapientibus; & ista sunt praecepta moralia superaddita Decalogo, & tradita a Deo populo per Moysem & Aaron. " Hactenus D. Thom.

Praecepta primi generis non possunt ignorari invincibiliter, ut dicit ibidem Sanctus Thom. quia sunt adeo manifesta, ut editione non indigeant.

Praecepta 2. generis non possunt ignorari invincibiliter, ut docet D. Thom. 1. 2. q. 4. art. 4. quia, ratio non deficit nisi in paucioribus, propter hoc quod aliqui habent depravatam rationem ex passione, seu ex mala habitudine naturae.

Praecepta 3. generis possunt invincibiliter ignorari; quia, ut ait D. Th. 1. 2. q. 91. a. 2. ad 1. homo participat Legem aeternam secundum quaedam communia praecepta, non autem secundum particulares directiones singulorum, quatenus in Lege divina continentur: & quia, ut ait idem Doctor q. 94. a. 6. quaedam sunt, ad quorum judicium multa requiritur consideratio diversarum circumstantiarum, quas considerare diligenter non est cujuslibet, sed sapientum; sicut considerare particulares scientiarum conclusiones non pertinet ad omnes, sed ad solos Philosophos. Idem docet Albertus 2. dist. 22. a. 16. Idem Antoninus 1. parte num. 3. cap. 10.

Consectaria hujus Doctrinae.

Consect. 1. Actus contrarius Legi divinae, si bona fide credatur vel praeceptus, vel permissus, potest esse bonus, & meritorius, non bonitate intrinseca, sed bonitate apprehensa: sicuti enim actus intrinsece bonus, v. g. credere Christo, ex conscientia erronea elicitus, est malus, non malitia intrinseca, sed solum extrinseca; ita actus intrinsece malus, si bona fide eliciatur, potest esse bonus, non bonitate intrinseca & objectiva, sed extrinseca. Et hoc est quod dicit Bernardus lib. de praecep. & dispen. cap. 18. Et quidem laude dignam duxerim vel solam intentionem piam; nec plane condigna remuneratione fraudabi-

tur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas.

Dixi, bona fide: nam si ignorantia proveniat vel a passione vel a concupiscentia, vel a pravo habitu, tunc non excusat; quia est voluntaria.

Consect. 2. Dum inter audiendo confessiones occurrit pœnitens, qui contra jus naturale peccasse deprehenditur, asserens tamen se bona fide credidisse licitum, quod jam ei declaratur illicitum, tunc maxima cautione Confessario opus est.

Oportet 1. Considerare, num actus ille elicitus contra Legem naturalem ex ignorantia culpabili potius quam ex bona fide processerit: raro enim contingit, quod ignorantia juris naturæ ex aliqua culpa personali non procedat; aut enim nimis inhæremus sensibilibus, quæ nos avertunt a cognitione veritatis; aut ad conscientiam arguentem obsurdescimus; aut saltem preces negligimus, quibus a Deo officii nostri cognitionem impetraremus: in illo ergo dubio pœnitens accuset se illius ignorantiæ, prout coram Deo reus judicatur. 2. Instruat ipsum Confessarius circa ea omnia, quæ ejus sunt officii. 3. Si Confessarius agnoscat ignorantiam juris naturalis esse voluntariam, tunc debet pœnitentem præmonere, eique indicare, hanc ignorantiam non excusare coram Deo, sed accusare, & nullas esse confessiones, in quibus non declaravit peccata ex ignorantia culpabili commissa.

Prop. 4. Ignorantia affectata non excusat a peccato; sed qui agit aliquid contra Legem ex ignorantia affectata, peccat tanto gravius, quanto pertinacius affectavit ignorantiam Legis, quam violat.

Prob. 1. Scriptura Job 21. v. 13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo: recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Et Paulus ad Romanos cap. 1. *Revelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem & injustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent*; affectando nimirum ignorantiam divinæ veritatis: ergo, cum juxta Scripturam ignorantia affectata tam severe a Deo puniatur, non excusat a peccato.

2. Ex Hilario in Psal. 118. ubi sic habet: *Non habet veniam ignoratio voluntatis; quia sub scientiæ facultate nescire, repudiatæ magis, quam non repertæ scientiæ est reatus.*

3. Ex D. Thom. quæst. 3. de malo art. 8. ubi sic loquitur: „Cum aliquis vult directe ignorare, ut a peccato per scientiam non detrahatur; talis ignorantia non excusat peccatum nec in toto, nec in parte, sed magis auget.“ Ergo, &c.

Prima Ratio. Illud non excusat peccatum, sed auget & aggravat, quod efficit peccatum magis voluntarium; quia peccatum ceteris paribus eo est gravius, quo magis est voluntarium: ergo cum ignorantia affectata reddat peccatum magis voluntarium, quia, ut ait D. Thom. ibidem, ex magno amore peccandi videtur contingere, quod aliquis detrimentum scientiæ pati velit ad hoc quod libere peccato adhæreat: ergo ignorantia affectata aggravat peccatum.

Secunda Ratio. Si ignorantia affectata excusaret a peccato, utile foret, cognitionem Legis, Deique notitiam a nostris mentibus procul amovere; hinc enim fieret, ut actuum nostrorum deformitatem non attenderemus, adeoque vix unquam peccaremus, quamvis facta in seipsis nefanda perpetraremus: impium consequens, ut patet ex his verbis Psalmistæ: *Exacerbavit Dominum peccator: non est Deus in conspectu ejus, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Et ex istis verbis Apostoli: *Ignorans ignorabitur:* & rursus, *qui sine lege sunt, sine lege peribunt.* Excusandi essent pariter hi, qui Apostolos, qui Martyres, ex inordinato zelo occiderunt, putantes obsequium se præstare Deo. Excusandi quoque essent indurati & excæcati, qui ex affectata, ut plurimum, agunt ignorantia. Quæ cum ita sint: *Hoc qui sentit*, ut loquitur August. *non cernit, quam contra Apostolum sentiat. Quod quidem non ipse sentis, sed hoc sequitur illa, quæ sentis: muta ergo antecedentia, si vis cavere consequentia.* Lib. 1. de adulter. conjugiis num. 3. alias cap. 4.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat qui ignoranter violat principia communia juris naturalis: v. g. malum est fugiendum, bonum est agendum: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: quia hæc ignorantia est affectata: nam, ut ait D. Th. 1. 2. q. 94. a. 6. *quantum ad illa præcepta communia Lex naturalis nullo modo potest a cordibus hominum deleri in universali.*

Consect. 2. Ille peccat, qui ignoranter violat præcepta Decalogi: v. g. idololatriam committit, pejerat, inhonorat parentes, occidit proximum, fornicatur, calumniatur, furatur, mentitur, &c. etenim qui ignoranter hæc violat præcepta, agit ex ignorantia affectata: possunt enim hujusmodi mandata studio addisci, etiam sine Doctore, sine Prædicante, solam consulendo conscientiam,

tiam, juxta illud Isaiæ: *Redite prævaricatores ad cor*. Quod *si legem non videant*, inquit D. Thom. *hoc provenit ex eorum culpa*; *deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem*.

Conject. 3. Peccat qui ignorat ea, quæ sunt sui officii, quæ debet, & potuit addiscere, & agit cum illa ignorantia. Peccat, quia illa ignorantia est affectata: tenetur illam vincere, aut deserere suum officium, aut suspendere exercitium sui officii, donec sit sufficienter eruditus; quia, ut docet D. Th. 1. 2. quæst. 76. ar. 2. Quicumque negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere vel facere, peccat peccato omissionis: unde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis scire tenetur, est peccatum; ideo peccant qui hic subjiciuntur.

1. Fidelis quilibet ignorans orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum, præcepta Decalogi, & Ecclesiæ Sacramenta, quæ recepit, vel debet recipere; quia sunt ea, quæ, ut ait D. Thom. 2. 2. quæst. ar. 7. *Communiter in Ecclesia solemnizantur, & publice proponuntur*.

Sic si non confiteatur peccata quoad speciem, quoad numerum, quoad circumstantias necessario exprimendas, & id omittat ex negligentia culpabili mortaliter, non excusatur a sacrilegio.

2. Episcopus, qui nescit ea, quæ debet inferioribus Sacerdotibus explicare: *Oportet enim Episcopum esse Doctorem*, 1. ad Timoth. 3. *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere*, ad Titum 1.

3. Parochus, qui nescit ea, quæ debet plebi explicare: *Labia enim Sacerdotis custodiunt scientiam, & Legem requirunt de ore ejus*.

Sic Clericus pactum aliquod simoniacum faciens, ignorans illud esse prohibitum, non excusatur a peccato, ut habetur in capite *Per tuas*, de simonia.

Sic ignorantia Canonum circa prohibitionem venationis factam Clericis, circa legitimum usum bonorum Ecclesiasticorum, circa censuras, irregularitates, circa residentiam in Beneficiis, circa legitimam vocationem ad statum Clericalem, circa Canonicam Beneficiorum resignationem aut collationem, non excusat Clericos aut Sacerdotes; quia ea omnia officia & possunt & debent scire vel consulendo, vel studendo.

4. Confessarius, qui nescit casus conscientiæ, oportet enim, ut quatenus judex spiritualis discernat inter lepram & lepram.

5. Demum Advocatus, qui nescit Leges, & tamen officium advocati exercet. Judex, qui nescit formam juris exercendi. Notarius, qui nescit formam conficiendi instrumenta publica. Medicus, qui nescit Medicinam, & tamen eam exercet; quia isthæc officia nequeunt inculpabiliter sine competenti scientia exercere.

Peccant, inquam, non continuo, sed solum quando est tempus acquirendi scientiam, quam habere tenentur, & quam negligunt acquirere. Immo peccant quotiescumque cum tali ignorantia agunt difformiter ad Legem, & tenentur ad restitutionem quoties ignoranter damnum intulerunt proximo. D. Th. 1. 2. 76. art. 2. ad 5.

Immo peccant quandiu manent in tali ignorantia affectata, & in voluntate exercendi officium; quia ut ait D. Thom. *Aliquis scire tenetur illa, sine quorum scientia non potest debitum actum exercere debite: unde omnes tenentur scire communiter ea, quæ sunt fidei, & universalia juris præcepta; singuli autem ea quæ ad eorum statum, vel officium spectant*. 1. 2. q. 76. ar. 2.

Immo quamvis per accidens prædicti homines non agant difformiter ad Legem, peccant tamen quoties exercent suum officium inscii; quia se exponunt periculo peccandi: ideo debent deserere suum officium, vel saltem suspendere, donec didicerint ea, quæ sunt sui officii.

Conject. 4. Qui ex ignorantia affectata ignorat præcepta Ecclesiæ, quæ potuit, & noluit addiscere, peccat; quia ignorantia affectata non excusat a peccato. *Non tibi imputatur ad culpam quod ignoras invitus; sed quod negligis quærere quod ignoras*. Aug. lib. 3. de libero arb. cap. 19.

Sic qui ex ignorantia affectata non observat jejunia Ecclesiastica, dies festos ab Ecclesia institutos &c. peccat.

Conject. 5. Qui ex ignorantia affectata aliquid facit, cui annexa est censura, non excusatur a censuris; quia qui vult peccatum, censetur velle pœnam annexam peccato: ita declarat jus Canonicum cap. *Ut animarum*, de constitut. in 6. ubi sic habetur: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis quoque Ordinariorum ligari nolumus ignorantes; dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit & supina*.

Conject. 6. Ignorantia facti non excusat eos, qui sufficientem non adhibent diligentiam ad cognoscendum quod debebant & poterant cognoscere.

Sic Sacerdos, qui baptizaret puerum jam ba-

baptizatum, consecraret acetum in Missa, absolutionem impertiret homini non sufficienter disposito; non excusatur a peccato, si omiserit ea examinare, quæ debebat & poterat examinare.

ARTICULUS II.

Quandonam concupiscentia excuset a peccato: quandonam minuat, aut aggravet peccatum.

Concupiscentia generatim est appetitus boni.

Concupiscentia alia est sensitiva, alia intellectualis.

Concupiscentia intellectualis est vis spiritualis appetens bonum propositum per intellectum.

Concupiscentia sensitiva est vis materialis appetens bonum sensibile, & fugiens malum sensibile.

Concupiscentia sensitiva alia est justa, alia est vitiosa.

Concupiscentia sensitiva justa est vis appetens bonum sensibile, & fugiens malum sensibile secundum regulas rationis.

Concupiscentia sensitiva vitiosa est vis appetens bonum sensibile, & fugiens malum sensibile contra regulas rationis.

Concupiscentia vitiosa alia est voluntaria, alia involuntaria.

Concupiscentia vitiosa involuntaria est appetitus inordinatus, sed indeliberatus boni sensibilis, inclinans ad desiderium inordinatum, & indeliberatum.

Concupiscentia vitiosa voluntaria est appetitus deliberatus & inordinatus boni sensitivi, ortus ex pravo actu voluntatis.

Prop. 1. Passio omnino involuntaria, & omnino absorbens usum rationis, excusat totaliter a peccato.

Prob. Ex supra dictis. Peccatum debet esse voluntarium vel formaliter, vel virtualiter; ubi autem est passio omnino involuntaria, & omnino absorbens usum rationis, non potest esse libertas: ergo nec peccatum.

Prob. 2. Passio aliquo modo volita, vel relinquens usum aliquem rationis, non tollit omnino peccatum, sed minuit; non excusat a toto, sed a tanto.

Prob. 1. Scriptura. Apostolus ad Rom. 7. vocat passiones peccatorum; quod dici non posset, si passiones a peccato totaliter excusarent: ergo passiones non totaliter a peccato excusant.

2. Ex D. Thom. *Passio minuit peccatum in quantum minuit voluntarium*. 1. 2. q. 77. art. 6. in corp. ergo si passio sit aliquo modo volita, non tollit omnino peccatum, sed minuit.

3. *Rat.* Passio omnino involita, & totaliter absorbens usum rationis, excusat totaliter a peccato; quia tollit libertatem: ergo passio aliquomodo volita, vel relinquens usum aliquem rationis, non totaliter excusat a peccato, sed ad summum minuit peccatum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Rari sunt casus, in quibus homo agens ex passione totaliter excusetur a peccato; quia passio ut plurimum est voluntaria vel positive in causa, vel negative, in eo quod homo neglexerit ea, quæ passionem temperare potuissent; neglexerit scilicet v. g. preces, & exercitium virtutis, &c. quibus passio retineri potuisset.

Consect. 2. Peccatum ex animi perturbatione commissum, si ex genere suo mortale sit, ita excusatur, ut fiat veniale, si committatur ex motu subito; quia motus subitus impedit usum rationis deliberatæ: & ita excusatur, ut tamen sit mortale, si non fiat ex motu subito; quia tunc ratio potest passioni occurrere, eamque moderari. Ita D. Thom. his verbis: *Quia ratio deliberans non potest occurrere, quod contingit in subditis motibus, peccatum est veniale. Cum autem ex passione aliquis procedit ad actum peccati, vel ad consensum deliberatum, hoc non fit subito; unde ratio deliberans potest hic occurrere; potest enim excludere, vel saltem impedire passionem: unde si non occurrat, est peccatum mortale, sicut videmus, quod multa homicidia, multa adulteria per passionem committuntur*. 1. 2. q. 77. art. 8.

Prop. 3. Passio voluntarie affectata adauget peccatum, & eo magis aggravat, quo est magis voluntarie affectata.

Prob. 1. Ex peccato duorum senum, qui exarserant in concupiscentiam Susannæ: quod peccatum ideo gravius reputatur, quia longiori tempore fuerat animo præparatum; ideo uni ait Daniel: *Inveterate dierum malorum*; & alteri: *Semen Chanaam, & non Juda*. Daniel. 13. v. 16.

2. Ex D. Th. „Passio autem consequens non „minuit peccatum, sed magis auget." Ibid.

3. *Rat.* Illud adauget & aggravat peccatum, quod efficit peccatum esse magis voluntarium; quia peccatum cæterisparibus eo gravius est, quo est magis voluntarium: denotat enim vehementem affectum & ardorem peccandi; passio autem affectata efficit, ut peccatum sit magis voluntarium: ergo aggravat peccatum.

Con-

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui violat Legem ex passione affectata, non excusatur a peccato, sed gravius peccat, quam qui violat ex infirmitate; quia peccatum illud est magis voluntarium, & quasi ex industria commissum: ideo ait Greg. lib. 25. moralium cap. 11. Gravius quidem infirmitate, quam ignorantia; sed multo gravius studio, quam infirmitate peccatur.

Consect. 2. Qui violat Legem ex passione affectata, non excusatur ex eo quod non habeat actualem advertentiam ad Legem, vel ex eo quod nullis stimulis a peccando deterreatur; quia ad peccandum non requiritur actualis advertentia, ut dictum est; potens enim, & debens advertere, & non advertens, peccat, inquit Antoninus.

Sic non immunes fuerunt a peccato Judæi, qui Christum ex passione affectata noluerunt ut Messiam agnoscere, Scripturam, quæ reddebat testimonium Christo, in pravos sensus detorquendo, & miracula Christi in artem Dæmonum refundendo.

Sic non immunes fuerunt a peccato tum Gentiles, tum Judæi, qui nullo servato juris ordine ex passione affectata Christum cruci affixerunt.

Sic non immunes fuerunt a peccato Tyranni, qui contra omnes juris regulas Christianos crudelibus affecerunt suppliciis: etsi forte iidem Tyranni putarent obsequium se præstare Deo.

Sic non immunes sunt peccato indurati, & obcæcati, qui sine ullo scrupulo Legem violant.

Prop. 4. Qui sentit inesse sibi pravum aliquem habitum, seu pravam aliquam consuetudinem, qua obfirmatur in aliquo genere peccati, v. g. blasphemiæ, perjurii, vindictæ, &c. tenetur sub peccato pravum illum habitum extirpare, pravamque illam consuetudinem vincere: quod si neglexerit, non excusatur a peccato, quoties etiam incogitanter erumpit in actum, ad quem ex pravo habitu inclinatur.

Prob. 1. Scriptura Prov. 18. v. 3. *Impius, cum in profundum venerit, contemnit:* sed contemptus reddit homines nocentiores: ergo & mala consuetudo, quam vincere non conamur, hoc facit: quæ consuetudo per hanc vocem, *Profundum*, in Scripturis designatur.

2. Ex Chrysostomo homilia 4. ad baptizandos, ubi hæc sibi objicit: *Sed inquiunt: dura res est consuetudo, & quæ facile mutari non possit, quæ nonnumquam & invitos trahit, & nolentes committere cogit illicita.* Quibus ita respondet sanctus Patriarcha: *Igitur tanto te hujus mali reatu liberare festina, quanto consuetudinis vim necessitatemque cognoscis, & ad aliam consuetudinem migrare propera.* Quibus verbis sanctus Doctor ostendit, nos debere pravos habitus extirpare, & insinuat, non excusari eos, qui ex pravo habitu operantur.

3. *Rat.* Malum voluntarium est totis viribus ab anima nostra evellendum, ut patet: atqui prava hæc consuetudo est malum voluntarium, ut supponitur: ergo est totis viribus evellenda.

Quod vero minime excusemur a peccato, quoties etiam incogitanter sequimur pravum habitum voluntarium, patet. Primo quia hæc prava consuetudo voluntaria est in causa. Secundo quia actualis advertentia non requiritur ad peccandum. Tertio quia sicut consuetudo bene agendi quamtumvis robusta, non impedit quominus actus virtutis sit voluntarius & honestus, quia scilicet bona hæc consuetudo voluntaria est in causa: ita prava consuetudo quantumvis obfirmata, si sit voluntaria in causa, non impediet, quominus actus pravi inde pullulantes non sint culpabiles. Quarto quia hinc sequeretur, vitiosos homines non leve commodum ex suis pravis habitibus relaturos, cum eo essent magis innoxii, quo essent magis in malo obfirmati.

Dixi pravum habitum, quem non conamur extirpare, non excusare a peccato; quia si conemur eum extirpare, tunc desinit esse voluntarius: & actus, qui nobis invitis ex illo habitu pullulant, non imputantur ad peccatum; quia non sunt voluntarii.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. De peccatis cordis. Quicumque labitur in peccata interna vel ex passione voluntaria, vel ex habitu pravo, quem non conatur extirpare, v. g. labitur in peccata infidelitatis, odii, desperationis, irreligionis, quæ sunt mortalia ex suo genere, peccat mortaliter; quia censetur ex malitia peccare. De hoc ita D. Thom. 1. 2. quæst. 78. art. 2. in corp. *Quandocumque*, inquit, *quis utitur habitu vitioso, necesse est quod ex certa malitia peccet.* Et D. Antoninus ait 2. part. tit. 3. cap. 3. §. 15. *Nec tamen talis consuetudo excusat, vel minuit peccatum, sed potius aggravat.* Immo juxta Bernardum serm. 81. in Cantica, *non excusatur homo, quod morali necessitate allectus operetur: est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria, est favo-*

bilis vis quædam, premendo blandiens, & blandiendo premens: hac enim voluntaria peccandi necessitate plectitur inordinatus animus eo merito, quo volens in eam illabitur, ut ait Aug.

Consect. 2. De peccatis oris. Qui habet consuetudinem jurandi, detrahendi, &c. debet illam consuetudinem quasi mortiferam judicare, eamque totis viribus eradicare, & actibus contrariis vincere.

Quod mortifera sit hæc consuetudo, declarat Aug. his verbis serm. 30. de verbis Apostoli: *Juravimus & nos passim, habuimus istam deterrimam consuetudinem, & mortiferam. Dico caritati vestræ, ex quo Deo servire cœpimus, & quantum malum sit perjurii vidimus, timuimus vehementer, & veternosissimam consuetudinem timore frænavimus*. Sed quanta cura eradicanda sit prava verborum consuetudo, ibidem explicat Aug. afferendo locum istud Jacobi: *Lingua est ingens malum. Ante omnia*, inquit, *cautos nos facit adversus linguam nostram: lingua nostra in udo posita est, facile in lubrico labitur. Quanto illa citius & facilius movetur, tanto adversus illam fixus est. Domabis, si vigilabis, si timebis: timebis, si Christianum te esse cognoveris*.

Consect. 3. De peccatis operis. Qui habet pravum aliquem habitum inclinantem ad peccata externa ex suo genere mortalia, v.g. ad furandum, fornicandum, &c. debet pravum illum habitum ut mortaliter vitiosum intueri, & eniti totis viribus, ut eum eradice, & actibus bonis contrariis vincat. De hoc ita loquitur D. Paulus ad Rom. cap. 6. v. 19. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ; sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in satisfactionem*.

Sic, ut optime monet idem Apostolus ad Eph. 4. v. 28. *Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti*.

Sic, ut optime monet idem Apostolus ad Ephes. 5. v.4. qui incontinentiæ deditus fuit, hoc præceptum debet exacte observare: *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet; sed magis gratiarum actio*: Ergo quicumque inclinatur aliquo vitioso habitu pravo, debet contrariis actibus talem habitum vincere.

ARTICULUS III.

Quandonam metus excuset a peccato: quando vero non excuset.

Metus est mentis trepidatio ratione periculi imminentis.

Metus alius est veniens ab intrinseco, alius ab intrinseco.

Metus veniens ab intrinseco est ille, qui nobis ab ipsa ratione suggeritur: qualis est, cum timeo, ne cibus aliquis mihi noceat, ab hujusmodi cibo abstinendum esse per rationem judico.

Metus veniens ab intrinseco ille est, quem causa extrinseca nobis injicit: qualis est mortis metus a latrone volente nummos eripere incussus, aut a judice mortem reo minitante. Metus ab extrinseco, alius est juste, alius injuste incussus.

Metus extrinsecus injuste incussus ille est, qui sine causa incutitur: qualis est metus, quem latro viatori injicit, ut ab eo pecunias extorqueat.

Metus juste incussus ille est, qui justa de causa incutitur: talis est metus incussus a judice mortem reo minitante, qui virginem defloravit, si nolit damnum illatum reparare.

Metus alius est gravis, alius levis. Metus est gravis, quando periculum vel malum grave moraliter imminet: qualia sunt mors, servitus, dehonestatio per stuprum, &c.

Metus levis est, quando periculum est leve, vel malum non grave; aut si grave, non proxime imminet.

Metus gravis solet vocari metus cadens in constantem virum. Porro homo constans est ille, qui ratione ductus minus malum sustinet, ut majus malum fugiat, v. g. eligit mortem, etsi præsentem, potius quam damnationem etsi futuram.

Homo inconstans est ille, qui levi imaginatione ductus, minus malum præsens renuit sustinere, ut majus malum futurum fugiat: sic v.g. inconstans propter metum pœnæ corporalis mavult peccatum committere, quam pœnam corporalem sustinere, licet peccatum sit majus malum, quam pœna corporalis.

Prop. 1. Metus gravis, seu, ut dicunt, cadens in constantem virum, numquam excusat totaliter a violatione præcepti tum negativi, tum affirmativi juris naturalis: seu, quod idem est, homo quilibet tenetur etiam cum dispendio vitæ observare præceptum tum affirmativum, tum negativum juris naturæ.

Probatur 1. Script. *Potius timete eum, qui potest*

potest corpus & animam perdere in gehennam: & iterum: *Timidis, & incredulis pars erit in stagno ignis & sulphuris, quod est mors secunda.* Apocalys. 13.

2. Ex Jure Canonico. *Debemus potius quælibet mala tolerare, quam malo consentire.* Canone *Itane*, causa 32. q. 5.

3. Ex D. Thom. *Si aliquis propter timorem, quo refugit periculum mortis, vel quodcumque aliud temporale malum, sic dispositus est, ut faciat aliquid prohibitum, vel prætermittat aliquid, quod est præceptum in Lege divina, talis timor est peccatum mortale.* 2. 2. q. 125. art. 3. in corp.

4. Ratione. Violatio præcepti tum negativi, tum affirmativi juris naturæ, est intrinsece & essentialiter mala; & ita numquam potest permitti: & proinde quantumvis gravis sit metus, non omnino excusat a peccato, nisi penitus absorbeat usum rationis: diminuit tamen peccatum, ut supra diximus de passione: ideo ait D. Thom. 2. 2. q. 125. art. 4. *Diminuitur secundum aliquid ejus peccatum; quia minus voluntarium est quod ex timore agitur: imponitur enim homini quædam necessitas aliquid faciendi propter timorem imminentem.* Ideo pœnitentiæ minuebantur lapsis ex timore vel mortis, vel pœnarum. In cujus rei testimonium afferri potest locus iste Cypriani de lapsis: *Caro me*, inquit lapsus, *in colluctatione deseruit, infirmitas viscerum cessit, nec animus, sed corpus dolore defecit:* ad quod ita respondit Cyprian. *Potest cito proficere ad veniam causa talis: potest ejusmodi excusatio esse miserabilis.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quoad præcepta negativa semper & pro semper obligantia.

Peccat qui metu gravi mortis, exilii, &c. violat præceptum negativum Decalogi, v.g. blasphemat, pejerat, &c. quia hæc omnia sunt directe contra jus naturale.

Peccat qui metu mortis, exilii, &c. violat præcepta positive divina vel ecclesiastica, quæ secum important violationem juris naturalis negativi, v.g. Sacerdos, qui revelat confessionem, celebrat Missam ad sortilegium, dat indigno absolutionem, &c. quia tunc hæc omnia important violationem juris naturalis negativi.

Consect. 2. Quoad præcepta affirmativa juris naturæ semper, sed non pro semper obligantia.

Peccat qui ex metu gravi cadente in virum constantem non observat præceptum affirmativum juris naturalis, quando hæc observatio est necessaria ad tuendum bonum universale communitatis tum Ecclesiasticæ, tum civilis; quia hæc inobservantia est ex se mala, & conjungitur cum violatione hujus præcepti negativi: conservatio boni universalis non est deserenda.

Sic etiam cum propriæ vitæ dispendio tenetur miles stationem difficilem non deserere: Pastor Ecclesiasticus suis ovibus tenetur spiritualiter succurrere: Medicus tempore pestis ab urbe non discedere, motivo justitiæ, si sit conductus a Republica, motivo caritatis, si non sit conductus; id enim exigit bonum universale. De his fusius ubi de homicidio.

Prop. 2. Metus gravis, v. g. mortis, exilii, &c. excusat ab observatione præcepti positivi Ecclesiastici, vel civilis, modo ejus violatio non importet præjudicium bono universali.

Probatur 1. Scriptura. Licet Ecclesia, Actor. cap. 15. v. 20. jussisset a suffocato abstinere & sanguine, nullum tamen legimus Christianum mortem oppetiisse pro tuenda hujus præcepti observatione; sicuti videmus Eleazarum vitam profudisse potius, quam contra præceptum divinum carnes porcinas edere: ergo signum est præcepta Ecclesiastica non obligare cum periculo vitæ.

2. Ex D. Thom. *Præcepta Dei*, inquit, *sunt præcepta juris naturalis, quæ secundum se sunt de necessitate salutis; sed præcepta Ecclesiæ sunt de iis, quæ per se non sunt de necessitate salutis, sed solum ex institutione Ecclesiæ; & ideo possunt esse aliqua impedimenta, propter quæ aliquis ad observanda jejunia & hujusmodi non tenetur.* Quod de jejuniis dicit sanctus Doctor potest intelligi de aliis præceptis Ecclesiasticis, & a fortiori de præceptis civilibus. 2. 2. q. 137. ar. 40. ad 1.

3. Ratione. Omnis Lex positiva præcipit, vel prohibet aliquid de se indifferens, & ita non debet observari cum vitæ dispendio; quia pro tunc Legislator censetur dispensare ab observatione Legis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui metu mortis non observaret præcepta Ecclesiæ, manducaret carnes diebus prohibitis, non jejunaret, communicaret civiliter cum hæreticis & excommunicatis; non peccaret: quia hoc præceptum non ligat cum vitæ periculo.

Consect. 2. Clericus, qui metu mortis non recitaret officium, non deferret vestem Cle-

Clericalem, coronam attonsam, &c. non peccaret propter eandem rationem.

Consect. 3. Si Tyrannus in derisum Religionis vellet cogere ad violationem præcepti Ecclesiastici, tunc etiam cum dispendio vitæ præceptum Ecclesiæ esset observandum; quia contemptus Religionis cedit in detrimentum & præjudicium Reipublicæ Christianæ: & rursus, non observare præcepta Ecclesiæ in prædictis circumstantiis est quasi fidem negare. Exempla habemus multorum Martyrum, qui præceptum mere ceremoniale & positivum etiam cum vitæ dispendio observaverunt; eo quod ejus violatio cederet in detrimentum Christianæ Religionis, & in scandalum juventutis.

ARTICULUS IV.

De dispensatione & privilegio.

Dispensatio juxta Raymundum est juris communis relaxatio, concessa a legitimo Superiore justa de causa.

Privilegium est exemptio a Lege servanda facta in favorem aliquorum per modum legis perpetuæ.

§. I.

An licita sit dispensatio & privilegium.

Prop. unica. Dispensationum & privilegiorum usus antiquus est in Ecclesia.

Probatur 1. Scriptura. Corinthius incestuosus severæ addictus fuerat pœnitentiæ; judicaverat enim Paulus: *Tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit.* 1. ad Corint. 5. v. 5. Postea vero ex dispensatione Paulus severiorem illam mitigavit pœnitentiam: *Cui autem aliquid donastis, & ego; nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi.* 2. ad Corint. 2. v. 10. Ergo dispensatio erat in usu tempore Apostolorum.

2. Ex Paschali ad sanctum Anselmum Epistola 42. ubi sic habetur: *Dispensationis modus nulli unquam sapientum displicuit; novimus enim sanctos Patres nostros, & ipsos Apostolos pro temporum articulis & qualitatibus personarum dispensationibus usos*: Ergo antiquus est usus dispensationum.

3. Ratione Augustini, qui sic habet Epistola 50. *Detrahendum*, inquit, *est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis caritas sincera subveniat.* Etenim uti qui navigant, urgente tempestate in mare quædam projiciunt, ut navim incolumem servent; ita in quibusdam dispensatur, ut robur Legis permaneat.

4. Ex factis. Ex vi dispensationis multa fieri in Ecclesia contra Canones cernimus.

1. Ambrosius etsi Neophitus ordinatus est. 2. Multi hæretici conversi permissi sunt redire ad suam Episcopalem sedem. 3. Post vastatam Italiam Monachi non servatis interstitiis post annum facti sunt Sacerdotes; Laici vero post decem & octo menses ad eundem honorem ascenderunt, ut docet Gelasius Epistola 1. 4. Adolescentes post peractam pœnitentiam publicam permissi sunt uxores ducere, quod utique non licebat juxta antiquos Canones, ut docet Leo Epistola ad Rusticum Narbonensem cap. 13. Ergo ex vi dispensationis multa facta sunt contra Canones Ecclesiæ. Vide Marcam lib. 3. Concordiæ c. 14.

Ex vi privilegiorum contra communem regulam hæc & similia facta in Ecclesia cernimus.

1. Monachis permissum est Oratoria habere ad vitandas sæcularium frequentationes; ita Alexander III. 2. Monachis permissum est Laicos apud se sepelire; ita Lucius III. 3. Bona temperalia Monachorum ab Episcoporum jurisdictione subtracta sunt ob varios abusus, ut docet Greg. quæstione. 41. multisque factis probat Launojus: ergo ex vi privilegiorum contra communem Legem facta sunt multa in Ecclesia.

Consect. unicum. Licet dispensatio & privilegium sint exemptio a Lege communi; non tamen culpanda est omnis dispensatio, nec culpandum omne privilegium: quia & dispensatio & privilegium possunt esse vel in bonum commune Ecclesiæ, vel in privatam utilitatem aliquorum, quæ in bonum Ecclesiæ redundabit.

§. II.

An licita sit omnis dispensatio, & omne privilegium.

Prop. unica. Licet antiquus sit in Ecclesia & dispensationum & privilegiorum usus; tamen non omnis dispensatio est licita, nec omne privilegium licitum haberi debet.

Probatur 1. Ex Scriptura. Deus exigit, ut Prælatus & dispensator sint fideles, juxta illud: *Quæritur jam inter dispensatores ut fidelis quis inveniatur*: Ergo Scriptura censet, quod non omnis dispensatio sit licita, nec omne privilegium sit licitum; sed tunc solum, quan-

quando fit fideliter, & juxta regulas a Deo & ab Ecclesia præscriptas.

2. Ex Bernardo lib. 3. de consideratione, ubi hæc sibi objicit. *Quid*, inquit, *probibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem positos vos dispensatores; sed in ædificationem, & non in destructionem*: Ergo non omnis dispensatio est licita, sed ea, quæ fit juxta regulas a Deo & Ecclesia præscriptas.

3. Ratione. Qui dat dispensationem, vel concedit privilegium, gerit quodammodo vices Legislatoris. ergo sicuti non omnis Lex ligat, sed ea, quæ est justa ex authore, ex objecto, ex fine, ex modo, ut diximus ubi de lege; ita non omnis dispensatio est licita, non omne privilegium est licitum; sed tunc solum, quando fit juxta regulas a Deo & ab Ecclesia præscriptas.

Consect. unicum. Sicut non culpanda est omnis dispensatio, nec vituperandum omne privilegium; ita non laudanda est omnis dispensatio, sed examinanda, an conditiones habeat, quas Ecclesia requirit: unde dicitur, Bellarminum scripsisse nepoti suo: tutam sibi non habendam esse omnem dispensationem, sed suspectam esse aliquando. *Poteras*, inquit, *ire in infernum sine dispensatione*; *nunc autem ibis cum dispensatione*. Ut autem tuta sit dispensatio juxta Doctores, tria requiruntur; res justa, authoritas legitima, & causa rationalis.

§. III.

Circa quæ dari & peti potest dispensatio valida & licita.

Nota 1. Quod quæ facienda sunt ab hominibus, & a quibus homines dispensari volunt, sunt duplicis generis.

Alia pertinent ad jus naturale, vel positivum divinum: alia pertinent ad jus positivum humanum.

Nota 2. Quod quæ pertinent ad jus naturale, & ad jus positivum divinum, sunt etiam duplicis generis.

Alia sunt necessaria ad salutem ex sola ordinatione Dei.

Sic præcepta Decalogi primæ & secundæ tabulæ, & præcepta Evangelica sunt necessaria ad salutem ex sola ordinatione Dei, dicitur enim: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*.

Alia sunt necessaria ad salutem ex ordinatione Dei simul & ex nostra electione. Talis est observantia votorum & juramentorum; tenemur enim vota quidem observare, sed non tenemur vovere. Non tenemur vovere juxta illud Deut. 23. *Si nolueris polliceri, absque peccato eris*. Sed votum semel emissum tenemur servare juxta illud: *Melius est non vovere, quam post vota promissa non reddere*.

Nota 3. Quod quæ pertinent ad jus positivum humanum, vel Ecclesiasticum, vel civile, alia sunt generalia, alia particularia.

Generalia sunt Leges, quæ totam Rempublicam tangunt. Tales sunt, v.g. Canones respicientes observantiam festorum, observantiam jejuniorum, &c.

Particularia sunt ea, quæ personas particulares respiciunt. Tales sunt Canones, quibus cavetur, ne tale beneficium sæculare detur Regulari, ut qui talem, vel talem rem fecerit, irregularitatem contrahat. His positis sit

Prop. 1. Dispensatio non potest licite dari, nec peti circa ea, quæ pertinent ad jus vel naturale, vel positivum divinum, & quæ sunt necessaria ad salutem ex sola Deo ordinatione.

Probatur 1. Scriptura. Ex Paulo 2. ad Timoth. 2. v. 13. *Deus fidelis permanet*; *negare seipsum non potest*: negaret autem seipsum, si concederet licentiam dispensandi in his, quæ statuit ipsemet, ut absolute necessaria ad salutem.

Probatur 2. Ex D. Th. 1. 2. q. 100. ar. 8. in corpore: *Præcepta Decalogi sunt omnino indispensabilia*. Idem dici potest de præceptis Evangelicis: ergo dispensatio nec dari, nec peti potest licite circa præcepta Decalogi, & circa præcepta Evangelica ad salutem nostram ex sola Dei ordinatione necessaria.

3. Ratione. Illa sunt indispensabilia, quæ continent primam intentionem Legislatoris; quia dispensatio fit cum occurrit casus, in quo si Lex servaretur, fieret præter intentionem Legislatoris: atqui præcepta juris naturæ, & præcepta Evangelica continent primam intentionem Legislatoris; nam præcepta Decalogi primæ tabulæ statuunt, quomodo homo debet se habere in ordine ad Deum, v. g. qua pietate debeat eum colere: præcepta secundæ tabulæ statuunt, qualiter homo debeat se habere in ordine ad alios homines, quam æquitatem debeat servare relative ad illos: præcepta Evangelica statuunt, qualiter homo debeat se habere erga Deum Redemptorem, recipiendo ejus Sacramenta, & observando ejus leges; quæ omnia pertinent ad primam intentionem Legislatoris: Ergo dispensationem non patiuntur.

Consect.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Nulla umquam debet dari, vel peti dispensatio circa præcepta Decalogi, vel circa præcepta Evangelica; quia continent immutabilem Legislatoris voluntatem. Sicuti numquam venit in mentem dare, vel petere dispensationem circa istam legem: *Conservanda est Respublica, Civitas non est tradenda hostibus.*

Prop. 2. Dispensatio licite potest dari, & peti circa ea, quæ pertinent ad jus naturale, & ad jus positivum divinum necessarium ad salutem nostram, ex Dei ordinatione, & simul ex libera nostri electione; qualia sunt vota simplicia, & juramenta.

Probatur 1. Scriptura. *Quodcumque solveris super terram erit solutum & in cælis.* Matth. 16. v. 17. Quæ verba Interpretes non solum ad absolutionem peccatorum, sed ad votorum dispensationem extendunt: ergo dispensatio in votis simplicibus & juramentis & peti potest & dari cum causa.

2. Ex Jure Canonico. Toto titulo, *De voto & voti redemptione*, patet, quod vota simplicia peregrinationis, v. g. in locum aliquem sacrum, vel ad Sanctum Sepulcrum, vel votum bellandi pro recuperatione Terræ Sanctæ, possunt aut eleemosynis redimi, vel in alia pia opera commutari: ergo ex praxi præsentis Ecclesiæ dispensatio in votis simplicibus & juramentis & peti potest, & dari. Idem videtur ex praxi antiquæ Ecclesiæ: non enim credibile est, eos qui post votum simplex castitatis emissum, matrimonium illicite contraxerant, & qui, juxta Aug. lib. de bono viduitatis cap. 10. a conjugibus sine peccato separari non poterant, relictos esse absque dispensatione, qua possent conjugale debitum petere, sicuti tenebantur reddere.

3. Rat. Fideles se votis obligant aliquando deliberate quidem, sed ex zelo ardentiori, qui sæpius refrigescit: aliquando deliberate quidem, sed ex zelo imprudenti, non attendentes, an id quod vovent sit materia voti, nec ne, an sit res quæ sit vel mala, vel inutilis, vel majoris boni impeditiva: aliquando nescii, an sufficientem deliberationem habuerint in vovendo; in his omnibus casibus expedit, ut sit in Ecclesia potestas vel relaxandi obligationem veri voti simplicis, cum a vovente observari non potest, vel authoritas declarandi vel votum nullum esse, vel votum imprudens non esse observandum; alias enim Deus non sufficienter Ecclesiæ providisset: e contra admissa illa potestate in Ecclesia, ut loquitur Cyprianus de relaxatione pœnitentiæ, Epist. 51. ad Maximum: *Lapsis*, & his qui voverunt, *nec censura deest quæ increpet, nec Medicina quæ sanet.* Ita enim in votis dispensatur, ut semper pia aliqua bona opera præscribantur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Quando fideles ligantur votis simplicibus, vel juramentis, habentque causas legitimas dispensationis, tunc & dari & peti potest dispensatio; quia, ut ait Paulus 1. ad Corinth. 7. *Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere, quam uri.* Et ut ait Cyp. lib. 1 Epist. 11. ad Pomponium loquens de virginibus, qui votum simplex continentiæ elicuerant: *Si autem perseverare nolunt*, ex causa justa, *vel non possunt, melius est ut nubant, quam in ignem deliciis suis cadant.* Et Aug. lib. de Sancta Virginitate cap. 34. de quibusdam Virginibus ligatis voto simplici, & non juxta voti obligationem viventibus: *Melius nuberent, quam urerentur.*

Monit. Locutus sum solum de votis simplicibus; quia circa vota solemnia adhærendum puto sententiæ D. Th. 2. 2. q. 88. ar. 11. ubi docet, quod in votum solemne non cadit dispensatio; quia quod Deo semel consecratum est id perpetuo debet consecratum manere sine ulla cujusquam retractatione, atque adeo consecratus homo voto solemni non potest dispensari. D. Thom. concordat Innoc. 3. cap. *Cum ad Monasterium*, de statu Monachorum, cujus hæc sunt verba: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ Monachali, ut contra eam nec etiam summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Quod si summus Pontifex rescripta det, quibus voti solemnis tollat obligationem, non proprie, inquiunt Thomistæ, dispensat, sed vel declarat vota esse nulla, quia non sunt elicita cum debitis conditionibus, vel judicat, quod id quod materia voti videbatur, non sit materia voti in tali & tali circumstantia.

Prop. 3. Dispensatio potest & peti & dari circa ea, quæ pertinent ad jus positivum humanum tum Ecclesiasticum, tum civile, sive generale, sive particulare.

Probatur ex praxi Ecclesiæ. Ecclesia primis, mediis, & ultimis temporibus varias dispensationes concessit circa Canones Conciliorum etiam generalium, ut late probat Dominus de Marca lib. 3. Concordiæ cap. 14. & 15.

Damasus precibus D. Chrysostomi remisit vitium ordinationis Fabiani, qui ordinatus erat Antiochenus Episcopus, dum adhuc viveret Paulinus ejusdem urbis Prælatus.

Leo

Leo precibus Marciani Imperatoris remisit vitium ordinationis Anatolii, cujus ordinatio celebrata fuerat a Conciliabulo Ephesino, cujus acta recisa fuerant. Ita docet Leo Epistola ad Marcianum Augustum.

Hilarius Epistola ad Ascanium permittit, ut Episcopi ordinatio facta sine licentia Metropolitani valida sit; licet Canones Nicæni Concilii contrarium docerent.

Undecimo sæculo frequentiores cœperunt esse dispensationes; adeo ut Ivo epist. 214. hanc statuat regulam: *Tunc possunt*, inquit, *Præsules Legum rigorem propter necessitates Ecclesiasticas temperare, quando ipsa Legum remissio nihil continet contra fidei veritatem, vel morum honestatem.*

Demum a trecentis ab hinc annis & ultra is receptus est usus in Curia Romana, ut pleræque dispensationes concedantur, quibus v. g. irregularitates tolluntur, impedimenta consanguinitatis & affinitatis in tertio & quarto gradu amoventur, Beneficiorum pluralitas conceditur, & pœnæ a Canonibus constitutæ contra quædam crimina vel minuuntur, vel tolluntur: ergo ex praxi Ecclesiæ dispensatio & peti & dari potest circa ea, quæ pertinent ad jus positivum.

Consectaria bujus Doctrinæ.

Licet Ecclesia in concedendis dispensationibus circa ea, quæ pertinent ad jus positivum, non tam rigida sit, quam olim fuerit; non tamen culpanda est hæc Ecclesiæ benignitas: uti enim olim rationes habebat, quibus ad severiorem illam disciplinam movebatur; ita & nunc rationes habet, propter quas benigniore disciplina utitur.

Et sicut immunes sunt a peccato qui secuti præsentem Ecclesiæ usum quadragesimam observant, non juxta severiorem antiquæ Ecclesiæ rigiditatem, sed secundum præsentis Ecclesiæ indulgentiam; ita immunes sunt a peccato qui agunt juxta benigniorem præsentis Ecclesiæ disciplinam.

§. IV.

Quæ authoritas & jurisdictio requiratur, ut dispensatio sit valida.

Nota. Jurisdictio generatim est vis & authoritas jus dicendi.

Jurisdictio est duplex, fori interni, & externi.

Jurisdictio fori interni est vis & authoritas jus dicendi in eo tribunali, cujus solus Deus offensus, & homo offendens, & Sacerdos judex conscii sunt; & talis Jurisdictio exercetur in tribunali pœnitentiæ; talis Jurisdictio non exercetur nisi ab eo, qui habet caracterem Sacerdotalem.

Jurisdictio fori externi est vis & authoritas jus dicendi in eo tribunali, cujus judicium non solum Deo, sed & hominibus innotescere potest; & talis Jurisdictio exercetur extra tribunal pœnitentiæ, & non supponit caracterem Sacerdotalem, sed solum dignitatem aliquam hierarchicam in Ecclesia, v.g. Prælaturam vel Ecclesiasticam, vel Monachalem.

Jurisdictio fori externi alia est contentiosa, alia gratiosa seu voluntaria.

Jurisdictio contentiosa ea est, quæ exigit processum forensem & judiciarium strepitum: talis est ea, quæ exercetur ad instantiam partium litigantium, ut cum jus dicitur inter litigantes.

Jurisdictio gratiosa ea est, quæ non exigit processum forensem aut strepitum juridicum, & exercetur vel ex motu proprio Prælati, vel ad preces supplicantis conceditur dispensatio in voto occulto in irregularitate occulta.

Prop. 1. Ut dispensatio sit valida, supponit in dispensante legitimam authoritatem, & externi fori jurisdictionem vel contentiosam, vel gratiosam.

Probatur 1. Scriptura. Authoritas dispensandi juxta Interpretes probatur his verbis desumptis ex Matth. 16. v. 8. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam .... Et tibi dabo claves regni cælorum, & quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*: Atqui hæc verba important authoritatem legitimam, & externi fori Jurisdictionem vel contentiosam, vel gratiosam & in Petro, & in Apostolis, eorumque successoribus, quibus adaptantur: ergo ut dispensatio sit valida, supponit in dispensante authoritatem legitimam, & Jurisdictionem externi fori aut contentiosam aut gratiosam: inde est quod Lucas cap. 12. loquens de servo fideli in familia Dei ministrante, vult quod sit constitutus a Domino, idest, quod habeat legitimam authoritatem, & consequenter Jurisdictionem externi fori. *Quis putas*, inquit, *est fidelis servus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam?*

2. Ex D. Bernardo lib. de præcepto & dispensatione cap. 2. *Non cuilibet*, inquit, *homini istud mutare*, idest dispensare, *fas sit, nisi solis dispensatoribus mysteriorum Dei, id est Præpositis*: Ergo ex D. Bernardo, ut quis valide dispenset, debet esse Præpositus seu

Præ-

Prælatus: ergo debet habere auctoritatem legitimam, & externi fori Jurisdictionem contentiosam, vel gratiosam.

3. Ex Jure Canonico. Vis dispensandi in Lege, in votis, juramentis, &c. est actus Jurisdictionis contentiosæ vel ordinariæ, vel delegatæ. Id supponit tamquam certum Alexander tertius in c. *De Peregrinationis*, & in cap. *Ex multa*, de voto & voti redemptione; ideo Trident. sess. 24. c. 29. de reformat. causas matrimoniales & criminales, utpote pertinentes ad forum contentiosum, ad Episcopos remittit. *Causæ*, inquit, *matrimoniales & criminales* (idem dic de dispensationibus) *non Diaconi, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio etiam visitando, sed Episcopi tantum examini, & Jurisdictioni relinquantur*. Ideo Caballutius lib. 1. Theoriæ & praxis Juris Canon. c. 8. num. 20. *In summa*, inquit, *competit, solis Ecclesiæ Prælatis Jurisdictionem externi fori habentibus, illa sive relaxandi sive commutandi voti potestas, cum sit ista dispensatio actus Jurisdictionis*.

4. Rat. Talis esse debet qui dispensat ab observatione Legis, qualis est qui condit Legem; quia dispensator & Legislator sunt unum & idem, eo solum discrimine, quod Legislator attendit ad casus communes, dispensator vero ad casus particulares, qui a Legislatore prævideri non potuerunt: ergo sicuti ille, qui condit Legem, debet habere legitimam auctoritatem, & fori externi Jurisdictionem vel contentiosam, vel gratiosam; ita & ille qui dispensat.

Non est tamen necesse, quod semper dispensatio fiat processu contentioso: quando enim nulla intercessit, aut intercedere potest litis contestatio, tunc dispensatio potest fieri sine processu contentioso per solam declarationem factam ei, qui dispensatur; quando vero intercessit aut intercedere potest litis contestatio, tunc dispensatio debet fieri in foro contentioso, & scribi in instrumentis publicis. Inde est quod dispensatio voti, v. g. occulti, detur occulte; voti vero publici, publice.

Consectaria hujus Doctrinæ.

De casibus, in quibus valida est dispensatio.

Consect. 1. Toties valida est dispensatio, quoties datur ab eo, qui supponitur habere & legitimam auctoritatem, & externi fori Jurisdictionem contentiosam, quamvis non detur processu contentioso; quia ad dispensationem validam requiruntur solum hæc duo, & auctoritas legitima, & Jurisdictio externi fori vel contentiosa, vel gratiosa.

Sic dispensatio data a Rege, a Republica in his, quæ pertinent ad jus positivum, quod ipse Rex, vel Respublica statuit, est valida; quia habent auctoritatem circa illa: v. g. Rex & Respublica possunt dispensare contrahentes in solemnitatibus quibusdam requisitis solo jure positivo: item eximere possunt aliquas personas particulares a vectigalibus solvendis, a tributis impendendis, modo illa exemptio non redundet in præjudicium aliorum.

Sic dispensatio data a Papa, a Concilio generali, est valida in his, quæ pertinent ad jus positivum, quod ipse Papa, vel Concilium statuit. Unde ait D. Thom. quæst. 88. a. 12. ad 3. *Dicendum, quod quia summus Pontifex* (idem dici potest de Concilio generali legitimo) *gerit plenarie vicem Christi in tota Ecclesia, ipse habet plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus votis*; & proinde in aliis, quæ jure Ecclesiastico constituuntur, sive fideles, sive Clericos, sive Episcopos Leges illæ respiciant; sive cæremonias Sacramentorum, sive celebrationem festorum, sive observantiam jejuniorum Leges illæ præscribant; sive excommunicationes, suspensiones, irregularitates & impedimenta matrimonialia statuant: ita enim loquitur Innocentius c. *Proposuit*, de concessione Præbendæ: *Secundum plenitudinem potestatis, de jure possumus supra jus dispensare*. Item Papa & Concilium generale potest dispensare in votis simplicibus & in juramentis; quia, ut loquitur D. Tho. Juramenta, & vota simplicia sunt dispensabilia: an dispensatio possit cadere supra votum solemne, dicetur infra.

Sic dispensatio data ab Episcopo, a Synodo Diœcesana circa ea, quæ Episcopus, vel Synodus statuit, est valida; quia Episcopus & Synodus auctoritatem habent in ea Ecclesiæ portione, quæ Episcopo & Synodo commissa est; juxta illud Pauli Actor. 20. v. 28. ubi sic Episcopos alloquitur: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Et can. 11. Apost. *Præcipimus, ut Episcopus res Ecclesiæ in potestate habeat: nam si pretiosæ hominum animæ ejus fidei committendæ sunt; multo utique magis oportuerit & de pecuniis mandatum dare, ut illius arbitratu dispensentur*. Et Concilium Lateranense sub Calisto II. c. 7. sic habet. *Immo sicut sanctis Canonibus constitutum est, cura, & rerum ecclesiasticarum dispensatio in Episcopi judicio & potestate permaneant*; ideo Episcopus potest dis-

dispensare in omnibus, quæ sibi non reservavit summus Pontifex. Ita docet Panormitanus in c. *In quibusdam*, de pœnis; ibi enim in textu dicitur: quod posteri illius advocati, qui Prælatum occiderat, quique in pœnam illius homicidii perpetrati, erant a beneficio exclusi, poterunt tamen Beneficium illud occupare, *si cum eis fuerit dispensatum*. Dispensatio illa, inquit Panormitanus, ab Episcopo concedi potest, quia non reservatur a Papa. Idem docet Joannes Andreas in cap. *Licet Canon.* ubi textus dicit: *Quod ordinarius poterit super residentia dispensare*: Et quia, inquit Andreas, Papa non sibi reservat hanc dispensationem, ab Episcopo potest concedi: etenim generaliter dicitur in c. *Nuper*, de sententia excommunicationis, quod ubi *Conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem relaxandi*.

Sic Papa electus & nondum consecratus, & Episcopus confirmatus a sede Apostolica, quamvis non consecratus, poterunt dispensare in his, quæ suæ sunt Jurisdictionis, immo eam potestatem aliis delegare; quia hæc potestas, ut pote Jurisdictio fori externi, non supponit caracterem Ordinis, sed solum dignitatem vel Ecclesiasticam, vel Monachalem.

Sic Abbas potest dispensare cum suis subditis in his, quæ pertinent ad monasticas observantias non necessario & essentialiter observandas; quia possunt intervenire casus, in quibus est necessaria hujusmodi dispensatio: habet enim circa id auctoritatem & Jurisdictionem, immo potest aliquando absolvere in his, quæ reservantur Pontifici; ideo Monachos se ad invicem percutientes absolvit Abbas, c. *Monachi*, de sententia excommunicationis: & Fratres Hospitalis Jerosolymitani excommunicati pro injectione manuum in Clericum seu confratrem, absolvi possunt per Priorem, nisi excessus fuerit enormis, c. *Canonica constitutione*, de sententia excommunicationis.

De casibus, in quibus invalida est dispensatio.

Confect. 2. Toties dispensatio est invalida & nulla, quoties datur ab eo, qui non habet vel auctoritatem legitimam, vel Jurisdictionem contentiosam circa eam materiam, circa quam cadit dispensatio; quia non est major defectus in dispensante, quam defectus auctoritatis.

Sic dispensatio data a Laico in his, quæ spectant jus Canonicum, & dispensatio pariter data a Superiore Ecclesiastico in his quæ spectant jus civile, est invalida & nulla; quia Laicus non habet auctoritatem circa spiritualia, nec Superior Ecclesiasticus, ex vi solius potestatis Ecclesiasticæ, circa temporalia hujus sæculi.

Sic dispensatio data a Rege, a Republica circa ea, quæ pertinent ad jus naturale & divinum, est invalida & nulla; quia Superior politicus juri naturali dominari non debet, sed subesse: ideo non potest dispensare circa conditiones in contractibus essentialiter & necessario observandas.

Sic dispensatio data a Superiore Ecclesiastico, v.g. a Papa, a Concilio generali, ab Episcopo, a Synodo Diœcesana in his, quæ pertinent ad jus naturale & positivum divinum, est invalida & nulla; quia Superior Ecclesiasticus juri naturali & divino positivo dominari non debet, sed subesse.

De jure naturali quoad prima principia & generalia præcepta sic loquitur D. Th. 1. 2. q. 97. a. 4. ad 3. *Dicendum autem, quod Lex naturalis, in quantum continet præcepta communia, quæ numquam fallunt, dispensationem recipere non potest; in illis vero præceptis, quæ sunt quasi conclusiones præceptorum communium, quandoque per hominem dispensatur, puta, quod mutuum non reddatur proditori patriæ, vel aliquid ejusmodi.*

De his vero, quæ absolute quamdam deformitatem important, quæque videntur contraria juri naturæ, qualis est pluralitas Præbendarum in eodem Beneficiario, qualis est non residentia Clericorum in suo Beneficio; ita censet D. Th. scilicet, quod dispensatio sit valida, si reperiantur omnes circumstantiæ deformitatem Legi naturali oppositam abstergentes; invalida vero, si absit aliqua ex illis circumstantiis. *Quia dispensatio*, inquit D. Th. *ad jus naturale non pertinet, sed solum ad jus positivum*. Quodlibeto 6. a. 15. Idem docet Fagnanus ad cap. *Quia*, de præbendis num. 13. *Cessantibus*, inquit, *ejusmodi circumstantiis, quæ deformitatem, seu inordinationem tollunt, licitum non est plures Præbendas tenere, etiam cum dispensatione, quod dispensatio non auferat ligamen juris naturalis, sed solum juris positivi*. Idem dicendum de residentia Clericorum, quam supponimus juris esse naturalis.

De præceptis juris positivi divini, v.g. de præceptis Evangelicis, ita loquitur D. Th. 1. 2. q. 79. a. 4. docens dispensationem circa illa præcepta esse invalidam, nisi constet, quod Deus talem dispensationem dispensatori commiserit. *Ad legem divinam*, inquit, *ita*

ita se habet quilibet homo, sicut persona privata ad Legem publicam, cui subjicitur; unde sicut in Lege humana publica non potest dispensare nisi ille, a quo Lex authoritatem habet, vel ille, cui ipse commiserit; ita in præceptis, quæ sunt juris divini, nullus potest dispensare, nisi Deus, vel is, cui ipse specialiter commiserit.

Sic dispensatio generalis data ab Episcopo in his, quæ pertinent ad totam Ecclesiam, v. g. in festis solemnioribus universali Ecclesiæ consensu institutis, in observantia quadragesimæ & jejuniorum quatuor temporum: illa, inquam, dispensatio generalis est invalida & nulla; quia Episcopus non habet auctoritatem supra Leges universali Ecclesiæ consensu constitutas.

Dixi, *Dispensatio generalis*; quia possunt contingere casus in aliqua Diœcesi, v. g. penuria, sterilitas, & alia hujusmodi, in quibus Episcopus subditis suis declarare potest, quod Leges Ecclesiasticæ vel de jejunio, vel de abstinentia in talibus circumstantiis non ligent.

Sic dispensatio data ab Abbate circa res pertinentes ad Jurisdictionem vel Episcopalem, vel Papalem est nulla; quia non habet authoritatem circa ea, quæ ad Papam vel Episcopum pertinent.

Sic dispensatio data a Superiore vel politico, vel Ecclesiastico, v. g. a Rege, a Republica, a Papa, ab Episcopo in præjudicium tertiæ personæ, quæ jus habet naturale exigendi quod exigitur, est invalida & nulla; quia est contra jus naturale: v. g. qui sciens & volens juxta Leges promisit aliquid alteri, vel cum alio contraxit, non potest liberari ab illo promisso, vel ab illo contractu per solam politici Superioris dispensationem. Item qui juramento libere & non coacte spopondit aliquid alteri, non potest ab hoc juramento absolvi a Superiore Ecclesiastico contra voluntatem illius, cui facta est promissio juramento firmata.

Sic dispensatio in votis simplicibus, in juramentis, in lege Ecclesiastica, vel civili facta a Confessario, qui habet solum in foro interno Jurisdictionem vel ordinariam ex vi Beneficii, ut Parochi, vel delegatam ex vi approbationis, ut simplices Sacerdotes approbati tantum ad audiendas confessiones, est nulla; quia non habet authoritatem legitimam & Jurisdictionem contentiosam, quæ requiritur: ideo quando Confessarius reperit pœnitentem vere ligatum vel voto, vel juramento, vere irretitum vel excommunicatione sibi reservata, aut suspensione, aut irregularitate, non debet eum absolvere, quia non est in statu, in quo possit recipere absolutionem; nec potest ei dispensationem concedere, quia non habet authoritatem; sed debet pœnitenti declarare, quod ei recurrendum sit vel ad Papam, si res sit de Jurisdictione Papali, vel ad Episcopum, si res sit de Jurisdictione Episcopali, vel ad Abbatem, si res sit de Jurisdictione Abbatis.

Consect. 3. Toties dispensatio est invalida & nulla, quoties datur ab inferiore Prælato circa ea, quæ Prælatus superior sibi juste & legitime reservavit; quia post reservationem Prælatus inferior nec Jurisdictionem habet, neque authoritatem.

Sic Episcopus non potest dispensare in his, quæ Papæ vel de jure, vel ex consuetudine reservantur; potest vero dispensare in his, quæ Papæ non reservantur.

Isthæc autem vota reservantur summo Pontifici; primo, omne votum solemne; secundo, votum perpetuæ castitatis; tertio, votum ingrediendi religionem approbatam; quarto, votum peregrinationis vel ad limina Apostolorum, vel ad Jerusalem, vel ad sanctum Jacobum. Ita D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12.

Papæ istæ pariter reservantur. 1. Dispensatio in impedimentis matrimonium dirimentibus. 2. Dispensatio deducta ad forum contentiosum, immo occulta, quæ provenit ex homicidio voluntario.

Papæ reservantur casus sequentes juxta usum Ecclesiæ Gallicanæ. 1. Gravis & mediocris percussio Clerici, vel Monachi, ac violentia, si sit publice nota. 2. Simonia realis & confidentialis publice nota. 3. Crimen incendii ex deliberata malitia post denuntiationem Ecclesiasticam. 4. Rapina rerum Ecclesiasticarum cum effractione post denuntiationem Ecclesiasticam.

In prædictis votis & impedimentis matrimonialibus, & in dictis irregularitatibus Episcopus non potest dispensare; quia reservantur Papæ: in casibus similiter prædictis non potest absolvere; quia reservantur Papæ.

Sed Episcopus potest hæc omnia, quæ subsequuntur. 1. Dispensare in omnibus votis simplicibus, exceptis his, de quibus supra. 2. Dispensare in omnibus irregularitatibus occultis quamtumvis olim reservatis; quia jam ex Triden. non reservantur. 3. Dispensare in quarto, immo tertio gradu affinitatis & consanguinitatis, si talis sit usus antiquus suæ Diœceseos & non aliter. 4. Absolvere in levi percussione Clerici publice nota, immo in gravi & mediocri non publice nota.

5. In-

5. In incendio non denuntiato. 6. In rapina rei Ecclesiasticæ sine effractione, vel cum effractione, si non sit denuntiata.

Demum Episcopus potest vel dispensare, vel absolvere in reservatis Papæ, quando dispensandi, vel absolvendi non possunt facile ad summum Pontificem recurrere vel ob juvenilem, aut senilem ætatem, vel ob infirmitatem, vel ob pauperiem.

Sic propter similem rationem Confessarii sive habentes jurisdictionem ordinariam ut Curati, vel delegatam ut Sacerdotes approbati ab Episcopo, non possunt absolvere in tribunali pœnitentiæ a casibus Papæ reservatis; quia non habent authoritatem, nec jurisdictionem circa illos: casus autem Papæ reservati, sunt quatuor supra dicti.

Confessarii non possunt pariter absolvere a casibus Episcopo communiter reservatis: casus autem communiter Episcopis reservati, sunt septem sequentes. 1. Clerici percussio levis. 2. Incendium non denuntiatum. 3. Rapina in Ecclesia cum effractione non denuntiata. 4. Crimen hæresis. 5. Duellum. 6. Violatio clausuræ regularis. 7. Abortus procuratus fœtus animati.

Confessarii non possunt similiter absolvere a casibus ab Episcopo sibi specialiter reservatis; quia non habent authoritatem & jurisdictionem circa illos: casus autem specialiter Episcopo reservati sunt illi, quos quilibet Episcopus sibi reservat pro bono suæ Diœceseos, quos quilibet Confessarius tenetur scire. Hæc cursim attigimus, quia videbantur sequi ex principio supra statuto; sed ea fusius suo loco tractabimus.

§. V.

An licita sit dispensatio data sine causa in his, quæ pertinent ad jus naturale, vel positivum divinum, necessarium ad nostram salutem ex ordinatione Dei, & ex electione nostra.

Juxta omnes Authores dispensatio non potest vel dari, vel peti sine causa circa ea, quæ pertinent ad jus vel naturale, vel positivum divinum, inductum ex ordinatione Dei & ex nostra electione, qualia sunt vota & juramenta.

Probatur 1. Scriptura. Dispensans debet esse fidelis & prudens. Lucæ 12. Ergo dispensans debet habere aliquam causam, ut dispenset.

2. Ex Bernardo ad Eugenium lib. 3. cap. 4. *Ubi necessitas urget*, inquit, *excusabilis dispensatio: ubi utilitas provocat communis, & non propria, est fidelis dispensatio*: Ergo si nulla dispensatio possit peti, vel dari licite sine causa, a fortiori ea quæ cadit in ea, quæ pertinent ad jus naturale vel positivum divinum, inductum ex ordinatione Dei & ex nostra electione.

3. Ratione. Dispensatio in votis & juramentis vel est relaxatio strictæ obligationis facta a legitimo Superiore, ut tenent quidam Canonistæ; vel est declaratio facta a legitimo Superiore, qua Superior legitimus declarat votum & juramentum in tali casu non obligare, ut explicat D. Thom. Atqui neutrum potest fieri sine causa: nam si Superior dispenset, ut volunt Juristæ, cum nullum habeat jus circa jus naturale, quale est jus servandi vota & juramenta, non potest sine causa circa illud dispensare: & si Superior tantum declaret vota & juramenta in tali casu non obligare, ut explicat D. Th. talis declaratio non potest fieri pariter sine causa.

Demum, sive dispensatio fiat per relaxationem, sive fiat per declarationem; & relaxans, & declarans esse debet minister fidelis ædificationem procurans, & non destructionem: ergo non potest dispensare sine justa causa.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Si Papa dispenset in votis, & in juramentis sine ulla causa, dispensatio est illicita. De hoc ita D. Th. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 2. *In manifestis*, inquit, *dispensatio Prælati non excusaret a culpa: puta si Prælatus dispensaret cum aliquo super voto de ingressu Religionis, nulla apparenti causa obstante*. Ergo censet D. Th. quod dispensatio in votis & juramentis data sine causa est illicita, & non excusat a peccato. Cui concordat D. Bernardus scribens nepoti suo Epist. 1. ubi sic habet: *Quid tibi frustra quispiam blanditur de absolutione Apostolica, cujus conscientiam divina tenet ligatum sententia?*

Consect. 2. Si delegatus a Papa dispenset in votis, & in juramentis sine ulla causa, dispensatio est illicita; quia delegatus non habet majorem authoritatem, quam Papa.

Consect. 3. In Congregationibus nuper erectis, qualis est Congregatio Doctrinæ Christianæ, Missionis, &c. in quibus subditi earum Congregationum eliciunt vota simplicia castitatis, paupertatis, obedientiæ, & juramentum in ea Congregatione perseverandi, vota, inquam, eliciunt simplicia, & juramentum dispensandum vel a summo Pontifice, vel a capitulo generali, vel a definitorio; dispensatio, inquam, illa vel data, vel petita sine ulla causa, est illicita, sive detur a Papa, sive a capi-

capitulo generali, sive a definitorio; quia generaliter omnis dispensatio in votis, & juramentis debet fieri cum causa.

Consect.4.Relaxatio juramenti perseverandi in dicta Congregatione, petita, vel data sine ulla causa, est illicita; quia juramentum illud non est merus contractus civilis, qui per mutuam contrahentium voluntatem rescindatur, vel merum juramentum, cujus vis relaxetur per concessionem Congregationis, in cujus utilitatem factum est, sicut juramentum promissorium relaxatur per concessionem illius, in cujus commodum fit; sed juramentum perseverandi in dictis Congregationibus est actus religionis, quo subditus Congregationis ingreditur talem statum potius quam alium, ut se Deo consecret, ut societati Ecclesiasticæ, scilicet, Congregationi spiritualiter serviat, & Ecclesiæ utilior evadat, & ut firmius propositum illud figat, Deum vocat in testem juramenti sui: ergo juramentum illud non potest relaxari sine aliqua causa, quę cedat in bonum spirituale jurantis, in utilitatem spiritualem Congregationis, & in ædificationem Ecclesiæ, ut docet D.Th.2.2.q.89. a. 9. ad 2. ubi ait, quod cum illud, quod promittitur, cedit in honorem Dei, *tunc ille, cui promittitur, non potest absolvere promittentem, quia promissio non est facta ei principaliter, sed Deo*.

§. VI.

Quæ causa requiratur, ut dispensatio sit licita in his, quæ pertinent ad jus naturale & positivum divinum, qualia sunt vota & juramenta.

Nota. Dicemus, ubi de voto & juramento, quod votum & juramentum non obligent quoties sunt de re, quæ est vel mala, vel inutilis, vel majoris boni impeditiva, ut loquitur D. Th. 2.2. q. 88. art. 9. Hæc tria suo loco explicabuntur. Hic jam quæritur, quæ causa, quodve motivum movere debeat Superiorem ad dispensandum in votis & juramentis; ideo sit

Prop. unica. Triplex causa potest esse motivum dispensandi in votis & juramentis, scilicet utilitas spiritualis illius, qui dispensatur, bonum Ecclesiæ, & promotio gloriæ Dei.

Probatur 1. Scriptura. Videmus, quod in dispensatione, quæ facta est Corinthio incestuoso, cui non quidem votum, aut juramentum remissum est, sed remissa est pœnitentiæ pars, cui addictus fuerat: videmus, inquam, ad triplicem illam causam attendisse Paulum; nam attendit primo ad bonum spirituale Corinthii, ut denotat his verbis: *Ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est*. Secundo attendit ad bonum Ecclesiæ, & gloriam Dei, ut denotat his verbis: *Nam ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*: & addit, *ut non circumveniamur a Satana; non enim ignoramus cogitationes ejus*. Quæ omnia denotant, Paulum in hujusmodi remissione quæsiisse bonum spirituale Corinthii, bonum Ecclesiæ, & gloriam Dei: ergo in dispensatione votorum & juramentorum debent Superiores simili motivo duci.

2. Ex D. Bernardo lib.3. de Consid. ubi sic habetur: *Ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est, utilitas dico communis*, qualis est utilitas spiritualis illius, qui dispensatur, bonum Ecclesiæ, & promotio gloriæ Dei; *non propria*, qualis est utilitas temporalis illius, qui dispensat, vel dispensatur. *Nam cum nihil horum est*, idest, cum non intervenit triplex illa utilitas spiritualis; *non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est*, inquit idem Bernardus.

3. Ratione. Dispensatio in votis & juramentis debet esse non in destructionem, sed in ædificationem: ergo hujusmodi dispensatio debet cadere in utilitatem spiritualem illius, qui dispensatur, in bonum Ecclesiæ, in qua fit dispensatio, & in gloriam Dei, in cujus authoritate fit dispensatio.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect.1. Illicita est dispensatio in votis & juramentis, cum dispensans solam attendit utilitatem temporalem, quam ex tali dispensatione colligit. Primo, quia omnis dispensatio debet fieri gratis, juxta illud: *Gratis accepistis, gratis date*: quia ita jubet Tridentinum sess.24. cap.5. *Gratis a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum*. Secundo, quia ubi dispensatio vel in votis, vel in juramentis, vel in pœnis pecunia emitur, statim, ut monet Arnobius lib. septimo, via sceleribus aperitur. *Crescit enim*, inquit, *peccantium multitudo, cum redimendi peccati spes datur: & facile itur ad culpas, ubi est venalis ignoscentium gratia*.

Consect.2. Illicita est dispensatio in votis & juramentis, quæ datur, non in utilitatem spiritualem illius, qui dispensatur, sed ad fovendam ejus negligentiam; quia maledictionem minitatur Deus Prælatis omnibus, qui subditorum peccatis adulantur. Ideoque qui dispensatur, debet, ut ait Conc. Coloniense, examinare, num a dispensatore quærat *velamentum potius, quam medicamentum; licentiam*

tiam potius, quam scientiam; suavitatem potius, quam veritatem, ut ait Bernardus ep. 7.

Consect. 3. Dispensatio est licita, quando causa spiritualis dispensandi est vel necessaria, vel sufficiens, vel dubia; quia tunc dispensans non agit sine causa. Causa est necessaria, cum reperitur major utilitas spiritualis, dando dispensationem, quam denegando; & tunc nedum potest, sed debet dari dispensatio: v. g. vovit quis castitatem, longo experimento constat, quod nequeat se continere; melius est, ut solutus a voto per dispensationem, legitimum matrimonium contrahat, quam ligatus voto turpibus scortationibus fœdetur: *Melius est enim nubere, quam uri*. Causa est sufficiens, cum æqualis reperitur utilitas spiritualis, dando dispensationem, quam denegando: v. g. vovit quis religionis ingressum, statim ac religionem cogitat vix est sui compos, tristitia afficitur, exercitiis spiritualibus vacare non potest; tunc dari & peti potest dispensatio, ut dispensatus pietatis exercitiis tranquillius vacet.

Causa dubia est, cum dispensans dubitat quid magis proficiat, an dispensationis concessio, an ejus negatio: tunc in tali dubio dispensans potest commutare votum in æquale, vel in melius bonum. *Si autem*, inquit D. Th. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 2. *esset causa apparens* dispensandi, *per quam saltem in dubium verteretur*, an licita sit dispensatio, nec ne, *posset* dispensatus *stare in judicio Prælati dispensantis, vel commutantis votum; non tamen judicio proprio*.

§. VII.

An licita sit dispensatio data a supremo Legislatore, quando dispensatio est circa ea, quæ pertinent ad jus positivum.

Prop. 1. Juxta Panormitanum, Felinum, & alios, dispensatio data a supremo Legislatore, etiam sine causa, est licita: v. g. dispensatio data a Rege circa jus civile: dispensatio data a Papa circa jus Ecclesiasticum: valida est, inquiunt, & licita talis dispensatio ex plenitudine potestatis; sed hæc sententia juxta alios graviores authores est minus probabilis, & minus tuta. Itaque in praxi dicendum, quod dispensatio data sine causa, etiam a Legislatore supremo, circa jus positivum, est illicita: v. g. dispensatio data a Papa sine causa circa ea, quæ pertinent ad jus positivum vel generale, vel particulare. De Regia potestate non loquimur; quia circa id possunt esse rationes speciales.

Probatur 1. Ex Scriptura. Qui dispensat in lege debet esse fidelis & prudens, juxta illud Luc. 12. *Quis, putas, est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Infidelis erit dispensator, inquit D. Th. si non habet intentionem ad bonum commune; imprudens autem, si rationem dispensandi ignoret. 1. 2. q. 97. a. 4. in corp. Ergo supremus etiam dispensans, qualis est Papa in spiritualibus, non potest dispensare etiam in jure positivo sine causa, & sine cognitione.

2. Ex Trid. sess. 25. cap. 18. ubi loquens de dispensatione a Lege in certis casibus facienda, sic habet: *Quod si urgens justaque ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, cum aliquibus dispensandum esse, id causa cognita, ac summa maturitate atque gratis a quibuscumque, ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum; aliter facta dispensatio subreptitia censeatur*. Ergo dispensatio a quocumque data sine causa est illicita.

3. Ratione. Authoritas suprema, quam habet Papa circa spiritualia, venit a Deo; quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt: ergo hæc potestas suprema est in ædificationem, & non in destructionem, ut dicit Paulus: ergo talis est, ut valeat, non quidem vigorem Legis destruere, sed cum causa suppetit, temperare.

Et sicuti Lex lata a supremo etiam Legislatore, si sit injusta, non obligat; ita dispensatio data a supremo dispensante, seu Papa, si sit injusta, non absolvit. Ratio est D. Th. 2. 2. q. 97. a. 4. in corpore.

Consectarium hujus Doctrinæ.

Illicita est dispensatio data sine ulla causa etiam a summo Pontifice circa ea, quæ sunt statuta a Canonibus universalium Conciliorum; licita vero, si detur cum aliqua causa justa. De hoc ita D. Bernardus lib. de Præcep. & dispensat. ubi citans Leonem & Gelasium sic habet: *Ubi necessitas non est, inconvertibilia Sanctorum Patrum maneant decreta .... Ubi necessitas non est, nullo modo Sanctorum Patrum constituta violentur*. Et inde infert: *Ubi ergo necessitas fuerit, ad utilitatem Ecclesiæ, qui potestatem habet, ea dispenset: ex necessitate enim fit mutatio legis*. De hoc idem fere habet Symmachus ad Aonium Episcopum Arelatensem scribens his verbis. *Quod fit præter regulam*, inquit, *modo sit ex justa causa, non infringit regulam, quam sola pervicacia & antiquitatis contemptus l[illegible]dit: Nam quamvis a Patribus statuta diligenti observatione, & observanti diligentia sint custodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore Legis aliquid*

relaxatur: quod & ipsa Lex cavisset, si prænovisset. Et sæpe crudele esset insistere Legi, cum observantia ejus esse præjudicialis Ecclesię videtur.

Illicita est pariter dispensatio data sine causa ab Episcopo circa ea, quæ statuta sunt per Synodum Diœcesanam; licita vero, si detur cum legitima causa.

Illicita est pariter dispensatio data sine causa ab Abbate circa ea, quæ sancita sunt per regulam; licita vero, si detur cum causa. De licita dispensatione sic loquitur Goffridus Vindocinensis in opusc. c. 5. *Dispensationes*, inquit, *aliquando facienda sunt in Ecclesia; non quidem amore pecuniæ, vel quolibet humano favore, sed pia & misericordi intentione: tunc enim a Pastore Ecclesiæ dispensatio pie & misericorditer fieri dicitur, cum aliquid minus perfecte ad tempus fit ab illo, vel fieri permittitur, non voluntate sua, sed aliorum necessitate, ne ipsis videlicet fides Christiana periclitetur.*

De illicita dispensatione sic loquitur Bernardus lib. de dispens. & præcept. c. 4. *Supra fratrum sane transgressiones*, inquit, *non supra Patrum traditiones constituitur qui Abbas eligitur, mandatorum cultor, & ultor vitiorum. Arbitror namque sanctas illas observationes Prælatorum, providentiæ & fidei tuæ creditas, non subditas voluntati.*

§. VIII.

Quæ causa requiratur, ut dispensatio data vel a Papa, vel ab inferioribus Prælatis circa ea, quæ pertinent ad jus positivum, sit licita.

Prop. Ut dispensatio data vel a Papa, vel ab inferiori Prælato sit licita, sufficit, quod causa dispensandi sit proportionata & personæ & rei, circa quam fit dispensatio: v. g. quod causa sit communis, si dispensatio fiat circa Legem communem, quod causa sit particularis, si dispensatio fiat circa Legem particularem, quod usus sit communis, si dispensatio fiat circa rem, quæ solo usu & consuetudine constat.

Probatur. Tunc causa censetur justa, quando rei, cui comparatur, æquiponderat: ergo dispensatio data circa Legem communem ob causam communem, circa Legem particularem ob causam particularem, circa rem sola consuetudine vigentem ob consuetudinem, debet censeri justa.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Juxta D. Thom. illicita est dispensatio data circa Legem communem & generalem sine causa communi & generali. En verba Sancti Doctoris 1. 2. q. 97. a. 4. ad 3. *Quando cum aliquo dispensatur, ut legem communem non servet, non debet fieri in præjudicium boni communis, sed ea intentione, ut ad bonum commune proficiat.*

Sic dispensatio data alicui nationi vel circa abstinentiam a carnibus, vel circa observantiam jejuniorum, vel circa celebrationem festorum, esset illicita, si non daretur ob causam communem.

Consect. 2. Juxta D. de Marca lib. 3. Concord. cap. 14. & 15. Dispensatio data a summo Pontifice alicui singulari personæ circa Canones Conciliorum generalium, etiam sine causa publica, est valida & licita; dummodo hæc dispensatio non tendat ad labefactandum Ecclesiæ statum, sed sit causa aliqua particularis, quæ possit cedere in bonum ipsius Ecclesiæ: quia pro dispensatione circa personam particularem sufficit causa particularis.

Sic privatum meritum Ambrosii & Nectarii effecit, ut licet Neophiti, ordinarentur.

Sic ex cap. *Innotuit* de electione, multa inducere possunt ad dispensationem, scilicet, *litterarum scientia, morum honestas, vitæ virtus, & fama personæ.* Sic cap. *Multa* de Præbendis: sublimitas & litteratura personæ potest esse causa dispensandi in pluralitate Beneficiorum. *Circa sublimes tamen & litteratas personas, quæ majoribus Beneficiis sunt honorandæ, cum ratio postulaverit, per sedem Apostolicam poterit dispensari*, inquit Canon.

Sic juxta eumdem Dominum de Marca, licitæ sunt variæ dispensationes circa Canones Conciliorum universalium ex solo usu jam in Romana curia vigente; quia consuetudo legitima ex authore, ex objecto, ex fine, ex modo, vim habet Legis.

Sic Episcoporum consecratio, quæ juxta Nicænum sine Metropolitano fieri non debet, post abrogatam Pragmaticam-Sanctionem inconsulto Metropolitano tribus Episcopis ad arbitrium Papæ committitur.

Sic duabus Ecclesiis adscribuntur frequenter Clerici contra Canones Concilii Chalcedonensis.

Sic pluralitas Beneficiorum contra Canones Lateranenses & Tridentinos ex dispensatione cum causa permittitur.

Sic novi Ordines Religiosi contra Concilium Lateranense ex dispensatione Papæ instituti.

Sic resignationes in favorem olim in Ecclesia incognitæ, solo usu, authoritate Papæ jam frequentissimæ.

Sic

Sic impedimenta matrimonii solo jure positivo Ecclesiastico inducta, per dispensationem Papæ tolluntur; adeo ut post talem dispensationem, & matrimonia habeantur valida, & liberi procreati censeantur legitimi.

§. IX.

De variis causis & motivis dispensandi & concedendi privilegia.

Causæ dispensandi ad sex reduci possunt capita. Primum est generalis quædam consuetudo, seu conducentia, ut loquitur Cyprianus. Sic nostro tempore facile dispensantur pœnitentes ab exercitio solemnioris pœnitentiæ, quam olim Episcopi insignioribus peccatoribus imponebant; & in hoc sequimur exemplum Cypriani, qui ita loquitur Epist. 55. ad Cornelium: *Remitto omnia, multa dissimulo, studio & voto colligendæ fraternitatis, etiam quæ in Deum commissa sunt, non pleno judicio religionis examino: delictis plusquam oportet remittendis pene ipse delinquo: amplector prompta & plena dilectione cum pœnitentia revertentes, peccatum suum satisfactione humili & simplici confitentes.*

Secundum est amor pacis. Periculum schismatis motivum est dispensandi. Sic solebat pœnitentia olim remitti, quando periculum schismatis inerat, ut docet Aug. lib contra Parmenianum; & quando timebatur, ne pœnitentes ab Ecclesia discederent, ut docet Basilius Can. 3. de quo ita Hildebertus Cenomanensis Episcopus relatus in Spicilegio Dacherii, Tom. 4. p. 250. *Multa*, inquit, *ex loco, ex tempore, differentius fiunt; rector Ecclesię numquam aut dissimulabit, aut faciet quæ accusat; cum viderit malum Schismatis imminere, Canonum scita mutabit; debet cessare censura, cum dissolvitur unitas, caritas læditur, pax vacillat.*

Tertium, utilitas vel fidelium, vel Ecclesiæ. Sic facile dispensantur hæretici a quibusdam Ecclesiæ observantiis, v. g. ab abstinentia ovorum, lacticiniorum, ut promptius ad Ecclesiam redeant. Exemplum dedit August. Epist. 50. restituens Sacerdotes lapsos in gradum pristinum. *Hoc non fieret*, inquit, *quoniam fieri non debet, nisi pacis ipsius compensatione sanaretur.* Hoc fecit pariter Cyprianus, qui Trophimum Episcopum lapsum in Idololatriam, recepit ad Communionem, quia cum tota sua plebe rediit ad Ecclesiam. Ita Cyprianus Epist. ad Antoninum. Id confirmat Bernardus his verbis, lib. de dispensat. & præcepto cap. 1. *Novit fidelis servus & prudens ibi tantum usurpare dispensationem, ut ille bonam possit habere recompensationem.*

Quartum qualitas personæ est motivum dispensandi. Sic inter Magnates facile dispensatur in impedimentis affinitatis & consanguinitatis, matrimonium solo jure Ecclesiastico impedientibus: de quo ita Arnulphus Lexov. Epist. 26. ad summum Pontificem, ubi sic habet. *Tunc enim*, inquit, *in potestate judicis est mollire sententiam, & mitius judicare, quam Leges, cum rerum & personarum merita postulant, aut instantia necessitatis extorquet.*

Quintum. Multitudo est motivum dispensandi. Sic quando sunt multi in eodem reatu, facile cum illis dispensatur in his, quæ juxta rigidiorem disciplinam essent observanda: de quo ita Innoc. I. Epist. 22. ad Episcopos Macedoniæ cap. 6. *Quoties*, inquit, *a populis, aut a turba peccatur; quia in omnes propter multitudinem non potest vindicari, inultum solet transire.*

Sextum. Religionis status est motivum dispensandi. Sic dispensantur Religiosi ab ea irregularitate, quæ non provenit ex proprio delicto, v. g. ex defectu natalium; adeo ut filii Presbyterorum ex sola status religiosi professione promoveri possint ad Ordines sine dispensatione, ut habetur c. *Ut filii Presbyterorum*, de filiis Presbyterorum; sed non ad dignitates sive prælationes. Cap. *Nimis in tua*, eodem titulo.

§. X.

Quandonam cesset dispensatio & privilegium.

Dispensatio & privilegium debent cessare hoc ipso, quo præsumitur Superiorem nolle juste privilegium & dispensationem ulterius valere: nam sicuti Lex non ligat, nisi juxta rationalem intentionem Legislatoris; ita dispensatio & privilegium non debent valere, nisi juxta rationalem intentionem Legislatoris dispensantis.

Ideo in sequentibus casibus cessant dispensationes & privilegia.

1. Si per subreptionem fuerint concessæ, id est, per expressionem falsi, vel per obreptionem, idest, reticentiam veri; quia tum Superior, utpote deceptus, non censetur velle dispensare. Cap. *Ex parte* de rescriptis.

2. Si dispensatio & rescriptum contrarientur constitutioni, & nulla fiat mentio constitutionis; nam tunc dispensatio præsumitur subrepta. Cap. *Cum nos*, de his, quæ fiunt a Prælatis sine consensu Capituli.

3. Si dispensatio tollat consuetudinem, ejusque mentionem non faciat; quia tunc Superior præsumitur deceptus. Cap. *Licet*, de constitutionibus in 6.

4. Si dispensatio sit contra sententiam latam, ejusque mentionem non faciat; nam tunc Superior præsumitur deceptus. Cap. *Inter dilectas*, de fide instrumentorum.

5. Si dispensatio detur lite pendente, & non fiat mentio litis; quia Superior præsumitur deceptus. Cap. *Causam*, de testibus.

6. Dispensatio cessat, cessante motivo principali dispensationis; quia cessat tunc ratio dispensandi. Cap. *Cum cessante*, extra de appellationibus.

Sic dispensatus in castitate, religione, juramento propter morbum, cessante morbo, non manet dispensatus; secus si ratio minus principalis cessaverit.

7. Cessant dispensatio & privilegium, cum nocet illi, cui concessum est; nam quod conceditur ob gratiam alicujus, non est in ejus dispendium retorquendum.

8. Dispensatio & privilegium cessant per revocationem expressam dispensantis, etiam si sine justa causa revocetur.

9. Cessat per renunciationem ejus, cui conceditur dispensatio. Cap. *numquam*. De decimis.

10. Amittitur privilegium per abusum; nam privilegium meretur omnino amittere qui permissa abutitur potestate.

§. XI.

Quid faciendum Confessario, ad quem accedit pœnitens, qui eget dispensatione.

Primo. Confessarius debet præmonere pœnitentem, eas dispensationes, in quibus vel verum reticetur, vel falsum adducitur, nullius valoris esse coram Deo, magisque nocituras animarum saluti, quam profuturas; quia omnis dispensatio conceditur sub hac conditione tacita, vel expressa: *Si preces veritate nitantur:* afferendumque est pœnitenti exemplum Ananiæ & Saphiræ, qui subita morte perierunt, eo quod, inquit Scriptura, mentiti essent non hominibus, sed Deo.

Secundo. Confessarius post auditum pœnitentem de casu, circa quem dispensationem postulat, debet supplicationem, ut dicunt, efformare, in qua factum, circa quod petitur dispensatio, nitide & sincere exponatur, ut Superior dispensaturus clare cognoscat id, circa quod petitur dispensatio. Si pœnitens causas habeat petendi dispensationem, afferendæ sunt in supplicatione sine ulla fraude, sine ullo dolo; si vero nullam causam habeat, non excogitanda sunt motiva fictitia, sed dispensatio petenda est loco gratiæ.

Tertio. Confessarius debet supplicationem illam, in qua exponitur casus, circa quem petitur dispensatio, afferre Episcopo, vel ejus Vicario Generali, si dispensatio pertineat ad Episcopum; vel eam afferre ad expeditionarium, vel, ut dicunt, Bancarium Romanæ Curiæ, si dispensatio pertineat vel ad Papam, vel ad Pœnitentiariam Romanam.

Quarto. Confessarius debet pœnitentem præmonere, necessarium omnino esse, ut observet singula, quæ in litteris dispensationis a Superiore dispensante præscribuntur.

Si casus sit occultus, & dispensatio detur vel ab Episcopo, vel ab ejus Vicario Generali, Confessarius debet in Sacramento pœnitentiæ pœnitenti dispensationem consecuto ea præscribere, quæ Superior dispensans ordinaverit.

Si vero casus sit publicus, & dispensatio danda sit ab Episcopo, debet scribi in charta, & Officiali offerri, & ab eo publicari, seu, ut dicunt, fulminari, ut ii, quorum interest, videant, an petentes dispensationem, falsum dixerint, vel verum necessario dicendum tacuerint.

Si casus sit publicus, & dispensatio detur a summo Pontifice, dispensatio scribitur in membrana cum sigillo plumbeo, & ad Officialem dirigitur, qui eam Bullam in Pronao publicat, seu, ut dicunt, fulminat, ut hi, quorum interest, videant, utrum petentes dispensationem falsum dixerint, vel verum necessario dicendum tacuerint.

Quinto. Confessarius delegatus vel ab Episcopo, vel ab ejus Vicario Generali, vel a Papa, vel a Pœnitentiaria Romana, delegatus, inquam, ad dispensandum aliquem, debet eum absolvere a peccatis, si indigeat, postea vero eum dispensare; & ut id faciat cum aliquo ritu ceremoniali, potest sequentem formam adhibere.

Eadem authoritate declaro te absolutum; & dispensatum in dicto voto, quod elicuisti .... In dicto impedimento matrimoniali, quod contraxisti .... In dicta vel irregularitate, vel suspensione, vel excommunicatione, quam incurristi, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Et si velit ritum illum ceremonialem clarius adhuc exprimere, poterit naturam rei, in qua datur dispensatio, explicite declarare hoc modo:

Declaro te dispensatum in voto Religionis, quod elicuisti, adeo ut possis licite remanere in sæculo, & nubere in Domino .... In voto castitatis, quod elicuisti, adeo ut possis valide & licite matrimonium contrahere, debitum conjugale reddere,

dere, & exigere .... In matrimoniali impedimento, adeo ut possis valide & licite matrimonium cum tali affini, vel cognato contrahere, & in eo debitum conjugale reddere, & exigere.

Ego eadem authoritate absolvo te a vinculo vel excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti, vel irregularitatis, quam incurristi ob tale factum (hic afferendum est factum) *& restituo te Sacramentis Ecclesiae, communioni fidelium, executioni tuorum Ordinum, vel officiorum, vel beneficiorum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

§. XII.

Referuntur varia motiva, ob quae dari solet dispensatio.

Dispensationes solent vulgo circa triplicem materiam peti, scilicet, 1. Circa vota. 2. Circa impedimenta matrimonialia, vel praecedentia matrimonium, vel supervenientia matrimonio jam contracto. 3. Circa excommunicationes, suspensiones, interdicta, & irregularitates.

Motiva dispensandi in voto, v. g. intrandi Religionem, sunt haec, aut similia: paupertas parentum, v. g. patris, matris, fratris, sororis, quibus, qui vovit, posset in saeculo manens auxilium ferre: debilitas virium, ob quas vovens non potest onera religionis sustinere: metus incontinentiae: defectus dotis necessariae, ut recipiatur in religione.

Motiva dispensandi in voto perpetuae castitatis sunt, metus incontinentiae, graves circa luxuriam tentationes, &c.

Motiva dispensandi in impedimentis matrimonialibus, quae matrimonium praecedunt, sunt haec, & similia: extinctio litium vel odii, si matrimonium inter agnatos aut affines contrahatur: inaequalitas conditionum partium matrimonium contrahentium, nisi consanguineis, vel affinibus nubatur: defectus dotis competentis: arctitudo loci, quo fit, ut nonnisi difficulter matrimonium ineatur nisi vel inter cognatos vel affines: conservatio facultatum in eadem cognatione

Motiva dispensandi in impedimentis matrimonialibus matrimonio jam contracto supervenientibus sunt haec, aut similia: ablatio scandali, quod oriretur, si dissolveretur matrimonium: metus incontinentiae vel in altero, vel in utroque conjuge, si uterque non haberet jus reddendi, & exigendi debitum conjugale.

Motiva dispensandi & absolvendi in excommunicationibus, suspensionibus, interdictis, irregularitatibus sunt haec, aut similia: sinceritas poenitentiae in eo, qui petit dispensationem: desiderium satisfaciendi parti laesae: necessitas ministrorum Ecclesiae, & utilitas, quam Ecclesia percipere potest ex ministris dispensationem obtinentibus; melius est enim uti ministris, quibus dispensationes conceduntur, quam novos ministros ordinare, qui non ita utiliter Ecclesiae ministrarent.

§. XIII.

Variae formulae supplicationum.

Laborant vulgo Confessarii in efformandis supplicationibus, quibus utendum est ad petendam dispensationem vel ab Episcopo, vel a Papa, vel a Poenitentiaria Romana; ideo placuit, exemplaria aliquot hujusmodi supplicationum hic apponere, ad quorum instar poterit quilibet juxta casum sibi propositum supplicationem effingere nomine sui poenitentis.

Formula supplicationis ad dispensationem obtinendam circa votum Papae reservatum.

Beatissime Pater, devotus in Christo Filius N.N. *Hic apponi debet nomen oratoris, vel oratricis. Si casus sit occultus, apponitur solum nomen baptismatis. Si casus sit publicus, apponitur nomen & baptismatis, & familiae.* Dioecesis N. exhibet Sanctitati vestrae, quod natus anno N. *Hic apponi debet aetas, qua votum fuit elicitum.* Plena deliberatione votum elicuit. *Hic exprimitur natura voti, v. g. votum perpetuae castitatis, votum intrandi Religionem approbatam, &c.* Idemque humilis orator supplicat Sanctitati vestrae, ut dignetur eum a tali voto gratiose absolvere, & illud in alia pietatis exercitia commutare. *Si orator vel oratrix motiva particularia habeant petendi dispensationem, hic apponi debent sine fuco & mendacio.* Hanc expectat gratiam humilis in Christo orator, si haec motiva videantur Sanctitati vestrae sufficientia, cujus judicio & authoritati vult semper acquiescere. Datum N. die N. mensis N. anno N.

Formula supplicationis ad obtinendam dispensationem pro impedimento matrimoniali Papae reservato, & matrimonium praecedente.

Beatissime Pater, devotus in Christo Filius N. N. *Hic apponi debet nomen & cognomen sponsi.* Dioecesis N. & devota in Christo Filia.

Hic apponi debet nomen & cognomen sponsæ. Diœcesis N. scientes se esse in secundo, vel tertio consanguinitatis, vel affinitatis gradu, volunt tamen matrimonium inter se contrahere. Cum id nequeant juxta Canones sine licentia Sedis Apostolicæ, supplicant humiliter Sanctitati vestræ, ut dignetur hanc eis facultatem gratiose concedere. *Si orator & oratrix motiva habeant petendi hanc dispensationem, hic apponi debent hæc motiva sine fuco & mendacio: & exprimi debet, si sint nobiles, vel pauperes, an intervenerit copula carnalis, & quo motivo, an ex sola passione, an ex desiderio facilius obtinendi dispensationem.* Hanc expectant gratiam humiles in Christo orator & oratrix, si allata motiva videantur sufficientia Sanctitati vestræ, cujus authoritati & judicio volunt semper acquiescere. Datum N. die N. mensis N. an. N.

Formula supplicationis ad obtinendam dispensationem pro impedimento matrimoniali Papæ reservato, & matrimonio jam contracto supervenienti.

Beatissime Pater, devotus in Christo Filius N.N. Diœcesis N. matrimonio conjunctus cum N. N. exhibet Sanctitati vestræ, quod matrimonio illi jam contracto supervenerit impedimentum publicum Sedi Apostolicæ reservatum. *Hic apponi debet natura impedimenti.* Idemque humilis orator supplicat Sanctitati vestræ, ut dignetur eum a tali impedimento absolvere, adeo ut possit valide & licite debitum conjugale & reddere, & exigere. Hanc expectat gratiam humilis orator a Sanctitate vestra, cujus judicio & authoritati vult semper acquiescere. Datum N. die N. mensis N. anno N.

Formula supplicationis ad obtinendam absolutionem & dispensationem circa excommunicationem, suspensionem, interdictum, irregularitatem Papæ reservatam.

Beatissime Pater, devotus in Christo Filius N. N. Diœcesis N. exhibet Sanctitati vestræ, quod excommunicationem, vel suspensionem, vel interdictum, vel irregularitatem Sedi Apost. reservatam, ob tale factum incurrerit. *Hic debet sine fuco & mendacio exprimi factum, ob quod lapsus est in excommunicationem, vel suspensionem, vel interdictum, vel irregularitatem.* Idemque humilis orator supplicat Sanctitati vestræ, ut dignetur eum a tali excommunicatione, vel suspensione, vel interdicto, vel irregularitate absolvere, imposita congrua parti læsæ satisfactione, & salutari pœnitentia. Hanc expectat gratiam humilis in Christo orator a Sanctitate vestra, cujus judicio & authoritati vult semper acquiescere. Datum N. die N. mensis N. anno N.

Formula supplicationis exhibendæ Episcopo, vel Archiepiscopo, vel ejus Vicario Generali in casibus Sedis Apostolicæ non reservatis.

Reverendissime in Christo Pater, devotus in Christo Filius N.N. hujusce Diœcesis exhibet celsitudini vestræ, quod in casum inciderit Sedi Apostolicæ non reservatum, cujus absolutionem, vel dispensationem a Celsitudine vestra obtinere potest. *Hic exprimi debet casus sincere & sine fuco, ut Ordinarius videat, an valeat circa talem casum authoritatem suam exercere.* Motiva petendi hujusmodi dispensationem, vel absolutionem sunt hæc. *Hic afferri debent motiva, quæ habet orator petendi dispensationem vel absolutionem.* Hanc expectat gratiam humilis in Christo orator, si prædicta motiva videantur sufficientia Celsitudini vestræ, cujus judicio & authoritati vult semper acquiescere. Datum N. die N. mensis N. anno N.

DE DECALOGO

PROOEMIUM.

Postquam de Lege generatim egimus, Decalogum explicandum aggredimur, qui primam & præcipuam Legis speciem nedum continet, sed etiam legum omnium fons est & summa: præcepta autem Decalogi habes sic descripta, Exod. cap. 20. v. 2. *Ego sum Dominus Deus tuus.... Non habebis Deos alienos coram me. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Memento ut diem sabbati sanctifices .... Honora patrem tuum, & matrem tuam. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui. Nec desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.*

Præcepta Decalogi in duabus tabulis fuere exarata, quarum prima continebat præcepta quæ Deum, secunda vero quæ proximum respiciebant. Quæ divisio sic potest ordinari.

In Decalogo præcipitur cultus immediatus erga Deum, & officium erga proximum propter Deum.

Cultus immediatus erga Deum potest esse du-

duplex: internus & externus, qui posterior in privatum & publicum dividitur. Internus præscribitur his verbis: *Dominum Deum tuum adorabis, non habebis Deos alienos coram me*. Externus hoc præcepto dirigitur: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*. Demum qualis esse debeat cultus publicus hoc præcepto ostenditur: *Memento ut diem sabbati sanctifices*.

Officium exhibendum proximo propter Deum est duplex: externum & internum. Officium externum consistit in multis. 1. In mutuis officiis superiorum erga inferiores, & inferiorum erga superiores; quæ quidem officia declarantur his verbis: *honora patrem tuum & matrem tuam*. 2. In conservatione vitæ & salutis nostræ, & alienæ, quod docemur his verbis; *non occides*. 3. In conservatione castitatis, quod demonstrant hæc verba: *non mœchaberis*. 4. In conservatione rerum & possessionum proximi, quod utique monemur hoc præcepto: *non furaberis*. 5. In conservatione veritatis, quam illæsam conservat hoc mandatum: *non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*.

Officium vero internum erga proximum situm est in moderatione & rectitudine cupiditatum, ne quis expetat, aut cogitet aliquid contra præcepta priora; & internus ille affectus nobis satis aperte indicatur his verbis: *non concupisces*.

D. Th. 1.2. q. 100. art. 5. aliam insinuat Decalogi divisionem, quam juvat sic paucis contrahere. Decalogus, inquit, ordinat hominem ad quamdam communitatem hominum sub Deo....sicut Lex politica ordinat hominem ad quamdam communitatem sub Principe. Ad hoc autem quod aliquis bene commoretur in aliqua communitate, duo requiruntur. 1. Ut bene se habeat ad eum qui præest communitati. 2. Ut bene se habeat ad alios socios communitatis. Ut autem homo bene se gerat erga Deum summum Regem, & erga omnes homines sibi socios, oportet quod in Lege divina primo ferantur præcepta ordinantia hominem & ad Deum, & ad alios, scilicet proximos simul viventes sub Deo.

Principi autem communitatis tria debet homo. 1. Fidelitatem. 2. Reverentiam. 3. Famulatum.

Fidelitas erga Deum consistit in eo quod honor principatus ad alium non deferatur; ideo dicitur: *non habebis Deos alienos coram me*. In hoc vero sita est reverentia Deo debita, ut nihil injuriosum in eum committatur; unde dicitur: *non assumes nomen Dei in vanum*. Famulatum autem Deo debent homines in compensationem beneficiorum, quæ ab ipso recipiunt, & ad hoc statuitur præceptum de sanctificatione sabbati, in memoriam receptorum beneficiorum: *memento, ut diem sabbati sanctifices*.

Ad proximos autem bene se habet aliquis & generaliter, & specialiter: specialiter quidem, prout ad alios est debitor, eis reddendo debitam observantiam; & sic ponitur præceptum de honorandis parentibus: *honora patrem tuum*. Generaliter vero, ut nulli inferatur nocumentum corde, verbo, vel opere. Non quantum ad personam propriam, propter quod dicitur: *non occides*. Non quantum ad personam ipsi conjunctam, propter propagationem prolis, unde additur: *non mœchaberis*. Non quantum ad res possessas, unde: *non furtum facies*. Quantum autem ad nocumentum cordis, dicitur: *non concupisces*. Et quantum ad nocumentum oris, additur: *non loqueris contra proximum falsum testimonium*.

DE PRIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

PRimum præceptum Decalogi observatur, inquit August. Enchirid. cap. 3. *per fidem, spem, & caritatem*. Ideo ad explicandum primum præceptum de prædictis virtutibus sigillatim agemus. Cum autem virtus religionis conducat maxime ad observantiam primi præcepti Decalogi; ideo hic officia religionis breviter etiam exponemus.

Circa quamcumque ex illis virtutibus quatuor agemus.

1. Explicabimus quæ sit earum natura. 2. Quod earum objectum. 3. Quinam sint earumdem actus a christiano eliciendi. Denique quinam sint actus iis virtutibus oppositi.

TRACTATUS V.

De Fide.

CAPUT I.

De natura Fidei & de ejus assensu.

ASsensus generatim *est adhæsio intellectus ad verum*.

Assensus est duplex: assensus ex propria convictione, assensus ex authoritate aliena.

Assensus ex propria convictione est ille qui procedit ex clara objecti propositi perceptione. Talis est actus, quo judico *totum esse majus sua parte*; adhæreo enim huic veritati, quia ita rem esse clare video.

Assen-

Assensus ex authoritate aliena *est ille qui fundatur, non in clara objecti propositi perceptione, sed in authoritate dicentis*. Talis est actus, quo assentior *Solem moveri*; non quia id clare video, sed quia Aristoteles, cui credo, illud dixit.

Assensus fundatus in authoritate humana non est ex se firmus; quia semper est timendi locus, ne ille, cujus authoritate nitimur, vel fallatur, vel fallat: *ille assensus* dicitur *fides humana*.

Assensus fundatus in authoritate divina est semper firmus; quia certum est, quod Deus non potest falli, nec fallere. Non potest falli, quia est infinite sciens: non potest fallere, quia est infinite bonus: *hic assensus* dicitur *fides divina*.

Fides divina est donum Dei, quo assentimur veritatibus nobis a Deo revelatis, & per Ecclesiam propositis. Duo sunt præcepta fidei: alterum affirmativum, alterum negativum.

Præceptum affirmativum fidei in eo positum est, ut homo addiscat veritates fidei, eisque assentiatur, atque easdem palam confiteatur, cum oportet.

Præceptum vero negativum vetat, ne ignoremus veritates fidei, ne his umquam interius dissentiamur, aut eas umquam negemus etiam exterius.

Fides alia est implicita, alia explicita. *Fides explicita ea est, per quam cum actuali assensu & convictione aliquid directe credimus, cum actuali, non quidem clara, sed distincta objecti crediti perceptione*. Talis est actus, quo convictus Deum esse unum & trinum, assentior interius Deum esse unum & trinum; certus enim sum lumine fidei, quod Deus est *unus* & non *tres*, & quod *tres* sunt personæ & non *una* solum.

Fides implicita est fides, per quam cum actuali assensu & convictione aliquid directe credimus, & in præparatione animi omnia alia, quæ proponuntur per fidem, sine actuali objecti crediti perceptione. Talis est actus fidei, quo directe credens Ecclesiam esse infallibilem, credo omnia, quæ revelantur nobis a Deo, & per Ecclesiam proponuntur, licet nec sigillatim nec distincte credenti nota sint.

Fides alia est formata, alia informis.

Fides formata, seu viva, est fides conjuncta cum caritate.

Fides informis, seu mortua, est fides sejuncta a caritate.

Objectum fidei est illud omne quod fides attingit.

Objectum primarium fidei est Deus obscure revelatus: *objectum secundarium* sunt mysteria omnia vel intra Deum, vel extra Deum existentia, quæ nobis obscure revelantur per fidem.

Objectum formale, seu ratio & motivum credendi, est veritas prima, quatenus revelans; quia nihil credimus, nisi quatenus Deus id revelavit.

Fides alia est habitualis, alia actualis. *Fides habitualis est habitus inclinans ad actus fidei. Fides actualis est actuale exercitium fidei*.

Exercitium autem actuale fidei est actus fidei vel elicitus, vel imperatus. Actus elicitus est ille, qui fit a sola fide eliciente. Talis est actus, quo credimus Deum esse unum & trinum. Actus fidei imperatus est ille, qui fit a virtute distincta quidem a fide, sed ex motione & imperio fidei. Talis est actus, quo ex motivo fidei exercemus actus virtutum moralium.

CAPUT II.

Quodnam sit objectum fidei, seu quinam sint articuli credendi a quolibet fideli.

PRop. Omnes & singuli Christiani tenentur omnes & singulos articulos Symboli Apostolorum, saltem quoad substantiam, explicite credere.

Prob. 1. ex praxi Ecclesiæ, quæ ab omnibus catechumenis adultis, ante quam baptizentur, exigit, ut recitent Symbolum Apostolorum, & respondeant, an assentiantur prædictis articulis; & cum hi, qui baptizandi sunt, usum rationis non habent, illud idem exigitur ab eorum patrinis & sponsoribus: ergo signum est, quod Ecclesia exigat ab adultis, quod credant explicite illos articulos.

2. Ex Patrum sententia. Apostoli ediderunt Symbolum. 1. Ut omnes unam eamdemque fidei regulam omnibus populis proponerent. 2. Ut singuli fideles brevem hanc fidei formulam memoriæ mandarent facilius, ac frequentius profiterentur. 3. Ut brevi hac formula, veluti clypeo, adversus omnes hæreticorum fraudes præmuniri possent. 4. Ut signum, quo discernerentur fideles ab infidelibus, haberent; v. g. si quis occurreret statim recitando suum Symbolum, agnosceretur, an esset hostis, an socius: ergo ex his omnibus constat quemlibet fidelem teneri explicite prædictos Symboli articulos credere.

3. Ex Conciliis provinc. Concilium Forojuliense sub Adriano 1. an. 791. post Symbolum fidei sic habet: *Symbolum vero & oratio-*

nem

nem Dominicam omnis Christianus memoriter sciat, omnis ætas, omnis sexus, omnisque conditio, masculi, feminæ, juvenes, senes, servi, liberi, pueri, conjugati, innuptæque puellæ; quia sine hac benedictione nullus poterit in cælorum regno percipere portionem.

Conc. Moguntiacum an. 813. Can. 45. ait: *Symbolum, quod est signaculum fidei, & orationem Dominicam discere semper admoneant Sacerdotes populum Christianum. Volumusque, ut disciplinam condignam habeant qui hæc discere negligunt, sive in jejunio, sive in alia castigatione emendentur.* Et Conc. Rhem. an. 813. jubet, ut *Orationem, quam Dominus noster Jesus Christus discipulos suos orare docuit, verbis discerent, & sensu bene intelligerent; quia illam ignorare nulli Christiano licet.* Concil. Bituric. an. 1584. de fide Can. 7. sic habet: *Omnis Christianus prima fidei rudimenta, orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & Decalogum studiose perdiscat.* Demum Augustodun. an. 1548. Can. 19. in medio, sic loquitur: *Qui Dominicam orationem, & Symbolum Apostolorum ex desidia, aut contemptu discere nolunt, poterunt*, idest, debebunt *a suo Confessore sacra Communione prohiberi donec ea addiscant.*

Et quidem merito; etenim qui prædicta ignorant non excusantur: ideo enim ignorant, *non quia difficile est, sed quia voluntas adversa est.* Aug. in Psal. 35.

4. Ex D. Th. 2. 2. q. 2. a. 5. in corp. *Quantum ad prima credibilia, quæ sunt articuli fidei, tenetur homo explicite credere, sicut & tenetur habere fidem: quantum autem ad alia credibilia, non tenetur explicite credere, sed solum implicite, vel in præparatione animi, in quantum paratus est credere quidquid divina Scriptura continet; sed tunc solum hujusmodi tenetur explicite credere, quando hoc ei constiterit in doctrina fidei contineri.*

5. Ex Rat. Quando aliqua virtus est de præcepto, determinatio actus virtuosi circa id, quod est objectum proprium & per se, est de præcepto: minime determinatio actus virtuosi circa id, quod est objectum per accidens. Sic v.g. quando fortitudo est de præcepto, actus quoque primarii fortitudinis, quales sunt aggredi hostes Reipublicæ, eorum impetus sustinere, etiam cum periculo vitæ, si hoc exigat bonum Reip. sunt de præcepto: minime vero actus secundarii, quales sunt incedere armatum, vel inermem; illi enim actus non sunt de præcepto, nisi tempore & loco. Cum ergo fides sit de præcepto, ille actus erit de præcepto, quo attingitur id, quod est per se objectum fidei: Symbolum autem Apostolorum est per se objectum fidei: ergo credere explicite ea, quæ sunt in Symbolo, erit de præcepto. Ratio hæc est D. Thom. loco citato.

Consectaria bujus Doctrinæ.

Consect. 1. Non sufficit ad salutem fides Dei prout est author naturæ, sed necessaria est fides Dei prout est author gratiæ: Scriptura enim & Concilia exigunt fidem, juxta illud: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Ad Hebr. 11. v. 6. *Ex fide justificat gentes.* Ad Galat. 3. v. 8. & juxta illud Trid. sess. 6. cap. 7. *Sine fide nulli umquam contigit justificatio:* sed Scriptura & Concilia exigunt fidem, non qualemcumque, sed supernaturalem. *Gratia*, inquit Paul. ad Ephes. 2. v. 8. *estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim Dei est.* Et Trident. anathema pronunciat in eum, qui dixerit: *Sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione atque adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur.* Sess. 6. Can. 3. Ideo damnata est ab Innoc. XI. & a Clero Gallicano sequens propositio: *Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.* Art. 3. Et quidem merito: nam si gratia justificans nos in terris, & clara Dei visio beatificans nos in cælis sit supernaturalis; fides disponens nos ad justificationem, & conducens nos ad gloriam debet esse pariter supernaturalis: dispositio enim est ejusdem ordinis cum forma, ad quam disponit, & medium ejusdem ordinis cum fine, ad quem conducit.

Consect. 2. Non sufficit ad salutem credere in communi quidquid credit Mater Ecclesia, quia explicite credenda sunt præcipua mysteria fidei, ut patet ex dictis: illud enim damnatum est, ut refert Eymericus in directorio inquisitionis par. 2. q. 8. *Octava*, inquit, *hæresis est, quod Laicus non tenetur ad aliquem fidei articulum explicite credendum; sed sufficit sibi ista conclusio in genere, ut credat quidquid credit sancta Mater Ecclesia*; quia cum fides sit medium ad beatitudinem assequendam, æquum est, ut credat explicite quæ futura sunt objectum primarium suæ beatitudinis.

Consect. 3. Non sufficit ad salutem credere in unum Deum explicite, sed insuper fides explicita de Deo ut remuneratore est simpliciter necessaria adulto, ut salutem consequatur, juxta illud: *Sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Heb. 11. v. 6. Ideo damnata est hæc proposi-

tio

tio ab Innoc. II. *Nonnisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii*; *non autem explicita remuneratoris ....* Quia, cum fides sit medium ad beatitudinem, omnis fidelis debet credere in Deum ut remuneratorem.

Conject. 4. Non sufficit ad salutem credere in Deum, ut remuneratorem, nisi fide explicita credamus Deum esse unum in essentia, & Trinum in personis, juxta illud: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Matth. ult. Baptizandi quippe cathecumeni docendi sunt Trinitatem: Ergo debent eam explicite credere. Unde dicit D. Th. 2. 2. q. 2. art. 8. *Post tempus gratiæ divulgatæ tenentur omnes ad explicite credendum mysterium Trinitatis*: quia, cum fides sit medium ad beatitudinem consequendam, æquum est, ut explicite credamus in Deum, quatenus erit objectum nostræ beatitudinis; Deus autem beatos nos efficiet, non quatenus unus præcise, sed quatenus unus & trinus: *Videbimus enim eum sicuti est*.

Conject. 5. Fides explicita de Deo incarnato est ad salutem necessaria, juxta illud Joan. 3 v. 16. *Sic enim Deus dilexit mundum ut Filium Unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat, sed habeat vitam æternam*: & rursus: *Qui credit in Filium habet vitam æternam*; *qui autem incredulus est Filio non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*. Joan. 3. v. 36.

Conject. 6. Fides explicita de Christi morte & resurrectione & aliorum mysteriorum Christi, quæ vulgo cum solemnitate celebrantur in Ecclesia, ad salutem est necessaria, juxta illud: *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quod illum Deus suscitavit a mortuis, salvus eris*. Ad Rom 10. v. 9. Per mortem enim Christi redempti sumus, & per resurrectionem ipsius spem habemus resurgendi: ergo debemus hæc Christi mysteria explicite credere, & alia quæ communiter in Ecclesia cum solemnitate celebrantur. Ideo ait D. Thom. 2. 2. q. 2. art. 7. *Post tempus gratiæ revelatæ tam majores quam minores*, idest, tam Pastores, quam oves, *tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi, præcipue quantum ad ea, quæ communiter in Ecclesia solemnizantur, & publice proponuntur*; *sicut sunt articuli Incarnationis*. Pro eadem sententia stat Aug. lib. 2. de peccato originali contra Pelagium & Cælestium cap. 24. *Sine fide incarnationis & mortis & resurrectionis Christi, nec antiquos justos, ut justi essent a peccatis, potuisse mundari, & Dei gratiæ justificari, veritas christiana non dubitat: sive in eis justis, quos sancta Scriptura commemorat; sive in eis justis, quos quidem illa non commemorat.... Sicut fuerunt Prophetæ.... Sicut fuit Job*.

Ex quo satis intelligitur, quod fideles catholici sine salutis dispendio ignorare non possunt necessitatem baptismi & pœnitentiæ, realem Christi præsentiam in Eucharistia, post consecrationem non remanere panem & vinum sub speciebus sacramentalibus; nec fas est eos ignorare piam & non idololatricam esse eam invocationem & venerationem Sanctorum, quæ in universa exercetur Ecclesia, usumque indulgentiarum esse salutarem, Purgatorium existere, animas ibi detentas juvari posse Ecclesiæ suffragiis, & præcipue Missæ sacrificio; quia hæc omnia communiter in Ecclesia solemnizantur, ut utar verbis Divi Thomæ.

Conject. 7. Fides explicita de Sacramentis jam receptis, vel proxime recipiendis, est necessaria: quia Sacramentum debet ab adultis recipi cum debitis dispositionibus; dispositio autem primaria ad Sacramentum est fides Sacramenti. Quomodo autem sancte reciperetur id, cujus natura penitus ignoraretur?

CAPUT III.

De actibus Fidei a Christiano eliciendis.

Nota, actus fidei alios esse interiores, alios exteriores. Actus interiores fidei sunt, addiscere veritates fidei ad salutem consequendam necessarias, & easdem non ignorare, assentiri fidei veritatibus sufficienter propositis, & eisdem numquam dissentire.

Actus fidei exteriores sunt, confiteri fidem cum oportet, & numquam eam negare.

§. I.

De actibus interioribus Fidei.

Prop. 1. Non sufficit ad salutem, ut Christianus adultus habeat fidem habitualem; sed frequenter debet actus interiores fidei elicere vel explicite, vel implicite; *per se* quando obligatio oritur ex ipsa fide; *per accidens*, quando obligatio oritur ex alia virtute.

Prob. 1. Script. Rom. 10. v. 10. *Corde creditur ad justitiam*. Hæc autem vox *creditur* denotat actum, & non solum habitum: Ergo ad salutem non sufficit solus habitus fidei, sed requiritur ut aliquando eliciantur actus fidei. Rursus dicitur Gal. 3. v. 11. *Justus*

stus ex fide vivit; fides ergo est nutrimentum animæ: Ergo sicuti tenetur homo, non semel, sed frequenter cibos sumere, ut vitam corporalem foveat; ita & homo fidelis tenetur, non solum semel, sed frequenter animam suam actibus fidei nutrire.

2. Ex Aug. serm. nunc 38. alias 235. c. 3. *Hoc est primum præceptum, hoc est initium religionis, & vitæ nostræ: fixum habere cor in fide*: Ergo si fides est primum præceptum, debemus frequenter actus fidei elicere. Adde, quod sequentes propositiones damnatæ sunt a summo Pontifice & a Clero Gallicano, art. 8. *Homo nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, caritatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Fides non censetur cadere sub præceptum speciale secundum se. Satis est actum fidei semel in vita elicere.

3. *Rat.* Ex D. Th. 2. 2. q. 2. a. 5. *Præcepta legis, quæ homo tenetur implere, dantur de actibus virtutum, qui sunt via perveniendi ad salutem*: rursus: *Præcepta non dantur de habitibus virtutum, sed de actibus*. 2. 2. q. 31. a. 4. ad 1. Atqui fides est virtus necessaria ad salutem; *Quia sine fide impossibile est placere Deo*: Ergo aliquando actus fidei præcipitur, & non solus habitus fidei. Primi autem actus fidei sunt illi, quibus interius Deo credimus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat quilibet homo sive baptizatus, sive non baptizatus, qui assecutus annos discretionis non credit Deum existere; quia tunc ei interius Deus proponitur ut existens, cum existentia Dei non possit *invincibiliter* ignorari. De hac obligatione ita loquitur D. Thom. 1. 2. q. 89. a. 6. ad 3. *Dicendum, quod ab aliis peccatis mortalibus potest puer, incipiens habere usum rationis, per aliquod tempus abstinere: sed a peccato omissionis prædictæ*, scilicet convertendi se ad Deum, *non liberatur, nisi quam cito potest se convertat ad Deum. Primum enim quod occurrit homini discretionem habenti est, quod de se ipso cogitet ad quem alia ordinet sicut ad finem .... Et ideo hoc est tempus pro quo obligatur ex Dei præcepto affirmativo se convertere ad Deum, quo Dominus dicit: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* Zach. 1.

Consect. 2. Peccat quilibet homo sive baptizatus, sive non baptizatus, qui sufficienter edoctus mysteria fidei, eis non assentitur; quia actus fidei est assentiri rebus fidei quando proponuntur. Si autem adultus non sit sufficienter instructus, & inculpabiliter ignoret mysteria fidei, non peccat; quia juxta D. Th. infidelitas negativa excusat a peccato 2. 2. q. 10. a. 1. in corp. ubi sic habetur. *Si autem infidelitas accipiatur secundum negationem puram, sicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, sed magis pœnæ; quia talis ignorantia divinorum ex primi parentis peccato consecuta est. Qui autem sic sunt infideles, damnantur quidem propter alia peccata, quæ sine fide remitti non possunt, non autem damnantur propter infidelitatis peccatum.*

Consect. 3. Peccat quilibet homo sive baptizatus, sive non baptizatus, si sit sufficienter instructus, qui tentatus circa res fidei, non elicit tunc actum fidei (*a*), quia tunc tentatio non potest ut plurimum aliter vinci, & quia dubitare in fide est quædam infidelitas; ideo in illis tentationibus debemus dicere: *Domine adauge nobis fidem.* Luc. 17. v. 5. *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Mar. 9. v. 23.

Consect. 4. Peccat homo, qui in reliquis gravibus tentationibus nullos umquam actus fidei elicit; quia præcipuum remedium contra tentationes est fides, juxta illud: *Induite vos armaturam fidei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.* Eph. 6. 11. & Aug. tract. 49. in Jo. ait disertis verbis: „Si fides in nobis, Christus in nobis: quando credimus, Christus est in nobis vigilans: quando non credimus, Christus est in nobis dormiens, ut dormiebat in Petri navi, quæ agitabatur fluctibus:" ideo fidelis tentatus debet clamare cum Apostolis: *Domine salva nos, perimus.* Matth. 8. v. 15.

Consect. 5. Peccat qui obligatus elicere actum virtutis præsupponentis essentialiter virtutem fidei, v. g. actum spei, caritatis, orationis, &c. non prius elicit actum fidei vel implicitum vel explicitum (*b*), quia uti fides habitualis præcedit spem & caritatem habitualem; ita & fides actualis præcedit actus spei, & caritatis, religionis, &c.... Ideo ait Aug. serm. 8. de decem plagis & præceptis Do-

M O N I T A

Circa quædam, quæ Authori relegenti visa sunt explicatione indigere.

(*a*) Hoc debet intelligi, quando tentatio est gravis, & non potest aliter vinci; nam si tentatio non sit gravis, & vinci possit alio virtutis actu, tunc non urget præceptum fidei.

(*b*) Actus explicitus fidei est actus, quo assentior rebus propositis; actus vero implicitus est quædam interior dispositio, qua mens ita est affecta, ut sit propensa ad assentiendum his, quæ sunt proposita, vel quæ proponerentur ab Ecclesia.

Domini, cap. 10. *Inter omnes tamquam natos cordis nostri primogenita fides est; nemo enim bene operatur nisi fides praecesserit.*

Consect. 6. Peccat qui compos sui non elicit actum fidei circa Sacramentum quod recepturus est, v.g. Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam-unctionem, Ordinem, Matrimonium; quia praecipua dispositio ad Sacramenta novae legis est fides Sacramenti: de qua ita Aug. *Sine fide Catholica si quis ad baptismum accedit*, idem dic de aliis Sacramentis, *ipse contra se indulgentiae januam claudit*, lib. 3. de symb. c. 10. & juxta Trid. Sacramenta sunt signa, per quae *omnis vera justitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur* Sess. 6. in procemio: Ergo, ut Sacramenta sint fructuosa, oportet saltem credere eam vim inesse Sacramentis.

Consect. 7. Peccat qui compos sui non elicit actum fidei in mortis articulo; quia tunc maxime vigent tentationes, ad quas vincendas requiritur praecipue fides. *Haec est victoria quae vincit mundum fides nostra*, 1. Jo. 5. v. 4. quia tunc maxime debemus ad Christum credendo accedere, dicentes cum Paulo: *Desiderium habeo dissolvi & esse cum Christo.* Phil. 1. v. 23.

Consect. 8. Peccaret qui ita esset affectus, ut mysteriis revelatis nollet credere, nisi clare ea videret; quia fides debet esse de non visis. *Fides est argumentum non apparentium*, ad Hebraeos c. 11. v. 1. & juxta Gregorium: *Divina operatio si ratione comprehenditur, non est admirabilis, nec fides habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum.* Homil. 26. in principio. Fides est lucerna, quae quidem lucet in caliginoso loco, & quae e contra in aperto obscuratur: sicuti fax radiis solaribus exposita lumen omne suum extinguit, in tenebrosis vero locis inclusa radios suos longe lateque dispergit.

Consect. 9. Peccat qui absolute renuit credere revelatis, vel non habet tam promptam voluntatem ad credendum, nisi moveatur humanis ratiociniis & argumentis. Etenim, ut ait D. Th. 2. 2. q. 2. art. 10. *Ratio praecedens fidem minuit meritum fidei; ratio vero subsequens adauget meritum fidei.* Sicuti passio praecedens electionem in virtutibus moralibus minuit laudem actus virtuosi; passio vero subsequens adauget meritum. *Melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia*, Aug. serm. nunc. 27. alias de verbis Apo. serm. 20. & Tertull. lib. de praescript. cap. 8. *Cedat curiositas fidei, gloria saluti ...... Adversus regulam nihil scire omnia scire est.* (a) Et lib. de anima cap. 1. *Praestat per Deum nescire, quia non revelaverit; quam per hominem scire, quia praesumpserit.*

Consect. 10. Cum juxta August. tract. 29. in Joan. to. 9. vet. edit. actus fidei sint credere Deum, credere Deo, credere in Deum; oportet ut frequenter nos ad hujusmodi actus excitemus, ut sic crescamus in fide, juxta illud Pauli ad Colos. 61. v. 10. *In omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei.*

Credere Deum, ait Aug. *est credere quia ipse est Deus.* De illo actu loquitur Paulus, cum dicit: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*, ad Heb. 11. v. 6. & Joan. 6. v. 7. *Nos credimus, & cognovimus, quia tu es filius Dei.*

Credere Deo, est credere vera esse quae loquitur. Aug. ibid. De illo actu loquitur Genesis 15. v. 6. *Credidit Abraham Deo:* & Exodus 19. v. 9. *Audiat me populus loquentem ad te & credat tibi in perpetuum*; & Eccles. 2. v. 6. *Crede Deo, & recuperabit te.*

Credere in Deum est diligere illum. Aug. ibidem. De illo actu dicitur 2. Paral. 16. v. 9. *Oculi Domini contemplantur universam terram, & praebent fortitudinem his, qui corde perfecto credunt in eum:* & cap. 20. *Credite in Dominum, & securi eritis:* & Joan. 6. v. 35. *Qui credit in me, non sitiet.*

Consect. 11. Hinc patet quam vana sit Quietistarum illusio, qui fidem, qua *justus vivit*, omni prorsus actione destituunt, eamque in mera quiete, ut ajunt, sitam esse contendunt; unde & a Sede Apostolica merito proscripta est sequens propositio: *In oratione opus est manere in fide obscura & universali, cum quiete & oblivione cujuscumque cogitationis particularis ac distinctionis attributorum Dei ac Trinitatis: & sic in Dei presentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum; quia Deus in his sibi non complacet.* Ita in constit. Innoc. 11. quę incipit *Caelestis Pastor*, Prop. 21. & quidem nihil capitalius Scripturae, Conciliis, & Patribus adversatur; Scriptura enim docet: Fidem esse *argumentum*, idest convictionem *non apparentium*, ad Hebr. 11. v. 1. convictio autem mentis actionem exprimit, minime vero cessationem ab omni actu. Deinde Conc. Trid. sess. 6. Can. 4. anathema pronuntiat contra eos omnes, qui dixerint: *Liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari,*

(a) Non excludo motiva credibilitatis; quin immo optimum puto ea addiscere, ea meditari; sed intendo solum, quod tota ratio credendi innitatur auctoritati divinae, & non humanis ratiociniis.

ri, *assentiendo Deo excitanti, atque vocanti .... Sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere*. Demum Aug. cit. a D. Th. 2. 2. q. 2. a. 1. ait: *Credere est cum firmo assensu cogitare:* Ergo exercitium fidei in operatione, & non in cessatione ab omni actu consistit.

Hinc patet etiam, fidei exercitium, quod Deus a nobis exigit, non in eo præcise situm esse, ut propositis mysteriis firmiter solum assentiamur; sed insuper requiri, ut eas exerceamus virtutes, ad quas fides inclinat. Fides enim, inquit Jacob, *sine operibus mortua est*. Et Paulus docet hominem justum fieri per eam solum fidem, *quæ per caritatem operatur*. Conc. vero Trid. anathema protulit contra eum, qui dixerit: *Hominem justificatum... non teneri ad observantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ; sed tantum ad credendum*. Sess. 6. Can. 20. & cap. 11. sic loquitur: *Nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se hæredem esse constitutum, hæreditatemque consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur*, ut *& conglorificetur*; propterea Apostolus ait: *Sic currite ut comprehendatis*. Item Princeps Apostolorum Petrus: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc facientes non peccabitis aliquando*.

§. II.

De professione exteriori Fidei.

1. *Prop*. Tenemur ex præcepto affirmativo fidei profiteri coram hominibus veritates fidei, quando authoritate publica interrogamur, & quoties honor Dei, & utilitas proximi ex nostro silentio privative, vel contrarie subtraherentur, ut loquitur D. Th. idest, *Fides non promoveretur cum deberet promoveri, & obex fidei non solum non tolleretur, sed etiam poneretur*.

Prob. 1. Script. *Corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem: dicit enim Scriptura: omnis qui credit in illum non confundetur*. Ad Rom. 10. v. 10.

2. Ex Patribus. Ambros. lib. 8. in Lucam prope finem ait: quod Christus *interrogavit Zacheum ut crederemus, neminem nisi confitentem posse salvari*. Et Aug. cont. mendac. cap. 6. ait: *Catholicam hanc autem veritatem Catholicus sicut in corde loquitur, quia ita credit; ita & in ore debet, ut ita prædicet*.

3. *Rat*. D. Th. 2. 2. q. 3. a. 22. *Confiteri fidem non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco & tempore; quando scilicet per omissionem confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & utilitas proximis impendenda: puta, si quis interrogatus de fide taceret; & ex hoc crederetur vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per hujusmodi taciturnitatem averterentur a fide; in hujusmodi enim casibus confessio est de necessitate salutis*. Ideo damnata est hæc propositio: *Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri ut gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se, non damno*. Vide cens. Cleri Gallicani.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Tenemur etiam cum vitæ temporalis dispendio religionem nostram confiteri in sequentibus casibus.

1. Si a potestate publica vel publice, vel privatim interrogemus de fide; tunc enim maxime non debemus erubescere Evangelium: alias juxta Lucam 9. v. 26. Christus nos non agnosceret. *Qui me erubuerit, & meos sermones*, inquit, *hunc filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris & Sanctorum Angelorum*.

2. Cum ab impiis exercitia pietatis ridentur, tunc oportet audentius religionem exercere. Contra eos, qui in his circumstantiis negligunt fidem profiteri, affertur exemplum Pauli, qui ait de seipso: *Non erubesco Evangelium*. Rom. c. 1. v. 16. Exemplum Davidis: *Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar*. Psal. 118. v. 48.

3. Quando fideles, vel infideles exterius aspernantur sacra & sancta, & ex confessione expectatur emendatio infidelium, vel fidelium vacillantium confirmatio in fide, quia talem confessionem exigit majestas Dei, per talem confessionem honoranda, & utilitas proximi per eamdem professionem procuranda. Vide D. Th. 2. 2. q. 3. a. 4. ad 2.

4. Præcepto Ecclesiastico expresso in Trident. sess. 24. cap. 12. & ex Constitutione Blesensi articulo 10. professio fidei edenda est in manus Ordinarii ab eo, qui Beneficium Ecclesiasticum suscipit, debetque in actis publicis hæc professio insinuari: & si agatur de dignitate, personatu, officio, vel præbenda Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, iteranda erit similis professio fidei coram Capitulo: facienda vero ista fidei professio *a præsente* ante aditam possessionem; *ab absente* autem, duobus saltem mensibus post sumptam possessionem.

2 *Prop*. Quando non interrogamur juridice, & sumus extra illos casus, in quibus honor Dei, vel utilitas proximi contrarie subtraheren-

herentur, possumus prudenter ea præstare, quæ nos vel ab injusta citatione coram judice vindicant, vel a præpostera confessione dispensant.

Prob. 1. Scriptura. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum: estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Matth. 10. v. 19. ergo, ut explicat Nicolajus de Lira: *Aliquando prudenter declinanda est malitia persecutorum; sicut Paulus videns malitiam Judæorum volentium eum interficere sine causa, appellavit Cæsarem.* Act. 15.

3. Ex Clem. Alexand. *Hanc autem confessionem* operum *sequitur etiam singularis* confessio fidei, *quæ fit apud potestates, si opus fuerit, & ratio impulerit.* Clemens Alexand. lib. 4. Stromatum cap. 5. ergo hæc confessio fidei debet fieri prudenter.

3. *Rat.* Tunc solum actus alicujus virtutis est de præcepto, quando prudenter judicatur necessarius ad finem caritatis; quia finis præcepti est caritas: ergo, cum extra prædictos casus confessio fidei non conducat vel ad honorem Dei, vel ad salutem proximi, confessio fidei non erit de præcepto. Ratio est D. Th. 2. 2. q. 3. a. 2. ad 1.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. In persecutione contra Ecclesiam, Fideles non tenentur sponte sua se offerre Tyranno, ut coram ipso fidem confiteantur; quia Christus non jubet ut adeamus Tyrannum, sed ut ducti fidem profiteamur. *Tradent vos.... ad Reges ducemini*, inquit Christus. Matth. 10. v. 18. Qui enim sese offert *est audax & temerarius, & inconsulte se in manifesta pericula conjiciens.* Clem. Alex. ibid.

Consect. 2. Si aliquis specialiter quæratur, ejusque præsentia non sit necessaria ad confirmandos fideles, potest fugere. Ita jussit Christus, dicens: *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Sic Elias sese abscondit a furore Jezabel. 3. Reg. c. 19. Sic Christus infans fugit in Ægyptum. Matth. 2. v. 15. Et vir factus abscondit se a Judæis volentibus eum occidere. Jo. 12. v. 36. Idem præstiterunt Apostoli. Idem factum cernimus a sanctissimis viris, Athanasio, Basilio, Sylvestro, &c. de qua re Chrysost. ait serm. 151. *Fugiente Domino, fugere indignum non putet servus.* De eadem re sic loquitur Chrysol. serm. 151. *Martyr comprehensus debet tenere constantiam, non comprehensus debet fugere persecutionem; ut & persecutori indulgeat resipiscendi tempus, & sibi tempus non auferat supplicandi.*

Consect. 3. Si Tyrannus liberum religionis exercitium nolit permittere nisi accepta pecunia, poterunt fideles eam pecuniam pendere, modo secreto fidem non negent, ut faciebant olim quidam libellatici; licet enim se argento ab injusta vexatione redimere. Id videtur docere Salomon Prov. 23. v. 8. *Redemptio animæ viri, divitiæ suæ.*

Consect. 4. Peregrinando apud infideles possumus prudenter non prodere fidem: possumus uti rebus, vestibus, & signis nationi propriis, (modo non sint signa, & tessera professionis infidelitatis) id enim fecerunt Joseph & Daniel viventes inter infideles. *Penes nos quoque fideles*, inquit Tertullianus, *si necesse fuerit, poterit puerilis prætexta concedi, & puerilis stola; nativitatis insignia, non potestatis; generis, non honoris; ordinis, non superstitionis.* De idololatria cap. 18.

CAPUT IV.

De actibus fidei contrariis.

PRop. Peccant graviter quicumque eliciunt actus fidei contrarios: v. g. qui fidem negant, qui fidem impugnant, qui fidei propositæ dissentiunt, & qui eisdem peccatis se exponunt.

Prob. Scriptura. De negatione fidei sic loquitur Matth. cap. 10. v. 33. *Qui autem negaverit me coram hominibus, & ego negabo eum coram Patre meo.*

De impugnatione fidei sic loquitur Paulus ad Rom. 2. v. 8. *Iis autem, qui sunt ex contentione, & non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio.*

De dissensu fidei sic loquitur Joan. 3. v. 18. *Qui non credit jam judicatus est.* De periculo exponendi se peccato sic loquitur Sapiens: *Qui amat periculum, peribit in illo.*

2. Ex D. Th. *Sicut præcepta negativa legis probibent actus peccatorum, ita præcepta affirmativa inducunt ad actus virtutum.* 2. 2. q. 33. a. 2. in corp. Ergo sicut fides præcipit actus fidei, ita prohibet actus fidei contrarios.

3. *Rat.* Negare fidem, impugnare fidem, dissentiri fidei, exponere se periculo perdendi fidem, sunt actus contrarii virtuti Theologicæ: ergo sunt peccata ex suo genere mortalia.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant mortaliter qui interrogati vel privatim, vel publice, verbis, vel nutibus suam negant religionem, ut se e ma-

manibus tyrannorum eripiant; de quibus sic Aug. serm. 179. *Quid prodest corde credidisse ad justitiam, si os dubitat proferre id quod corde conceptum est? Intus fidem Deus videt, sed parum .... Ægrote quomodo sanaberis, qui de medicamento tuo erubescis?* Ita Augustinus citatus a Natali Alexand. de Decalogo Reg. 15.

Consect. 2. Peccant pariter gravissime qui interrogati vel privatim, vel publice, verbis, vel nutibus, vel factis falsam religionem simulant, quamvis interius veram religionem se retinere & retenturos proponant; etenim simulatio falsæ religionis est quædam negatio veræ fidei, & mendacium perniciosum, quo honor Deo debitus violatur, & infertur scandalum proximo; ideo damnati sunt Helcesæitæ & Libellatici, qui putabant licitum esse simulare falsam religionem, ut effugerent tyrannorum persecutionem. Confessionis fidei exemplum habemus egregium in Eleazaro, qui mori maluit, quam aliquid contra Judaicam religionem simulare. *Non enim*, inquit, *ætati nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem decipiantur, & per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram. Nam et si in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam*. 2. Machab. cap. 6. v. 14.

Consect. 3. Peccant gravissime qui nec privatim nec publice interrogati, ut cautius veram religionem occultent, utuntur ceremoniis & ritibus falsæ religionis: v. g. ritibus Paganorum apud Paganos, Judæorum apud Judæos, Mahumetanorum apud Mahumetanos: vestiuntur indumentis destinatis ad profitendam falsam religionem, v. g. vestibus Sacerdotalibus, vestibus in quibus depingitur aut idolum quod adorandum proponitur, aut aliquid aliud ad religionem pertinens; quia usus ille exterior rituum falsæ religionis, quamvis vera religio interius retineatur, non potest in dictis circumstantiis non haberi tamquam falsæ religionis protestatio, & veri Numinis negatio. Ideo Sedes Apostolica an. 1643. proscripsit praxim quorumdam apud Sinas Missionariorum, qui contendebant licere Christianis adorationem idolis exhibere, modo adorantis intentio dirigeretur ad verum Deum depictum in imagine, quæ vel sub adorantis vestibus, vel in altari prope idolum latitat. Simile quid vituperat Dominus in Assiriis Samariam missis, qui *cum colerent Dominum, diis quoque suis serviebant juxta consuetudinem gentium*. 4. Reg. cap. 17. v. 33. Illud idem reprobat Paulus 2. ad Corinth. 6. v. 15. his verbis: *Quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum Idolis?*

Consect. 4. Non excusantur penitus a peccato qui degentes apud infideles, veriti ne interrogentur de religione, semper omittunt solita Catholicæ religionis indicia: v. g. diebus jejunii non jejunant, diebus Veneris & Sabbati manducant carnes, ut non dignoscantur tamquam Catholici, quamvis interius in corde veram religionem retineant; quia omissio illa est perpetua veræ religionis occultatio, & quasi falsæ religionis professio. Vide dicta de Lege.

Consect. 5. Gravis peccati rei sunt qui oppugnant id, quod universa tenet Ecclesia, sive per praxim omnium fidelium, sive per Concilium generale, sive per summum Pontificem mentem suam aperiat. 1. Quia universa Ecclesia est infallibilis in rebus pertinentibus ad fidem & bonos mores; est enim sponsa Christi per fidem, sicut scriptum est: *Desponsabo te mihi in fide*. Christum habet semper præsentem. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Matthæi ult. v. 20. Habet Spiritum Sanctum docentem omnem veritatem, juxta illud: *Ille docebit vos omnem veritatem*. Jo. 16. v. 13. ideo dicitur a Christo, Matt. 18. v. 27. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*.

Tales sunt 1. Hæretici, qui fidei Ecclesiæ pertinaciter contradicunt.

2. Schismatici, qui se ab universali Ecclesia per inobedientiam separant.

3. Apostatæ, qui a statu fidei temerarie recedunt.

Consect. 6. Peccant gravissime homines illi pervicaces & opiniosi, qui fidem Christianam sufficienter propositam non admittunt: quique eam, quam a Deo per Prophetas, per Christum, per Apostolos edocti sumus religionem, morosius quam par est ad examen revocant, huicque parere renuunt. Injuria quidem; quid enim abrogatur fides huic religioni, quam tot miracula comprobant, tot sæculorum consensus firmat, tot Prophetarum oracula demonstrant, tot Martyrum sanguis obsignat, quam tot eruditorum hominum scripta ita certam & indubitatam efficiunt, ut plusquam satis superque examinata habenda sit? quæque demum prædicata *non in humanæ sapientiæ verbis, sed in simplicitate sermonis*, in mundo suscepta est, invita Imperator. authoritate, contradicente Philosophor. sapientia, sæviente dæmonum invidia, & repugnante singulorum hominum natura; quæ tam obscura mi-

mysteria, ut crederet, tótque virtutes primo aspectu ab humanis studiis ita alienas exercéret, aut tam insperatam salutem expectaret, citra miraculum adduci non poterat. Ergo inexcusabiles omnino qui fidem Christianam sufficienter propositam non admittunt.

Hi ad tres classes reducuntur a D. Thom. 2.2. q.1. a.5. Prima classis est eorum, qui renituntur fidei nondum susceptæ: & talis est infidelitas Paganorum, sive Gentilium.

Secunda est eorum, qui renituntur fidei Christianæ susceptæ in figura: & talis est infidelitas Judæorum.

Tertia est eorum, qui renituntur fidei susceptæ non solum in figura, sed in ipsa manifestatione veritatis, qualis haberi potest in terris: & talis est infidelitas hæreticorum, ac proinde in statu damnationis sunt isti omnes, quos hic subjicio.

Atheus qui negat Deum existere. Deista qui negat Deum esse trinum. Politheista qui negat Deum esse unum. Arrianus qui negat Verbum esse Patri consubstantialem. Sabellianus qui negat Personas divinas esse inter se distinctas. Demum quicumque hæreticus, qui sufficienter de doctrina Christi instructus, negat pertinaciter aliquid eorum, quæ ut credenda sancta & universalis proponit Ecclesia. Quod peccatum infidelitatis quam gravissimum sit, accipe his verbis Apost. ad Tim. 1. c. 6. v. 3. *Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini Nostri Jesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum.* Et D. Th. 2.2. q. 10. a. 3. *Tanto aliquod peccatum est gravius, quanto per ipsum homo magis a Deo separatur; per infidelitatem autem maxime homo a Deo elongatur, qui non veram Dei cognitionem habet, sed falsam; per falsam autem cognitionem ipsius non appropinquat Deo, sed magis elongatur.*

Consect. 7. Peccati lethalis reatum incurrunt etiam quicumq; exponunt se aperto periculo imbibendi errores fidei contrarios vel conversando cum infidelibus, vel cum eis disputando, vel eorum libros legendo & retinendo, vel eorum templa adeundo. Sic

1. Peccant non quidem firmi, sed infirmi, qui sine necessitate & cum probabili subversionis periculo civile etiam commercium habent cum infidelibus: de quibus ita loquitur D. Thom. *Si aliqui fuerint firmi in fide, ita quod ex communione eorum cum infidelibus conversio infidelium magis sperari possit, quam fidelium a fide aversio, non sunt prohibendi infidelibus communicare, qui fidem non susceperunt, scilicet, Paganis vel Judæis, & maxime si necessitas urgeat: si autem sint simplices, & infirmi in fide, de quorum subversione probabiliter timeri possit, prohibendi sunt ab infidelium communione, & præcipue, ne magnam familiaritatem cum illis habeant, vel absque necessitate eis communicent.* 2.2. q. 10. art. 9. de quo nos ita præmonet Paulus: *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit.* 1. ad Corinth. 5. v. 6.

2. Peccant non quidem docti, qui disputant cum infidelibus zelo defendendæ veritatis, sed indocti, qui vel indiscreto zelo, vel dubii in fide, disputationem cum eis ineunt; quia se exponunt periculo subversionis: de quibus sic loquitur D.Th. 2.2. q. 10. a. 7. *Ex parte disputantis consideranda est intentio; si enim disputet tamquam de fide dubitans, & veritatem fidei pro certo non supponens, sed argumentis experiri intendens, procul dubio peccat tamquam dubius in fide, & infidelis: si autem disputat aliquis de fide ad confutandum errores, vel etiam ad exercitium, laudabile est.* Quod ita debet intelligi, modo absit omne periculum subversionis.

3. Peccant qui libros hæretica dogmata continentes retinent, legunt absque Superiorum licentia: immo qui retinent, legunt cum licentia Superioris, si advertant ex illorum lectione sibi imminere periculum subversionis; quia exponunt se periculo infidelitatis: ideo utrique tenentur illos libros Superioribus dare, aut comburrere ex consilio prudentis viri, qui de illa librorum utilitate, aut inutilitate judicabit; uti factum legimus a primis fidelibus. *Multi ex his qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros & combusserunt coram omnibus.* Act. 19. v. 19. Eaque fuit constans Ecclesiæ praxis, ut libros perniciosos igni addixerit.

Sic jussu Concil. Gener. 5. Coll. 8. combusti sunt libri hæreticorum. *Ambulabitis*, inquiunt Patres alloquentes hæreticorum scripta, *in lumine ignis vestri, & per flammam quam accenditis.* Et in Concilio Romæ habito, ut refert Anastasius S.R.E. Bibliothecarius in Adriano II. *Liber Fotii in ignem conjectus est; & cum forte focus inundatione pluviæ naturaliter debuisset extingui, ad pluviam quasi ad guttas olei flamma convaluit.... Et miraculi stupor omnium corda resolvit.* Combustos pariter fuisse jussu Ecclesiæ libros Berengarii docet Lanfrancus, lib. *de corpore & sanguine Christi.* Similem experta sunt sententiam, D. Bernardo procurante, Abaillardi scripta, ut docet Gaufredus in vita Bern. lib. 3. c. 5. *Apostolicus præsul,* inquit, *scripta incendio, scriptorem silentio* condemnavit. Constantinus Imperator Porphirii & Arrii libros comburendos

jussit

jussit; Theodosius vero & Valentinianus Nestorii libros voluerunt sollicite inquiri, & publice cremari. Denique hanc habes legem contra impios libros, Novella 42. tit. 21. *Amputatio manus, qui hæc scripserint, pœna erit.* Videant ergo qui libros prohibitos nihil verentur aut retinere, aut legere, quanta cum cautione Ecclesia mala hinc nascentia præcavere voluit & impedire: & observent quod jussit Tridentinum statutis circa hoc decem regulis. Has consule. Hæ regulæ eo tendunt, ut libri prohibiti non legantur nisi ab his qui licentiam habuerint, & hi libri prohibiti censeantur qui sunt vel contra fidem, vel contra bonos mores, quique vel a Concilio, vel a Papa, vel ab Ordinariis damnati sunt.

4. A fortiori peccant quicumque habent nedum civile, sed etiam religiosum commercium cum infidelibus & hæreticis; quia rem natura sua malam faciunt. Tales sunt qui adeunt templa infidelium, v.g. Paganorum, Judæorum, Mahumetanorum, eorumque ritibus initiantur, *quæ enim societas lucis ad tenebras, quæ autem conventio Christi ad Belial?* 2. ad Cor. c. 6. v. 14. Tales sunt qui adeunt templa hæreticorum eorumque ritibus intersunt; v.g. recipiunt baptisma a Calvinistis, aut Lutheranis, vel cœnam cum ipsis celebrant.

CAPUT V.

De Hæresi, Schismate, & Apostasia.

NOta 1. Hæreticus ab hæresi, idest electione, dictus, est ille, qui sibi eligit doctrinam singularem a sensu Catholicæ Ecclesiæ alienam, eamque pertinaciter defendit. Cap. hæresis 24. q. 3.

Nota 2. Schisma est baptizati discessio ab unitate Ecclesiæ, retenta Christianæ fidei professione, rejecta vero unitate disciplinæ: ita Dominus de Marca de Concordia Sacerdotii & Imperii lib. 4. c. 8.

Nota 3. Apostasia generatim est recessus ab aliquo statu sancto. Apostasia est triplex: a Fide, a Monachatu, ab Ordine.

Apostasia a Fide est cum fides Christiana deseritur, & hæc apostasia subjicitur iidem pœnis quibus hæresis.

Apostasia a Monachatu est cum status religiosus deseritur; & subjicitur excommunicationi ob habitus dimissionem.

Apostasia ab Ordine est cum Ordo sacer deseritur, & fit reditus ad statum sæcularem. Sed quia circa talem materiam sæpius erratur ex zelo, qui non est secundum scientiam, multi reputantur hæretici aut schismatici, qui tamen nec schismatici sunt, nec hæretici; ideo hæc materia paulo fusius agitanda est.

§. I.

De his quæ requiruntur, ut quis possit dici hæreticus.

Nota. Certum esse ex Scriptura multos vocari hæreticos, qui tamen veri sunt Catholici. Nam Paulus factus Christianus, tamquam hæreticus accusabatur a Judæis, ut constat ex Actis c. 24. v. 14. *Confiteor autem hoc tibi, quod secundum sectam, quam dicunt hæresim, sic deservio Patri, & Deo meo, credens omnibus quæ in lege & Prophetis scripta sunt* Ideo operæ pretium est hic statuere quæ requirantur, ut quis dicatur hæreticus. Duo ad illud crimen incurrendum requiruntur. 1. Pertinacia ex parte personæ. 2. Contrarietas ad fidem ex parte opinionis, quæ propugnatur. Quorum si alterum desit non erit hæresis. Ideo sit

1. *Prop.* Ut aliquis dicatur hæreticus, requiritur ex parte personæ, quod sit pertinax in tuenda sententia, quæ fidei contradicit.

Prob. 1. Ex Script. *Hæreticum hominem post unam & secundam correctionem devita, sciens quia subversus est qui hujusmodi est.* ad Tit. 3. v. 10. Ergo supponit Paulus requiri pertinaciam, ut quis pro hæretico habeatur, cum non nisi post unam aut alteram correctionem vitandum præcipiat.

1. Ex Aug. *Qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia suæ præsumptionis perceperunt, sed a seductis & in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.* Habetur in decreto 24. q. 3. c. *Dixit Apost.* Idem docet D. Th. 2. 2 q 11. a. 2.

3. *Rat.* Hæreticus venit a voce Græca hæresi, quæ idem sonat ac electio cum pertinacia propugnata: Ergo ad hoc, ut quis dicatur hæreticus, debet esse pertinax.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Attente distinguendum est inter personam & scripta: nam persona potest esse hæretica, & scripta Catholica: item scripta possunt esse hæretica, & persona Catholica. Persona erit Catholica, si se humiliter Ecclesiæ subjiciat. Scripta erunt Catholica si nihil contra communem Ecclesiæ sensum contineant.

Sic persona Origenis Catholica habetur a pluribus auctoribus, quamvis multa ejus scripta sint erronea: persona est Catholica,

quia humiliter censuit obediendum esse revelationi; scripta vero sunt erronea, quia multos errores continent vel ex errore Origenis, vel ex malitia hæreticorum.

Sic persona Tertulliani est hæretica, & multa ejus scripta catholica: persona est hæretica, quia pertinaciter Ecclesiæ restitit lapsus in Montanismum; scripta vero ejus quam plura sunt catholica, quia multa solide scripsit antequam laberetur in hæresim.

Consect. 2. Non statim habendus est ut hæreticus auctor aliquis, eo quod hæreseos accusetur, sed prius attente examinandum est, an dogmata fidei contraria pertinaciter docuerit: hoc est enim insignium virorum fatum quod hæreseos accusentur, ut illorum persona, vel illorum libri, etsi Ecclesiæ utiles, contemnantur. Sic olim Meletius accusatus est ut Sabellianus ab Arrianis. Sic sanctus Basilius accusatus est quasi Triteita, eo quod tres hypostases admitteret. Sic sanctus Hieronymus accusatus est damnare matrimonium, eo quod cælibatum matrimonio præferret. Sic Augustino impositum est, quod negaret libertatem, eo quod admitteret gratiam: vel quod damnaret nuptias, eo quod admitteret transfusionem peccati originalis.

Monitum observandum hic. Qui falso accusantur hæreseos, debent statim totis viribus eniti, ut calumniam illam a se depellant; quia quilibet debet habere curam suæ famæ: *curam habe de bono nomine*. Deinde hæreseos infamatus fit inutilis Ecclesiæ. Idem docet Hieron. *Nolo in suscipione hæresees quemquam esse patientem, ne apud eos, qui ignorant innocentiam ejus, dissimulatio conscientiæ judicetur, si taceat; licet superfluum sit ejus præsentiam quærere & extorquere silentium cujus apud te litteras teneas*. Epist. alias 61. nunc 38. ad Pamachium.

2. *Prop.* Ut aliquis dicatur hæreticus, requiritur ex parte objecti, quod veritatem fidei pertinaciter impugnet. Sed illud omne & solum est de fide divina, quod est & divinitus revelatum, & universali Ecclesiæ consensu propositum fidelibus, ut credatur.

Prob. 1. Script. Revelatio divina requiritur, juxta illud Pauli: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, sive Dei, ad Rom. 10. v. 17. Res revelata debet nobis per Ecclesiam proponi, quia Ecclesia est custos divinæ revelationis, a qua debemus eam accipere; juxta illud Pauli 1. ad Tim. c. 3. v. 15. Ecclesia Dei vivi *est columna* fidei *& firmamentum veritatis*, & Magistra a qua debemus eamdem revelationem addiscere; juxta illud Christi, Matth. 18. v. 17. *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*.

2. Ex Aug. cont. Epist. fund. 5. ubi dicit: *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas*. Ergo Aug. supponit quod ad fidem duo requirantur, Evangelium scilicet, & Ecclesiæ auctoritas, id est, divina revelatio ab Ecclesia proposita.

3. *Rat.* Fides debet esse infallibilis, cum sit nobis regula & agendorum, & credendorum: Ergo debet resolvi in solam auctoritatem divinam, quia solus Deus est infallibilis. Eadem fides debet nobis opportuno aliquo medio communicari, alias Deus non sufficienter nobis provideret: Ergo debet hominibus sensibilibus proponi per Ecclesiam sensibilem; & ita, ut aliquid sit de fide, debet esse & divinitus revelatum, & nobis per Ecclesiam propositum: ideo ait Cyrillus in suis Catechesibus, Cath. 5. *Custodi fidem a sola Ecclesia tibi nunc traditam & ex omni Scriptura munitam*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Nihil potest esse de fide, nisi contineatur vel in Scriptura, vel in traditione: quia sola Scriptura, sola traditio divina, sunt medium continens divinam revelationem. Et ita quæ continentur in Symbolo Apostolorum, in Canonibus Conciliorum, in operibus Sanctorum Patrum, non sunt de fide, nisi quatenus vel continent vel explicant divinam revelationem in Scriptura & traditione præcontentam.

Consect. 2. Nullæ privatæ revelationes, etiamsi divinitus factæ, sunt de fide; quia etsi sint infallibiles. cum supponantur procedere a Deo; non sunt tamen de fide, quia non proponuntur nobis per Ecclesiam.

Cons. 3. Nulla veritas illata ex Scriptura & traditione est de fide, si consideretur quatenus illata; quia fides est ex auditu per verbum Christi, & non ex illatione ex verbo Christi.

Consect. 4. Nulla Decretalis veniens a Summo Pontifice, sive in corpore juris Canonici contineatur; sive extra corpus juris Canonici habeatur, est de fide, nisi aliunde accedat totius Ecclesiæ consensus; quia etsi Romanus Pontifex sit caput Ecclesiæ, Christi Vicarius; & humiliter audiendus cum res pertinentes ad religionem explicat, non est tamen universalis Ecclesia. Certum quippe est de fide, Ecclesiam universalem esse infallibilem; sed non est expresse definitum, Romanum Pontificem esse infallibilem.

Consect. 5. Nullum Concilium Diœcesanum, nullum Provinciale, nullum Concilium

lium Nationale, nisi aliunde accedat totius Ecclesiæ consensus, *est de fide*; quia particulare Concilium, non universalem, sed particularem solum Ecclesiam repræsentat.

Consect. 6. Concilium universale legitime congregatum & habitum, *est de fide* in suis decisionibus; motiva vero & rationes & argumenta, quibus firmat suos Canones, non sunt de fide; quia Ecclesiæ creditur docenti & definienti, & non argumentanti: ea tamen ratiocinia non sunt spernenda, sed censenda sunt longe efficaciora quam ratiocinia cujuscumque privati Doctoris.

Consect. 7. Quæ *directe & per se* sunt posita in Canonibus Conciliorum universalium, explicando divinam revelationem, sunt de fide: minime vero quæ sunt apposita *vel incidenter, vel per modum clausulæ*. Sic certum de fide, non idololatricum esse usum Ecclesiæ, *pingendi Angelos*, ut habetur in Nicæno II. act. 5. Sed ratio quæ hic affertur, scilicet, depingi posse, *quia sunt corporei*, non est de fide, sed potius falsa, cum Angeli sint spirituales.

Sic certum est in Ecclesia Romana, veram esse de baptismo Doctrinam, ut dicitur in Trid. sess. 7. Can. 3. Sed clausula illa, *quæ omnium Ecclesiarum est mater & magistra*, est quidem vera, sed non est de fide ex vi illius Canonis, quia ibi incidenter tantum est inserta.

Consect. 8. Nihil est de fide in Canonibus Conciliorum universalium, ex vi decisionis, nisi quæ in sensu obvio exprimunt; quæ vero reticent, & Theologis disputanda relinquunt, non sunt de fide.

Sic certum de fide, ex Trid. hominem justificari *per justitiam inhærentem*; quia hoc dicit expresse sess. 6. cap. 11. Incertum, an forma iustificans sit qualitas, sit habitus; quia circa hoc nihil decernit Concilium Trid.

Sic certum de fide, Corpus Christi esse *vere realiter substantialiter*, sess. 13. Can. 1. in Eucharistia. Incertum, an sedens, an jacens; quia de hoc reticet Concilium Trid.

Sic certum est, animas fidelium juvari in Purgatorio per nostra suffragia. Sed incertum, an ignis purgatorii sit verus, proprius, & ejusdem speciei cum nostro; quia circa hoc silet Concilium.

Sic certum est, pium & utile esse Sanctos cum Christo regnantes invocare; quia hoc dicit Concilium. Sed incertum, an nostras preces audiant, vel eædem preces eis vel a Deo revelentur, vel ab Angelis deferantur; quia circa hoc reticet Concilium Trident.

Sic certum est, imagines Sanctorum esse venerandas, quia hoc dicit Concilium, non utique cultu qui Deo debetur, sed inferiori. Sed an cultus ille veneratio solum dici debeat, & *adoratio* dici nequeat, res est Theologis discutienda.

Sic certum est, reliquias Sanctorum esse venerandas; quia hoc statuit Concilium. Incertum vero, an reliquiæ in hac Ecclesia conservatæ, sint reliquiæ alicujus Sancti, an sint reliquiæ illius Sancti, vel alterius; nam circa hoc omnino silet Concilium, utpote factum mere historicum, nequaquam divinitus revelatum.

Consect. 9. Non habendum est ut de fide quod in una schola tenetur, alia schola docente contrarium, si Ecclesia sciens neutram partem prohibeat; quia hæc omnia inter opiniones Theologicas sunt reponenda.

Sic de fide non sunt quæ docentur a Thomistis contradicentibus Scotistis, nec ea quæ docentur a Scotistis, Thomistis contradicentibus.

§. II.

Quæ requirantur, ut aliquis possit dici schismaticus.

Certum est ex Script. Schisma generaliter nihil aliud esse, quam dissensionem vel in fide, vel in disciplina. Ait enim Paulus 1. ad Corinth. v. 10. *Obsecro vos ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*: &c. 11. v. 18. *Audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo: nam oportet hæreses esse*. Ideo quid requiratur, ut schisma incurratur, hic determinandum est.

Prop. 1. Ut aliquis dicatur schismaticus, requiritur ex parte personæ, non solum quod dissentiat vel in fide, vel in disciplina a fidelibus, sed etiam quod per rebellionem authoritatem Ecclesiæ respuat.

Prob. 1. Authoritate Pauli dicentis, hæreticum & schismaticum non esse vitandum, nisi postquam frequentes admonitiones respuit.

2. Ex Cypr. Epis. 69. *Inde enim schismata & hæreses obortæ sunt & oriuntur, dum Episcopus qui unus est, & Ecclesiæ præest, superba quorumdam præsumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus indignus ab hominibus judicatur.*

3. Ex D. Th. 2. 2. q. 39. a. 1. ad 2. *Dicendum, quod non obedire præceptis, cum quadam rebellione constituit schismatis rationem .... Dico autem cum rebellione, cum & pertinaciter Ecclesiæ præcepta contemnit, & judicium ejus subire recusat. Hoc autem non facit quilibet peccator*; *unde non omne peccatum est schisma.*

4. *Rat.* Schisma venit a voce græca *schiso*, quæ

quæ idem sonat ac violenter lacero: Ergo ut aliquis dicatur schismaticus debet violenter & cum rebellione unitatem Ecclesiæ scindere, & Christi tunicam inconsutilem non sortiri, sed scindere, ut ait Cyp. lib. de unitate Ecclesiæ.

Consectarium hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Attente distinguendum est inter Scripta & Personam. Nec statim habendus est ut schismaticus, qui de schismate accusatur. Eadem cautio adhibenda est ubi de schismate agitur, quam adhibendam voluimus de hæresi.

Consect. 2. Non omnes fideles, qui diverse circa fidem, aut mores, aut disciplinam sentiunt, aut scribunt, sunt schismatici; sed hi solum, qui diversa sentientes, Ecclesiæ authoritati renuunt se subjicere.

Sic qui ante Ecclesiæ Decretum observabant Pascha die decima quarta Lunæ Martii, more ab Ecclesia Romana diverso, non erant schismatici; quia, ut Irenæus ait Epist. ad Victorem, teste Euseb. lib. 5. Histor. Eccles. c. 24. hoc fiebat sine rebellione contra Ecclesiam.

Sic qui ante universalis Ecclesiæ determinationem baptizabant omnes ab hæreticis jam baptizatos contra consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, non erant schismatici; quia in his nullus erat rebellionis animus, sed sincera erga Ecclesiam subjectio. Unde licet Cyprianus & Stephanus diversa circa hanc quæstionem sentirent, neuter erat schismaticus, teste Aug. lib. 5. contra Donatistas cap. 25. *Sic tamen*, ait, *vicit pax Christi in cordibus eorum, ut nullum inter eos malum schismatis oriretur*.

Sic omnes Catholici scriptores, licet diversa aut sentiant, aut scribant in quæstionibus nondum ab Ecclesia determinatis, non censendi sunt schismatici; modo scripta Ecclesiæ judicio subjiciant.

Consect. 3. Omnes baptizati, qui contra universalem Ecclesiæ determinationem cum pertinaci rebellione vel sentiunt, vel scribunt, sunt schismatici; quia Ecclesiæ unitatem scindunt.

Prop. 2. Ut aliquis dicatur schismaticus, sufficit quod in rebus pertinentibus ad disciplinam ab Ecclesia pertinaciter dissentiat; & schisma illud in hæresim degenerat, si fidei dogmata impugnentur.

Prob. 1. Ex Hieronymo in Commentariis ad cap. 3. Epist. ad Titum: *Inter hæresim & schisma, hoc interesse arbitramur, quod hæresis perversum dogma habeat, schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet. Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest diversum. Cæterum nullum schisma non sibi aliquam confingit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur*. Et Aug. docet lib. 2. c. 7. contra Cresconium: *Inveteratum schisma esse ipsammet hæresim*. Ideo Basilius Epist. ad Amphilochium, Manichæos, Valentinos, Marcionistas, & Peputianos inter hæreticos recenset; quia de ipsa in Deum fide controversiam movent, & a cæteris Christianis dissentiunt: Novatianos autem sive Catharos schismaticis ascribit; quia de *disciplina* tantum cum Ecclesia contendebant, nempe, an lapsi ad pœnitentiæ beneficium admittendi essent.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Schismaticus est schismate universali qui se ab Ecclesia in capite & in membris separat. *Schismatici dicuntur qui subesse renuunt summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant*. 2. 2. q. 39. a. 10. Quod debet intelligi in rebus pertinentibus ad religionem, minime in his, quæ pertinent ad regnum temporale.

Sic Græci, & demum omnes, qui negant Romanum Episcopum esse summum Pontificem, eique parere recusant in his, quæ spectant religionem, sunt schismatici.

2. Schismaticus est schismate particulari qui se ab Ecclesia sua, suoque Episcopo separat, & cum Fidelibus suæ Parochiæ vel Diœceseos communicare recusat in his, quæ spectant religionem; ait enim Ignatius Epist. 7. ad Smyrnenses, Fideles omnes debere Episcopo tamquam Domino esse subjectos. Omnes, ait, Episcopum sequimini, ut Christus Patrem.

Sic schismatici sunt Laici, qui se separant a suo Paroco. Item Parochi, qui se separant a suo Episcopo, & Episcopi, qui se separant ab aliis Episcopis & a Papa.

3. Schismaticus est schismate manifesto exteriori & completo qui non venit in conventum Fidelium, & peculiarem facit ipsemet congregationem diversam a congregatione vel suæ Parochiæ, vel suæ Diœceseos. Ita Ignatius Epist. ad Ephesios: qui igitur in Conventum non venit, hic jam superbia elatus est, & se ipsum separavit; scriptum est enim; Superbis autem Deus resistit. Studeamus igitur Episcopo non resistere, ut simus subjecti Deo.

Sic schisma externum moliuntur qui contradicente Parocho, Episcopo dissentiente, Papa non approbante, Confraternitates erigunt, ut populum a Parochia avertant.

TRA-

TRACTATUS SEXTUS.

De Spe.

CAPUT I.

Explicatur natura spei, simulque variæ traduntur notiones ad intelligentiam hujus Tractatus necessariæ.

SPes naturalis est *efficax desiderium boni absentis ardui & possibilis, cum fiducia illius assequendi.*

Spes Theologica *est donum Dei, quo Deum, & ea quæ ducunt ad Deum, nobis, seu propter nos diligimus*: vel spes *est virtus divinitus infusa, per quam certa cum fiducia nostræ salutis & æternæ vitæ bona expectantur.*

Duplex est præceptum spei: aliud *affirmativum*, aliud *negativum*.

Præceptum affirmativum spei est, *in Deo ejusque bonis confidere & sperare*. Sperare autem est boni ardui obtinendi fiduciam habere. Fiducia autem est *promptitudo voluntatis orta ex persuasione assequendi bona.*

Præceptum negativum spei est, *de Deo ejusque bonis non diffidere vel non desperare, in creatura non confidere, de se non præsumere:*

Desperatio est *boni ardui obtinendi diffidentiam habere*. Diffidentia autem est *animi desponsio orta ex impossibilitate assequendi boni, malive vitandi.*

Confidere in creatura est *niti auxilio creaturæ potiusquam Creatoris.*

Præsumere est *temere expectare salutem, & ea quæ ducunt ad salutem*, innitendo nimium viribus nostris, vel inordinate divinam misericordiam expectando.

Objectum spei est illud omne, quod attingit spes.

Objectum spei *primarium* est Deus, quatenus nos beatificans, & ut a nobis possidendus.

Objectum vero *secundarium* sunt media, quibus ducimur ad Deum.

Objectum formale spei, seu ratio, & motivum sperandi, *est auxilium divinæ potestatis*; quoties enim supernaturalia speramus, in divina virtute debemus confidere.

Spes alia est *actualis*, alia *habitualis*.

Spes habitualis *est habitus inclinans ad sperandum.*

Spes actualis *est actuale exercitium spei*. Actuale autem exercitium spei est aliquando actus elicitus, aliquando actus imperatus.

Actus *elicitus* spei est ille, *qui elicitur a solo habitu spei*. Talis est actus per quem speramus salutem, & ea quæ ducunt ad salutem.

Actus spei sunt, in Deo sperare & confidere, de Deo numquam desperare, in creatura non confidere, de se non præsumere.

Actus spei *imperatus* est ille, *qui fit a virtute diversa ab habitu spei*. Talis est actus, quo moti per spem exercemus virtutes morales.

CAPUT II.

De objecto spei, seu de rebus a quolibet fideli sperandis.

PRop. unica. Omnes & singuli fideles tenentur omnes & singulas orationis dominicæ petitiones scire, saltem quoad substantiam; & proinde bona, quæ his petitionibus continentur, petere, & sperare.

Prob. 1. Ex praxi Ecclesiæ, quæ, teste Aug. serm. 56. 57. 58. omnibus Catechumenis adultis tradebat orationem Dominicam una cum Symbolo Apostolorum. Quæ oratio post octo dies a competentibus recitabatur, ut Christiani ante baptismi receptionem nossent non solum quid credere, sed quid sperare deberent: ergo sicuti fideles tenentur credere ea, quæ sunt in Symbolo, ita & sperare quæ continentur in oratione Dominica

2. Ex Patribus. *Oratio Dominica est totius legis Evangelicæ compendium*; ita Cypr. de oratione Dom. *Est forma desideriorum; ita ut non liceat petere aliud, quam quod ibi scriptum est*: ita Aug. serm. 56. Ergo quilibet fidelis tenetur scire orationem Dominicam.

3. Ex Conciliis Provin. Concilium Remense an. 873. can. 11. *Nulli Christiano orationem Dominicam ignorare licet*. Ex Capitularibus cap. 170. libr 5. *Presbyteris providendum est, ut omnes, qui Christiano nomine censentur, orationem dominicam & Symbolum memoriter teneant & intelligant*. Ex Carolo Bor. in Actibus Eccles. Mediol. *Non licet absolvere ignorantes orationem Dominicam*. Ergo sicuti tenemur credere quæ sunt in Symbolo, ita & sperare quæ sunt in oratione Dominica.

4. *Rat.* Sicuti Symbolum Apostolorum est norma fidei, ita oratio Dominica est norma spei nostræ, ut docet Aug. Enchyrid. cap. 114. *Ea tantum ad spem pertinent, quæ in oratione Dominica continentur*. Ergo sicuti quilibet fidelis tenetur credere quæ sunt in Symbolo, quia est norma fidei; ita & petere & sperare quæ sunt in oratione Dominica, quia est norma spei nostræ.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Petenda & speranda sunt a Deo ea omnia quæ hic subjiciuntur.

Consect. 1. Omnia bona tum spiritualia, tum temporalia speranda sunt a solo Deo: est enim Deus is a quo bona cuncta procedunt, juxta illud: *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum*. Ep. Jac. c. 1. v. 17.

Consect. 2. Bona spiritualia, scilicet gratia & gloria, absolute & sine conditione & speranda, & petenda sunt a Deo; quia, ut ait D. Th. *Res sunt quibus male uti non possumus, & quæ malum eventum habere non possunt*; ideo absolute sunt petenda. Gloriam absolute petimus, his verbis. *Ostende nobis faciem tuam, & salvi erimus.* Gratiam pariter sine conditione petimus his verbis: *Deduc me in semitam mandatorum tuorum*. Psal. 118. v. 35.

Consect. 3. Bona temporalia, honores scilicet, divitiæ, sanitas corporalis, petenda sunt conditionate, scilicet, si ad gloriam Dei & ad salutem nostram conducant; quia, ut ait D.Th. sunt res quibus male uti possumus. *Pro hoc licet orare quod licet desiderare*, inquit idem Doctor; *temporalia autem licet desiderare, non quidem principaliter, ut in eis finem constituamus, sed sicut quædam adminicula, quibus adjuvamur ad tendendum ad beatitudinem; in quantum scilicet per ea vita corporalis sustentatur, & in quantum nobis organice deserviunt ad actus virtutum*. 2. 2. q. 83. a. 6.

Consect. 4. Demum determinate debemus & petere, & sperare quidquid in oratione Dominica continetur; in ea enim explicatur quidquid nos desiderare, petere, & sperare oporteat.

In omni quippe proposito tria spectare possumus: primo finem: secundo media ad finem: tertio remotionem impedimentorum, quæ nos ab intento fine possunt trahere. Hæc omnia ad salutem necessaria mira connexione conclusit Christus in oratione sua.

1. Ultimus finis est & gloria Dei in se, & gloria Dei nobis communicata. Petimus gloriam Dei in se, dum dicimus, *sanctificetur nomen tuum*. Petimus gloriam Dei nobis communicari, dum dicimus, *adveniat Regnum tuum*.

2. Media conducentia ad salutem sunt, observantia mandatorum, & gratia qua fit ut observemus mandata. Petimus observantiam divinæ Legis, dum dicimus, *fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*. Petimus gratiam, qua divinam Legem impleamus, dum dicimus, *panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: quippe sicuti per panem naturalem significamus quidquid ad vitam corporalem conducit, ita, optando panem spiritualem, optamus quidquid ad vitam supernaturalem spectat, scilicet Gratiam, Sacramenta &c.

3. Impedimenta salutis sunt peccata commissa, tentationes inclinantes ad peccandum, diabolus continuo nobis insidians. Petimus peccata commissa remitti, dum dicimus, *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. Petimus nos nullis tentationibus superari, his verbis, *& ne nos inducas in tentationem*. Petimus tandem a diabolo, ab inferno, a peccato liberari, dum dicimus, *sed libera nos a malo*.

CAPUT III.

De actibus spei.

PRop. *unica*. Spes habitualis non sufficit adulto ad salutem; sed tenemur aliquando vel per se, vel per accidens, elicere actum spei, confidentes in Deo, & de nobis diffidentes: per se quidem, quando obligatio oritur ex ipsa spe: per accidens, quando obligatio oritur ex alia virtute.

Prob. 1. Scriptura. *Spera in Domino & fac bonitatem*, Psal. 36. v. 3. *Perfecte sperate in eam quæ vobis offertur gratiam*, 1. Petr. v. 13. Quæ verba denotant operationem, & proinde actum spei esse necessarium, & solum habitum non sufficere ad salutem.

2. Ex Aug. *De fide quam multa mandata sunt, quam multa de spe*. Tract. 83. In Joan.

3. *Rat.* Homini ad finem supernaturalem destinato imponitur præceptum fidei, qua credat sibi esse promissam beatitudinem supernaturalem: ita & ei imponitur præceptum spei, qua in illam tendat beatitudinem: Ergo uti beatitudinem supernaturalem credere nequit, nisi per actum supernaturalem fidei: ita nec eam sperare, nisi per actum supernaturalem spei. Præcepta enim dantur de actibus, ut supra diximus ex D. Th. Rursus, spes est virtus Theologica: virtus autem est propter operationem: ergo spes non potest esse semper sterilis; sed debet in actum aliquem erumpere. Ideo Sancti, actus spei esse ad salutem necessarios, passim confitentur *Spe salvi facti sumus*. Ad Rom. 8. v. 24. *Confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam*. Ad Hebr. 7. v. 19. *Ut pie & juste vivamus in hoc sæculo expectantes beatam spem*. Ad Titum 2. v. 13. De impio vero non sperante dicitur, quod *nec speravit in Domino, propter quod interfecit eum*. Paralipom. 10. v. 14.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat qui assecutus usum rationis

tionis non elicit actum spei; tunc enim Deus ei proponitur ut finis ultimus, ut diximus supra ex D. Thom.

Consect. 2. Peccat quilibet homo sive baptizatus, sive non baptizatus, qui sufficienter instructus circa objectum spei, nimirum circa salutem & media ad salutem conducentia, ea aut parvi ducit, aut in his non sperat; tunc enim omissio actus spei est contemptus interpretativus nostræ beatitudinis.

Consect. 3. Peccat qui non elicit actum spei, cum urget gravis tentatio desperationis vel circa gratiam non dandam a Deo, vel circa beatitudinem numquam obtinendam, vel de falsa persuasione, quod sit de numero reproborum &c. quippe tunc tentatio debet vinci per actum oppositum; tunc enim has & similes preces debemus effundere: *In Domino sperans non infirmabor. Domine Deus meus in te speravi. Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino spem meam.*

Consect. 4. Peccat qui non elicit actum spei, quando urget gravis aliqua tentatio, licet non sit contra spem, cui ne consentiat evidens est periculum, nisi eliciatur actus spei ad illam superandam necessarius: non enim fas est rejicere medium ad vincendam tentationem necessarium; sed tunc oportet, ut ad spem prompte recurramus, sicut ad anchoram tutam, ac firmam, dicentes cum Davide: *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversum me prælium, id hoc ego sperabo.* Psal. 26. v. 3.

Consect. 5. Peccat qui non elicit actum spei, cum tenetur elicere actum virtutis, ad quam requiritur spes vel explicita, vel implicita; v. g. cum tenetur justificari, cum tenetur elicere actum contritionis, vel attritionis, orationis &c. quia ad hæc omnia prærequiritur spes vel formalis, vel virtualis, ut innuit Trid. sess. 6. c. 6 *In spem eriguntur fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt.* De hac dispositione scriptum est: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Heb. c. 11. v. 6. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Matth. 9. v. 2.

Consect. 6. Peccat adultus, qui non elicit actum spei, quoties vel ex necessitate, vel ex devotione recipit aliquod Sacramentum; quia sicuti accedentes ad Sacramenta, debemus credere gratiam conferri per Sacramenta; ita & eamdem gratiam sperare.

Consect. 8. Peccat qui non elicit actum spei in mortis articulo; quia tunc maxime urgent tentationes diaboli; & quia tunc præstat maxime Deo nos conjungi.

CAPUT IV.

De actibus spei contrariis.

PRop. unica. Peccant graviter quicumque eliciunt actus spei contrarios, desperando de Deo, præsumendo de se, & in creatura magis quam in Deo confidendo, & iisdem peccatis se exponendo.

Prob. 1. Scriptura. De diffidentia erga Deum sic loquitur Paulus: *Spiritus malus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ.* Eph. 2. v. 2. De præsumptione sic loquitur Sapiens proverb. 28. v. 26. *Qui confidit in corde suo, stultus est.* Et Paulus Galat. 6. v. 3. *Si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* De nimia fiducia in creatura sic loquitur, Aggæi 48. v. 7. *Pro eo enim quod habuisti fiduciam in munitionibus tuis, & in thesauris tuis, tu quoque capieris.*

2. *Rat.* Omnes prædicti actus repugnant virtuti Theologicæ, nimirum spei: ergo sunt peccata ex suo genere mortalia.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Desperant hi omnes, quos hic subjicio.

1. Qui comparantes supremam beatitudinem cum vilitate naturæ humanæ, non audent beatitudinem supernaturalem sperare: contra quos facit illud Scripturæ, Gen. c. 15. v. 1. *Ero merces tua magna nimis.* Si Deus hoc nobis promiserit, non est quod de tam fideli promissore diffidamus.

2. Qui attenta peccatorum multitudine non audent veniam peccatorum suorum sperare: contra quos faciunt verba illa Prophetæ Ezechiel. 33. v. 11. *Nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua & vivat: si autem impius egerit pœnitentiam ad omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam, vita vivet, & non morietur.* Ezechiel. 18. v. 21. Contra eosdem faciunt detestanda exempla Caini, Saulis, & Judæ Iscariotis, qui, juxta Patres, enormius peccarunt desperando, quam committendo peccata, ob quorum fœditatem lapsi sunt in desperationem. *Pro clementia Domini hoc dico,* inquit Hyeron. in Psal. 108. *quia magis ex hoc offendit Judas Dominum, quia se suspendit, quam quod Dominum prodidit.*

3. Qui animo despondentes, viam salutis

tis asperam reputantes, se in omni vitiorum cæno volutant: qui sic apud Jeremiam 18. v. 12. loquuntur: *Desperavimus, post cogitationes nostras ibimus, unusquisque juxta pravitatem cordis sui mali faciemus*; de quibus pariter sic loquitur Paulus: *Desperantes tradiderunt semetipsos impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis*. Eph. 4. v. 19.

4. Qui animo despondentes, vel viam salutis non audent ingredi, vel ingressi retro abeunt, desperantes se posse in Domino perseverare: contra quos sic loquitur Isai. c. 40. v. 31. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient*.

5. Qui diffidentes, ab oratione desistunt, eo quod differat Deus concedere quod postulant, contra quos facit exemplum Abrahæ: *Qui in spem contra spem credidit*: ad Rom. c. 4. v. 18. *& sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem*. Hebr. c. 6. v. 15. Contra eosdem facit exemplum Christi, qui adeo perseveranter orabat, ut pernoctaret in oratione; & morti proximus, in terram prostratus, *eumdem sermonem dicens*, oraverit.

6. Hi omnes, qui investigabilia prædestinationis arcana scrutari & penetrare tentant, & ejus immobilitate territi, omnem salutis spem abjiciunt: contra quos illud facit Eccl. 3. v. 22. *Altiora te ne quæsieris; & fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus; non est enim tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis*.

Consect. 2. De se præsumunt hi, quos hic subjicio.

1. Qui tendunt in aliquod bonum ut possibile per potentiam divinam, quod tamen non est possibile; *sicut cum aliquis sperat se veniam obtinere sine pœnitentia, & gloriam sine meritis. Hæc autem præsumptio*, juxta D. Th. 2. 2. q 21. a. 1. *est proprie species peccati in Spiritum Sanctum*. Contra hos facit illud Scripturæ: *Ne dicas, miseratio Domini magna, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; misericodia enim & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius*. Ecclesiast. 1. v. 6.

2. Qui volunt quidem converti, sed de die in diem differunt: contra quos facit illud Scripturæ: *Non tardes converti ad Dominum, ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te*. Ecclesiast. 15. v. 8.

3. Qui crimina sua non abjiciunt, & media ad gratiam consequendam, qualia sunt Sacramenta, & bona opera aspernantur: contra quos facit illud Pauli: *An divitias bonitatis ejus & patientiæ & longanimitatis contemnis?* ad Rom. 2. v. 4.

Consect. 2. In creatura magis quam in Deo confidunt hi, quos hic subjicio.

1. Qui confidunt in amicis, magis quam in Deo: contra quos est illud Jeremiæ 17. v. 5. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor ejus*; & Isai. 36. v. 6. *Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manus ejus, & perforabit eum: sic Pharao Rex Ægypti omnibus qui confidunt in eo*.

2. Qui confidunt in divitiis suis: contra quos sic loquitur Paulus 1. Tim. 6. v. 17. *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum; sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum*. Et Amos 6. v. 1. *Væ qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ*. Hoc vitium ita detestatur Job 31. v. 24. *Si putavi aurum robur meum, & obrizo dixi, fiducia mea. Si lætatus sum super multis divitiis meis, & quia plurima reperit manus mea*.

3. Qui studendo magis confidunt in propriis ingenii viribus, quam in Deo, *qui docet hominem scientiam*. Psal. 93. v. 10. Et quia *scientiarum est Dominus*. Psal. 93. v. 12. Quippe *beatus homo quem tu erudieris Domine, & de Lege tua docueris eum*; & rursus *narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua*. Psal. 118. v. 85.

4. Qui in negotio salutis superbe putant se aliquid posse sine gratia: contra quos est illud Christi: *Sine me nihil potestis facere*. Joan. 15. v. 5. Et David: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*. Psal. 126. v. 1.

Consect. 4. Qui hic subjiciuntur, exponunt se periculo vel desperandi de Deo, vel temere de se præsumendi, & confidendi magis in creaturis quam in Deo.

1. Qui magis inhærent terrenis quam cælestibus; qui ita comparati sunt ut desiderent perpetuo in hac vita degere; & cælo renuntiarent, si terrenis frui semper liceret: quos frequenter deceret in hanc Ecclesiæ orationem erumpere: *Fac, ut sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna... Da ut per mundanas varietates, ibi nostra fixa sint corda ubi vera sunt gaudia*.

2. Qui luxuriæ inhærent; proprium quippe est luxuriæ, animum a divinis avocare, & ad desperationem adigere; quia, ut ait D. Thom.

Th. 2. 2. q. 15. a. 5. in corp. *Dum aliquis nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat pervenire ad spirituales, sed fastidit.*

TRACTATUS SEPTIMUS.

De Caritate.

TRactatus iste, quoniam longiorem postulat explicationem, methodi causa in quatuor partes dividetur. *In prima* agetur de caritate generatim. *In secunda*, De caritate erga Deum. *In tertia*, De caritate erga nos. *In quarta*, De caritate ergo proximum.

PARS PRIMA.

De Caritate generatim.

CAPUT I.

Explicatur natura Caritatis, simulque traduntur notiones variæ ad intelligentiam hujus tractatus necessariæ.

CAritas juxta omnes nihil aliud est, quam amor seu dilectio; amor autem est boni volitio, & ita *amare est velle bonum*. Amor est triplex, complacentiæ, benevolentiæ, & concupiscentiæ.

Amor complacentiæ est volitio boni in se, quod per se & non alterius causa appetitur.

Amor concupiscentiæ est volitio boni in commodum amantis.

Amor benevolentiæ est volitio boni in commodum amati redamantis.

Caritas supernaturalis *est donum Dei, quo Deum tanquam ultimum finem diligimus, non propter nos, sed propter ipsum Deum:* vel caritas *est virtus divinitus infusa, qua Deus propter se diligitur, & creatura se ipsam & proximum diligit propter Deum.*

Deus est supremum ens, a quo omnia emanant.

Proximus est quævis persona intellectualis æternæ beatitudinis capax, vel particeps, & ita quilibet homo, quilibet Angelus, modo non sit actualiter damnatus, debet a nobis ut proximus haberi.

Præceptum caritatis est duplex: affirmativum, & negativum.

Præceptum caritatis, quatenus affirmativum, præcipit, ut diligamus Deum super omnia, seu tanquam ultimum finem: quia ultimus finis est omnibus præferendus: dilectio autem nostra erga Deum est actus, quo voluntas complacet sibi in summo bono quod habet Deus.

Præceptum caritatis erga Deum, quatenus negativum, prohibet, ne Deum aliquando odio habeamus.

Actus caritatis erga Deum, est dilectio Dei super omnia, per quem actum voluntas complacet sibi in summo bono, quod Deus possidet.

Actus caritati erga Deum oppositus, est odium Dei; odium autem Dei est actus, quo voluntas creata displicet sibi ob summum bonum, quod habet Deus.

Præceptum caritatis erga nos & proximum, quatenus affirmativum, præcipit, ut cum debito ordine diligamus & nos, & proximum in ordine ad Deum, id est, ut nobis & proximo velimus beatitudinem, & hoc propter Dei gloriam.

Præceptum caritatis erga nos & proximum, quatenus negativum, prohibet, ne neglecto ordine nos, vel proximum odio habeamus in ordine ad Deum, idest, ne a nobis vel a proximo beatitudinem amoveamus; & hoc propter gloriam Dei.

Objectum caritatis est illud omne quod caritas attingit.

Objectum primarium est Deus, secundarium nos ipsi & proximus.

Objectum formale, seu ratio & motivum diligendi Deum & creaturas, est essentialis & infinita Dei bonitas; quia per caritatem omnia diligimus propter Deum.

Caritas alia est actualis, alia habitualis.

Caritas actualis est actuale exercitium caritatis habitualis.

Caritas habitualis est habitus inclinans nos ad amandum Deum propter se; nos vero & proximum propter Deum.

Actuale exercitium caritatis est aliquando actus elicitus, aliquando actus imperatus.

Actus elicitus a caritate est actus ille, qui fit a sola caritate. Talis est actio, qua Deo, nobis, & proximo bonum volumus.

Actus imperatus est actus ille, qui fit a virtute distincta a caritate, sed ex imperio & motivo caritatis. Talis est actus fidei, spei, justitiæ, productus ex motivo caritatis.

CAPUT II.

De objecto Caritatis, seu de his quæ a nobis amore Caritatis diligenda sunt.

PRop. unica. Objectum caritatis his tribus continetur, Deo scilicet, nobis ipsis, & proximo, seu reliquis omnibus creaturis rationalibus, & beatitudinis capacibus.

Prob. 1. Script. *Diliges Dominum Deum tuum*

tuum ex toto corde tuo ... Proximum tuum tamquam te ipsum: Ergo non alia caritatis amore diligenda sunt quam Deus, nos ipsi, & proximus; *in his enim duobus præceptis*, ut ait Christus, *universa Lex pendet & Prophetæ*. Marc. 12. v. 30.

2. Ex Aug. lib. de Doct. Chrif. cap. 26. *Finis itaque præcepti est dilectio, & ea gemina, & Dei, & proximi. Quod si te totum intelligis, id est animam & corpus tuum, & proximum tuum, id est animam & corpus ejus, homo enim ex anima constat & corpore; nullum rerum diligendarum genus in his duobus præceptis prætermissum est*: Ergo triplex est objectum caritatis, scilicet Deus, nos ipsi, & proximus.

3. Ex Div. Thom. 2. 2. q. v. 5. a. 12. in corp. ubi post Aug. sic loquitur: *Quatuor sunt diligenda, unum quod est supra nos, nempe Deus; alterum quod nos sumus, nempe natura rationalis; tertium quod juxta nos est, nempe proximus; quartum quod infra nos est, nempe corpus nostrum, & corpus proximi.*

4. *Rat.* Ea tantum per caritatem diligenda sunt, *quæ nata sunt habere bonum vitæ æternæ*, ut loquitur D. Thom. 2. 2. q. 25. a. 3. ad 3. seu quibus competit beatitudo; caritas enim nihil aliud est quam amor summi boni, quatenus nobis & aliis communicari potest.

Atqui Deo tantum, nobis ipsis, & proximo competit beatitudo; Deo quidem, qui beatificat; nobis vero & proximo, qui beatitudinis capaces sumus: ergo Deus, nos ipsi, & proximus, tria hæc, & non alia, per caritatem amanda sunt.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Angeli sancti a nobis ex caritate diligendi sunt: primo enim beatitudine fruuntur & ad eorum societatem divina misericordia destinati sumus: deinde Angelos sanctos non minus esse proximum nostrum quam ipsi homines, docet Aug. cum juxta ejus doctrinam, proximi nomine non is tantum intelligendus sit, cui possumus exhibere officium misericordiæ, sed etiam ille, a quo misericordiæ officium recipere possumus, uti probat Aug. exemplo Samaritani lib. 1. de Doct. Chr. cap. 30. ubi deinde sic habet: *Jam vero si vel cui præbendum est, vel a quo nobis præbendum est officium misericordiæ, recte proximus dicitur, manifestum est hoc præcepto, quo jubemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri; a quibus tanta nobis misericordiæ impenduntur officia, quanta multis divinarum Scripturarum locis animadvertere facile est.*

Consect. 2. Non solum ex caritate diligenda est anima nostra & proximi, sed etiam corpus nostrum & proximi: corpus enim nostrum & proximi, sicut in hac vita in societatem venit meriti; ita & in societatem mercedis admittendum est in alia. Unde Aug. lib. 7. civ. Dei cap. 22. *Corpus*, inquit, *nostrum, quia quodammodo particeps est beatitudinis, potest dilectione caritatis amari*. Non diligimus autem corpus per caritatem ex eodem Aug. nisi quatenus ejus concupiscentiis resistimus, illudque facimus spiritui subjugatum: lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 34. ubi sic concludit: *Quia enim hoc erit post resurrectionem, ut corpus omnimodo cum quiete summa spiritui subditum immortaliter vigeat; hoc etiam in hac vita meditandum est, ut consuetudo carnalis mutetur in melius, nec inordinatis motibus resistat spiritui.*

Consect. 3. Nec dæmones, nec animæ damnatæ possunt a nobis ex caritate diligi; quia his beatitudinem optare non licet. Unde D. Th. 2. 2. q. 25. a. 11. *Illud autem*, inquit, *bonum vitæ æternæ, quod respicit caritas, spiritibus illis a Deo æternaliter damnatis ex caritate velle non possumus; hoc enim repugnat caritati Dei, per quam ejus justitiam approbamus.*

Consect. 4. Creaturæ omnes corporeæ a nostro & proximi corpore diversæ, a nobis ex caritate diligi non possunt. Ita D. Th. 2. 2. q. 25. a. 3. ubi sic loquitur: *Caritas fundatur super communicatione æternæ beatitudinis, cujus creatura irrationalis capax non est: unde amicitia caritatis non potest haberi ad creaturam irrationalem.*

Non tamen hujusmodi creaturas corporeas odisse debemus, cum sint Dei opus, eisque uti nobis necesse sit.

CAPUT III.

De ordine Caritatis, seu quis ordo servandus sit inter objecta Caritatis.

PRop. unica. Caritas debet esse bene ordinata, idest, debemus debito ordine & Deum, & nos, & proximos diligere.

Prob. 1. Script. *Ordinavit in me caritatem*. Cant. 2. v. 4. Eo textu utitur Aug. lib. 1. cap. 27. de Doct. Christ. ubi sic habet: *Ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet: ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligat quod minus est diligendum, &c.*

2. Ex Hieron. *Naturæ quoque super hoc probatur affectus, ut ordine caritatis ... post verum parentem Deum, carnis quoque pater diligatur & mater, filius & filia, frater & soror*. In Ezech. cap. 44.

3. *Rat.*

3.*Rat*. Caritas a Deo est; *quæ autem sunt a Deo, bene ordinata sunt*, ad Ro. c.13. v.1. ac proinde caritas ita debet esse ordinata, ut excellentiores aliis præferamus, & magis egentes minus egentibus præponamus, ut monet Bernar.serm 50. *Vera in hoc caritas est, ut qui indigent amplius, accipiant prius: & rursus in eo clara apparet veritas, si ordinem tenemus affectu, quem illa ratione.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Si habeatur comparatio inter creaturam & Deum, Deus est præ omnibus diligendus, quia, cum sit supremum bonum, debet omnibus præferri. *Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus*, ait Christus, Matth.10.v.37.& rursus: *Si quis non odit*, idest dilectionis affectu mihi anteponit, *patrem suum & matrem...adhuc autem & animam suam*, idest se ipsum, *non potest meus esse Discipulus*. Luc.14. v.26. Ideo dicit Paulus ad Philip.3.v.8. *Propter quem*, Christum scilicet, *omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucri faciam*.

Consect.2. Si habeatur comparatio inter nos & proximum, debemus diligere 1. Animam seu salutem nostram, deinde animam proximi. 2. Vitam nostram naturalem, postea vitam naturalem proximi. Deinde bona nostra temporalia, postea vero bona temporalia proximi; & hæc omnia in ordine ad salutem; quia optimus ordo exigit, ut nobiliora ignobilioribus præferamus. Prædictum autem ordinem docet Aug.lib 1.de Doct.Christ. c.27. *Omnis homo in quantum homo est diligendus propter Deum; Deus vero propter se ipsum; & si Deus amplius omni homine diligendus est, amplius quisque debet diligere Deum, quam se ipsum: item amplius alius homo diligendus est quam corpus nostrum, quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus, quia corpus per animam vivit, qua fruimur Deo*.

Consect. 3. Si fiat comparatio inter consangineos, debemus 1. Patrem diligere, deinde matrem. 2. Uxorem. 3. Liberos. 4. Propinquos, præferendo semper propinquiores remotioribus; quia ita exigit ordo caritatis: pater enim habet rationem principii activi; mater rationem principii passivi aut saltem minus præcipui; uxor habet rationem partis, & filii rationem effectus. Ita Divus Thom.

Consect. 4. Si fiat comparatio inter extraneos, 1. Concives. 2. Comprovinciales. 3. Extraneos debemus diligere; quia ita postulat ordo caritatis. *Omnes autem*, inquit, Aug.lib.1. de Doct. Christ. cap. 28. *æque diligendi sunt; sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur*.

Consect. 5. Si habeatur ratio diversæ religionis, Catholicos ante Christianos, Christianos ante Infideles, debemus diligere, quia id postulat rectus ordo caritatis. Catholici enim nobis magis uniuntur quam Christiani tantum; & Christiani magis quam Infideles.

Consect. 6. Si habeatur ratio pietatis, pios magis quam impios debemus diligere, si modo cætera sint paria; quia exigit ordo caritatis. *Multo sanctiori magis indigentiam patienti, & magis utili ad commune bonum est magis eleemosyna danda, quam personæ propinquiori, maxime si non sit multum conjuncta, cujus cura specialis nobis non imminet, & si magnam necessitatem non patiatur*. 2.2.q.32. art.9.

PARS SECUNDA.

De Caritate erga Deum.

Quæ de caritate erga Deum dicturi sumus, ad duo capita revocabimus. *In primo* ostendemus, ad quid obliget caritas erga Deum. *In secundo*, quæ vitia divinæ caritati sint opposita explicabimus; sed prius observa caritatem, prout Deum respicit, duplicem esse. *affectivam*, & *effectivam*.

Affectivam caritas est motus, quo mens nostra divinas perfectiones vel admiratur, vel in ipsis sibi complacet, hisque frui desiderat.

Effectiva caritas est motus, quo anima ita erga Deum afficitur, ut in omnibus ejus gloriam quærat.

CAPUT I.

Ad quid obliget Caritas erga Deum.

PRop. 1. Non sufficit ad salutem, ut Christianus adultus habeat caritatem habitualem; sed insuper necessarium est, ut frequenter eliciat actus caritatis erga Deum.

Prob. 1. Script. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum*. Matth. 22. v.37. Ergo si alia

si alia præcepta in sui observantia exigant actum specialem, a fortiori primum & maximum mandatum.

2. Ex Aug. lib. 2. Doctr. Christ. cap. 10. *Caritatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum*. Motus autem actum significat: ergo, &c.

3. Ex multiplici principio desumpto ex D. Thom. 1. Præceptum dilectionis Dei est præceptum juris naturalis: ergo exigit ad sui observantiam actum aliquem positivum, cum præcepta naturalia vix observentur sine actu positivo. 2. 2. q. 147. a. 4. 2. Præceptum dilectionis est omnium mandatorum maximum, ut probat D. Th. 2. 2. q. 44. a. 1. & quia ad illud præceptum omnia alia referuntur, juxta illud: *finis præcepti est caritas*: ergo nequit observari sine actu positivo; quia præceptum maximum exigit actum, si minora præcepta sine actibus observari non possint. 3. Præceptum dilectionis est præceptum speciale, ut probat D. Th. 2. 2. q. 44. art. 1. ergo exigit actum specialem.

4. Ex Clero Gallicano, a quo an. 1700. sequentes propositiones damnatæ sunt, art. 4.

Sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ moralis.

An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

Præceptum amoris Dei per se tantum obligat in articulo mortis.

Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum caritatis erga Deum.

Præceptum affirmativum amoris Dei & proximi non est speciale, sed generale, cui per aliorum præceptorum adimpletionem satisfit.

Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari, possimus.

5. Ratione desumpta ex D. Th. *Præcepta Legis, quæ homo tenetur implere, dantur de actibus virtutum, qui sunt via perveniendi ad salutem*. Atqui caritas est via perveniendi ad salutem; quia ille, qui non diligit, manet in morte: Ergo actus caritatis præcipitur aliquando, & non solum habitus caritatis.

6. Homo adultus non potest salvari, nisi actus religionis exerceat, juxta illud Matth. 4. v. 10. *Adorabis Dominum Deum tuum, & illi soli servies*: Ergo debet actus amoris erga Deum elicere, juxta illud Aug. Ep. 120. ad Honor. c. 18. *Pietas cultus Dei est: nec colitur ille nisi amando. Finis præcepti est caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*. Tim. 1. c. 1. v. 5. Caritas quippe facit per seipsam immediate, ut Deo tamquam ultimo fini inhæreamus, facit per alias virtutes, quod eligamus media necessaria ad consequendum finem illum; & ita dat nobis cor purum a terrenis, conscientiam bonam in omnibus, & fidem non fictam in divino cultu.

7. Denique. Nihil magis necessarium, nihil magis justum, quam actualis amor erga Deum. *Justum est*, inquit author serm. de Baptis. Christ. inter Cypriani opera, *Domine, ut diligamus te, quia & tu nos diligis ... Hoc natura, hoc ratio, hoc, Domine, clamat verbi tui authoritas*; & Aug. ait: *Non præcipit Scriptura nisi caritatem, nec culpat nisi cupiditatem*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat quilibet homo adultus, sive baptizatus, sive non baptizatus, qui assecutus annos discretionis non elicit actum amoris erga Deum; ita D. Th. 2. 2. q. 89. a. 6. ad 3. in corp. *Cum vero usum rationis habere puer inceperit, non omnino excusatur a culpa venialis & mortalis peccati. Sed primum quod tunc homini cogitandum occurrit, est deliberare de se ipso; & si quidem se ipsum ordinaverit ad debitum finem per gratiam, consequitur remissionem originalis peccati: si vero non ordinet seipsum ad debitum finem, secundum quod in illa ætate est capax discretionis, peccabit mortaliter non faciens quod in se est.*

Consect. 2. Peccat quilibet homo sive baptizatus, sive non baptizatus, qui instructus de beneficiis a Deo tam copiose acceptis, non redamat Deum tam beneficum. Unde Aug. lib. 4. Conf. c. 9. *Hoc est quod diligitur in amicis, & sic diligitur, ut rea sibi sit humana conscientia, si non amaverit redamantem, aut si amantem non redamaverit*. Ideo Josue 13. v. 11. post enumerata beneficia, quæ Judæi a Deo acceperunt, sic compellat Judæos: *Hoc tantum diligentissime præcavete, ut diligatis Dominum Deum vestrum*; & David ait: *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus*. Ps. 102. v. 2.

Consect. 3. Peccat quilibet homo, seu baptizatus, seu non baptizatus, sit sit sufficienter instructus, qui tentatus odio contra Deum, actum amoris erga Deum non eliceret; quia ut plurimum hæc tentatio non vinci potest nisi per actum contrarium. Dicendum est igitur cum D. Paulo ad Rom. 8. v. 3. *Quis nos separabit a caritate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? ... Sed in his omnibus su-*

peramus propter eum qui dilexit nos. Dicendum est cum Davide : *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum & liberator meus*. Psal. 17. v. 2.

Consect. 4 Peccat homo, qui in reliquis gravibus tentationibus, quæ nequeunt vinci, nisi per actum amoris, nullum actum amoris eliceret; quia tunc necessarius est, ut supponitur, actus amoris : tunc enim dicendum est cum Paulo, ad Rom. 8. v. 38. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare a caritate Dei, quæ est in Jesu Domino nostro*; vel cum Davide: *Dilexi, quoniam exaudiet Dominus*. Psal. 114. v. 104.

Consect. 5. Peccant Christiani, qui lapsi in peccatum mortale, nec possunt Sacramenta, quibus justificentur, recipere: peccant, inquam si urgente conversionis præcepto non eliciunt actum caritatis; quia peccator extra Sacramentum non potest sine actu caritatis justificari; ut enim ait Aug. serm. olim 3. de verbis Apost. nunc in apendice 117. *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei*. Unde Scripturæ remissionem peccatorum actuali caritati tribuunt: *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, ait Christus de Magdalena pœnitente, Luc. 7. v. 47. Et Petrus 1. cap. 4. v. 8. *Caritas operit multitudinem peccatorum*.

Consect. 6. Peccant qui vel ad baptismum, vel ad pœnitentiam accedunt, quin ullum amoris actum elicere satagant, cum ex Trid. sess. 6. c. 6. necesse sit in utroque Sacramento, ut præter fidei & spei actus, pœnitentes *incipiant diligere Deum tamquam totius justitiæ fontem*, uti explicat Clerus Gallicanus, ann. 1700. in declaratione de dilectione Dei in pœnitentiæ Sacramento requisita. Neque enim, ut ibi loquuntur Præsules Gallicani, satis adimpleri potest utrique Sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ, ac servandi mandata divina propositum, si pœnitens primi ac maximi mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat; nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum divina opitulante gratia se excitet ac provocet.

Consect. 7. Qui vel ex necessitate, vel ex devotione recipiunt Sacramentum Eucharistiæ peccant, si toto tempore vel præcedente, vel concomitante, vel subsequente Communionem, nullum actum amoris eliciant : tantum quippe Sacramentum vix potest debite sine actu caritatis recipi; est enim pignus amoris Christi erga nos, juxta illud Joan. 13. v. 1. *Cum dilexisset suos, qui erat in mundo, in finem dilexit eos*: ergo exigit a nobis aliquem actum amoris.

Item cum alia Sacramenta, Confirmationem scilicet, Extremam-Unctionem, Ordinem, & Matrimonium recipimus, cum hæc sacra Symbola sint signum amoris Dei erga nos, debemus Deum authorem Sacramentorum in pignus gratitudinis redamare.

Consect. 8. Culpa non carent qui non eliciunt actum aliquem amoris erga Deum, cum audiunt Deum impeti blasphemiis, cum vident inhonorari & contemni gravissimis sceleribus; hoc enim exigit amor divinus, ut patet exemplo Davidis, qui amore incensus dicebat, Ps. 118. v. 139. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei*. Illud etiam docent exempla Phinees, Eliæ, Mathathiæ & Christi. Phinees enim divino zelo inflammatus occidit eos, *qui initiabantur Beelphegor*, num. 25. Elias vero dicebat : *zelo zelatus sum pro Domino exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel*. Reg. 3. cap. 19. v. 14. Mathathias autem accensus zelo trucidavit super aram Judæum quemdam idolis sacrificantem, & virum, quem Antiochus miserat, qui Judæos cogebat immolare, *& zelatus est Legem sicut fecit Phinees*. Machab. 1. cap. 2. v. 24. Demum zelum illum erga gloriam Dei toto vitæ suæ decursu docuit Christus, de quo dicitur : *Zelus domus tuæ comedit me*. Joan. 2. v. 17.

9. Peccant qui in mortis periculo constituti non eliciunt actum amoris; quia tunc præcipue enitendum est, ut ad Deum per amorem tendamus, & Deo per sacrificium amoris offeramus nos. Id videtur docere Paulus dicens Rom. 14. v. 8. *Sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur; sive ergo morimur, sive vivimus, Domini sumus*, scilicet consecrando nos Deo per amorem; in illo quippe mortis articulo pœnitere nos debet, Deum non amasse, usurpantes verba illa Aug. *Sero te amavi pulchritudo tam magna, tam antiqua. Sero te amavi*.

10. Peccant qui maximam vitæ partem exigunt quin ullum eliciant amoris actum: non enim certe implent illud Eccl. *Omni vita tua dilige Deum, invoca illum in salute tua*. Eccl. 13. v. 18. Et gravem habent timendi causam, ne omni Dei amore prorsus destituantur; neque enim, ut bene monet Aug. in Psal. 31. & c. 21. *Dilectio vacare potest; da mihi vacantem amorem & nihil operantem? Nec potest vacare amor in anima amantis*.

11. Peccant juxta plurimos, qui non eliciunt actum amoris in sequentibus casibus. 1. Diebus festis, quibus tenentur Deum peculiariter colere. 2. Qui in statu peccati mortalis affectum peccati per actum amoris non abjiciunt

jiciunt, cum volunt audire Sacrum. 3. Cum volunt aliquod opus magni momenti aggredi: quæ quidem ſententia tuta omnino eſt & magnæ utilitatis; ideoque in praxi conſulenda.

Unde hortandi ſunt fideles. 1. Ut diebus Dominicis & feſtis actus amoris eliciant: ad quod perſuadendum non parum inſerviunt hæc verba Iſai. cap. 1. v. 16. ubi loquens qua ſanctitate dies feſtivi celebrandi ſint, ait: *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere perverſe* De hoc infra ubi de ſanctificatione feſtorum.

2. Hortandi ſunt peccatores, ut affectum peccati mortalis abjiciant, cum volunt Miſſæ ſacrificio intereſſe, ut una cum Sacerdote ſacrificium offerant Deo: ad quod ſuadendum inſervire poſſunt hæc verba Samuelis 1. Reg. 16. v. 5. *Sanctificamini*, inquit, *& venite mecum, ut immolem*, innuens, plebem Sacerdoti debere conjungi, ut cum eo Sacrificium offerat. De hoc fuſius infra, ubi de auditione Miſſæ.

3 Hortandi ſunt fideles, ut actum caritatis eliciant cum ingens aliquod negotium ſuſcipiunt; quia tunc maxime ad Deum recurrendum eſt: quod maxime evincunt hæc verba Iſaiæ 30. v. 1. *Væ filii deſertores, dicit Dominus, ut faceretis conſilium & non ex me, & ordiremini telam & non per ſpiritum meum*.

4. Hortandi ſunt fideles, ut interdum in confeſſione Sacramentali accuſent ſe de omiſſione actuum caritatis erga Deum, incerti an illud impleverint: pium illud exercitium ſuadet Navarrus Enchyrid. c. 11. n. 7.

Prop. 2. Deus conſideratus prout eſt ſuprema bonitas exigit, ut mens noſtra in ipſum diverſis affectibus moveatur, eique per illos affectus adhæreat, & ab eo ſeparari formidet.

Prob 1. Scriptura. *Ecce*, inquit David Pſal. 72. v. 26. *qui elongant ſe a te peribunt, perdidiſti omnes qui fornicantur abs te; mihi autem adhærere Deo bonum eſt*; Ergo peſſimum malum eſt elongari a Deo, & unicum bonum eſt cum eo conjungi: quod utique non fit niſi piis affectibus; ad Deum ſi quidem, ut docet paſſim Aug. non itur pedibus, ſed affectibus: ergo mens noſtra debet in Deum diverſis affectibus amoris moveri, eique adhærere.

2. Ex Aug. ſerm. olim. 13. de verb. Apoſt. cap. 7. nunc vero cap. 56. *Dicebat Epicureus, mihi frui carne bonum eſt: dicebat Stoicus, mihi frui mea mente bonum eſt: dicebat Apoſtolus Paulus, mihi abhærere Deo bonum*: Ergo præcipuum hominis officium eſt adhærere Deo variis amoris affectibus, *Ei enim inhærens*, ut docet idem Aug. libr. 2. de lib. arb. c. 13. *tamquam obliviſcitur cætera, & in illo ſimul omnibus fruitur*.

3. *Rat.* Bonitas mentem noſtram ad ſe attrahit, ejuſque affectus excitat: ergo cum Deus ſit ſuprema bonitas, exigit ut mens noſtra in ipſum diverſis affectibus moveatur.

Non omnes, ſed aliquos affectus, in quos mens noſtra poteſt erumpere, percurremus.

Conſectaria hujus Doctrinæ.

Conſect. 1. Oportet ut mens noſtra excelſam Dei majeſtatem conſideret, de qua Pſalmiſta ait: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis*. Et in hac excelſa Dei eminentia ultro ſibi complaceat, uti verus filius gaudet, & lætatur de fortuna patris: id juxta Aug. epiſt. 121. exprimunt hæc verba orationis Dominicæ: *Pater noſter qui es in cælis*; idem enim eſt ac ſi diceremus, *Pater* non minus gaudeo, quod *ſis in cælis*, omnibuſque longe emineas, quam filius gaudeat ob fauſta, quæ patri obveniunt. Aperte affectum illum exprimunt hæc verba Abacuc: *Ego in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Jeſu meo*. Idemque exprimit Canticum Beatorum in cælis dicentium: *Alleluja, ſalus, & gloria, & virtus Deo noſtro ....* Et rurſus: *Laudem dicite Deo noſtro omnes ſervi ejus; & qui timetis eum puſilli, & magni*. Apocal. 19. v. 2. & 5.

Conſect. 2. Oportet ut mens noſtra optet hanc Dei eminentiam omnibus innoteſcere, & nomen ſanctum ejus in dies magis ac magis manifeſtari: quod deſiderium his verbis exprimimus, juxta Aug. Epiſt. 121. *Sanctificetur nomen tuum*, ſecuti exemplum Chriſti, qui non ſuam, ſed Patris gloriam in omnibus ſectabatur. *Honorifico*, inquiebat, *Patrem meum, ego non quæro gloriam meam*. Joan. 4. v. 34. Et Paulus non in alium quam in Deum veram gloriam refundebat. *Regi ſæculorum*, inquiebat, *immortali inviſibili, ſoli Deo, honor & gloria*. 1. ad Timoth. 1. v. 17.

Conſect. 3. Oportet ut mens noſtra ita ſit affecta erga Deum, ut ſanctiſſimam ejus voluntatem in omnibus adimpleri deſideret, & ab ipſo numquam ſeparari per peccatum ardenter poſtulet. Juxta Aug. ibidem primum affectum ita exprimimus: *Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra*. Secundum vero his forte verbis excitare poſſumus. *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo*. Affectus illi ex amore & timore coaleſcunt: ſic enim inquit Aug. *Patres*

a filiis piis & timentur & amantur; sic conjux pudica virum & timet, ne ab illo deseratur, & amat ut fruatur. Si ergo & pater homo, & conjux homo & timeri & amari debent, multo magis Pater noster qui est in cælis, & ipse sponsus, non carne præ filiis hominum, sed virtute formosus. Ita passim in suis operibus Aug. sed præcipue in Psal. 118. Hom. 31.

Prop. 3. Deus consideratus pro ut est nostra beatitudo exigit, ut mens nostra in ipsum diversis affectibus inclinetur, v.g. amando, desiderando eam beatitudinem, cunctisque bonis creatis præferendo.

Prob. 1. Scriptura. *Quid mihi est in cælo*, inquit David, *& a te*, id est præter te, *quid volui super terram? Deus cordis mei, pars mea Deus in æternum.* Psal. 72. v. 24. Ergo tenemur ad exemplum Davidis Deum quatenus est nostra beatitudo & amare & desiderare, cunctisque bonis creatis præferre. Quod vero pium illud exercitium sit non solum de consilio, sed etiam de præcepto, patet ex eo quod statim subjungit Psalmista: *Quia ecce qui elongant se a te peribunt*; indicans periturum eum qui secus fecerit.

2. Ex Aug. in Psal. 134, *Ipsa merces tua summa, Deus ipse erit, quem gratis diligis, & sic amare debes, ut ipsum pro mercede desiderare non desinas, qui solus te satiet.* Ergo oportet ut mens nostra Dei possessionem amet, desideret, eamque cunctis bonis creatis præferat.

3. *Rat.* Illud debemus in terris amare, optare, bonisque terrestribus præferre, quod nobis in cælis promittitur, Deus enim nihil promittit nisi quod nos amare, desiderare, & magni facere oporteat: atqui Deus ipse nobis promittitur ut nostra beatitudo, juxta illud dictum Abrahæ: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Gen. 15. Ergo oportet, ut mens nostra ipsam Dei possessionem & amet, & desideret, & cunctis bonis creatis præferat.

Non omnes, sed aliquos affectus, in quos mens nostra potest erumpere erga Deum, quatenus est nostra beatitudo, percurremus.

Consectarium hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Oportet ut mens nostra sæpius eam mercedem, quæ non alia est quam Deus ipse, exoptet & sitiat. Ex Aug. Epist. 121. Id videtur præcepisse Christus dum jussit, ut beatitudinem illam enixe a Patre postulemus hac prece frequenter repetita: *Adveniat regnum tuum.* Idem suadent sanctorum Virorum exempla. *Erit mihi Dominus in Deum*, inquit Jacob Gen. 28. & Paulus: *Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Pios illos affectus ita exprimit Aug. soliloq. c. 1. *Domine meus, Rex meus, Pater meus, causa mea, spes mea, res mea, honor meus, domus mea, patria mea, salus mea, lux mea, vita mea .... jam te solum amo, te solum sequor, te solum quæro, tibi solum servire paratus sum.* Similia reperies quam plurima in Psalmis, in libris Confess. Aug. & alibi.

Consect. 2. Mens nostra ita debet esse affecta erga Deum, qui futurus est nostra beatitudo, ut eum bonis quibuscumque creatis præferat, malitque omnia mala perpeti, bonisve omnibus spoliari, quam a Deo sejungi: de hac obligatione ita Paul. ad Rom. 8. v. 35. *Quis nos separabit a caritate Christi? Tribulatio? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius? sicut scriptum est: quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis: sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos.* Et ut firmitatem & constantiam illius adhæsionis cum Deo clarius patefaciat, subjungit: *Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei; quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Et alibi: *Omnia arbitratus sum ut stercora, ut Christum lucrifaciam.*

Consect. 3. Hinc sequitur, non peccare eos, qui intuitu æternæ retributionis operantur, nihilque eo intuitu caritati erga Deum detrahi.

1. Non peccant: Deus enim vult ut eam nobis sæpius mercedem proponamus, quo alacrius virtutem amplectamur, exemplo Christi, & sanctorum. Christus enim, *proposito sibi gaudio sustinuit crucem.* Heb. 12. Moyses *aspiciebat in remunerationem*: Heb. 11. David de se ipso ait: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.* Psal. 118. Apostoli mercedem nedum abjiciunt, quin imo postulant. *Ecce*, inquiunt, *nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* Matth. 19. v. 27. Et Paulus mercedem non rejicit, sed expectat: *Reposita est mihi*, inquit, *corona justitiæ.* 2. Tim. 4. v. 8. Et Colossenses ad virtutem adhortatur proponens certam *spem, quæ reposita est eis in cælis.* 1. v. 5. Reipsa, ut optime ait Amb. lib. 5. super Luc. 6. *studia ipsa virtutum sine remuneratione torpescunt.* Et

Greg. Homil. 37. *Delectet mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum*. Demum Concil. Trident. sess.6. can. 13. ita habet: *Si quis dixerit Justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit*.

2. Spes retributionis æternæ, si hæc retributio sit Deus ipse, nihil caritati detrahit, ut optime explicat Bonav. in 3.dist.37.a 2.q.2. ubi sic habet: *Si enim per affectum amicitiæ homo servit amico, eumque diligit sine intuitu præmii, aut ait Philosophus; multo fortius amore caritatis homo vult bonum Deo sine intuitu alicujus retributionis. Sed per hoc non excluditur, quin caritas amore concupiscentiæ exoptet, & desideret illam summam mercedem apprehendere, ad quam finaliter intendit pervenire*. Tum quippe, ut monet August. in Psal. 72. gratis amamus Deum. *Ipsum* enim *amamus propter ipsum*. Et juxta Bernard. lib. de dilig. Deo c. 7. Tunc anima amans Deum *aliud præter Deum sui amoris præmium non requirit*. *Ubi*, inquit Aug. in Psal. 72. *factum est cor castum, gratis jam amatur Deus, non ab illo petitur aliud præmium .... Quid ergo? nullum præmium Dei? nullum præter ipsum, præmium Dei ipse est Deus. Hoc amat, hoc diligit: si aliud dilexerit, non erit castus amor*.

Prop.4. Si Deus consideretur, uti re vera est, tamquam finis ultimis omnium, quoties homo agit ex deliberata ratione, toties debet omnia opera sua in Deum vel actualiter, vel virtualiter referre: *actualiter* quidem, eliciendo actum expressum, quo opus suum ordinet in Deum: *virtualiter* vero, faciendo opus suum ex vi prioris intentionis.

Prob.1. Scriptura. Paulus de hac obligatione ita loquitur: *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*: 1. Cor. 19. v. 31. & c. ult. v. 17. *Omnia vestra in caritate fiant*. Et Col. 3. v. 17. *Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum*. Ergo ex Scriptura debemus omnes actiones nostras in Deum dirigere.

Prob.2. Ex Divo Aug in Enchirid. c. 121. *Quod vero ita fit vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam caritatem quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris, nondum fit quemadmodum oportet fieri, quamvis fieri videatur*. Et lib. 1. de Doct. Christ. c. 2. *Hæc enim regula dilectionis divinitus constituta est, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsa quæ confers. Cum ait*, ex toto corde, tota anima, tota mente, *nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui; sed quidquid aliud diligendum venerit, illuc rapiatur quo totus dilectionis impetus currit*.

3. Ex D. Th. *Præceptum*, inquit 1.2.q.100. a. 10. ad 2. *caritatis impleri non potest, nisi omnia referantur in Deum*. Et rursus 1. 2. q. 102. a. 6. ad 7. *Cælestis intentio omnibus operibus nostris debet adjungi*. Ergo ex vi præcepti caritatis debemus omnes nostras actiones in Deum referre.

4. Ratione Javelli, ut clare pateat in hac sententia ab antiquis Theologis minime nos dissentire. En verba Juvelli: *Nullus est actus bonus perfecte moralis, nisi factus sit intentione recta. Intentio non est recta nisi sit cum dictamine rationis rectæ. Ratio recta dictat omnem actum moralem faciendum ultimate, propter summum ultimum & optimum finem, qui non gratia alterius, sed gratia sui diligendus est: hic autem est Deus: ergo nullus est actus bonus perfectus moralis, nisi fiat ultimate actu, vel habitu propter Deum &c. Et ex quibus corollarie sequitur, nulla esse opera vere, & perfecte moraliter bona nisi ultimate fiant ex Dei dilectione actuali, vel habituali*; unde Aug. super psalmos: *Ea quippe sola opera bona dicenda sunt, quæ per dilectionem Dei fiunt*. Et in libro de spiritu, & littera inquit: *Non est fructus bonus qui de caritatis radice non surgit*. Ita Javellus de Philosophiæ Christianæ celsitudine c. 6.

5. Omnis homo vel est peccator, vel justus: si peccator, tenetur converti ad Dominum, juxta illud: *Non tardes converti ad Dominum, ne differas de die in diem*. Eccles. 6. v. 8. & juxta illud Pauli ad Hebræos 12. v. 1. *Ideoque & nos .... deponentes omne pondus & circumstans nos peccatum, per patientiam curramus ad propositum nobis certamen*. Si justus, tenetur in accepta justitia crescere, juxta illud Proverb. 4. v. 18. *Justorum semita, quasi lux splendens, procedit, & crescit usque ad perfectum diem*: & juxta illud Psalmi 83. v. 8. *Ibunt de virtute in virtutem*; & juxta illud Petri 2. c. 3. *Crescite in gratia & in cognitione Domini nostri Salvatoris Jesu Christi*. Conversio autem a statu peccati ad statum gratiæ, augmentum in gratia non habetur, nisi actione supernaturali propter Deum elicita: ergo omnis homo sive peccator, sive justus tenetur opus referre in Deum vel actualiter, vel virtualiter, quoties agit ex deliberata ratione & in ordine ad vitam æternam; hic enim non ago de actibus bonis præcise bonitate morali

rali

rali naturali (*a*), quia Moralis Christiana, qualis est nostra, bonitatem supernaturalem inquirit, non naturalem; & si quæ sint quæstiones circa bonitatem præcise naturalem, eas Philosophis agitandas relinquo.

Consectaria bujus Doctrinæ.

Consect. 1. Non dantur actus indifferentes in individuo, id est, quoties homo deliberate agit, toties vel peccat, vel bene operatur: de quo ita D. Thom. 1. 2. q. 18. a. 9. *Actus a ratione deliberata procedens, si non sit ad debitum finem ordinatum, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali: si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Necesse est autem quod vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem; unde necesse est omnem actum hominis a deliberativa ratione procedentem, in individuo consideratum, bonum esse, vel malum.* Aug. aliud principium adhibet ad illud idem probandum. Quidquid facit homo, inquit lib. 9. de Trin. cap. 7. est aut a caritate, aut a cupiditate; si a caritate, est bonum; si a cupiditate, est malum, cum creatura amatur. *Si ad Creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, sed caritas erit; tunc enim est cupiditas cum propter se amatur creatura; tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit facientem.* Basilius vero, Ambrosius, & Gregorius eamdem veritatem probant isto principio, scilicet, quod omnis actio, quæ non cedit in gloriam Dei, est otiosa; si otiosa, ergo mala: de omni enim verbo otioso reddituri sumus rationem in die judicii. Demum Bernardus, & alii idem evincunt hoc principio omnibus obvio. Omnia quæcumque aut habemus, aut facimus, Deo multis titulis debita sunt, tum quia a Deo vivimus, movemur, & sumus, tum quia ab ipso redempti sumus. *Si totum me debeam*, ait Bern. *pro me facto, quid addam jam & pro refecto, & refecto boc modo?* Ergo si quid Deo subtraham, eique non offeram, furtum est, inquiunt, & proinde peccatum.

Consect. 2. Ut observemus hoc præceptum, quo tenemur omnia in Deum referre, quoties deliberate agimus, curare debemus, ut omnia fiant a caritate vel elicitive, vel imperative, ut ajunt: de quo ita D. Thom. 2. 2. q. 23. a. 4. ad 2. *Caritas habet pro objecto finem ultimum humanæ vitæ, scilicet beatitudinem æternam; ideo se extendit ad actus totius vitæ humanæ per modum imperii:* ac proinde in actibus, qui non fiunt ex imperio caritatis, deest debita ordinatio ad ultimum finem.

Monit. 1. Duo hic extrema vitanda sunt: quorum primum est, ne credamus vagam intentionem sufficere, ut opus nostrum referatur in Deum; alterum vero, ne credamus intentionem actualem, & formalem semper requiri, ut opus nostrum referatur in Deum.

De primo sic loquitur D. Bonav. in 2. dist. 41. a. 1. q. 3. *Non sufficit, si quis ad initium anni, vel mensis, vel etiam diei, generali*, id est, *vaga quadam intentione referat omnia opera sua futura in Deum; sed necesse est, ut illud ipsum opus particulare, quod postea faciendum est, referatur in Deum: tunc enim dicuntur opera virtute in Deum relata, cum intentio præcedens est vera causa operum.*

De secundo sic habet D. Thom. 1. 2. q. 1. a. 6. ad 3. *Non oportet ut semper aliquis cogitet de ultimo fine, quandocumque aliquid appetit, vel operatur: sed virtus primæ intentionis, quæ est respectu ultimi finis, manet in quolibet appetitu cujuscumque rei, etiam si de ultimo fine actu non cogitet: sicut non oportet, quod qui vadit per viam, in quolibet passu cogitet de fine*: & 1. 2. q. 88. a. 1. ad 2. ait: *Sicut Medicus, dum colligit herbas, actu intendit conficere potionem, nihil fortassis cogitans de sanitate; virtualiter tamen intendit sanitatem propter quam potionem dat; ita &c.* Utiliter ergo circa hoc monent Theologi, ut frequenter & devote orationem Dominicam recitemus, qua omnia nostra in

(*a*) Dixi: *Hic non ago de actibus nostris bonis bonitate morali naturali*. Numquid illud additum ex industria, ut eludam hanc quæstionem: an omnia opera peccatoris sint peccata? an omnia opera infidelium sint peccata?

Non is meus sensus fuit: mens erat solum lectorem non fatigare his quæstionibus, quæ parum aut forte nihil inserviunt ad Moralem Christianam. Ut ut sit, ut quæ mea sit sententia circa prædictas quæstiones plane pateat, adhæreo Trid. dicenti: *Si quis dixerit omnia opera, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vera esse peccata .... anathema sit.* Adhæreo summis Pontificibus damnantibus istam propositionem: *Omnia opera infidelium sunt peccata.* Adhæreo D. Th. qui 2. 2. q. 10. a. 4. docet ex professo, quod tametsi infideles divina gratia careant, quia tamen ex infidelitate non corrumpitur totum naturæ bonum, possunt aliquid boni operari, quamquam id non sit meritorium vitæ æternæ.

Deum ordinamus, si qua decet attentione, corde, & ore effundatur: monent etiam ut recitemus frequenter istud canticum, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, aut alias similes orationes ferventes, quibus omnia opera nostra dirigamus in Deum.

Monit. 2. Circa amorem Dei duæ etiam illusiones vitandæ: altera qua creditur Deum amari; quia id mens cogitat: altera, qua creditur Deum minime amari; quia sensibili commotione non afficimur: utraque illa amoris divini notio fallax est, & a vero longissime aberrans.

Amor Dei nec in cogitatione situs est, qua nobis persuademus Deum a nobis diligi, dum voluntas in ipsum nullo affectu movetur; nec in exteriori verborum sono, quo ita loquimur: *diligo te Domine ex toto corde*, dum interim Dei mandata & negligimus, & violamus; sed amor Dei actus est voluntatis, quo in Deum ferimur, & pondus aliquod, quo in Deum inclinamur, ejusque mandatis etiam minimis obtemperamus, nulla licet sensibilis affectio sanguinem agitet, aut cor nostrum commoveat. De vera caritate sic scribit Joannes 1. c. 3. v. 18. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate*. Qui ergo cælestem caritatem dignoscere voluerit, eam ex terrenis affectibus metiatur: uti enim amicum diligere dicimur, cum de eo frequenter loquimur, de eo frequenter cogitamus, cum ejus causam licet absentis suscipimus, cum ei adhærere cupimus, dum quod ei placet ultro amplectimur, quod ei displicet exacte vitamus; ita tales oportet nos esse erga Deum, si eum vere dilexerimus: tales enim exhibuerunt se Sancti erga Deum, quem diligebant. De Deo sæpius cogitabant, juxta illud Sap. 4. v. 16. *Cogitatio illorum apud Altissimum*. Deum frequenter recordabantur, juxta illud Psal. 41. v. 5. *Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam*. De Deo, rebusque divinis loquebantur, uti faciebant discipuli euntes Emmaus. *Et ipsi*, inquit Lucas 24. v. 14. *loquebantur adinvicem de his omnibus quæ acciderant Jesu*. Deo offenso, condolebant, juxta illud Psal. 118. v. 13. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei*. Deo glorificato, congaudebant, juxta illud Psal. 96. v. 1. in quo David & gaudet, & ad gaudium excitat omnes populos ob stabilitum regnum Dei: *Dominus regnavit, exultet terra, lætentur insulæ multæ*. Deum quærebant assidue, uti dictum de sponsa: *Quæsivi quem diligit anima mea*. Inventum non deserebant, sed caste amplexabantur: *Tenui eum, nec dimittam*. Cant. 1. Deo adhærere cupiebant. *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum*, inquit David Psal. 41. v. 2. *ita desiderat anima mea ad te Deus*. Tandem, quæ Deo placebant, sectabantur, quæ autem Deo displicebant, aversabantur. Uti enim matres vere & filios, & sponsos dicuntur diligere, dum illos sollicite & amanter curant, dum illis ægrotis anguntur, convalescentibus gaudent, dum periclitantibus metuunt, dum absentes desiderant; ita & nos Deum diligere dicimur, cum similibus affectibus erga Deum movemur.

Cavendum tamen ne his aut similibus signis præsumat quis, & certo statuat se esse in caritate. *Nemo enim scit, utrum amore, vel odio sit* dignus, & a nemine nisi ex speciali revelatione sciri potest; *Quos Deus sibi elegerit*: & rursus, ut monet Trident. post Apos. *Qui existimant se stare, videant ne cadant; & cum timore, ac tremore salutem suam operentur*. Sess. 6. cap. 13.

CAPUT V.

De actibus contrariis caritati erga Deum.

Actus divino amori erga Deum contrarii sunt hi, qui amorem Dei tum affectivum, tum effectivum directe impetunt; redduntque animam ita male affectam erga Deum, ut eum instar inimici habeat: rara quidem, & infrequens est hæc humani cordis pravitas; sed quia eo malitiæ aliquando progreditur, ideo hic de actibus caritati erga Deum adversantibus agendum.

1. *Prop.* Graviter peccant qui actus amori affectivo erga Deum contrarios eliciunt.

Prob. 1. Script. Omissio amoris affectivi erga Deum in his circumstantiis, in quibus debet elici, est peccatum mortale, juxta illud Joan. 1. c. 3. v. 14. *Qui non diligit, manet in morte*: & juxta illud Paul. 1. ad Corinth. 16. v. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema*: ergo a fortiori actio directe contraria amori divino affectivo erit peccatum mortale.

2. Ex Greg. lib. 25. Moral. cap. 16. ubi sic habet: *Sicut nonnumquam gravius est peccatum diligere, quam perpetrare; ita nequius est odisse justitiam, quam non fecisse*: ergo & odisse Deum gravius est, quam aliquod ex ejus mandatis violare; unde ait D. Thom. 2. 2. q. 34. a. 2. in corp. *Odium Dei inter alia peccata est gravius*.

3. *Rat.* Omnis actus virtuti contrarius est peccatum, & tanto gravius, quanto sublimior est virtus, quæ per peccatum impetitur.

titur: ergo cum caritas sit omnium virtutum maxima, odium Dei, caritati Dei contrarium, debet esse omnium peccatorum gravissimum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Graviter peccant qui ita depravato sunt corde, ut Deum odio habeant; quia ab illis, ut ait D. Thom. *Apprehenditur tamquam peccatorum prohibitor & pœnarum inflictor*. Debent enim sanctissimam Dei Legem amare, & pœnas ab illo inflictas patienter tolerare: de quibus ita Aug. tract. 90. in Joan. *O miseros homines, qui cum volunt esse mali, nolunt esse veritatem, qua damnantur mali; nolunt enim eam esse quod est, cum se ipsos debeant nolle esse quod sunt, ut ipsa manente mutentur, ne ipsa judicante damnentur*; de quibus ait Deus: *Odio habuerunt me gratis*, id est, sine causa. Joan. 13. v. 25.

Consect. 2. Peccant graviter qui ita sunt affecti erga Deum, ut quod Deo placet, onerosum habeant, jucundum vero, quod Deo odiosum est; quia actus ille maxime amori divino affectivo adversatur.

Tales sunt hi, qui ita invidi sunt erga Deum, ut doleant maxime divinam ejus celsitudinem omnibus eminere; tantoque magis crescat eorum pravitas, quanto sublimior eis apparet divina excellentia: de quibus ait David, Psal. 73. *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper*.

Tales sunt hi, qui Regnum Christi, & Dei ita onerosum habent, ut lætentur cum videtur decrescere, doleant vero, cum videtur latius extendi: de quibus ita Christus, Joan. 15. v. 24. loquens de Judæis: *Nunc autem & viderunt, & oderunt me, & Patrem meum*.

Tales etiam sunt hi, qui sanctissimam Dei Legem, non modo ipsi violant, sed ab aliis violari cupiunt. Tales erant Pharisæi, quibus sic improperat Christus, Matth. 23. v. 15. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos*.

Consect. 3. Graviter peccant qui ita sunt erga Deum affecti, ut eum quidem odisse nolint, sed eum actu positivo diligere nihil curent: etenim perennis illa divini amoris voluntaria cessatio, & erumpentis sponte ardoris retentio maxime caritati adversatur; caritas enim ignis est, ergo æstuet oportet; virtus est, ergo prorumpat in actus necessum est, arbor est, ergo nequit esse omnino sterilis, & infructuosa.

Prop. 2. Peccant quicumque actus effectivos amori erga Deum contrarios eliciunt; & quidem mortaliter, si caritatem extinguant; venialiter vero, si caritatis ardorem solum minuant.

Prob. 1. Script. Christus interrogatus ab uno ex Scribis, *Quod esset primum omnium mandatum*, respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua*. Marc. 2. v. 30. Quod utique fit, inquit D. Th. opusc. 18. c. 5. 1. si omnes affectus cordis referantur in Deum sicut in finem. 2. Si mentem suam homo Deo subjiciat captivando intellectum in obsequium fidei. 3. Si quæcumque homo amat, in Deo amet. 4. Si omnia exteriora verba, & opera ex divina caritate firmentur. Demum, *si nihil nobis desit ad divinam dilectionem, quod actu, vel habitu in Deum referamus; & hujus divinæ dilectionis perfectio datur homini in præcepto*: ergo si quid agamus contra prædicta, peccamus contra amorem Deo debitum; mortaliter quidem, si extinguatur caritas, venialiter vero, si solum ardor caritatis minuatur, ut passim explicat D. Thom.

2. Ex Aug. lib. 2. cont. Faust. cap. 78. ubi sic habet: *Fit homo iniquus, cum propter seipsas diliget res propter aliud assumendas; & propter aliud diligit res propter seipsas diligendas. Sic enim quantum in ipso est, perturbat in se ordinem naturalem, quem Lex æterna conservari jubet*: ergo peccat quicumque agit contra amorem Dei effectivum; quo fit, ut ibidem docet Aug. *Ut ob aliud homo non appetat rebus uti, nisi propter quod divinitus institutæ sunt: ipso autem Deo frui propter ipsum, seque & amico in ipso Deo propter ipsum Deum*.

3. *Rat.* Amor effectivus jubet non modo nihil diligere plusquam Deum, sed etiam nihil omnino diligere nisi propter Deum, & omnia ad ejus gloriam dirigere: Deo enim tamquam Creatori, tamquam Redemptori, tamquam supremo omnium bono, debetur omnis animæ motus, omnis affectus, nullaque amoris nostri pars sine injuria Creatoris in creaturam derivatur: ergo peccant quicumque aliquid contra illum amorem moliuntur. Unde Leo Magnus ait serm. 5. de jejunio septimi mensis: *Rationalis animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi; in dilectione Dei, nulla nimia; in dilectione mundi, cuncta sunt noxia*: ergo peccant quicumque actus eliciunt effectivo amori erga Deum contrarios; mortaliter quidem, si suum amorem sistant in creatura; venialiter vero, si non adhæreant ulti-

mate creaturæ. Vide quæ diximus ubi de distinctione peccati mortalis & venialis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant pigri, qui de bono spirituali tristantur, vel qui laborem annexum cum observantia divinæ legis refugiunt: quos sic loquentes inducit David, Ps. 118. v. 28. *Dormitavit anima mea præ tædio.* Hæc tristitia est peccatum mortale, inquit Cajet. quando inducit mortalem omissionem, puta, cum quis horret bona spiritualia ad quæ tenetur, aut cum inducit ad mortalem commissionem, ad desperationem, aut ad contemptum beneficiorum Dei.

Consect 2. Peccant luxuriosi, gulosi, ebriosi, &c. qui carnalibus voluptatibus hebetati spirituales fastidiunt delicias, virtutis exercitia nihil omnino curant: de quibus ait David, Psal 106. v. 18. *Omnem escam abominata est anima eorum.*

Consect. 3. Peccant qui rebus creatis potius quam Deo tamquam ultimo fini adhærent, in quibus cupiditas dominatur, & non caritas; hic enim animæ status, hæc cordis nostri affectio divino amori maxime adversatur, ut docet S. Franciscus Salesius Genevensis Antistes lib. 10. de divino amore. *Hoc*, inquit, *a nobis poscit Deus, ut inter omnes amores divinus præcipuum in corde locum obtineat, ut toti nimirum dominetur cordi .... Omnes nimirum facultates mancipans .... Singulis sufficiens* est ille amor, *sed omnibus necessarius ad salutem*: ita enim oportet nos esse affectos erga creaturas, inquit Paul. 1. Cor. 7. v. 31. *ut qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi*: & juxta Aug. lib. 1. de Doct. Christ. cap. 3. utendum est hoc mundo & non fruendum. *Frui enim est*, inquit, *amore alicui rei inhærere propter seipsam; uti autem, quod in usum venerit, ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est.*

Consect. 4. Peccant demum contra amorem Dei effectivum quicumque peccatum aliquod mortale committunt, ut docet Gerson in Opusc. tripar. cujus hæc sunt verba: *Præceptum est*, inquit, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. *hoc est non voles scienter rem quamcumque amare plusquam Deum, quo Dei amorem perdas. Hoc autem præceptum convenienter ab homine servatur, & non aliter, si legem Dei, & alia præcepta operibus impleat; quisquis enim mortaliter peccat, præceptum hoc infringit, quia voluntatem suam divinæ voluntati oppositam anteponit.* Hactenus Gerson. Amorem illum perversum mortalem esse pronuntiat Christus, apud Matth. c. 10. v. 37. *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus; & qui amat filium, aut filiam suam super me, non est me dignus.*

PARS TERTIA.

De caritate erga nos.

DE caritate erga nos eodem ordine agemus, quo de caritate circa Deum. Statuemus 1. Ad quid obliget caritas erga nos. 2. Quæ vitia illi opponantur.

CAPUT VI.

Ad quid obliget caritas erga nos.

PRæcepto non opus est, ut notat Aug. lib. 1. de Doct. Christ. c. 26. *ut se quisque & corpus suum diligat .... Quoniam id quod sumus inconcussa naturæ lege diligimus;* ideo lex non imponit præceptum, quo nos diligamus; sed modum statuit, quo dilectio erga non dirigatur.

1. *Prop* Ut homo recte se diligat, tenetur se diligere propter Deum, in cujus possessione posita est ejus beatitudo.

Prob. 1. Script. Christus ut caritatem nostram erga nos ipsos dirigat, ita nostros affectus ordinat, ut velit nos odio habere ea omnia, quæ nos a Deo separant, eaque diligere, quæ Deo nos possunt conjungere: sic enim loquitur apud Marc. 8. v. 25. *Qui enim voluerit animam suam salvam facere* in æternum, *perdet eam* temporaliter; *qui autem perdiderit animam suam propter me, & Evangelium, salvam faciet*: & Petrus I. v. 1. 12. observantiam caritatis in eo sitam esse contendit, ut animas sanctas, Deoque placentes efficiamus: *Animas*, inquit, *vestras castificantes in obedientia caritatis*: & Judas Apostolus vult ut dilectio nostra semper ad beatitudinem tendat: *Vosmetipsos*, inquit, *in dilectione Dei servate, expectantes misericordiam Domini nostri Jesu Christi in vitam æternam*: ergo ut homo recte se diligat, debet se in ordine ad Deum diligere.

2 Ex Aug. lib. 1. de Civ. Dei c. 4. ubi sic loquitur: *Ut homo sese diligere possit, constitutus est ei finis, quo referret omnia, quæ ageret, ut beatus esset*: ergo ut homo recte se diligat, debet se propter Deum diligere: & lib. 1. de Doct. Christ. rem eamdem distinctius explicat his verbis: *Sed nec se ipso quisquam*

quam frui debet, *si liquido advertas : quia nec seipsum debet propter seipsum diligere*, *sed propter illum quo fruendum est* ; *tum est quippe optimus homo*, *cum tota vita sua pergit in incommutabilem vitam*, *& toto affectu inhæret illi* : ergo homo non recte se diligit, nisi se diligat propter Deum.

3. *Rat.* Homo recte non se diligit, nisi quatenus vult sibi bonum, quo beatus fiat ; homo autem non vult sibi bonum, quo beatus fiat, nisi se diligat propter Deum ; quia extra Deum homo beatus esse non potest, juxta illud Aug. Conf. 13. c. 8. *Hoc autem scio*, *quia male mihi est præter te*, *non solum extra me*, *sed & in meipso*, *& omnis copia*, *quæ Deus meus non est*, *mihi egestas est* : ergo homo non recte se diligit, nisi diligat propter Deum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Primum officium caritatis hominis erga seipsum est, ut desideret supremam beatitudinem, & in inquirenda illa beatitudine totos nervos intendat. *Quærite primum regnum Dei*, *& justitiam ejus*, inquit Christus, *& hæc omnia adjicientur vobis.* Primum, idest, ante omnia, super omnia, & in omnibus ; & Eccles. 12. v. 13. *Finem loquendi pariter omnes audiamus : Deum time*, *& mandata ejus observa* ; *hoc est enim omnis homo*. *Ad hoc*, inquit Hier. *natus est omnis homo* ; & Bern. serm. 20. in Cant. *Ergo si hoc est omnis homo*, *absque hoc nihil omnis homo* ; igitur ut optime monet Eucher. Epist. parænetica ad Valerian. *Primas apud nos curas*, *quæ prima habentur*, *obtineant*, *summasque sibi sollicitudinis partes salus*, *quæ summa est*, *vindicet*. *Hæc nos occupet in præsidium*, *& tutelam sui*, *jam non plane prima*, *sed sola* : cura enim salutis nostræ negotium est, non multiplex, & vagum, sed unicum ; non vanum, & indifferens, sed plane necessarium ; non temporale, sed æternum ; non extraneum, sed proprium.

Negotium salutis unicum est, cunctisq; hominibus omnino necessarium ; unde Christus ait Marthæ cibos quibus ipse aleretur præparanti (quo tamen nihil sanctius) *Martha*, *Martha sollicita es*, *& turbaris circa plurima* ; *porro unum est necessarium*, scilicet, cura salutis.

Negotium salutis proprium est, & non extraneum, quo cadente omnia cadunt, quantumvis prospere succedere videantur, juxta illud Christi : *Quid prodest homini*, *si universum mundum lucretur*, *animæ vero suæ detrimentum patiatur?*

Demum negotium salutis, non tempus respicit quod brevi finiet ; sed æternitatem quæ semper duratura est ; unde ait Christus : *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*, *ubi ærugo*, *& tinea demolitur*, *& fures effodiunt & furantur* : *thesaurizate autem vobis thesauros in Cælo*, *ubi neque ærugo*, *neque tinea demolitur*, *& ubi fures non effodiunt*, *nec furantur*. Matth. 6. v. 19. Ideo Salomon, attendens, quod salutis suæ curam neglexisset, ait : *Stultissimus sum omnium hominum*. Ipsimet reprobi pariter eamdem veritatem inviti inter flammas confitentur : *Ergo erravimus*, inquiunt, *a via veritatis* ; itaque qui prudens sibi sapit, suæ saluti ante omnia invigilat, & sic se recto ordine diligit.

Consect. 2. Secundum officium caritatis erga nos in eo situm est, ut quilibet beatitudinem optet, non vago, sed certo desiderio, mediaque ad eam beatitudinem perducenti efficaci electione assumat, & obices ab ea removentes efficaci horrore longe abjiciat, servetque constanti proposito mandata omnibus hominibus imposita, & ea quæ ad ipsius statum pertinent. *Si vis*, inquit Christus, *ad vitam ingredi*, *serva mandata* : & loquens de dilectione Dei & proximi, ait : *fac hoc & vives*.

Quæ sint mandata omnes homines spectantia, dicemus, explicando Decalogum ; quæ vero sint mandata cuilibet statui peculiaria, ostendemus, agendo de variis hominum statibus.

Consect. 3. Tertium caritatis officium erga nos ipsos est, ut corpus animæ, animam vero Deo subjiciamus : de quo ita D. Thom. 2. 2. q. 25. a. 7. *Secundum hoc*, *boni diligunt seipsos secundum interiorem hominem*; *quia volunt ipsum servari in sua integritate*; *& optant ei bona*, *quæ sunt bona spiritualia* : *& etiam ad ea assequenda intendunt*, *& delectabiliter ad cor proprium redeunt*, *quia ibi inveniunt bonas cogitationes in præsenti*, *& memoriam bonorum præteritorum*, *& spem futurorum bonorum*, *ex quibus delectatio causatur*. *Similiter etiam non patiuntur in seipsis voluntatis dissensionem*; *quia tota anima eorum in unum tendit*, scilicet in Deum.

Consect. 4. Quartum officium caritatis erga nos est, ut in dilectione nostri Deum, Christum, Sanctos nobis in exemplum proponamus ; adeo ut talis sit amor erga nos, qualis est amor Dei, amor Christi, & amor Sanctorum erga seipsos. *Estote*, inquit Paulus, *imitatores Dei*, *quasi filii carissimi* : ad Ephes. 5. v. 1. & rursus : *imitatores mei estote*, *sicut & ego Christi* : Ergo sicut Deus omnia

omnia propter semetipsum operatus est, sicut Christus omnia operatur propter gloriam Patris, sicut Sancti omnia in gloriam Dei referunt; ita & nos omnia nostra referamus in eam beatitudinem, quam non alibi quam in Deo reperiemus.

Deum autem imitabimur, si de rebus judicemus, ut ipse judicat; si de eis loquamur, ut ipse loquitur in Scripturis; si contemnamus quod ipse contemnit; si magni faciamus quod ipse æstimat; si demum non rationem incertam, sed fidem infallibilem audiamus; neque corruptis affectibus quos cupiditas suggerit, sed piis motibus quos caritas inspirat, obtemperemus.

Christum imitabimur, si Adamum, in quo fuimus carnaliter geniti, exuamus; Christum vero, in quo fuimus spiritualiter regenerati, induamus: si opera carnis, qualia sunt superbia, avaritia, luxuria, gula, ira, acedia, fugiamus; sectemus vero opera spiritualia, qualia sunt humilitas, liberalitas, continentia, temperantia, patientia, zelus in spiritualibus: quæ omnia officia Paulus ad Rom. 13. v. 13. his verbis complexus est: *Induimini Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis*. Si demum ita nobis in cunctis proponamus Christum, ut nihil ardentius optemus quam ut *formetur Christus in nobis*: ad Gal. 4. v. 15. ut possimus dicere cum Paulo: *Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus*: ad Gal. 2. v. 20. Christus enim est *via, veritas, & vita*: *via*, per exempla, quæ nobis exhibuit: *veritas*, per doctrinam quam tradidit: *vita*, per gratiam quam nobis meruit. *Qui ergo dicit se in ipso manere; debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare*.

Sanctos imitabimur, ut oportet, si beatitudinem, cujus sunt participes, sitiamus; si accessum, quem habent ad Deum, precibus sollicitemus, si iisdem utamur mediis, quibus ipsi ad cælos pervenerunt; si quæ fuerint in illis peccata, hæc horreamus, sicut & ipsi horruerunt; si quæ fuerint in eis viæ non vulgares, miremur, & non imitemur, communibus vero eorum virtutibus, statuique nostro convenientibus insistamus.

CAPUT VII.

De vitiis oppositis caritati erga nos.

PRop. *unica*. Tunc homo inordinate se diligit, cum non diligit se propter Deum.

Prob. 1. Script. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*. Psal. 10. v. 6. & Joan. 12. v. 25. *Qui amat animam suam, perdet eam*: ergo ille homo, qui non se diligit propter Deum, inordinate se diligit.

2. Ex Aug. Epist. 52. ad Maced. ubi sic loquitur: *In dilectione Dei ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & proximi tamquam sui ipsius, intelligitur nullam esse aliam dilectionem, qua quisque diligit seipsum, nisi quod diligit Deum; qui enim aliter se diligit, potius se odisse dicendus est: fit quippe iniquus, privaturque luce justitiæ, qui a potiore, & præstantiore bono aversus, atque inde vel ad seipsum conversus, ad inferiora utique, & egena convertitur: fitque in ipso quod veracissime scriptum est*: Qui amat iniquitatem, odit animam suam. Et ibidem: *Nemo nisi Deum diligendo diligit seipsum*.

3. *Rat.* Tunc homo inordinate se diligit, cum removet a se bonum, sine quo beatus esse non potest, omnis enim recta dilectio ad veram beatitudinem tendit: atqui quando homo non se diligit propter Deum, amovet a se bonum sine quo beatus esse non potest, quia extra Deum haberi nequit beatitudo: ergo tunc homo se inordinate diligit, cum diligit se sine ordine ad Deum. *Siquidem*, ut ait Aug. lib. de moribus Eccles. c. 26. *Ille se satis diligit, qui sedulo agit, ut summo, & vero perfruatur bono; quod si nihil sit, quam tu Deus .... quis cunctari potest, quin se amet, qui amator est Dei? & quin se oderit, qui non est amator Dei?*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ille homo inordinate se diligit, qui beatitudinem, quam sponte optat, alibi, quam in Deo, collocat, v. g. in aliquo objecto creato, puta, divitiis, voluptatibus, &c. quod ita insectabatur olim David, Psal. 143. v. 15. *Beatum dixerunt populum, cui hæc* bona temporalia *sunt*, cum revera infelix sit. *Beatus* vero *populus cujus Dominus Deus ejus*: Psal. 83. v. 13. & rursus: *Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te*.

Consect. 2. Ille homo inordinate se diligit, qui statuens quidem beatitudinem in Deo, quærit tamen in Deo eam beatitudinem, quam natura corrupta appetit, non eam, quam nobis fides promittit, idest, quærit beatitudinem carnalem, non spiritualem, qualem filiis cupiebat mater filiorum Zebedæi Matth. 20. v. 2. sic enim orabat: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram in regno tuo*: qualemve hi duo Apostoli petierunt, juxta Marc. 10. v. 37.

v. 37. *Da nobis, ut unus ad dexteram tuam, & alius ad sinistram tuam sedeamus in gloria tua.* Inordinatus est ille amor, quo concupiscentia non reprimitur, sed differtur: de quo ita Aug. serm. 74. vulgo de tempore super hæc verba, *Multi venient ab oriente & occidente*, ubi sic loquitur: *Recumbent*, inquit, *requiescent. Non enim debemus illic carnales epulas cogitare, aut aliquid tale in illo concupiscere, ut non vitia mutemus virtutibus, sed vitia subdamus: aliud enim est desiderare Regnum cælorum propter sapientiam, & vitam æternam; aliud propter felicitatem æternam, alias terrenam, quasi illic habeamus opulentiorem, atque meliorem; si divitem te in illo Regno futurum putas, cupiditatem non amputas, sed mutas, & tamen dives eris, & non nisi illic dives eris.* & in Psal. 110. sic loquitur idem Sanctus Doctor: *Nolo te fallas, nec terram fluentem lac & mel carnaliter cogites, non amœna prædia, non hortos fructiferos, & opacos, nec tale aliquid mediteris adipisci, quale solet hic oculus avaritiæ concupiscere; cum enim sit* radix omnium malorum cupiditas, *perimenda est, ut hic consumatur; non differenda, ut ibi satietur.*

Consect. 3. Ille homo inordinate se diligit, qui, præconcepto vago desiderio consequendi beatitudinem, negligit media ad eam beatitudinem assequendam necessaria: de quo ita Sapiens Prov. 13. v. 4. *Vult & non vult piger*, idest, vult salutem, & non vult media conducentia ad salutem.

Consect. 4. Ille homo inordinate se diligit, qui pluris facit corpus quam animam: qui exteriorem hominem carnalem & corruptum fovet, interiorem vero hominem spiritualem non audit: de quo ita D. Th. 2. 2. q 25. a. 7. *Mali non volunt conservari in integritate interioris hominis, neque appetunt ejus spiritualia bona, neque ad hoc operantur, neque delectabile est eis secum convivere redeundo ad cor; quia inveniunt ibi mala & præsentia, & præterita, & futura, quæ abhorrent, neque etiam sibi ipsis concordant propter conscientiam remordentem.*

Consect. 5. Ille homo inordinate se diligit, qui indiscreto zelo ductus pluris facit salutem æternam proximi quam suam; nemini enim licet salutem suam æternam pro salute etiam æterna proximi amittere, nec propriæ damnationi proximorum causa acquiescere. *Etenim hoc est*, inquit D. Th. in c. 9 ad Ro. v. 3. *contra ordinem caritatis, quo quis tenetur diligere Deum super omnia, & suam salutem plusquam salutem aliorum.* Nec est quod opponatur vel Moyses Deum sic orans pro Judæis in idololatriam lapsis: *Aut dimitte eis hanc noxam aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Exod. 32. v. 31. vel Paulus sic zelum suum erga Israelitas attestans ad Rom. 9. v. 3. *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.* Uterque enim, inquit Hieron. Moyses scilicet & Paulus, *vult perire in carne, ut alii salventur spiritu; uterque vult suum sanguinem fundere, ut multorum animæ conserventur.* Quod sacrificium est gratum Deo; etenim, ut ait Christus, Joan. 15. v. 13. *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Est etiam utile ei, qui pro proximo migrat e vita hac temporali; *qui enim odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Jo. 12. v. 25. Sed nec Paulus, nec Moyses pro salute fratrum voluerunt *perire in perpetuum*, inquit Hieron. Hoc enim sacrificium injucundum est Deo, qui salutem nostram optat, non damnationem: inutile proximo; *Qui enim sibi nequam est, cui bonus erit?* Eccli. 14. v. 5. eique noxium qui vana illusione deceptus salutem suam æternam pro aliorum salute devovet: etenim, inquit Salomon, Proverb. 9. v. 12. *Si sapiens fueris, tibi metipsi eris.* Unde damnata est hæc propositio Quietistarum: *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nullo debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso: nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem purgare debet.*

Consect. 6. Ille homo inordinate se diligit, qui Adamum imitatur, non Christum, qui carni obsecundat non spiritui, qui mundum audit non Evangelium, qui cupiditate ducitur non caritate, a quibus nos deterret Joan: his verbis 1. cap. 2. v. 15. *Nolite diligere mundum, neque omnia quæ in mundo sunt; quoniam omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Per concupiscentiam *carnis* intelligit Aug. quidquid ad libidinem & mollitiem pertinet, v. g. luxuriam, theatra, ludos, choreas. Per concupiscentiam *oculorum* intelligit quod pertinet ad avaritiam, ad ornatum vestimentorum ædificiorum nimiamque elegantiam. Per superbiam *vitæ*, intelligit Aug. omne genus arrogantiæ, fastus, & despectus aliorum.

PARS

PARS QUARTA.

De Caritate erga proximum.

EOdem ordine hic procedemus, quo jam de caritate erga Deum & erga nos egimus, hoc est, de caritate erga proximum ostendemus 1. Ad quid obliget caritas erga proximum. 2. Quæ vitia sint illi opposita.

CAPUT VIII.

Ad quid obliget Caritas erga proximum.

NOta. Actus caritatis erga proximum alii sunt interiores solum, alii interiores simul & exteriores.

Actus interiores caritatis erga proximum sunt illi, quibus bonum salutare proximo & petimus a Deo, & ei optamus.

Actus interiores simul & exteriores sunt illi, quibus ex affectu caritatis bonum proximo nedum petimus a Deo eique optamus, sed etiam facimus, v.g. eleemosynam corporalem impendendo, correctionem adhibendo, bonis exemplis prælucendo. De quibus omnibus sigillatim agendum.

ARTICULUS I.

De actibus interioribus Caritatis erga proximum.

PRop. 1. Quilibet homo tenetur actu interiori & positivo proximum diligere, & ei velle bonum spirituale in ordine ad beatitudinem.

Prob. 1. Scriptura. Christus apud Matth. 22. v. 37. sic caritatem nostram erga Deum & proximum ordinat: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo... Proximum tuum sicut te ipsum:* atqui debemus ex dictis diligere nos in ordine ad beatitudinem: ergo & debemus proximum diligere in ordine ad beatitudinem, optando scilicet ei & procurando media, quibus ad Deum, qui est nostra beatitudo, deducatur.

Prob. 2. Ex Aug. *Beati prorsus omnes esse volumus*, inquit lib. 19. liber. arb. cap. 21. *Ad hoc bonum debemus & a quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere.* lib. 10. de Civ. cap. 4. Ergo debemus diligere proximum, eique beatitudinem supernaturalem optare, & quantum in nobis est procurare.

Prob. 3. Ratione. 1. Ratio. Caritas erga proximum est virtus; virtus autem est propter operationem: ergo caritas erga proximum non potest semper esse sterilis, sed aliquando debet in actum erumpere: & quia diligere est velle bonum conforme naturæ, quæ diligitur; si vere diligamus proximum, debemus ei beatitudinem, & bona conducentia ad beatitudinem optare. *Ille enim*, inquit Aug. serm. de temp. alias 256. nunc 336. cap. 2. *veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia est in illo, aut ut sit in illo.*

2. Ratio. Debemus proximum diligere, sicuti Deus dilexit nos; juxta illud Joan. 14 v. 11. *Carissimi, si sic Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere*: atqui Deus dilexit nos actu interiori & positivo, ordinando nos ad beatitudinem æternam, & conferendo media conducentia ad illam, juxta illud Jerem. 31. v. 3. *In caritate perpetua dilexi te, & ideo attraxi te miserans:* ergo debemus proximum actu interiori & positivo diligere, optando ei beatitudinem, & media conducentia ad illam.

Ubi diligenter adverte, quod amor Dei & amor Christi erga nos debet esse regula amoris nostri erga proximum: & proinde sicut Deus & Christus ita diligunt homines, ut velint sincere eorum salutem æternam; ita & nos debemus salutem æternam proximi & optare, & quantum in nobis est procurare.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccaret qui numquam proximum suum actu interno diligeret, optando ei beatitudinem & media conducentia ad beatitudinem; quia nullum eliceret actum caritatis erga proximum. Ideo damnata est hæc propositio ab Innoc. XI. & a Clero Gallic. art. 5. *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali.* Et quidem merito: si enim Scripturam consulas, nullum Sanctum invenies, qui occasionem proximo bene faciendi ardenter non quæsierit, & oblatam avide non susceperit. Sic cum Abraham intellexisset a Deo Sodomam subvertendam, ex caritate erga proximum ait ad Deum: *Numquid perdes justum cum impio?* Gen. 18. Sic Moyses videns Deum iratum contra populum ob commissam idololatriam, ex caritate incensus ait: *Cur Domine irascitur furor tuus super populum:.. Esto placabilis super nequitia populi... Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro tuo quem scripsisti*: Exod. 32. Quam non exhibuit caritatem David erga Saulem persecutorem; erga Absalonem rebellem? Quam misericordiam non exhibuit Tobias erga concaptivos? Divus.

vus Paulus erga Christianos? Hic omnibus omnia factus est, ut omnes lucri faceret. Demum, quam non exhibuit Christus caritatem erga nos omnes? Tradidit enim semetipsum pro nobis.

Consect. 2. Peccaret qui nullum eliciens actum internum erga proximum, solis actibus exterioribus contentus esset; actus enim illi exteriores emanantes ab alio principio quam a caritate, non sufficiunt ad observationem præcepti caritatis. Unde ait Petrus: *In fraternitatis amore simplici ex corde invicem diligite.* 1. Petri cap. 1. v. 22. & Paulus ait: *Nemini quidquam debeatis nisi ut invicem diligatis.* ad Rom. 13. v. 8. Ideo damnata est hæc propositio ab Innoc. XI. & a Clero Gall. art. 5. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.* Deus enim & Christus diligunt nos, non amore solum externo, sed interno & sincero, exigunt que ut simili amore proximum diligamus. Pessima exempla solius illius externi & fallacis amoris erga proximum habes 1. in Labano erga Jacob: *Ait illi Laban, inveniam gratiam in conspectu tuo: experimento didici quia benedixerit mihi Deus propter te:* Gen. 31. v. 27. & interim dolose agebat contra illum; immutavit enim mercedem decem vicibus. Gen. 31. v. 42. 2. In Saule erga David: spondet ei fraudulenter filiam suam in uxorem mediantibus centum præputiis Philistinorum. *Saul autem reputabat dicens, non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philistinorum.* 1. Reg. cap. 18. v. 18. 3. In Absalone erga Ammonem quem vocat ad convivium, & inter epulas trucidat 2. Reg. cap. 13. v. 23. 4. In Joab erga Abner. *Adduxit eum ad medium portæ ut loqueretur ei in dolo, & percussit illum ibi in inguine.* 2. Reg. cap. 3. 27.

Consect. 3. Peccant qui diligunt proximum actu positivo & effectivo, sed carnali solum; ei optando, vel procurando bona temporalia sine ordine ad salutem æternam; amor enim noster erga proximum non alio debet tendere quam ad beatitudinem. *Non enim,* inquit Aug. tract. 1. in epist. Joan. *dilectio nostra carnalis esse debet ... Sic dilige inimicos tuos, ut fratres optes, sic dilige inimicos tuos, ut in societatem tuam vocentur; sic enim dilexit ille qui pendens in cruce ait:* Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

Consect. 4. Peccant qui non nituntur proximum ad Deum adducere; quia non eliciunt debitum actum caritatis erga proximum: etenim sicut tenemur nobis ipsis procurare media conducentia ad salutem, ita & proximo. *Sic ergo & nos invicem diligamus,* inquit Aug. *ut quantum possumus invicem ad habendum in nobis Deum cura dilectionis attrahamus.* Tract. 65. in Joan.

Consect. 5. Peccant qui nullis amoris affectibus moventur erga peccatores, erga pœnitentes, erga justos: si enim caritas Christi urget nos, debemus omnes omnino homines brachiis caritatis amplecti; nam sumus omnes creaturæ unius & ejusdem Dei, filii ejusdem Patris, actu, vel potentia, domestici ejusdem Ecclesiæ, membra ejusdem Christi, & demum in spe hæredes ejusdem Regni: ergo debemus omnes & desideriis optare, & precibus a Deo postulare fidem, qua illuminentur infideles, gratiam, qua convertantur peccatores, & auxilium, quo justi in justitia finaliter perseverent: ut simus omnes ex numero eorum, de quibus loquitur Paulus ad Rom. 8. v. 30. *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: quos vocavit, hoc & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit;* ut simul aliquando regnemus cum Patre, qui nos creavit, & Filio qui nos redemit, & Spiritu Sancto qui in nos effusus est, quo tendit præceptum caritatis erga proximum. Totum illud ita explicat Aug. lib. 1. de Doct. Christ. cap. 29. *Velle debemus,* inquit, *ut omnes diligant nobiscum Deum, & totum quod vel eos adjuvamus, vel adjuvamur ab eis, ad unum illum finem referendum est;* idque explicat exemplo isto. *Si enim,* inquit, *in theatris nequitiæ qui aliquem diligit histrionem, & tamquam magno, vel etiam summo bono ejus arte perfruitur, omnes diligit qui eum diligunt secum, non propter illos, sed propter eum quem pariter diligunt; & quanto est in ejus amore ferventior, tanto agit quibus potest modis ut a pluribus diligatur, & tanto pluribus cupit eum ostendere, & quem frigidiorem videt excitat eum quantum potest laudibus illius. Si autem invenerit contravenientem, odit in illo vehementer odium dilecti sui, & quibus modis valeat, instat ut auferat: quid nos in societate dilectionis Dei agere convenit, quo perfrui beate vivere est, & a quo habent omnes qui eum diligunt & quod sunt & quod eum diligunt, de quo nihil metuimus ne cuiquam possit agnitus displicere, & qui se vult diligi, non ut sibi aliquid, sed ut eis qui eum diligunt, æternum præmium conferatur, hoc est ipse quem diligunt?*

Prob. 2. Caritas nostra erga proximum debet se extendere ad omnes creaturas intellectuales capaces beatitudinis supernaturalis.

Prob. 1. Script. Ex 1. Joan. cap. 4. v. 21. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum:* atqui omnis creatura intel-

intellectualis loco fratris habenda est; quia nobis similis est per naturam, & similior potest fieri per gratiam: ergo caritas nostra debet se extendere ad omnes creaturas intellectuales capaces beatitudinis supernaturalis; & ita omnes homines viatores, omnes animæ beatæ, omnes Angeli sunt a nobis diligendi, & solos damnatos possumus a caritate nostra excludere.

Prob. 2. Ex Aug. lib. 1. de Doct. Christ. c. 3. *Cum dicitur*, diliges proximum tuum sicut teipsum, *manifestum est omnem hominem proximum esse deputandum* & ibidem ait, sanctos Angelos eo præcepto contineri: ergo caritas nostra debet se extendere ad omnes creaturas intellectuales capaces beatitudinis.

3. *Rat.* Caritas nostra erga proximum eo tendit, ut beatitudinem supernaturalem velimus proximo: ergo debet se extendere ad eos omnes qui sunt capaces beatitudinis. Quod fit utique hoc pacto. Lætamur cum his qui eam felicitatem possident. Optamus his qui eam non possident. Viatores quantum in nobis est ad supremam illam felicitatem ducimus. Comprehensores ad eam pervenisse gestimus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant qui solis affectibus naturalibus ducti, ab amore suo eos excludunt, quibuscum aut propter naturales quosdam defectus, aut morum contrarietatem, aut occultam aliquam antipatiam non conveniunt; nam omnes homines, quantumcumque moribus nobis dissimiles nobisve onerosos, loco proximi habere debemus. Unde Paulus ad Galat. 6. vers. 2. ait: *Alter alterius onera portate;* & ipse *omnibus omnia factus est ut omnes Christo lucri faceret*, ut habetur 1. Cor. 9. vers. 6. Neque enim Christianus, ut idem docet Paulus ad Philip. 2 v. 2. in amore suo considerare debet *quæ sua sunt, sed ea quæ aliorum*.

Consect. 2. Peccant qui indiscreto zelo animati peccatores ab amore suo excludunt: licet enim sint peccatores, non tamen desinunt esse proximi, amandi in ordine ad salutem; sed odio habendum peccatum quo a salute abducuntur. *Omnis peccator*, inquit Aug. lib. 1. de Doct. Christ. cap. 27. *in quantum peccator est, non est diligendus: & omnis homo, in quantum homo est, diligendus est propter Deum. Etsi enim*, inquit Greg. *indignationem debeamus vitiis, compassionem tamen debemus naturæ*. Sic salvo recto dilectionis ordine peccatorem & diligimus & odio habemus. *Amor*, inquit D. Thom. 2. 2. q. 34. a. 3. *debetur proximo secundum quod habet a Deo, id est secundum naturam & gratiam; non autem secundum id quod habet a se ipso & Diabolo, seu secundum peccatum & justitiæ defectum: & ideo, licet odio habere peccatum in peccatore, & omne illud quod pertinet ad defectum divinæ justitiæ; sed ipsam naturam & gratiam patris non potest aliquis odio habere sine peccato*. Hac distinctione explicantur imprecationes Scripturarum contra peccatores. v. g. *convertantur peccatores in infernum*, ita ut sensus sit, inquit D. Thom. 2. 2. q. 26. a. 6. ad 3. ut ea verba sint verba prophetantis, & non optantis; vel si optantis, referantur non ad pœnam peccatoris patientis, sed ad justitiam Dei punientis; vel si referantur ad peccatorem, eo vergat ut desideremus interitum peccatoris, non quatenus homo est, sed quatenus peccator est.

Quod Aug. paucis verbis ita explicat in Psal. 138. v. 22. Perfecto odio oderam illos: *Quid est perfecto odio? Oderam in eis iniquitatem eorum, diligebam conditionem tuam, id est quod a te acceperant:* & Greg. hom. 37. in Evang. eamdem veritatem ita explicat: *Sic nimirum exhibere proximis nostris odii discretionem debemus, ut in eis diligamus quod sunt, & habeamus odio id, quod in Dei nobis itinere obsistunt*.

Consect. 3. Peccant qui inimicos ab amore suo excludunt; licet enim inimici sint, tamen loco proximi habendi sunt, & ex speciali Christi præcepto diligendi; ita enim habet supremus ille Legislator: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, orate pro persequentibus & calumniantibus vos*; quod ut pateat, rem distinctius explicemus.

Inimici nostrorum criminum, quales sunt ii qui nos arguunt, increpant, a vitiis removent, audiendi sunt, eisque potius quam fraudulentis amicis obtemperandum. *Fili mi*, inquit Sapiens Prov. 1. v. 10. *si te lactaverint peccatores, ne acquiescas illis*. Et rursus cap. 13. v. 18. *Egestas & ignominia ei qui deserit disciplinam; qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur*.

Inimici nostræ salutis, quales sunt hi, qui nobis pariunt scandalum, sunt fugiendi. Si, inquit Sapiens, peccatores dixerint tibi, prov. 1. v. 11. *Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustra, deglutiamus eum sicut infernus viventem .... Fili ne ambules cum eis; probibe pedem tuum a semitis eorum*. Et Petrus Act. 2. v. 38. ad Judæos dicebat: *Pœnitentiam agite, & ba-*

& baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi ... Salvamini, id est, recedite *a generatione ista prava*. Sic Abraham eductus est est de Ur Chaldæorum, ne periret cum illis idololatris. Gen. 12. Loth eductus est ab Angelo e Sodoma, ne periret in scelere civitatis. Gen. 19. Et Judæi obedientes recesserunt a tabernaculis impiorum, *ne involverentur in peccatis eorum*. Num. 16. v. 26.

Inimici vero vel vitæ nostræ, vel famæ, vel fortunæ sunt tolerandi: non exasperandi injuriis, sed emolliendi benefactis. *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum*. Rom. 12. v. 21. Amor Dei & Christi erga nos, debet esse regula amoris nostri erga hujusmodi inimicos; eisque ista debemus. 1. Qui est lacessitus debet inimici conversionem & optare, & eam a Deo precibus postulare: optat enim Deus conversionem peccatoris. *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius a via sua, & vivat*. Ezech. 33. v. 11. 2. Debet inimicum veniam petentem sponte & benigne excipere, uti facit Christus. *Eum*, inquit, *qui venit ad me, non ejiciam foras*. Joan. 6. v. 37. & alloquens Petrum, & nos omnes, ait: *non dico tibi ut* parcas *usque septies, sed usque septuagies septies*. Matth. 18. v. 22. 3. Debet per se vel per alium offerre inimico reconciliationem, si speret futurum, ut id ad ejus conversionem inserviat. Id enim præstat Deus erga peccatores, quos semper ad pœnitentiam adhortatur, & quibus etiamsi pertinacissimis gratiam offert. *Ecce*, inquit, *sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ab illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*. Apoc. 3. v. 20. & Proverb. 18. 26. *Præbe fili mi cor tuum mihi*. 4. Non potest negare reconciliationem inimico veniam petenti, nec communia amoris indicia, imo nec specialia, cum hinc nasceretur scandalum, vel obex poneretur, quo retardaretur conversio inimici.

Qui vero injuste offendit proximum, debet 1. vel per se, vel per alios reconciliationem postulare. 2. Condignam satisfactionem offerre & exhibere; ea enim omnia exigit ordo caritatis & justitiæ. 3. Decens est, ut qui offensus est condonet injuriam, non rigidam exigens satisfactionem. Ea omnia observata cernimus in reconciliatione inita inter Joseph & fratres ejus post mortem Jacob. Primo enim fratres, qui Joseph offenderant, petierunt tum per se, tum per alios reconciliationem. *Mandaverunt* enim, inquit Script. Gen. 50. vers. 16. ad Joseph, *dicentes: pater tuus præcepit nobis antequam moreretur; ut hæc tibi verbis illius diceremus: obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te: nos quoque oramus ut servis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc*. 2. Debitam satisfactionem & obtulerunt, & exhibuerunt, ut testatur Scriptura ibid. v. 18. *Veneruntque ad eum fratres sui, & proni adorantes in terram dixerunt: servi tui sumus*. 3. Joseph omnem injuriam benigne condonavit; etenim, auditis nunciis fratrum, *flevit*, & ipsis fratribus dixit: *nolite timere, ego pascam vos & parvulos vestros, consolatusque est eos, & blande ac leniter locutus est*.

Consect. 4. Peccant qui animas in purgatorio existentes ab amore suo excludunt; nam quamvis a nobis incolatu absint, non tamen a nobis caritate separantur, sed nobis intime per Christum uniuntur, proinde debemus eas nostris suffragiis adjuvare; suffragia enim prodesse mortuis testatur Aug. lib. 1. de cura pro mortuis cap. 4. Illud idem confirmat lib. Conf. cap. 12. ubi asserit, Monicam matrem suam petiisse, ut pro ipsa offerretur Missæ Sacrificium. Media autem, quibus possumus animabus in purgatorio existentibus opitulari, sunt quam plurima.

1. Sacrificium Altaris: ex ipsomet exemplo Judæ Machabæi, qui pro peccatis eorum, qui in prælio ceciderant, jussit offerri Sacrificium; sic concludens: *Sancta ergo & salubris est cogitaito pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*. 2. Mach. 12. v. 46.

2. Eleemosyna, ut patet exemplo Tobiæ, qui filium sic præcipiendo alloquebatur. Tob. 4. vers. 18. *Panem tuum & vinum super sepulturam justi constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus*, uti faciunt pagani; sed potius ea largire pauperibus in solatium defuncti, *& mortuo non prohibeas gratiam*. Eccli. cap. 7. v. 37.

3. Pœnalibus operibus, qualia sunt jejunia, orationes, &c. Hoc enim juxta Ephrem & Dionysium Carth. videntur innuere ista verba Pauli 1. ad Corint. 15. 29. *Alioquin quid facient qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt? Ut quid baptizantur pro illis?* Hæc enim verba sensum hunc faciunt, inquit Estius in Paulum: Frustra quidam pro mortuis juvandis orando, jejunando, & alia quædam dura subeundo se fatigant & affligunt, si mortui non resurgunt: ita inquit Carthusianus, Catharinus, aliique nonnulli . . . Sed ipse Estius hanc expositionem improbans, aliam addit non longe dissimilem; ait enim consuetudine receptum apud Judæos, ut si quis legali-

galiter immundus moreretur, priusquam ab ea immunditia ablutus esset, alius quispiam pro eo baptizaretur, id est, lavaretur, quod existimarent hujusmodi lotionem proficere mortuo ad emundationem: ergo si in Synagoga is vigebat usus, ut viventes pro mortuis sublevandis affligerentur; idem a fortiori fieri debet a Christianis, qui credunt purgatorium.

Consect.5. Peccant hi, qui Angelos animasque beatas in suo amore affectivo non includunt, licet enim a nobis distent incolatu, non tamen absunt famulatu; etsi nos viatores, illi vero comprehensores, sumus tamen ejusdem Dei creaturæ, ejusdem Christi servi, unius & ejusdem Ecclesiæ cives: Ecclesia enim in cælis regnans, in purgatorio patiens, in terris pugnans, unum & non multiplex corpus constituit, cujus Christus est caput: ergo oportet, inter viatores & comprehensores caritatis affectibus sanctum foveri commercium. Dumque Sancti cumulant nos beneficiis, debemus nos gratiarum actiones pro acceptis officiis exhibere. Dumque illi amorem beneficum impendunt, debemus nos amorem affectivum rependere. Quamdiu illi in monte constituti levant manus ad Deum dum pugnamus contra dæmones, ut olim manus levabat Moyses dum populus pugnaret contra Amalech, debemus nos adjutores nostros interdum invocare. Demum, si Scriptura teste gaudium fit in cælis super uno peccatore pœnitentiam agente, gaudium debet esse in terris super cœtu Beatorum immobiliter Deo fruentium..... Vide infra de cultu erga Sanctos.

ARTICULUS II.

De eleemosyna corporali.

§. I.

Explicatur quid sit eleemosyna corporalis, simulque variæ traduntur notiones ad intelligentiam eorum necessariæ, quæ de eleemosyna dicturi sumus.

Eleemosyna corporalis late sumpta actum omnem significat, quo proximo corporaliter egenti corporaliter succurrimus, vel nutriendo, dum eget, vel vestiendo, dum est nudus, vel redimendo, dum est captivus, vel hospitio recipiendo, dum caret, vel visitando dum ægrotat aut detinetur in carcere, vel denique sepeliendo, dum est mortuus. Unde hic versiculus:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Eleemosyna stricte sumpta eam opem significat, quæ ex superfluis nostris, seu rebus nobis non necessariis corpoream proximi necessitatem levamus vel ei dando quod possumus, vel commodando & mutuum dando, vel denique debita, dum in infortunium incidit, condonando.

Unde eleemosyna in duobus fundatur: in superfluo divitum, & necessitate pauperum.

Superfluum est multiplex: superfluum naturæ, superfluum conditionis.

Superfluum naturæ est illud, sine quo homo se ipsum & suos alere potest & vestire, sine quo potest honestam habere sustentationem.

Superfluum conditionis est illud, quod non est necessarium statui & conditioni conservandæ, juxta regulas Evangelicas.

Necessitas in paupere est multiplex: extrema, gravis, & vulgaris.

Necessitas extrema est ea, in qua pauper brevi est moriturus, aut casurus in morbum, vel deliquium, nisi ei succurratur.

Necessitas gravis est ea, qua pauper caderet suo statu, & insigniter deprimetur, nisi ei succurratur.

Necessitas vulgaris seu communis est ea, qua laborant ut plurimum mendicantes, etiam tempore quo sterilitate terra non affligitur.

§. II.

An eleemosyna sit de consilio vel de præcepto.

Prop. unica. Eleemosyna est in quibusdam casibus non tantum de consilio, sed etiam de præcepto.

Prob.1. Script. *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi qui tecum versatur in terra.* Deut. cap.15. v.11.

Declina pauperi sine tristitia aurem tuam, & redde debitum tuum. Eccle. c.4. v.8. Si eleemosyna sit debitum; non est solum consilium.

Christus in fine mundi dicturus est reprobis: *Ite maledicti in ignem æternum; esurivi enim, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi potum.* Matth. c.25. v. 42. Itaque cum nemo damnetur ob solam omissionem eorum, quæ sunt tantum de consilio, & homines damnentur ob omissam eleemosynam; dare eleemosynam non est tantum de consilio, sed etiam de præcepto.

In exemplum hujus veritatis afferri potest incendium Sodomitarum, & detrusio divitis in

in infernum. Scriptura quippe hæc supplicia in omissionem eleemosynæ refundit. Ezech. 16.v.49. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius, & filiarum ejus, & manum egeno & pauperi non porrigebat.* Item *mortuus est dives, & sepultus est in inferno.* Luc. 16. v.22. *scilicet ob duritiem suam erga pauperes*, ut explicat Chrysologus serm.121.

Prob. 2. Ex Greg. Naz. *An tu benignitatem* seu beneficentiam in pauperes, *non necessariam, sed tibi liberam esse putas? An non legem, sed consilium? Hoc quoque ipse magnopere vellem & existimarem; sed me sinistra illa manus terret, & hædi & probra, quæ ab eo, a quo sunt illic collocati, conjiciuntur: non quia manus in aliena bona intulerunt, nec quia templa diripuerunt; sed quia Christum in pauperibus, seu per pauperes minime curaverunt.* Gregor. Naz. Orat.16.

Prob. 3. Ratione. 1. Ratio. Homines debent se mutuo juvare, sicuti juvant se mutuo membra unius & ejusdem corporis; omnes enim procedimus ab eodem creatore Deo, nascimur ab eodem parente Adamo, regeneramur spiritualiter in eodem Salvatore Christo, vivimus in eadem domo, nimirum Ecclesia, ad quam omnes homines vocantur, constituimus unum & idem corpus morale sub uno, & eodem capite Christo Jesu, vocati ad eamdem hæreditatem, gloriam nimirum æternam. Creaturæ ergo ejusdem Dei, filii ejusdem Patris, domestici ejusdem Ecclesiæ, membra ejusdem corporis, cohæredes ejusdem gloriæ, tenemur inviolabili lege mutuo nobis suppetias ferre. Ideo dicit Christus: *Caritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Joan.cap.17.v.22. Ideo dicit Paulus ad Galat.5.v.2. *Alter alterius onera portate*, mutuo scilicet juvando vos.

Exemplum hujus mutuæ caritatis exhibuit Ecclesia Jerusalem. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una. Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Act.cap.4. v.32. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Hoc exemplo stimulati debent modo Christiani mutuis se officiis juvare, diligentes se in veritate. *Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.* 1.Joan.3.v.18.

2. Ration. Omnes homines natura sua sunt æquales, sed Deus voluit, ut homines essent conditione inæquales, ut illa inæqualitate posita inopes subsidium acciperent a divitibus, & divites occasionem sanctificationis invenirent in pauperibus. Idcirco dicit Chrysostomus, quod vir dives se gerere debeat ad instar quæstoris cujuspiam, qui ab ipso Deo pecunias pauperibus erogandas acceperit; quapropter si majorem ejusmodi pecuniarum copiam, quam poscat sua ipsius necessitas, suos in usus convertat, se gravissime plectendum esse noverit. Serm. 2. de Laz. Dispensator autem tenetur ex officio, non solum ex consilio bona commissa dispensare juxta beneplacitum Domini. Tenentur itaque divites ex præcepto in eleemosynas impendere bona ipsis superflua. Exemplum hujusce rationis a Deo exigendæ indicat parabola de villico, cui dicitur: *Redde rationem villicationis tuæ.* Constat igitur, quod eleemosyna non est tantum de consilio, sed etiam de præcepto: non justitiæ, adeo ut omittens dare eleemosynam teneatur ad restitutionem; sed caritatis, adeo ut graviter peccet qui negligit dare eleemosynam, quando tenetur dare; quia, ut docet D. Thom. *Dare eleemosynam proprie est actus misericordiæ*, & non justitiæ, 2.2. quæst. 32. art. 1. in corpore.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Christianus quilibet tenetur coram Deo vel solus, vel cum Confessario, vel cum erudito aliquo Doctore determinare, quid sibi necessarium, quid sibi superfluum, ut utatur necessariis, & largiatur superflua; quia, ut ait August. in Psal. 147. *Superflua divitum, necessaria sunt pauperum: res alienæ possidentur, cum superflua possidentur.*

Consect. 2. Confessarius tenetur manifestare pœnitentibus suis, quo fine Deus illis bona temporalia concesserit, juxta illud Pauli 1. ad Timoth. cap. 6. v.17. *Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum; sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam.*

Consect. 3. Constat, quod pauci sunt homines, qui non teneantur præcepto faciendi eleemosynam, quia pauci sunt qui in aliqua re indigenti proximo succurrere non valeant. *Quomodo potueris, ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum impertiri libenter stude.*

§. III.

§. III.

Quandonam urgeat præceptum eleemosynæ.

*Prop.*1. Ut præceptum dandi eleemosynam urgeat, duo requiruntur. Primum, ut sit superfluum in dante: secundum, ut sit necessitas in recipiente; superfluum, inquam, vel in natura, vel in conditione; necessitas vero vel extrema, vel media, vel vulgaris.

*Prob.*1. Script. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo caritas Dei manet in illo?* 1. Joan. cap.3. v.17. Ubi Apostolus duo exigit ad eleemosynam: superfluum in divite, & necessitatem in paupere.

*Prob.*2. Ex Basilio in hæc verba, Destruam horrea mea: *Cur tu abundas, ille vero mendicat, nisi ut tu bonæ dispensationis merita consequaris; ille vero pœnitentiæ braviis decoretur? Est panis famelici, quem tu tenes; nudi tunica, quam tu in conclavi servas; discalceati calceus, qui penes te marcescit; indigentis argentum quod possides inhumatum: quo circa tot injuriaris, quot dare vales.* Tunc ergo eleemosyna est in præcepto, quando dives abundat, & pauper esurit, ut superfluum unius suppleat necessitatem alterius.

*Prob.*3. Ratione. Finis eleemosynæ est, ut abundantia unius reparet indigentiam alterius: ergo tunc tantum eleemosyna erit in præcepto, quando superfluum est in dante, & necessitas in recipiente: & sicuti in corpore humano sine magistro, & natura sola duce, pars sana infirmam juvat, retento tamen sibi necessario; ita qui dives est, sic pauperem juvare debet, ut necessarium sibi retineat.

Ex quo constat 1. Quod eleemosyna debet fieri de superfluis, juxta illud Christi: *Quod superest date.* 2. Quod eleemosyna passim non debet fieri de necessariis, juxta illud Pauli: *Date, non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate.* 2. ad Corint. c.8. v.13.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccaret graviter qui nunquam daret superflua naturæ, etsi aliunde necessaria conditioni; quia aliquando eleemosyna debet fieri de superfluis naturæ, etiamsi statui necessariis. Ita videtur docere Hieron. Epist. ad Hedibiam 2. c.2. *Præceptum est, ne cogitetis de crastino: si plus habes quam tibi ad victum vestimentumque necessarium est, illud eroga, & in illo debitricem te esse noveris.*

Consect. 2. Peccaret graviter qui nunquam daret superfluum conditioni, sed quæcumque haberet ea cupide retineret vel ut frueretur illis bonis, vel ut ad altiorem statum ambitiose conscenderet; quia aliquando eleemosyna debet fieri de superfluis statui.

Dives, inquit Cajet. *non dispensans superflua, non solum illicite agit propter libidinem dominandi, & inordinatum amorem pecuniæ; sed mortaliter peccat contra proximorum indigentiam, occupando superflua, quæ pauperibus debentur, ex hoc ipso quod sunt superflua.* In 2.2. q. 118. a.4.

Monit. Etsi sit difficile admodum determinare præcise quæ sint superflua; sequentia tamen ab omnibus haberi debent ut non necessaria, & proinde ut debita pauperibus.

1. Bona quibus vulgo utimur ad peccandum, v.g. argentum quod insumimus ad fovendam libidinem, ebrietatem, ambitionem, &c. quia divitiæ non nobis datæ sunt ut Deum offendamus.

2. Bona quibus vulgo utimur ad delicias vel vetitas, vel ad minus periculosas, v.g. ad comœdias, ad choreas, comessationes, ludum; quia bona temporalia non data sunt nobis a Deo, ut exponamus nos periculo peccandi.

3. Bona quibus vulgo utimur, ut sine vocatione cum salutis dispendio ad statum altiorem ascendamus; quia bona temporalia non data sunt, ut sint nobis occasio perveniendi ad statum, cui Deus non nos sua vocatione destinavit.

4. Bona quæ ex incuria perire permittimus, v.g. frumentum quod in horreo corrumpitur; vinum quod in cella acescit; victualia quæ in domo putrescunt; vestimenta quæ tineis consumuntur, &c.

Consect. 3. Nullus debet facere eleemosynam ex bonis simpliciter necessariis ad conservandam vitam tum propriam, tum illorum qui ad ipsum pertinent; quia eleemosyna non debet fieri de necessariis. *Inordinatum esset autem, si aliquis tantum de propriis bonis sibi subtraheret, ut aliis largiretur, quod de residuo non posset vitam transigere convenienter secundum proprium statum & negotia occurrentia: nullus enim inconvenienter vivere debet; sed ab hoc tria sunt excipienda: quorum primum est. Quando aliquis ingreditur religionem omnia relinquens propter Christum. 2. Quando de facili sperat resarcire necessaria quæ largitur. 3. Quando est extrema necessitas.* 2.2. quæst.32. art.6.

Consect. 4. Quando duo sunt in æquali necessitate, si sint æqualis dignitatis, & utilitatis Reipublicæ, neuter obligatur sibi subtrahere necessarium naturæ, ut alteri lar-

gia-

giatur; quia eleemosyna non debet fieri de necessariis, *nisi forte*, ut docet D. Thom. *talis casus immineret, ubi subtrahendo sibi necessaria, daret alicui magnæ personæ, per quam Ecclesia, vel Respublica sustentaretur; quia pro talis personæ liberatione se ipsum & suos laudabiliter periculo mortis exponeret, cum bonum commune sit proprio præferendum*. 2. 2. q 32. a. 6.

§. IV.

Ad quid teneantur divites in extrema pauperum necessitate.

Prop. 1. Quando pauper est in extrema necessitate constitutus, dives cui sufficienter innotescit extrema hujus pauperis necessitas, tenetur ei eleemosynam impertiri ex superfluis suæ conditionis.

Prob. 1. Script. *Quod superest date eleemosynam*. Luc. c. 11. v. 41. Ergo saltem erogandum est quod superfluum est conditioni.

Prob. 2. Ratione. Caritas bene ordinata exigit ut vitam proximi nostris bonis temporalibus præferamus: quia quo res est excellentior, eo pluris est facienda. Patet autem, quod si dives non daret superflua conditioni egeno in extrema necessitate constituto, non præferret vitam proximi bonis temporalibus; proinde dives tenetur dare bona superflua conditioni pauperi in extrema necessitate constituto. Et sicuti membrum sanum, sola natura duce, numquam denegat sibi superfluum membro infirmiori; a fortiori homines sub gratia constituti tenentur ex superfluis suæ conditionis suppetias ferre pauperibus in extrema necessitate constitutis; & hoc est, quod Paulus suo exemplo docuit: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non uror?* 2. Corinth. 11. v. 29.

Consectaria bujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant divites, qui pauperibus in extrema necessitate constitutis non opitulantur, sed bona sua temporalia impendunt in sequentes usus: in lautissimas epulas, in splendidas vestes, in lusus immoderatos, in comœdias, in lascivias, in choreas, in venationes excedentes, in ædes ultra statum & conditionem magnificentiores, in supellectilia longe quam par est pretiosiora, & in alia hujusmodi, quæ homines excogitarunt potius ut cupiditatem acuerent, quam ut servirent necessitati; quia hi omnes non dant cum oportet superflua conditioni; quos ita alloquitur Scriptura: *Væ qui opulenti estis in Sion.... Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris. Qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem psalterii, sicut David.... bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur super contritione Joseph.* Amos cap. 6. vers. 4.

Consect. 2. Peccant graviter divites, qui in eadem necessitate nulla moti misericordia divitias suas recondunt, frumenta reservant, vendere renuunt, donec ad extremam caritatem annona pervenerit; qui ingravescente miseria bona temporalia pauperum viliori emunt pretio; quique demum extrema utuntur miseria pauperum, ut ditiores evadant... Hi omnes graviter peccant; quia pauperes non juvant, sed potius gravant; quos omnes ita commonet Scriptura: *Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum, & non abscondas illam sub lapide in perditionem. Pone thesaurum tuum in præceptis Altissimi*, idest in eleemosynis, *& proderit tibi magis quam aurum*. Eccl. cap. 29. v. 13. *Qui abscondit frumenta maledicetur in populis, benedictio autem super caput vendentium.* Prov. cap. 11. vers. 26. In ignem æternum detrudentur, inquit Chrysostomus, uti coguntur ipsi aliquando putrefactum frumentum projicere; & verme perpetuo corrodentur, uti siverunt frumentum a curculione corrodi. Hos omnes elegantissime insectatur Ambr. lib. 3. de Offic. cap. 6. ubi ostendit, pravam illam cupiditatem nequitiam esse, crudelitatem redolere, iram Dei & hominum excitare; & concludit sic compellans avarum: *Lucrum tuum damnum publicum est.*

Consect. 3. Peccant divites, qui in eadem necessitate nullam adhibent sollicitudinem, ut pauperibus in extrema necessitate constitutis succurratur, cum possent commode vel omnes capitatim, vel singuli privatim miseriam pauperum sublevare; quia non juvant pauperes cum possunt, & debent. Eos ita exhortatur Scriptura: *Erue eos qui ducuntur ad mortem*, sive ducantur oppressi paupertate, vel iniquo judicio, *& qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses: si dixeris, vires non suppetunt, qui inspector est cordis ipse intelligit, & servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetque homini juxta opera sua*. Prov. cap. 24. vers. 11.

Consect. 4. Peccaret graviter Medicus, qui pauperem, quem videret ab omni-

nibus desertum, & quem conjiceret ab omnibus deserendum, gratis non inviseret ..... Peccaret similiter Pharmacopola, qui pauperi in eodem miseriæ articulo constituto, remedia vulgaria gratis non exhiberet.

Peccaret similiter Advocatus, qui gratis non patrocinaretur pauperi in extrema necessitate constituto.... Peccaret denique quicumque posset succurrere tali pauperi, & non succurreret. D. Th. 2. 2. q. 71. a. 1. *Advocatus non tenetur semper causæ pauperum patrocinium præstare, sed solum concurrentibus conditionibus prædictis; alioquin oporteret eum omnia alia negotia prætermittere, & solis causis pauperum juvandis intendere: & idem dicendum est de Medico quantum ad curationem pauperum.*

Consect. 5. Peccant graviter divites, qui in eadem necessitate renuunt dare eleemosynas, neque etiam mutuo dant nisi sub spe lucri, & in securitatem rei mutuatæ rem pauperum usibus necessariam in pignus exigunt, ac diu retinent, aut alios excogitant modos, quibus non tam pauperibus opitulari student, quam avaritiam suam fovere: ii bis peccant, primo ob negatam eleemosynam, secundo ob usuram exactam: quod quidem vitium Scriptura execratur, Deut. 15. vers. 7. *Si unus de fratribus tuis ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum; sed aperies eam pauperi.... Nec ages quippiam callide in ejus necessitatibus sublevandis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miseris.* Et ibid. cap. 24. v. 11. *Sin autem pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante Solis occasum, ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi, & habeas justitiam coram Domino Deo tuo.*

Prop. 2. In illo ipso extremæ necessitatis articulo tenentur divites non solum superflua conditionis, ut dictum est, erogare pauperibus, sed etiam necessaria statui, minuendo scilicet aliquid ex iis, quæ sunt aliquo modo necessaria ad retinendam status sui decentiam.

Prob. 1. Script. *In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est* de illis qui colligebant manna: *Qui multum non abundavit, & qui modicum non minoravit.* 2. Ad Corinth. cap. 8. v. 14. Cum itaque ex Apostolo debeat esse æqualitas inter divitem, & pauperem, unus non debet abundare superfluis, cum alter eget necessariis; sed æquum est, ut dives minuat quæ ad decentiam status pertinent, ut pauperem penuriam in victu & vestitu patientem sublevet.

Prob. 2. Ex Hieron. epist. ad Hedibiam: *Si plus habes quam tibi ad victum & vestitum necessarium est, illud eroga, & in illo debitricem esse te noveris*: Ergo a fortiori tenemur minuere quod pertinet ad status decentiam, ut fiat eleemosyna pauperibus in necessitate extrema existentibus.

3. Ex D. Th. in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. q. 4. ubi ait: *Præceptum legis obligat, quod etiam necessitati extraneorum absolutæ primo subveniatur, quam necessitati propriæ, vel propinquorum conditionatæ.* Hic autem necessitatem naturæ vocat necessitatem absolutam, & necessitatem conditionatam vocat necessitatem conditionis.

4. *Rat.* 1. Ratio. Debitus ordo postulat, ut corpus proximi magis quam nostri status decentiam diligamus; quia ex Aug. sic debet ordinari caritas, ut excellentiora vilioribus præferamus: ideo debemus. 1. Deum diligere. 2. Animam nostram. 3. Animam proximi. 4. Corpus nostrum. 5. Corpus proximi. Postremo ea quæ pertinent ad status nostri decentiam. Magis autem diligeremus status nostri decentiam, si nihil vellemus de ea minuere, ut succurreremus proximo, in victu & vestitu necessitatem extremam patienti. Necessarium est ergo ut in tali necessitate eam minuamus.

2. Ratio. Non magis debemus diligere ea quæ pertinent ad status nostri decentiam, quam sanctiores Episcopi dilexerunt ea quæ pertinent ad decus, & ornamentum templorum; quia haud dubie decor domus Dei est præferendus decori, & ornamento hominum. Sanctiores autem Episcopi Exuperius, Ambrosius, &c. passim vendiderunt ornamenta Ecclesiæ, v. g. Calices, Cruces, ut illorum pretio pauperibus in necessitate constitutis succurrerent; quanto magis decet nos minuere aliquid de his, quæ ad nostri status ornatum pertinent, ut pauperibus ad necessitatem extremam redactis succurramus?

Consectarium hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant divites, qui in tali necessitate nihil minuunt de canum venaticorum numero, de inutilium servorum stipatu, de superborum supellectilium apparatu. Hos ita alloquitur Greg. Nyssenus de pauperibus amandis. *Usui vitæ modum imponite, nec omnia vestra existimate. Sit pars*

etiam

etiam pauperum, & amicorum Dei ; illius enim vere sunt omnia, nos autem fratres sumus .... Ille frater non est, sed acerbus tyrannus, immitis, barbarus, immo vere inexplebilis fera qui vult fratres ab hereditate avertere ; immo & lupo sævior : lupus enim socium habet in voranda præda.

Consect. 2. Peccant divites, qui in eadem necessitate non modo non minuunt quod pertinet ad status decentiam, sed insuper miseris illis temporibus adaugent expensas inutiles in lusibus, comœdiis, venationibus, &c. Hos ita admonet Aug. in Psal. 147. *Multa superflua habemus, si nonnisi necessaria teneamus ; nam si inania quæramus, nihil sufficit. Fratres, quærite quod sufficit operi Dei, non quod sufficit vestræ cupiditati.*

Consect. 3. Peccant divites, qui in eadem necessitate præ avaritia retinent divitias metu futuræ egestatis, sollicitius quam par est in futurum providentes. *Non oportet*, inquit D. Th. *futuræ necessitatis occasionem prætendere ultra probabilia signa ; quia hæc est superflua sollicitudo quam Dominus probibet*. In 4. Dist. 15. q. 2. a. 1. q. 4. ad 4.

Consect. 4. Peccant divites, qui in eadem necessitate præ ambitione nihil minuunt de pertinentibus ad status decentiam ; sed divitias illas retinent, ut ambitiose ascendant ad statum superiorem, ad quem vel parum sunt idonei, vel forte non sunt divinitus vocati. *Bona temporalia*, inquit D. Th. *quæ homini divinitus conferuntur, ejus quidem sunt quantum ad proprietatem, sed quantum ad usum, non solum debent esse ejus, sed etiam aliorum, qui ex eis sustentari possunt, ex eo quod ei superfluunt*. 2. 2. q. 32. a. 5. ad 2. Ideo damnatæ sunt sequentes propositiones ab Academia Lovaniensi & Parisiensi, an. 1657. *Superfluum non est quod homines servant pro status sui vel parentum qualitate habita, vel adipiscenda ; ideoque vix poterunt inveniri inter sæculares, qui superfluum habeant.*

Prop. 3. In extremæ necessitatis articulo tenentur divites non solum minuere aliquid eorum, quæ conducunt ad conservandam status sui decentiam ; sed tenentur insuper minuere aliquid eorum, quæ ad largum victum & ad sumptuosum vestitum pertinent : idest, non tenentur quidem sibi subtrahere simpliciter necessaria ad victum & vestitum ; sed tenentur subtrahere secundum quid necessaria, ut ea erogent pauperibus alioquin morituris, vel in deliquium lapsuris.

Prob. 1. Script. *Panis egentium vita pauperum est : qui defraudat illum, homo sanguinis est*. Eccl. c. 34. v. 25.

2 Ex Patribus, super illud Luc. 11. v. 41. *Verumtamen quod superest, date eleemosynam :* ita habent Basilius, Hieron. Aug. Beda, & alii : *Nisi subveneris egenti, prout tuæ ferent facultates, nusquam debitum impleveris*. Videtur autem esse in cujuslibet facultate subtrahere sibi aliquid parum naturæ necessarium, quam permittere fratrem inedia perire.

3. *Rat.* 1. Ratio. Bonus ordo postulat, ut bona proximis indigentibus tamquam fratribus partiamur, in hoc enim sita est carnalium fratrum unio, ut ex bonis paternis quisque prout indiget accipiat ; quo pacto autem ordo ille caritatis servabitur, si nihil minuamus de necessariis secundum quid, ut proximo jam jam morituro succurramus ? Itaque in extremo necessitatis articulo tenentur divites sibi subtrahere aliquid de necessariis secundum quid, tum ad victum, tum ad vestitum, ut proximo jam jam morituro succurratur.

2. Ratio. Homines tenentur sese juvare mutuo, sicuti juvant se membra unius & ejusdem corporis ; quia omnes homines constituunt unum corpus morale sub uno capite Christo Jesu. Videmus autem, quod membra corporis ita se mutuo juvant, ut sanum membrum sibi subtrahat aliquid necessarii ut infirmo opituletur ; ita & homines divites debent aliquid necessarii sibi subtrahere, ut pauperibus alioquin morituris auxilientur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

In extrema necessitate, civitatum capita, & primates tenentur, cum beneplacito Principum, providere de cura pauperum insumendo ad hoc reipublicæ redditus. *Quid enim tam decorum, atque honestum quam collatione locupletum juvare egentes, ministrare victum esurientibus, nulli cibum defore ?* Amb. L. 3. de offic. c. 7.

Tempore famis non decet peregrinos expelli, si subtracto civium superfluo possint simul cives & indigenæ nutriri: ita Amb. lib. 3. offic. c. 7. *Illi*, inquit, *qui peregrinos urbibus prohibent, nequaquam probandi ; malum haud dubie est, expellere eo tempore quo deberent juvare, separare commerciis communis parentis, fusos omnibus partus negare .... Feræ non expellunt feras : homo excludit hominem.*

§. V.

Ad quid teneantur divites in gravi pauperum necessitate.

Prop. unica. In necessitate gravi tenen-

tur divites dare eleemosynam de superfluis statui, & conditioni.

Prob. 1. Script. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo?* Joan. Epist. 1. c. 3. v. 17. ubi necessitas denotat quamlibet necessitatem, extremam, vulgarem, & mediam.

Prob. 2. Ex Aug. *Esurit frater tuus in necessitate positus, fortassis suspenditur, a creditore angustiatur.* Ubi angustiari a creditore, non extremam, sed gravem necessitatem indicat; tamen Aug. ita loquitur contra tenaces illos avaros: *Quid ad me pertinet? forte dicis. Ego daturus sum pecuniam meam, ne ille molestiam patiatur? Si hoc tibi responderit, cor tuum, dilectio Patris non in te manet.* Tract. 1. in Epist. Joan.

3. Ex D. Th. *Dicendum, quod est aliquod tempus, in quo mortaliter quis peccat, si eleemosynam dare omittat: ex parte quidem recipientis, cum apparet evidens*, idest extrema, *& urgens*, idest media necessitas, *nec apparet in promptu qui ei subveniat: ex parte vero dantis, cum habet superflua quæ secundum statum præsentem non sunt sibi necessaria.* 2. 2. q. 32. a. 5. ad 3. Ergo superfluum dandum est de præcepto in urgenti necessitate.

Nec est quod dicas, D. Th. in eadem quæstione docere eleemosynam esse solum de præcepto in extrema tantum necessitate; *alias autem eleemosynas dare est in consilio, sicut & de quolibet meliore bono dictum est*; nam, ut optime notat ibi Cajet. & Sylvius, D. Th. vult tantum docere, quod præceptum dandi eleemosynam huic determinato pauperi urgeat hic & nunc, cum pauper est in extrema necessitate, non vero cum pauper est in media, vel vulgari necessitate; tenetur tamen dives in omni necessitate media, & vulgari, dare eleemosynam vel illi, vel isti pauperi, juxta prudens rationis suæ consilium. Ita se explicat D. Th. 2. 2. q. 66. a. 7. „ Quia multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subveniri, committitur arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum. “

Ordo caritatis exigit, ut multo plus doleamus gravem necessitatem proximi, quam amemus vanam conditionis nostræ decentiam: ergo debemus proximo subvenire, nobis subtrahendo ea quæ sunt necessaria ad solam status nostri decentiam.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Pauperibus in gravi necessitate constitutis, in eleemosynas consecrandæ sunt omnes illæ expensæ, quas diabolus, mundus, & caro excogitarunt inter homines: quales sunt omnes expensæ, quæ fovent concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ.

Pauperibus in gravi necessitate existentibus, in eleemosynas insumendæ sunt omnes expensæ, quæ fiunt in sustinenda exteriori pompa, exteriori apparatu, qui communiter reprobatur a viris probis ejusdem status, & ejusdem conditionis: quales sunt expensæ, quibus homines inferioris conditionis æquant se hominibus superioris conditionis.

§. VI.

Ad quid teneantur divites in communi pauperum necessitate.

Prop. unica. Divites habentes superflua tenentur ex præcepto, & non solum ex consilio, facere eleemosynam pauperibus communem necessitatem patientibus.

Prob. 1. Script. *Si unus de fratribus tuis ad paupertatem devenerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi.* Deut. 15. v. 7. & Matth. c. 25. v. 41. *Discedite maledicti in ignem æternum, esurivi &c.* Quæ omnia disjunctive sumpta, ut patet, non indicant nisi communem necessitatem; & tamen Christus excludit a gloria eos, qui in tali necessitate eleemosynas non largiti sunt: Ergo tenemur ex præcepto eleemosynam impertiri in vulgari necessitate.

2. Ex Patribus. Divites sunt quasi ærarii regii custodes: juxta Chrysost. sunt quasi dispensatores bonorum: ergo sicuti custodes ærarii, & dispensatores bonorum Reipublicæ, tenentur ea bona elargiri, cum respublica jubet; ita & omnes divites tenentur bona sua superflua in communi necessitate elargiri, cum Deus dicat absolute: *Quod superest date.*

3. Ex triplici ratione desumpta ex Evangelio secundum Luc. cap. 16. Prima est, ut divitiis utamur ad consequendum cælum: *Ego dico vobis facite vobis amicos ex mammona iniquitatis; ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* 2. Ut simus fideles in distributione bonorum temporalium: *Qui fidelis est in minimo, in majori fidelis est; & qui in modico iniquus est, in majori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis?* 3. Ne nimium hæreamus divitiis, quia, inquit, *non potestis servire Deo & mammonæ.*

Can-

Consectaria bujus Doctrinæ.

Consect. 1. Multi sunt divites in perpetuo statu damnationis ex eo tantum quod eleemosynam non faciant in vulgari necessitate pauperum, ut patet exemplo divitis epulonis, qui sepultus est in inferno, non quod rapinas, vel furta, homicidia, vel adulteria commiserit, sed quia Lazaro mendicanti non opem tulerit. Ita in caput Lucæ 16. varii Interpretes in Evangelio: Dives quod sua non dedit torquetur. Glossa.

Consect. 2. Recogitare debent divites illud Christi: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in Regnum Cælorum*. Matth. 19. v. 23. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum Cælorum*.

Consect. 3. Recogitare debent nullum opulentum inter Sanctos recenseri, nisi qui ad elargiendas eleemosynas maxime proclivis extiterit. Sic Abraham & Loth divites valde in possessione auri & argenti, peregrinos apud se recipiebant, ipsisque ministrabant. Job ditissimus erat, sed de se sic loquitur: *Pater eram pauperum*. Job 29. v. 19.

§. VII.

Ex quibus bonis eleemosyna fieri possit & debeat.

Nota, quod quatuor sunt species bonorum.

1. Bona legitime possessa, acquisita justo titulo, & secundum jura; v. g. bona accepta a parentibus, bona acquisita justo labore, bona gratuito nobis donata a legitimo possessore.

2. Bona injuste possessa, acquisita cum sola legis positivæ violatione; v. g. bona simoniace accepta, bona accepta ob sententiam latam a judice contra regulas juris.

3. Bona acquisita cum violatione justitiæ commutativæ; v. g. bona acquisita furtis, rapinis, iniquis contractibus.

4. Bona turpiter acquisita cum sola violatione virtutis diversæ a justitia commutativa; v. g. bona acquisita per meretricium, per lenocinium.

Prop. generalis. Eleemosyna debet fieri non de bonis alienis, sed de bonis propriis, quorum bonorum qui largitur eleemosynam sit verus dominus.

Prop. 1. Script. *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere*. Tob. 4. v. 7. *Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam*. Isa. 58. v. 7. Eleemosyna ergo debet fieri de nostra substantia & non de aliena, de pane nostro & non de alieno, idest, de bonis propriis & non alienis.

De justis laboribus facite eleemosynam, ex eo quod recte habetis date, Aug. serm. alias 35. de verb. Domini in Evangelium secundum Lucam, nunc vero 113. *Eleemosyna facta ex bonis alienis ad dulcem fructum non proficit, quia per virus pestiferæ radicis amarescit*. Greg. Past. par. 3. adm. 22.

Qui est sub potestate constitutus de re, secundum quam superiori subjicitur, eleemosynam facere non debet, nisi quatenus ei a superiore fuerit permissum. D. Thom. 2. 2. q. 32. a. 8.

Non sunt facienda mala, ut inde veniant bona; hoc autem fieret, si bona auferrentur legitimis possessoribus, ut ea deinde darentur pauperibus. In hujus veritatis exemplum afferri potest actio Zachæi dicentis, Luc. 19. v. 8. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quem defraudavi, reddo quadruplum: bonorum meorum* (ait) *& non alienorum*.

Sic se habet coram Deo eleemosyna data de bonis alienis, sicuti holocaustum factum ex bonis alienis, quia utrumque involvit furtum & rapinam: ergo cum Deus detestetur furtum in holocaustum, juxta illud: *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocaustum*: Isa. cap. 61. v. 8. ita & detestatur furtum factum in eleemosynam.

Ex hac propositione generali aliæ sequuntur minus generales, ex quibus propria pendent consectaria.

Prop. 1. *illata*. Nemo alterius potestati subditus potest facere eleemosynas de bonis superioris contra voluntatem ipsiusmet superioris, nisi in casibus in quibus voluntas superioris esset injusta; quia, si faceret eleemosynam contra voluntatem rationalem superioris, faceret eleemosynam non de bonis propriis, sed alienis.

Consectaria bujus Doctrinæ.

Consect. 1. Monachus non potest facere eleemosynas de bonis communitatis; quia non est dominus illorum bonorum. *Monachus*, inquit D. Th. *si habeat dispensationem a Prælato commissam potest eleemosynas facere de rebus Monasterii secundum quod est sibi commissum; si vero non habeat dispensationem, quia nihil proprium habet, tunc non potest facere eleemosynam sine licentia Abbatis vel expresse habita, vel probabiliter præsumpta, nisi forte in articulo extremæ necessitatis*. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 1.

Consect. 2. Uxor contra justam voluntatem mariti non potest facere eleemosynam ex

ex bonis dotalibus, nec ex aliis bonis, quorum maritus est dominus quoad administrationem; quia non est domina illorum bonorum. *Si uxor* (inquit D. Th.) *habeat alias res præter dotem, quæ ordinentur ad sustinenda onera matrimonii, vel ex proprio lucro, vel ex quocumque alio licito modo, potest dare eleemosynam, etiam irrequisito assensu mariti; moderatas tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur: alias autem non debet dare eleemosynas sine consensu viri vel expresso, vel præsumpto, nisi in articulo necessitatis, sicut de Monacho dictum est. Quamvis enim mulier sit æqualis viro in actu matrimonii, tamen in his quæ ad dispositionem domus pertinent, vir est caput mulieris.* Ib. ad 2.

Consect. 3. Filiifamilias contra justam voluntatem parentum non possunt facere eleemosynas ex bonis parentum; quia non sunt illorum bonorum domini. *Ea quæ filiifamilias*, inquit D. Th. *sunt patris: & ideo non potest eleemosynam facere nisi forte modicam, de qua præsumere potest, quod patri placeat, nisi alicujus rei esset sibi a patre commissa dispensatio*. Ibid. ad 3.

Consect. 4. Pupilli, minores non possunt facere eleemosynam ex bonis suis absque consensu tutoris, vel curatoris; quia non habent illorum bonorum dominium absolutum, sed suspensum.

Consect. 5. Famuli non possunt facere eleemosynam ex bonis dominorum; quia non sunt domini illorum bonorum, sed solum custodes. *Dicendum*, inquit D. Th. *de servis, & ancillis, & etiam famulis, quamvis sint liberæ conditionis, quod non possunt facere eleemosynas de rebus dominorum sine eorum consensu, nisi panem & hujusmodi, quæ non inferunt sensibile nocumentum, quia etsi sit dispensator rerum, non tamen ponitur dispensator quasi potestatem habens aliquam in re domini, sed quasi tractans eam ad utilitatem domini; de pretio autem servitii sui constat quod potest eleemosynam dare*. In 4. dist. 15. q. 2. a. 5. q. 3.

Prop. 2. *illata*. Inferior potest facere eleemosynam de bonis superioris contra voluntatem injustam superioris; quia tunc illa bona verius sunt pauperis indigentis, quam divitis injuste detinentis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Monachus, uxor, filiusfamilias, pupillus, minor, famuli possunt in communi, in urgenti, & a fortiori in extrema necessitate, facere eleemosynas ex illis bonis, quæ superior per incuriam perire sinit, & quæ conservata per curam inferioris possunt pauperum miseriam sublevare; quia tunc superior injuste prohiberet piam illam curam, malens res illas perire, quam pauperibus erogari: de quibus ita Basilius supra laudatus: *Esurientis est panis quem tu retines*, addiderim ego, & qui apud te putrescit.

Consect. 2. Monachus, uxor, filiusfamilias, pupillus, minor, famuli possunt in urgenti, a fortiori in extrema necessitate, *facitare* sine consensu superiorum tenues eleemosynas ex bonis superiorum, *quando illæ eleemosynæ non afferunt*, ut dicit D. Thom. *sensibile nocumentum superioribus*; quia alias superiores essent irrationabiliter inviti.

Consect. 3. Monachus, uxor, filiusfamilias, pupillus, minor, famuli possunt in extrema necessitate facere eleemosynas de bonis superiorum absque illorum consensu; quia in extrema necessitate licitum est uti bonis alienis, ut dentur eleemosynæ. Ita D. Th. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 1.

Consect. 4. Monachus, uxor, filiusfamilias, pupillus, minores, famuli possunt non consultis superioribus facere eleemosynas ex bonis superiorum, in quacumque necessitate, quando probabiliter præsumunt tales eleemosynas non displicituras superioribus suis, quia tunc non agunt contra voluntatem superiorum.

Prop. 3. *illata*. Inferior potest contra voluntatem superioris facere eleemosynam de bonis, quorum vel est dominus, vel habet dispensationem; quia tunc facit eleemosynas non de bonis alienis, sed de bonis propriis, aut quasi propriis. *Si quis vero*, inquit D. Th. *habeat aliquid secundum quod voluntati superioris non subsit, jam secundum hoc non est potestati subjectus, quantum ad hoc proprii juris existens, & de hoc potest eleemosynas facere*. 2. 2. q. 32. a. 8.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Monachus habens beneficium suo Monasterio unitum potest sine licentia superioris nimium tenacis pauperibus erogare eam portionem, quæ eis ex jure debetur; quia facit eleemosynam de bonis, quorum habet dispensationem. Monachus nedum potest illas eleemosynas facere, immo & debet; quia tenetur ex officio esse dispensator fidelis redditNum Ecclesiasticorum.

Consect. 2. Filiusfamilias habens Beneficium Ecclesiasticum potest, immo debet sine licentia patris erogare pauperibus eam portionem, quæ eis competit; quia facit

elee-

eleemosynam de bonis, quorum habet dispensationem. Carolus Borromæus laudatur quod id fecerit.

Consect. 3. Uxor potest, & debet eleemosynam facere de bonis paraphernalibus, sive quæ sunt extra dotem; quia est domina illorum bonorum. *Si uxor*, inquit D. Raym. *habet res paraphernales, idest, proprias extra dotem, potest de illis etiam invito marito facere eleemosynam*. L. 2. de Furt. Item uxor potest facere eleemosynam sine licentia mariti de bonis familiæ, quando maritus est amens, vel prodigus, vel iram Dei in familiam nimia avaritia concitaret; ita fecit Abigail, quæ Davidi cibaria sapienter detulit quæ Nabal maritus suus stulte negaverat. 1. Reg. cap. 25.

Consect. 4. Filiusfamilias potest facere eleemosynam sine licentia patris de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, idest, de bonis acquisitis exercendo militiam, exercendo artem liberalem, v. g. Medicinam, Jurisprudentiam, vel de bonis donatis a Principe; quia est dominus illorum bonorum.

Non potest tamen facere eleemosynam de bonis adventitiis, idest, de bonis quæ ei adveniunt ex lucro extraordinario, quod non procedit nec ex malitia, nec ex exercitio artis liberalis, sed aliunde; quia filiusfamilias habet quidem dominium prædictorum bonorum, sed non administrationem, ut docet Justinianus.... Non potest pariter facere eleemosynam de bonis profectitiis, idest, de bonis quæ ei obveniunt vel cura parentum, vel ei donantur intuitu parentum; quia filiusfamilias est quidem dominus illorum bonorum, sed fructus, & usus nondum ad illum pertinent.

Prop. 4. *illata*. Inferior potest sine licentia superioris facere eleemosynas de bonis, quæ ei dedit superior; quia tunc censetur esse illorum bonorum dominus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Monachus extra Monasterium existens potest facere eleemosynam de bonis quæ ei dantur a superiore; quia, cum dantur ei expensæ, committitur ei earum dispensatio. Ita D. Th. in 4. dis. 15. q. 2. a. 5. q. 4.

Consect. 2. Quando ex condicto maritus assignat uxori aliqua bona tum ad sui, tum ad familiæ sustentationem, mulier potest ex illis bonis sibi aliquid subtrahere, & dare pauperibus; quia ex condicto fit domina illorum bonorum.

Consect. 3. Quando parentes dant filiisfamilias aliqua bona tum ad sustentationem, tum ad suorum studiorum cursum peragendum, vel ad aliquid aliud, ad quod providere tenentur parentes, filii possunt prudenter aliquid sibi ex illis bonis subtrahere, & ex illis eleemosynam dare; quia sunt quasi domini illorum bonorum.

Prop. 5. *illata*. Nemo potest facere eleemosynas ex illis bonis, quæ acquisivit turpi lucro, peccando contra justitiam commutativam; sed debet bona illa veris dominis reddere.

Prob. 1. Script. Sicut aqua extinguit ignem; ita eleemosyna extinguit peccatum: Ergo sicut aqua limpida lavat, lutosa vero deturpat; ita eleemosyna facta ex bonis propriis remittit peccata, facta vero ex bonis alienis adauget peccata. Ita Hieronymus.

Prob. 2. Ratione. Si injuste lucratus est, non est dominus illorum bonorum; & proinde non potest bona illa in eleemosynas impendere. Ita docet D.Th. *Dicendum, quod tripliciter aliquid potest esse illicite acquisitum; uno enim modo id, quod illicite acquiritur, debetur ei a quo est acquisitum, nec potest retineri ab eo qui acquisivit: sicut contingit in rapina, furto, & usuris: & de talibus cum homo teneatur ad restitutionem eleemosyna fieri non potest*. 2. 2. q. 32. a. 7.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ille qui aliquid obtinuit via injusta, agendo contra illud præceptum, *non furtum facies*, non potest ex illis bonis eleemosynam facere; quia non est illorum bonorum dominus.

Consect. 2. Ille qui ludendo lucratus est aliud ab illa persona, quæ de rebus suis non potest disponere, qualis est filiusfamilias, minor, pupillus, perpetuo morbo laborans, Monachus, uxor, ille (inquam) non potest ex bonis per ludum acquisitis eleemosynas facere, sed ea tenetur vero domino restituere. *In his casibus tenetur ad restitutionem, & non potest de eo eleemosynam facere*, inquit D. Th. 2. 2. q. 32. ad 8.

Consect. 3. Ille qui ludendo lucratus est aliquid ab illa persona, quæ de rebus suis potest disponere, sed quam ad ludum vel dolose, vel violenter attraxit, tenetur eidem personæ restituere, & non potest tale lucrum in eleemosynas impendere; quia illud lucrum est injustum, cum violentia, vel fraus ludum præcesserint. *Si aliquis*, inquit D. Th. *trahat alium ex cupiditate lucrandi ad ludum, & quod fraudulenter ab eo lucretur, tenetur ad restitutionem, & de eo non potest eleemosynam facere*. Ibid.

Consect. 4. Illa quæ acquiruntur ex meretricio & lenocinio, si dentur vel accipiantur injuste, v. g. si dentur ab his qui non sunt domini rerum suarum, v. g. a filiisfamilias, a minoribus, a pupillis, &c. si extorqueantur vel dolose, vel violenter; neque retineri, neque in eleemosynas impendi possunt, sed debent veris dominis restitui; quia eadem est ratio, sicuti de ludo.

Prop. generalis. Bona quæ illicite & data, & accepta sunt contra expressam legis etiam positivæ prohibitionem, debent ex rigore juris in eleemosynas impendi; quia ita jubet lex cui obediendum est. *Altero modo*, inquit D. Th. *est aliquid illicite acquisitum; quia ille qui acquisivit retinere non potest; nec tamen debetur ei, a quo acquisivit, quia scilicet contra justitiam* legalem scilicet *accepit; & alter contra justitiam dedit, sicuti contingit in simonia, in qua dans & accipiens contra justitiam legis Divinæ agit: unde non debet fieri restitutio ei qui dedit, sed debet in eleemosynam erogari: & eadem ratio est in similibus, in quibus datio & acceptio est contra legem*. D. Th. 2. 2. q. 32. a. 7.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quæcumque acquisita sunt per simoniam, debent in eleemosynas impendi; quia lex vetat illa bona retineri, & jubet pauperibus distribui: ita D. Thom.

Consect. 2. Bona acquisita per ludos prohibitos debent in eleemosynas impendi; quia lex ita prohibet ludum, ut jubeat non retineri quod per ludum acquiritur, quæ lex, *si vigeat*, est observanda. Ita docet D. Bonav. *Dicendum, quod in illis pactionibus, quas habent aleatores, ludentes ludis prohibitis, bona non transferuntur in invicem, sed in usus pauperum convertuntur propter ludi inhonestatem, & juris interdictionem*. In 4. dist. 15. q. 1.

Idem docet D. Th. 2. 2. q. 32. a. 7. ad 2. de illo ludo, *qui per jus civile vigorem suum habens prohibetur... nam si ludus non prohibeatur jure civili, vel consuetudo contrarium permittat, conventiones factæ a ludentibus sunt observandæ, cum ludus sit quidam contractus*. Ubi tamen observa, quod consuetudo, de qua Div. Th. debet esse legitima, & his dotibus prædita, de quibus nos ubi de consuetudine.

Consect. 3. Quod accipitur a judice contra Edicta Principis, si datum fuerit ad extorquendum ab eo sententiam injustam, illud omne est in eleemosynas impendendum; quia iniquum est, ut illud lucrum a judice retineatur, cum sit ei a lege prohibitum: injustum pariter, ut reddatur clienti; quia eo privari debet in pœnam pravæ suæ intentionis, qua voluit injustam sententiam extorquere. Si quid enim datum esset Judici a cliente, ut justa sententia daretur, vel ut vitaretur injusta sententia; tunc judex deberet clienti restituere id quod accepisset, & cliens non deberet eo privari, quia dedit non ut injustum extorqueret, sed ut justum obtineret, vel liberaret se ab injusta vexatione.

Prop. 6. illata. Bona quæ sunt inhoneste acquisita, si peccatum fuerit contra aliquam virtutem diversam a justitia obligante ad restitutionem, v. g. contra castitatem, illa, inquam, bona, licet illicite acquisita, possunt licite retineri, & ex illis bonis potest fieri eleemosyna; quia qui acquisivit illa bona verus est dominus illorum bonorum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Bona citra fraudem & violentiam acquisita ex meretricio, ex lenocinio, possunt licite retineri, & in eleemosynas impendi; quia, ut supponitur, acquiruntur quidem peccando contra virtutem, sed non contra justitiam obligantem ad restitutionem. Ita docet D. Th. *Quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei: sed in eo quod recipit non injuste agit, nec contra legem; unde quod sic illicite acquisitum est, retineri potest, & de eo eleemosyna fieri*. 2. 2. q. 32. a. 7. Æquum tamen esset, ut non retineretur, sed daretur pauperibus.

Quod innuit Scriptura vetans Sacerdotibus sumere aliquid de hostia oblata, vel pro suis, vel pro populi peccatis; quia, inquit D. Th. 1. 2. q. 102. a. 3. ad 8. *Tunc enim totum comburebatur; non enim debebant in usum Sacerdotum venire ea, quæ pro peccato eorum offerebantur, ut nihil peccati in eis remaneret, & quia hoc non esset satisfactio pro peccato; si enim cederet in usum eorum, pro quorum peccatis offerebatur, idem esse videretur ac si non offerretur*.

Consect. 2. Quod citra fraudem & violentiam acquisitum est per ludos nimios, sed non expresse per legem interdictos, potest retineri, & de eo potest eleemosyna fieri; quia ludus legibus permissus transfert dominium rei quæ ludo exponitur.

§. VIII.

Quibus pauperibus danda sit eleemosyna.

Prop. unica. Eleemosyna impertienda est veris tantum pauperibus, sive fideles sint, sive

five infideles, five justi, five peccatores, præferendo tamen justos peccatoribus, si modo cetera sint paria.

Prob. 1. Script. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet ut nec a te avertatur facies Domini*. Tob. 4. v. 7. *Dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, maxime ad domesticos fidei*. Ergo si eleemosyna debet ad omnes se extendere, nulli est neganda, si vere sit pauper.

2. Ex Aug. *Discite Christiani sine discretione*, nimium curiosa, *exhibere hospitalitatem, ne forte cui domum clauseris, ipse sit Christus*. Aug. lib. 5. de Heres. cap. 4.

3. *Rat.* Non minus debet extendere se eleemosyna quam caritas; quia eleemosyna est exercitium caritatis: caritas autem Christiana debet se extendere ad omnes homines; quia sunt creati a Deo, geniti ab eodem parente, redempti ab eodem Salvatore; proinde eleemosyna debet se extendere ad omnes egenos: & sicut Deus *Solem suum oriri facit super bonos & malos, pluit super justos & injustos*; ita & eleemosyna nostra debet se extendere ad omnes egenos fideles & infideles, justos & injustos, eo fine ut justi perseverent, & injusti convertantur. Pachomius enim adhuc idololatra, perspecta benevolentia, qua Christiani sese mutuo juvabant, conversus est ad fidem.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Neganda est eleemosyna mendicantibus robustis & validis laborare nolentibus, quia non sunt veri pauperes. *Si quis non vult operari, nec manducet*. 2. ad Thessal. cap. 3. v. 10. & Lex Civilis l. 1. t. 25. imponit pœnas corporales validis mendicantibus.

Consect. 2. Neganda est eleemosyna erronibus, & addicendi sunt quibusdam operibus; errones enim, qui nolunt laborare, non sunt veri pauperes. *Servo malevolo tortura & compedes; mitte illum in operationem ne vacet; multam enim malitiam docuit otiositas*. Eccli. 33. v. 28.

Consect. 3. Non est danda eleemosyna mendicantibus ex avaritia, qui mendicant non ut vivant, sed ut lucrentur pecunias; quia non sunt veri pauperes.

Consect. 4. Neganda est eleemosyna avaris, suis rebus ad victum & vestitum uti nolentibus; quia non sunt veri pauperes.

Consect. 5. Neganda est eleemosyna peccatori, quando hæc nonnisi ad fovendum peccatum inservit; quia alias cooperaremur ejus peccato. Hoc facit, inquit Aug. in Ps. 102. *Qui donat histrionibus, qui donat aurigis, qui donat meretricibus. Quare donat? numquid non & ipse hominibus donat?* & respondet Aug. negative, & rationem subjungens, ait: *non tamen ibi attendunt naturam operis Dei, sed nequitiam operis humani*. Ab illa indiscreta eleemosyna sic nos dehortatur Scriptura: *Ne suscipias peccatorem.... Ne receperis peccatorem.... Non dederis impio, prohibe panes illi dare, ne in ipsis potentior te sit*. Eccli. 12. v. 4.

Consect. 6. Si tamen qui occurrunt veri sunt pauperes, debemus eis eleemosynas impertiri, sive sint justi, sive peccatores; quia ii omnes sunt proximi. *Caritas requirit*, inquit D. Th. *ut etiam si non actu aliquibus benefaciat, habeat in animi præparatione ut benefaceret cuicumque, si tempus adesset.... sicut cum oramus pro omnibus fidelibus & infidelibus..... subveniendum est peccatori quantum ad sustentationem naturæ, non quantum ad fomentum culpæ*. 2. 2. q. 33. a. 2. & Aug. enarratione in Psal. 102. *Ne pigrescant in hoc viscera misericordiæ, quia tibi peccator occurrit; tibi enim homo peccator occurrit. Cum dico, occurrit tibi homo peccator, duo nomina dixi. Hæc duo nomina non superflua sunt, aliud quod homo, aliud quod peccator: quod homo, opus est Dei: quod peccator, opus est hominis: da operi Dei, noli dare operi hominis*.

Consect. 7. Non neganda est eleemosyna peregrinis, nec tempore famis urbe expellendi sunt, si satis annonæ suppetat, vel comparari possit, ut iis simul & indigenis subveniatur. Ita Ambr.

Consect. 8. Non obviis tantum pauperibus eroganda est eleemosyna; sed pauperes juxta Aug. quærendi sunt: alius ad te venit, ut petat, alium præveni, ne petat. Quod quomodo sit intelligendum accipe a D. Th. *Nullus autem sufficit omnibus indigentibus misericordiæ opus impendere: & ideo sicut Aug. dicit* 1. *de Doctrina Christiana c.* 28. *Cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur. Dicit pro locorum opportunitatibus; quia non tenetur homo per mundum quærere indigentes quibus subveniat, sed sufficit si eis qui sibi occurrunt misericordiæ opus impendat: unde dicitur Exod.* 23. v. 4. *Si occurreris bovi inimici tui aut asino erranti, reduc ad eum. Addit autem, & temporum: quia non tenetur homo futuræ necessitati alterius providere, sed sufficit, si præsenti necessitati succurrat: unde dicitur* 1. Jo. c. 3. 17. *qui viderit fratrem suum necessitatem haben-*

tem,

tem, & clauserit viscera sua ab eo, &c. subdit autem, vel quarumlibet rerum; quia homo sibi conjunctis quacumque necessitudine maxime debet curam impendere, secundum illud: Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit. 2.2.q.71. a.1.... Ex his omnibus patet, quomodo debeamus pauperes quærere; non hac & illuc indefinite, nec ubique terrarum, sed ubi id facile fieri posse caritas suggerit.

§. IX.

Quæ conditiones eleemosynam comitari debeant.

Prop. unica. Ut eleemosyna Deo placeat, sequentes debet habere conditiones.

1. Debet esse copiosa juxta facultatem dantis. *In præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum, ut fiat æqualitas, sicut scriptum est: Qui multum, non abundabit, & qui modicum, non minorabit.* 2. ad Corinth. c. 8. v. 14. Talis erat eleemosyna Christianorum Ecclesiæ Jerusalem, apud quos omnia erant communia. Eleemosyna est ad instar fontis semper novas aquas effundentis, & si haurias, numquam tamen exhauris, inquit Clemens Alexand. lib. 1. Pædag.

2. Eleemosyna debet esse prompta. Prov. c. 3. v. 18. *Ne dicas amico tuo: Vade, & revertere, cras dabo tibi: cum statim possis dare.* Bis enim dat qui cito dat.

3. Eleemosyna debet fieri cum hilaritate: *In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas*: Eccli. cap. 35. v. 11. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* 2. ad Corinth. cap. 9.

4. Eleemosyna debet fieri cum humilitate & sine ostentatione. *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Matth. 6. vers. 2.

5. Eleemosyna debet esse sine arrogantia. Talis erat eleemosyna, quam impendebat Job. 31. v. 19. *Si despexi prætereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem. Quisquis enim*, inquit Greg. *super eum, cui tribuit, fastu se elationis extollit, majorem culpam intrinsecus superbiendo peragit, quam exterius largiendo mercedem.* Lib. 21. Moralium cap. 19.

ARTICULUS III.

De eleemosyna spirituali, seu correctione proximi.

§. I.

Explicatur quid sit eleemosyna spiritualis, simulque variæ traduntur notiones ad intelligentiam eorum necessariæ, quæ dicenda sunt.

Eleemosyna spiritualis, seu correctio fraterna est actus caritatis, quo proximo spiritualiter egenti spiritualiter, seu quoad animam succurrimus consulendo, arguendo, docendo, consolando, condonando, orando: unde ille versiculus:

Consule, carpe, doce, solare, remitte, fer, ora.

Agemus tamen hic solum de correctione, aut de iis quæ reduci possunt ad correctionem.

Sicuti proximus potest esse in necessitate corporali vel vulgari, vel media, vel extrema; ita potest esse in spirituali necessitate vulgari, media, & extrema.

Necessitas spiritualis vulgaris est status, in quo proximus lapsurus est probabiliter in peccatum mortale, nisi ei succurratur spirituali auxilio, v. g. consilio, correctione, &c. quod tamen peccatum posset vitare solus, sed difficulter.

Talis est status, in quo sunt vulgariter homines, qui communibus tentationibus mundi, carnis, & diaboli agitantur.

Necessitas spiritualis gravis est hujusmodi status, in quo proximus certo sit in peccatum mortale lapsurus, nec possit facile peccatum illud vitare, nisi ei subveniatur spirituali auxilio, v. g. consilio, correctione, &c.

Talis est status illius hominis, qui amicitiam init cum muliere impudica, ex cujus societate corrumpetur, nisi præmoneatur.

Necessitas spiritualis extrema est hujusmodi status, in quo proximus certo damnandus sit, nisi ei subveniatur spirituali auxilio, v. g. consilio, correctione &c.

Talis est status hominis brevi morituri, qui exibit e sæculo, nec tamen faciet restitutionem ad quam tenetur, quam tamen faceret, si fraterna correctione admoneretur.

Correctio generatim est actus misericordiæ, quo monitione salutari peccator ad emendationem inducitur.

Correctio est triplex: fraterna, paterna, & juridica.

Correctio fraterna est actus caritatis, quo

quæ-

quæritur emendatio peccati, quatenus peccatum est malum ipsius peccantis; & hæc fit ex caritate, & exerceri debet ab omni homine, qui potest peccatorem a peccato revocare, licet nullam habeat auctoritatem supra proximum qui emendatur.

Correctio paterna est actus, quo quæritur emendatio peccati, & facta ab eo qui habet in peccantem auctoritatem aliquam, vel naturalem, ut pater; vel spiritualem, ut Prælatus; vel civilem, ut Magistratus: & hæc correctio fit ex officio, sed absque processu contentioso, ut dicunt; unde ad fraternam reducitur.

Correctio juridica est emendatio peccati vergentis in nocumentum communis boni: & hæc correctio fit ex justitia, & fieri debet solum ab eo homine, qui habet auctoritatem Prælationis, & contentiose, ut dicunt, potest procedere: qualis est Prælatus Ecclesiasticus, & civilis.

§. II.

De correctione fraterna.

Prop.unica. Correctio fraterna non est tantum de consilio, sed etiam de præcepto, & obligat non solos Prælatos, sed omnes & singulos Christianos quando adsunt omnes circumstantiæ requisitæ; adeo ut quilibet sive superior, sive æqualis, sive inferior teneatur fratrem suum peccatorem corrigere.

Prob. 1. Script. *Mandavit Deus unicuique de proximo suo*, Eccli. 17. v. 12. & Matth. 18. v. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum*: ergo correctio fraterna est de præcepto.

2. Ex Anacleto. (a) *Tam Sacerdotes, quam reliqui fideles omnes summam debent habere curam de his qui pereunt, quatenus eorum redargutione aut corrigantur a peccatis, aut si incorrigibiles appareant, ab Ecclesia separentur*.

3. Ex Aug. lib. de verbis Domini serm. 82. alias 16. c. 4. *Si neglexeris corrigere, pejor es factus eo qui peccavit; pejor tacendo, quam illo conviciando*.

4. Ex D. Thom. 2. 2. q. 33. a. 3. *Correctio est actus caritatis, quæ specialiter tendit ad emendationem fratris delinquentis per simplicem admonitionem: & talis correctio pertinet ad quemlibet caritatem habentem, sive sit subditus, sive Prælatus*.

5. Rat. Prima ratio. Tenemur ex caritate proximum diligere in ordine ad beatitudinem, procurando ei bona quibus ducatur ad Deum, & avertendo ab ipso mala quibus abducitur a Deo: utrumque fit per correctionem fraternam in legitimis circumstantiis exercitam: ergo correctio fraterna est de præcepto.

Secunda ratio. *Omnes unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra*, ut ait Paulus 1. ad Corinth. c. 12. v. 15. Ergo sicuti in corpore humano *pro invicem solicita sunt membra, & si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra*; sic in Ecclesia fideles debent esse ad invicem soliciti, & curare ne frater in peccatum labatur.

Tertia ratio. Tenemur ex præcepto caritatis eleemosynam corporalem largiri proximo indigenti: tenemur ergo a fortiori largiri proximo indigenti eleemosynam spiritualem, & proinde eum in debitis circumstantiis fraterna correctione corrigere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant generatim omnes, qui urgente necessitate, tempore ac loco opportunis, proximum per correctionem non abducunt a peccato vel quod jam commisit, vel quod commissurus est. Illud docet D. Thom. 2. 2. q. 33. a. 2. *Correctio fraterna ordinatur ad fratris emendationem: ideo hoc modo cadit sub præcepto secundum quod necessaria est ob istum finem; non autem ita quod quolibet loco vel tempore frater delinquens corrigatur*.

Sic generatim peccat fidelis quilibet, qui proximum non corrigit, sive superior, sive inferior, sive æqualis existat proximus egens correctione.

Consect. 2. Peccant gravius Prælati naturales, ut patres; Ecclesiastici, ut Pastores; civiles, ut Magistratus, qui in debitis circumstantiis non corrigunt subditos suos; quia ad id tenentur & ratione caritatis & ratione officii, ut ait D. Th. 2. 2. q. 33. a. 3. ad 3. *Sicut enim temporalia beneficia potius debet aliquis exhibere illis, quorum curam temporalem habet; ita etiam beneficia spiritualia, puta, correctionem, doctrinam, & alia hujusmodi, magis debet providere illis qui sunt spirituali suæ curæ commissi*.... Idem docet Aug. 1. de Civit. Dei cap. 9. *Qua in re*, inquit S. Doctor, *non utique parem, sed longe graviorem habent causam, qui populorum Præpositi constituti sunt in Ecclesiis, ut*

(a) Scio Decretales omnes antiquas usque ad Siricium apud Doctos haberi ut Apocriphas, ut ipsemet docebo in synopsi Juris Canonici, sed eam laudo, ut monumentum antiquum, cujuscumque sit auctoris.

ut non parcant objurgando peccata nec ideo tamen ab ejusmodi culpa penitus alienus est, qui licet præpositus non sit, arguenda negligit.

Sic gravissime peccant patres, non corrigendo filios; Tutores non corrigendo pupillos; Curatores, minores; heri, servos; Magistratus, subditos; Pastores Ecclesiastici, oves sibi subditas.

Consect. 3. Peccant subditi, qui servata debita reverentia, & mansuetudine, non corrigunt Prælatos in debitis circumstantiis; quia sicuti debent exercere caritatem erga Prælatos, ita & correctionem: ideo dicit Aug. in regula ad servos Dei: *Non solum vestri, sed etiam ipsius Prælati miseremini, qui inter vos quanto in loco superiori, tanto in periculo majori versatur.* Et D. Thom. 2. 2. q. 33. a. 4. ait: *Quod correctio fraterna, tam debet se extendere quam caritas.* Et ibidem, *Sed quia virtuosus*, inquit, *debet esse moderatus debitis circumstantiis; ideo in correctione, qua subditi corrigunt Prælatos, modus debet congruus adhiberi; ut scilicet non cum protervia & duritia, sed cum mansuetudine & reverentia corripiantur:* unde Apostolus, 1. Timoth. 5. dicit: *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem.* Sic potest filius patrem, privatus Magistratum, & populus Sacerdotem modeste corrigere.

Consect. 4. Peccant subditi, qui non corrigunt etiam publice Prælatos, cum imminet periculum fidei: ita docet D. Thom. ibidem: *Sciendum tamen est, quod ubi immineret periculum fidei, etiam publice essent Prælati a subditis arguendi; unde & Paulus, qui erat subditus Petro, propter imminens scandali periculum circa fidem publice arguit, ad Galat.* 2. Supra quod Aug. dicit: *Ipse Petrus exemplum majoribus præbuit, ut sic ubi tramitem rectum reliquissent, non de dignentur a posterioribus corripi.*

Consect. 5. Peccant mortaliter fideles, tunc maxime, cum prætermittunt correctionem ex metu vel cupiditate, cum ad illam tenentur, scilicet, quando probabiliter præsumunt, quod possunt proximum a peccato retrahere. *Prætermittitur*, inquit D. Thom. 2. 2. q. 33. a. 2. ad 3. *fraterna correctio cum peccato mortali, quando formidatur judicium vulgi, & carnis excruciatio, vel peremptio; dum tamen hæc ita dominentur in animo, quod fraternæ caritati præponantur; & hoc videtur contingere, quando aliquis probabiliter præsumit de aliquo delinquente, quod possit eum a peccato revocare, & tamen propter timorem vel cupiditatem prætermittit:* quæ quidem obligatio strictius urget eum, qui habet authoritatem vel naturalem, ut pater; vel spiritualem, ut Prælatus; vel civilem, ut Magistratus.

Consect. 6. Peccant venialiter qui ad correctionem fraternam sunt tardiores propter timorem & cupiditatem; quia qui tunc omittunt correctionem, ita sunt affecti, ut eam non negligerent, si constaret quod fraternam caritatem amitterent. *Tertio modo*, inquit D. Thom. *correctionis omissio est peccatum veniale, quando timor & cupiditas tardiorem faciunt hominem ad corripienda delicta fratris; non tamen ita quod si ei constaret, quod fratrem posset a peccato retrahere, propter timorem vel cupiditatem omitteret, quibus in animo suo præponit caritatem fraternam; & hoc modo quandoque veri Sancti negligunt corrigere delinquentes* ..... Et ideo August. 1. de Civit. Dei cap. 4. ut culpabile reprehendit corripienda dissimulare, *cum potentum inimicitias devitamus, ne impediant & noceant in rebus, quas adipisci adhuc appetit cupiditas, aut amittere formidat infirmitas.*

Consect. 7. Non peccant, sed meritorie agunt, qui omittunt correctionem, quam prævident magis nocituram quam profuturam: ita Aug. de Civit. Dei cap. 9. lib. 1. *Si propterea quisque objurgandis & corripiendis male agentibus parcit, quia opportunius tempus inquirit, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam & piam erudiendos impediant alios infirmos & premant, atque avertant a fide, non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium caritatis.*

§. III.

De correctione juridica.

Prop. unica. Correctio juridica non solum est de præcepto caritatis, sed etiam de præcepto justitiæ.

Prob. Script. *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel; audies ex ore meo sermonem, & premonstrabis eis ex me in eo. Cum dixerim peccatori, morte morieris, & non fueris locutus ut caveat impius a via sua; ille facinorosus in suo facinore morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Ezech. 33. v. 7. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne forte extimescas potentes, & ponas scandalum in æquitate tua* .... Eccli. c. 7. v. 6. Unde jubetur Moyses eligere de omni plebe *viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, qui judicent populum omni tempore absque acceptatione personarum.* Exod. cap. 18. v. 21. Ergo Prælati tenentur ex præcepto justitiæ ad correctionem juridicam.

2. Ex Patribus. *Quod Christiani sumus*, inquit Aug. serm. 46. de tempore, *propter nos est;*

quod præpositi sumus, propter vos est: in eo quod Christiani sumus, attenditur utilitas nostra; in eo quod præpositi, nonnisi vestra: Ergo præpositi tenentur ad correctionem juridicam, cum necessitas exigit, ex justitia & non solum ex caritate.

3. Ex D. Th. 2.2.q.33.a.3. *Est autem alia correctio, quæ est actus justitiæ, per quam intenditur bonum commune; & talis pertinet ad solos Prælatos, qui non solum habent admonere, sed etiam corrigere puniendo:* Ergo correctio juridica est de præcepto.

4. *Rat.* Correctio juridica pertinet ad justitiam distributivam, quia duplex est actus justitiæ distributivæ: alter punire malos, alter vero remunerari bonos: atqui exercitium justitiæ distributivæ est penes Prælatos, qui utpote capita Reipublicæ gerunt vices Reip. Ergo correctio juridica est penes Prælatos. Ergo Prælati tenentur adhibere correctionem juridicam ex præcepto non solum caritatis, sed etiam justitiæ.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant judices tum Ecclesiastici, tum civiles, qui dissimulant peccata subditorum, quos tenentur corrigere: ita docet Aug. „ Videtis, ait, quam sit periculosum parcere. Moritur ille (id est subditus) & recte moritur, in impietate sua & peccato suo moritur: negligentia enim sua occidit eum: sed cum fuerit negligens non admonente illo qui ad hoc est præpositus, & speculator ut admoneat; & ille juste moritur, & iste juste damnatur. "

Consect. 2. Peccant Judices Ecclesiastici & civiles, qui in correctione juridica incidunt in acceptionem personarum, reos absolvunt, & damnant innocentes; quia agunt contra justitiam. Prov. cap. 17. v. 15. *Qui justificat impium, & qui condemnat justum abominabilis est uterque apud Deum.*

Consect. 3. Peccant Judices Ecclesiastici & civiles, qui juridice non corripiunt & puniunt etiam publice peccata quæ committuntur publice; quia illam publicam pœnam merentur peccata publica. *Auferes*, inquit Deus, Deut. 13. v. 5. *malum de medio .... ut omnis Israel audiens timeat.* Quippe, ut ait Aug. *ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus.* Serm. 82. 7. alias 16. de verbis Domini c. 7. Idem docet D. Th. *Remedium adhibetur & peccatoribus, ne peccent, & aliis in quorum notitiam devenit peccatum, ut non scandalizentur.*

Consect. 4. Peccant Judices Ecclesiastici & civiles, qui dimittunt correctionem juridicam propter perturbationem ejus qui corripitur; quia, ut ait D. Th. *correctio pertinens ad Prælatos, quæ ordinatur ad bonum commune, & habet vim coactivam, non est dimittenda propter perturbationem ejus qui corripitur; tum quia si propria sponte emendari nolit, cogendus est per pœnas ut peccare desistat; tum etiam quia, si incorrigibilis sit, bono communi per hoc providetur, dum servatur ordo justitiæ, ut unius exemplo alii deterreantur: unde judex non prætermittat ferre condemnationem in peccantem, propter timorem, turbationem ipsius, vel etiam amicorum.*

Et Aug. Can. *Ipsa pietas* 23. q. 4. *Furenti phrenetico Medicus, & Pater indisciplinato filio molestus est, ille ligando, iste cædendo, sed ambo diligendo: si autem illos negligant & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa, & crudelis est.* Cui consonat illud Greg. Pastoral. 2. p. cap. 6. *Necesse est*, inquit, *ut Rectores a subditis timeantur, quando ab eis Deum minime timeri deprehendunt; ut humana saltem formidine peccare metuant qui divina judicia non formidant.*

Ne tamen exoriatur rebellio vel perturbatio, sequendum est consilium Greg. lib. 2. Moral. c. 8. *Miscenda est*, inquit, *lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate subditi exulcerentur, neque nimia benignitate solvantur: sit*, inquit, *amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans: sit zelus, sed non immodice sæviens: sit pietas, sed non plusquam expediat parcens.*

§. IV.

De modo secundum quem debet fieri correctio fraterna.

Prop. unica. Modus procedendi in correctione fraterna sic est expressus a Christo: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Matth. c. 18. v. 15.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Solum peccatum est objectum correctionis, juxta illud *: Si peccaverit;* & ita peccant. 1. Qui zelo inordinato proximum exasperant arguendo pro defectibus nullius momenti, & gravia peccata excusant. 2 Prælati, & Patres qui veniales etiam culpas non impediunt, si per hoc vigor disciplinæ minuatur. Caritas, ex Aug. in 1. Epist. Joan.

Joan. tract. 7. non debet esse desidiosa, *non est ista caritas*, inquit, *sed languor*.

Consect. 2. Peccatum debet esse cognitum, & non dubium & incertum, juxta illud: *Si peccaverit in te*, idest coram te, te sciente, ut explicat Aug. 32. c. 10. alias serm. 15. Ideo peccant qui proximum arguunt sub levibus suspicionibus; nec enim decet nos esse exploratores vitæ aliorum, sed solum admonitores. Prov. 24. v. 25. *Non quæras impietatem in domo justi; & vastes ejus requiem*. Et Aug. serm. 82. c. 1. alias 16. *Admonet nos Dominus noster non negligere invicem nostra peccata; non quærendo quid reprehendas, sed videndo quid corrigas*.

Consect. 3. Solum peccatum fratris est objectum correctionis, regulariter loquendo, juxta illud: *Si peccaverit in te frater tuus*; ideo licet, ut dictum est, teneamur ex caritate Prælatos aliquando publice, aliquando privatim arguere; non tamen id debet fieri indiscriminatim; sed personæ ætate, pietate, prudentia graviores, & Prælatis magis familiares debent suscipere munus illud correctionis erga Prælatos. *Unde qui habet specialiter curam alicujus*, inquit D. Th. hic art. 2. ad 4: *debet eum quærere ad hoc quod eum corrigat a peccato*, exemplo Christi, de quo dicitur: Vadit ad eam quæ perierat; *sed communiter non oportet nos quærere quos corrigamus, sed sufficit quod impendamus correctionem eis, qui nobis occurrunt*. Ita D. Thom.

Consect. 4. Correctio debet fieri privatim & non publice, si peccatum fuerit occultum, juxta illud: *Vade, & corripe eum inter te & ipsum solum*; quia, ut ait Hieron. corripiendus est frater seorsum, *ne si semel pudorem ac verecundiam amiserit remaneat in peccato*; &(ut ait Aug.) serm. de verbis Domini c. 6. *Quia secretum fuit quando peccavit in te, secretum quære cum corrigis quæ peccavit, parcens pudori, studens correctioni*. Denique, ut ait D. Th. 2. 2. q. 33. art. 8. in corp. dum proximum corrigimus, ejus famæ consulendum est; quia fama est necessaria proximo. 1. Ad bona temporalia, quia diffamati a civili commercio arcentur. 2. Ad conscientiam, quia diffamati irrefrænate peccant. 3. Ad bonum Ecclesiæ, quia patefacto unius peccato, alii ad peccandum provocantur. Ita D. Th.

Consect. 5. Correctio debet fieri verbis suavibus & non injuriosis, juxta illud: *Vade, & corripe eum*. Ideo ait Paulus ad Galat. 6. *Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris*: quem locum sic exponit Aug. *Quid quid lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non caritas corrigentis: Dilige, & dic quod voles*: etenim, ut docet Seneca de benef. cap. 3. *ut corporum, ita animorum molliter vitia tractanda sunt*.

Consect. 6. Correctio fraterna debet fieri solo motivo fratrem emendandi, juxta illud: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.... Noli arguere derisorem ne oderit te*; ideo ait D. Th. *Ubi probabiliter æstimatur quod peccator admonitionem non recipiat, sed ad pejora labatur, est ab ejusmodi correctione desistendum*. 2. 2. q. 33. a. 6. & Aug. serm. 82. alias 16. de verbis Domini cap. 7. *Quare illum corripis? quia tu doles quod peccaverit in te? absit. Si amore tui id facis, nihil facis; si amore illius facis, optime facis*.

Consect. 7. Correctio fraterna peccatoribus pertinacioribus non est deneganda sub spe futuræ eorum emendationis, juxta illud: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*. Id videtur docere D. Paulus ad Thessal. 5. v. 14. his verbis. *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes*: & Aug. de correct. & gratia c. 15. *Omnibus, ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda est a nobis medicinaliter severa correctio*.

Consect. 8. Si admonitio privata inter te & ipsum solum, suum effectum non habeat, propterea non omittenda est fratris correctio, sed adhibenda sunt alia media, quæ ad emendationem judicabuntur magis idonea.

1° Iteranda sæpius est privata correctio, juxta illud Pauli 2. ad Timoth. c. 4. v. 2. *Insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia*; imitandi enim sunt Medici, qui & volentibus, & nolentibus curam adhibent.

2. Si inutilis est iterata correctio inter te & ipsum solum, corrigendus est coram uno, vel duobus testibus, juxta illud: *Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos testes, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum*: & D. Th. 2. 2. q. 33. a. 8. ad 1. *Post admonitionem secretam semel vel pluries factam, quamdiu spes probabiliter habetur de correctione per secretam admonitionem procedendum est.... ex quo autem probabiliter jam cognoscere possumus, quod secreta admonitio non valet, procedendum est ulterius, quamtumvis sit peccatum occultum, ad testium inductionem, nisi forte probabiliter æstimetur, quod hoc ad emendationem fratris non proficeret, sed exinde deterior redderetur; quia propter hoc totaliter est a correctione cessandum*.

3. Si proximus nolit acquiescere prædictis admonitionibus, denuntiandus est Superiori, juxta

juxta illud: *Si non audierit eos, dic Ecclesiæ*: quod quo modo fieri debeat sequens paragraphus aperiet.

§. V.

De denunciatione.

Denunciatio est criminis latentis facta judici non observata formula accusandi. Denunciatio triplex est: denunciatio Evangelica, Canonica, & Civilis.

Denunciatio Evangelica ea est, quæ fit Prælato tamquam patri, qua scilicet rogatur Prælatus, ut paterna sua authoritate peccantem fratrem ad salutarem pœnitentiam excitet: ut cum uxor occultum mariti adulterium Sacerdoti denunciat. Ita Can. *Si peccaverit*.

Denunciatio Canonica ea est, qua peccator denunciatur Prælato Ecclesiastico, eo fine ut Prælatus pœnis Canonicis peccatorem ad pœnitentiam excitet; veluti si quis denunciet eos, qui volunt in gradu prohibito matrimonium contrahere.

Denunciatio Civilis ea est, qua reus denunciatur judici laico, eo fine ut judex laicus malos puniat & pacem publicam tueatur; ut cum quis denunciat malefactores Judici civili.

Prop. 1. Quantum fieri potest post adhibitam fraternam correctionem, si bonum spirituale proximi, aut utilitas publica exigat ut proximus denuncietur, isto ordine procedendum est: denunciatio Evangelica debet præcedere Canonicam, & Canonica, civilem: Civilis vero denunciatio magna eget cautela, nec adhibenda est nisi de consilio prudentis viri.

Prob. Ordo caritatis exigit, ut mitioribus quantum fieri potest mediis fratres nostros ad resipiscentiam reducamus. *Si secus feceris*, inquit Aug. serm. 16. de verbis Domini, *non es correptor sed proditor. Attende quemadmodum vir justus Joseph tanto flagitio, quod de uxore fuerat suspicatus, tanta benignitate pepercit antequam sciret unde illa conceperat, quam gravidam senserat, & se ad illam non accessisse noverat. Restabat itaque certa adulterii suspicio: & tamen quia ipse solus senserat, ipse solus sciebat, quid de illo ait Ev.?* Joseph autem cum esset vir justus & nollet eam traducere, idest divulgare, voluit occulte dimittere eam. Ergo sicuti Joseph in urgentissima etiam suspicione judicem non adiit; ita & nos non adeamus judices nisi in extremis tantum, & cum ad id teneri ex prudentum consilio compertum habuerimus.

Monit. 1. Quando peccatum est occultum vergens in periculum aliorum vel corporale, vel spirituale, denunciandum est absque admonitione prævia: ita docet D.Th. 2.2. q. 33. a.7. In talibus in quibus mora denunciationis est periculosa, non oportet expectare admonitionem, sed statim procedere ad denunciationem; nec hoc est contra præceptum Christi propter duo. Primo quidem, quia peccatum istud, quod vergit in periculum multorum, non est solum in te, sed in multos; Dominus autem dicit: *si peccaverit in te frater tuus*. Secundo, quia Dominus non loquitur de culpa futura cavenda, sed de præterita jam commissa.

Monit. 2. Quando peccatum est occultum, nec vergit in perniciem aliorum, tunc licet peccatum fratris superiori denunciare non ut judici, sed ut patri, si prævideatur quod superior paterna caritate fratrem errantem revocavit, & præsumo secretam meam monitionem futuram illi inutilem: ita D. Th. quodlib. 11. q. 10. a. 2. *Si ego scio*, inquit S. Doctor, *quod frater per me corrigetur, tunc non debeo hunc denunciare Prælato; si autem videtur quod hoc melius fiet per Prælatum, & Prælatus nihilominus sit pius, & spiritualis, & non habens rancorem, seu odium adversus illum subditum, tunc licite potest denunciari.*

ARTICULUS IV.

De bono exemplo.

PRop. *unica*. Quilibet homo tenetur aliis hominibus bono exemplo prælucere.

Prob. 1. Script. *Exemplum dedi vobis*, inquit Christus Joan. 13. v. 15. *ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*: Ergo cum amor Christi erga nos sit regula amoris nostri erga proximum, quemadmodum Christus nobis omnibus multa pietatis exempla præbuit; ita & nos debemus pietatis exempla aliis præbere hominibus.

2. Ex Gregorio Homilia 16. in Evangelium, ubi sic loquitur: *Nemo dicat, admonere non sufficio, exhortari idoneus non sum: quantum potes exhibe* vel adjumenta, vel bona exempla: *vobiscum alios trahite in via Domini, socios habere desiderate, curate ne ad Deum soli veniatis, sicut etiam scriptum est, qui audit, dicat, veni.*

3. *Rat.* Caritas nostra erga proximum debet ex dictis eo tendere, ut quantum in nobis est, proximum ad Deum attrahamus: unde dicit Augustinus concione 2. in Psal. 33. *Si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei....*

acci-

accipite, adducite, attrahite quos potestis: Ergo debemus fratribus nostris bono exemplo prælucere; ut enim optime monet D. Th. 1. 2. q. 34. a. 1. in corp. *in operationibus & passionibus humanis, in quibus experientia plurimum valet, magis movent exempla quam verba*; unde vulgare dictum: validiora sunt exempla quam verba, & plenius docetur opere quam sermone: & Seneca epist. 53. ait, Magistrum talem esse eligendum, *quem magis admireris cum videris, quam cum audieris*.

Consectaria hujus Doctrinæ:

Consect. 1. Quilibet homo etiam privatus tenetur ita pietatis opera exercere, ut possint alii ejus exemplo ad virtutem inflammari: unde Christus ait Matth. 5. v. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum qui in cælis est*; quilibet enim ita se gerere debet erga eos quibuscum commoratur, sicut Ruth gessit se cum concivibus suis, de qua scriptum est: *sit in exemplum virtutis in Ephrata, & habeat celebre nomen in Bethleem*. Ruth 4. v. 16. quibus verbis Scriptura non tam desiderium exprimit, quam quid futurum esset prænunciat.

Consect. 2. Superior politicus tenetur strictius quam homo privatus exemplo prælucere iis omnibus quibus præest; talis est enim vulgo populus, qualis est superior politicus, juxta illud Eccli. 10. v. 2. *Secundum judicem populi, sic & ministri ejus, & qualis Rector est civitatis, talis & inhabitantes in ea. Rex insipiens perdet populum suum.*

Consect. 3. Superior Ecclesiasticus strictius tenetur quam superior politicus exemplo prælucere his quibus præest; Christus enim, exemplar omnium Pastorum, *cœpit prius facere, postea docere*: & Paulus ad Tim. 1. 4. v. 12. *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate*: & ad Tit. 2. v. 7. *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum;* tenetur enim lucere, inquit Chrysostomus, Homil. in Matth. quem Dominus voluit habere officium lucernæ. Vide dicenda de officio Pastorum.

CAPUT IX.

De actibus caritati erga proximum contrariis.

Actus caritati erga proximum contrarii, alii sunt interiores, alii exteriores. Actus interiores sunt hi qui latent in corde: exteriores sunt hi qui per opus aliquod externum exterius manifestantur.

Actus interiores contrarii caritati erga proximum sunt odium, invidia, inimicitia interius retenta, quæ prodit se per actus exteriores caritati contrarios.

Actus exteriores contrarii caritati erga proximum sunt ira, vindicta, discordia, contentio, rixæ, de quibus sigillatim agemus; & quia scandalum caritati pariter adversatur, materiam scandali pertractabimus.

ARTICULUS I.

De odio contra proximum.

Odium proximi est actus, quo malum optamus proximo.

Prop. unica. Odium proximi, quo ei optamus ingens malum, est peccatum ex suo genere mortale.

Prob. 1. Script. *Omnis qui odit fratrem suum homicida est, & scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem.* 1. Joan. 3. v. 15. Ergo cum odium proximi comparetur homicidio, & homicidium sit peccatum mortale, odium proximi est peccatum mortale.

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 34. a. 4. ubi sic loquitur: *Peccatum quod committitur contra proximum, habet rationem mali ex duobus: uno quidem modo ex deordinatione ejus qui peccat: alio modo ex nocumento quod infertur ei contra quem peccatur.* Ergo odium contra proximum debet mensurari ex deordinatione voluntatis, & ex nocumento quod optamus inferre proximo. Ergo odium proximi erit peccatum mortale, si sit plane deliberatum, & ingens sit malum quod ei optamus.

3. *Rat.* Omnis actus contrarius virtuti est peccatum: ergo cum caritas erga proximum sit maxima virtus, odium proximi oppositum caritati debet esse maximum vitium, & proinde peccatum ex suo genere mortale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant qui gaudent de malo proximi, & tanto gravius, quanto majus est malum proximi, de quo lætantur. Contra pravum hunc cordis nostri affectum ita loquitur Script. Prov. 24. v. 17. *Cum ceciderit inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum, ne forte videat Dominus & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam*, & eamdem iram in te transferat, inquit Duhamel in suis Adnotationibus in Scripturam.

Con-

Consect. 2. Peccant qui optant aliquod malum proximo, & tanto gravius quanto majus est malum quod optant proximo; *caritas* enim, inquit Paulus 1. ad Corinth. 13. v. 4. *patiens est, benigna est, non cogitat malum.*

Sic peccant graviter qui optant malum temporale proximo, gravius qui optant ei mortem, gravissime vero qui optaret proximo æternam damnationem, neque possunt prava hæc desideria recto motivo excusari: unde damnata est sequens propositio a Sede Apostolica, & a Clero Gallicano. *Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod emolumentum temporale.*

ARTICULUS II.

De invidia erga proximum.

INvidia est tristitia de bono proximi quatenus bonum nostrum proprium minuere videtur.

Prop. unica. Invidia est peccatum mortale quoties cum plena deliberatione invidemus bonum aliquod insigne vel spirituale, vel temporale proximi; veniale vero si sit levitas materiæ, & indeliberatio.

Prob. 1. Script. *Invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* ad Galat. 5. v. 21. Ergo cum invidia excludat nos a Regno cælorum, debet esse peccatum mortale.

2. Ex Greg. 3. part. Regulæ pastoralis, admonitione 11. Quam grave sit peccatum invidiæ patet ex hoc, quod invidi, inquit, *alieno provectu deficiunt, aliena exultatione tabescunt ... melioratione proximi deteriores fiunt.*

3. *Rat.* D. Th. 2. 2. q. 36. a. 3. in corp ubi sic loquitur: Invidia ex suo genere est peccatum mortale; genus enim peccati ex objecto consideratur; invidia autem secundum rationem sui objecti contrariatur caritati, per quam est vita animæ spiritualis, secundum illud Joan. 3. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres ...* Unde manifestum est, quod invidia ex suo genere est peccatum mortale; sed sicut in quolibet genere peccati mortalis inveniuntur aliqui imperfecti motus in sensualitate existentes, qui sunt peccata venialia ... ita etiam in genere invidiæ: Ergo invidia est peccatum ex suo genere mortale; veniale vero vel ob levitatem materiæ, vel ob indeliberationem.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant gravissime qui dolent dona Spiritus Sancti in aliis abundare; & hoc peccatum ponitur inter peccata contra Spiritum Sanctum: ita D. Thom. ibid a. 4. ad 2. Tale fuit peccatum Cain dolentis holocaustum Abelis magis Deo placere, quam sacrificium quod ipse offerebat. *Ad Cain autem,* inquit Scriptura, *& ad munera ejus non respexit Deus: iratusque est Cain vehementer, & concidit vultus ejus.* Gen. 4. v. 5.

Consect. 4. Peccant gravissime qui dolent proximum bonis spiritualibus abundare: tales sunt qui ægre ferunt Evangelium prædicari, confessiones audiri &c. ab aliis quam a seipsis. Contra hoc facit exemplum Moysis, cui cum Josue annunciasset quod Eldad & Medad prophetabant in castris, eique dixisset: *Domini mi Moyses, prohibe eos;* Moyses respondit: *Quid, inquit, æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* Tales sunt etiam hi, qui ex invidia nolunt scientiam, quam habent, aliis communicare. Contra hos facit exemplum Sapientis, qui loquens de sapientia ait: *Quam sine invidia communico, & honestatem illius non abscondo.* Sap. 7. v. 13.

Consect. 3. Peccant qui dolent temporalia in aliis abundare. Talis fuit invidia Palæstinorum, qui dolebant quod Isaac dives evasisset; juxta illud Script. *Habuitque possessiones ovium & armentorum, & familiæ plurimum: ob hoc invidentes ei Palæstini omnes puteos patris Abraham obstruxerunt.* Gen. 26.

Consect. 4. Peccant qui dolent alios sibi vel forma corporis, vel doctrina, vel authoritate præeminere. Talis fuit invidia Fratrum Joseph. *Videntes ... quod Joseph plus amaretur cunctis filiis, oderant illum.* Gen. 37. v. 4. Talis fuit invidia Rachel: *Cernens autem Rachel quod infœcunda esset, invidit sorori suæ.* Gen. 30. v. 1. Talis fuit invidia Saul contra David: *Dederunt David decem millia, mihi mille dederunt.* 1. Reg. 18. v. 8.

Monit. 1. Non peccant tamen peccato invidiæ, qui timent bonum alienum sibi vel aliis viris probis nociturum. *Evenire plerumque solet,* inquit Greg. Moral. l. 22. cap. 11. *ut non amissa caritate, & inimici nos ruina lætificet, & rursum ejus gloria sine invidiæ culpa contristet, cum ruente eo quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo plerosque injuste opprimi formidamus.* Sic Esther & Mardochæus dolebant de

ritate impii Aman, a quo sibi & toti Judæorum genti cladem imminere prævidebant.

Monit. 2. Non peccant pariter peccato invidiæ qui tristantur de bono alterius, non quod ille habeat illud bonum, sed quod sibi desit illud bonum; nam tristitia illa proprie zelus dicitur, qui si sit circa bona honesta, laudabilis est, juxta illud 1. Cor. c. 12. 31. *Æmulamini charismata meliora*; si autem fuerit de bonis temporalibus, potest esse cum peccato & sine peccato. Si fiat ordinate, caret peccato, est vero cum peccato si fiat inordinate: ordinate autem bona temporalia cupimus, cum ea optamus ob gloriam Dei; inordinate vero, cum ea cupimus ob aliquod pravum motivum.

Monit. 3. Peccamus quando tristamur de bono alterius, quatenus ille, cui accidit illud bonum, est eo indignus: quia gaudere debemus quod bona spiritualia indignis obveniant, cum per ea peccator ad conversionem disponatur: gaudere pariter debemus quod bona temporalia indignis obveniant, quia ut dicit D. Th. 2. 2. q. 36. a. 2. in corp. *Secundum Doctrinam fidei, temporalia bona, quæ indignis proveniunt, ex justa Dei ordinatione disponuntur vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem* (a): *& hujusmodi bona nihil sunt in comparatione ad bona futura, quæ reservantur bonis*.

Monit. 4. *Cum aliquis tristatur de bono alicujus, in quantum alter excedit ipsum in bonis, tunc proprie est invidia, & istud semper est pravum.... Quia dolet de eo, de quo est gaudendum, scilicet de bono proximi*.

ARTICULUS III.

De Inimicitia.

INimicitia est status animæ, quo male afficimur erga eos, qui nobis adversantur: & inimicitia coincidit cum odio, eo solum discrimine, quod odium actum significat, inimicitia vero permanentiam in eodem odio.

Prop. unica. Inimicitia contra proximum sive interius latens, sive exterius prodens se, si sit plene deliberata & in materia gravi, est peccatum mortale.

Prob. 1. Script. *Qui odit fratrem suum, in tenebris est*, inquit Joan. 1. 2. v. 11. *& in tenebris ambulat, & nescit quo eat: quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus*; sed status ille denotat peccatum mortale: ergo inimicitia contra proximum est peccatum mortale.

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 34. a. 3. in corp. *Simpliciter accipiendo odium fratris, semper est cum peccato*: ergo si interveniat plena deliberatio & materiæ gravitas, permanentia in tali odio seu inimicitia, erit peccatum mortale.

3. Inimicitia seu status ille permanens, quo proximo adversamur, est status oppositus caritati: ergo est peccatum ex suo genere mortale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccamus graviter si interius foveamus inimicitias contra proximum, quantumvis nobis adversantem; tenemur enim ex præcepto Christi inimicos diligere: *Ego autem dico vobis*, inquit, *diligite inimicos vestros*. Matth. 5. v. 44.

Consect. 2. Peccant qui negant reconciliationem inimico veniam petenti; agunt enim contra illud Luc. 17. v. 4. *Si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens: pœnitet me; dimitte illi*. Et Aug. ait serm. 56. alias 48. de diversis: *Dilige hominem qui tibi dicit: frater, peccavi, ignosce mihi; tunc si non ignoveris, non dico, deles orationem de corde tuo; sed deleberis de libro Dei*.

Consect. 3. Peccant qui inimicis etiam veniam non petentibus non actu exhibent communia Christianæ dilectionis signa, & specialia in præparatione animi; immo qui ea signa non conferunt actualiter si ad eorum conversionem, vel imbecillium ædificationem absolute necessaria judicentur, tunc denegatio illorum signorum esset certum latentis odii testimonium. Sic enim de communibus dilectionis signis loquitur D. Th. 2. 2. q. 25. a. 9. in corp. *Sunt quædam signa, vel beneficia dilectionis, quæ exhibentur proximis in communi, puta, cum aliquis orat pro omnibus fidelibus, vel pro toto populo, aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti communitati: & talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere est de necessitate præcepti. Si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictæ, contra id quod dicitur* Levi. 9. v. 18. *Non quæras ultionem, & non memor eris injuriæ civium tuorum*. De beneficiis vero specialibus sic loquitur ibid. *Alia vero sunt beneficia, vel dilectionis signa, quæ quis exhibet regulariter aliquibus personis: & talia beneficia, vel dilectionis signa inimicis exhibere non est de necessitate salutis, nisi secundum præparationem animi, ut subveniatur eis in articulo necessitatis, secun-*

(a) Si hæc bona cedant ad eorum damnationem, non de eorum damnatione gaudere licitum est, sed laudare possumus Deum, qui juste omnia disponit.

cundum illud Prov. 25. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi.

Sic peccant qui inimicis negant communia beneficia, qualia sunt quæ Christiano debentur a quolibet Christiano in communi, concivi a concive, cognato a cognato, vicino a vicino.

Sic peccant qui negant inimicis specialia beneficia, quando hinc sequitur scandalum, quale contingit, quando affines, vicini, &c. salutationem, colloquia, aliaque officia sibi negant: *Væ homini illi, per quem scandalum venit*, inquit Christus, Matth. 19. a. 7.

Sic peccant qui negant inimicis specialia signa dilectionis, cum ea inservire possent ad eorum conversionem: *unicuique Deus mandavit de proximo suo*. Si ergo possis inimicum tuum ad Deum convertere, & non facias, *sanguinem ejus de manu tua requiret Dominus; si occurreris bovi inimici tui, vel asino erranti, reduc ad eum; si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis*, ait Script. Ergo a fortiori debemus animam inimici nostri specialibus dilectionis argumentis ab odio, quo exuritur, reducere, & a pondere peccati, quo premitur, sublevare.

ARTICULUS IV.

De Vindicta.

Vindicta est actus justitiæ, quo justa pœna rependitur pro punienda culpa.

Prop. 1. Vindicatio, quæ fit vel ex livore, vel ex odio, vel ex malevolentia, est peccatum tanto gravius, quando major est ulciscentis se malevolentia.

Prob. 1. Script. *Non quæras*, inquit Deus, Lev. 19. v. 18. *ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum*: & Paul. ad Thessal. 1. c. 5. v. 15. *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat; sed semper quod bonum est sectemini invicem & in omnes*: Ergo vindicatio, quæ fit ex motivo odii, est semper peccatum.

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 108. a. 1. *In vindicatione considerandus est vindicantis animus: si enim ejus intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam sumit, & ibi quiescat, est omnino illicitum, quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod caritati repugnat, qua omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excusatur, si malum intendat illius, qui sibi injuste intulit malum, sicut non excusatur aliquis per hoc quod odit odientem se*: debemus enim non vinci a malo, sed vincere in bono malum.

3. *Rat.* Vindicta quæ fit vel ex odio, vel ex livore, opponitur caritati: ergo est peccatum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant privati, qui authoritate propria volunt sibi usurpare exercitium vindictæ; Deus enim injuriarum ultionem sibi reservavit, juxta illud ad Rom. 12. v. 19. *Vindicta mihi; ego retribuam*. Deinde, hi qui acceptas volunt ipsimet ulcisci injurias, non ducuntur zelo justitiæ, sed odio & livore. ergo peccant.

Consect. 2. Peccant privati homines, qui vindictam coram judice pro acceptis injuriis persequuntur, non ex zelo justitiæ, sed ut irato satisfaciant animo; tunc enim propriæ serviunt cupiditati: qui enim ultionem coram judice persequitur, debet id facere cum dilectione hominum & solo odio vitiorum, debet sibi proponere solum bonum justitiæ, solum bonum pacis, ut alii non audeant contra bonos insurgere, & ne impunitas delictorum pariat incentiva vitiorum.

Prop. 2. Vindicta, quæ fit non authoritate privata, sed publica, non animo nocendi, sed solum animo cohibendi malos & tuendi, bonos, non est peccatum.

Prob. 1. Script. ex Psal. 57. v. 11. *Lætabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris*: Ergo vindicta est aliquando licita, cum justus ex Psalmista possit de ea gaudere, immo ex Paulo possit eam exigere a judice: dicitur enim ad Rom. 13. quod Princeps terrenus *Dei minister est, vindex in iram ei, qui male operatur*.

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 108. a. 1. in corp. *Si intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis, puta, ad emendationem peccantis, vel saltem ad cohibitionem ejus, & quietem aliorum, & ad justitiæ conservationem, & Dei honorem, potest esse vindicatio licita, aliis debitis circumstantiis servatis*.

3. *Rat.* Cum vindicta fit cum prædictis circumstantiis, est actus justitiæ: ergo non est peccatum, sed actio licita.

Consectaria hujus principii.

Consect. 1. Non peccant privati etiam homines, qui coram judice condignam exigunt injuriarum satisfactionem; possunt quidem, si velint, injuriam condonare, sed licite possunt pariter satisfactionem exigere: immo

id aliquando postulat ordo justitiæ, ut sceleratti timore pœnæ a bonorum vexatione abstineant.

Sic videmus in veteri testamento constitutos judices, coram quibus læsi debitam satisfactionem persequebantur; idemque jus vigere in novo testamento cernimus, cum apud Christianos judices sint & tribunalia: immo Ecclesia interdum infligit censuras contra eos, qui pro injuriis satisfacere recusant.

Consect. 2. Non peccant personæ publicæ, qui pro accepta injuria debitam satisfactionem exigunt; immo peccarent, si non exigerent, cum eorum injuria vel in Deum, vel in Ecclesiam, vel in rempublicam redundat: tunc enim debent ipsimet eam injuriam ulcisci juxta regulas prudentiæ vel propriæ vel alienæ.

Sic Elias non ex odio, sed ex instinctu divinitus inspirato jussit ignem de cælo descendere in eos, qui eum comprehensuri venerant. Sic Elisæus maledixit pueris eum irridentibus, qui statim ab ursis devorati sunt. Sic Sylverius Papa excommunicavit eos, qui eum in exilium miserunt. Ita D. Thom. 2. 2. 108. a. 1. ad 4.

Ubi tamen cavere debent qui in authoritate sunt constituti, ne sub specie boni publici privatas ulciscantur injurias.

Consect. 3. Cum ira sit appetitus vindictæ, idem dicendum de ira quod de vindicta diximus. Unde ira est licita, vel illicita & ex parte objecti, & ex parte modi, ut docet D. Thomas 2. 2. q. 158. a... *Si aliquis*, inquit, *appetat, quod secundum ordinem rationis fiat vindicta, est laudabilis iræ appetitus, & vocatur ira per zelum. Si autem aliquis appetat, quod fiat vindicta qualitercumque contra ordinem rationis, puta, si appetat puniri eum, qui non meruit, vel ultra quam meruit, vel etiam non secundum legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conservatio justitiæ, & correctio culpæ, erit appetitus iræ vitiosus, & nominatur ira per vitium. Alio modo attenditur ordo rationis circa iram quantum ad modum irascendi, ut scilicet motus iræ non immoderate fervescat, nec interius; quod quidem si permittatur, non erit absque peccato, etiam si aliquis appetat justam vindictam.*

Et art. 3. in responsionibus ad argumenta, idem S. Doctor fuse docet, iram esse peccatum mortale. Primo. Quando vehementes motus excitat, qui omnino perturbant rationem; juxta illud Job. 17. v. 7. *Caligavit ab indignatione oculus meus*. Secundo. Quando ingens malum causat proximo; juxta illud Christi, Matth. 5. v. 22. *Omnis qui irascitur fratri suo*, scilicet malum ingens ei optando, *reus erit judicio*; & juxta Paulum talem iram inter opera carnis recensentem ad Galat. 5. Tertio demum. Quando ira ita est deordinata, ut dilectioni vel Dei, vel proximi repugnet; tunc enim, ut dicit Jacob. 1. v. 20. *Ira viri*, idest hominis carnalis, *justitiam Dei non operatur*.

Sic peccat qui ex zelo inordinato vel non irascitur cum oportet, vel irascitur cum non oportet: de quo ait Bernar. Epis. 69. *Peccabis non minus nimis irascendo, quam omnino non irascendo; siquidem non irasci ubi irascendum sit, est nolle emendare peccatum: plus vero irasci quam irascendum sit, peccatum peccato addere est*. Tales sunt qui ne irascantur vel gravissima permittunt scelera, & hi qui non nisi cum amaro zelo culpas vel levissimas arguunt. Utrumque extremum qui evitare voluerit imitetur Christum, qui & cum zelo expulit e templo vendentes & ementes, & cum suavitate quoscumque excipiebat peccatores: sequatur illud Pauli 2. ad Timot. 4. v. 2. *Argue, obsecra, increpa in omni patientia*.

Consect. 4. Cum discordia oriatur ut plurimum ex ira, juxta illud Prov. 15. v. 18. *Vir iracundus provocat rixas: qui patiens est mitigat suscitatas*: eodem modo loquendum de discordia, quo de ira: & ita peccant graviter qui concordes in bono hominum voluntates, discordes efficiunt, juxta illud Prov. 6. Dominus odit *proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias*. Et D. Th. 2. 2. q. 37. a. 1. in corp. ait: *Per se discordat aliquis a proximo, quando scienter & ex intentione dissentit a bono divino, & a proximi bono, in quo debet consentire: & hoc est peccatum mortale ex suo genere, propter contrarietatem ad caritatem, licet primi motus hujus discordiæ, propter imperfectionem actus, sint peccata venialia*. Non peccant vero qui homines in malo concordes separant, modo viis non utantur iniquis. Hoc enim exemplo suo Christus nos edocuit. *Non veni*, inquit, *pacem mittere, sed gladium; veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam*. Matth. 10. v. 34. Et D. Thom. 2. 2. q. 37. a. 1. ad 1. sic loquitur: *Causare discordiam, per quam tollitur mala concordia, scilicet in mala voluntate, est laudabile; & hoc modo laudabile fuit, quod Paulus posuit dissensionem inter eos qui erant in malo concordes*.

De scandalo agemus ubi de homicidio.

TRA-

TRACTATUS OCTAVUS.

De Religione.

CAPUT I.

Explicatur quid sit Religio, simulque variæ traduntur notiones ad intelligentiam hujus tractatus necessariæ.

Religio, de qua hic agimus, est virtus moralis divinitus infusa, qua honor Deo debitus redditur, rebusque sacris in ordine ad Deum.

Objectum Religionis Christianæ est illud, quod per Religionem colitur.

Objectum primarium Religionis Christianæ est Deus supereminens omnibus: unus in essentia, & trinus in personis: humanitas Christi, quatenus divinitati hypostatice unita.

Objectum secundarium Religionis Christianæ sunt omnes Sancti, & omnes res sacræ, in quibus specialiter relucet aliquid divinitatis: quales sunt sancti Angeli, animæ beatæ, res sacræ, v. g. Sacramenta Ecclesiæ, Biblia, &c.

Objectum formale Religionis, seu motivum venerandi res sacras, est suprema divinitatis excellentia omnibus rebus longe supereminens; quidquid enim cultu Religioso veneramur, hoc ideo facimus, quia in eo relucet vel divinitas, vel aliquid emanans specialiter a divinitate.

Religio alia est habitualis, alia actualis.

Religio habitualis est habitus inclinans ad actus Religionis, & avertens ab actibus Religioni oppositis.

Religio actualis est exercitium actuale Religionis; exercitium autem Religionis est actus vel elicitus a Religione, vel imperatus per Religionem.

Actus imperatus a Religione est actus quilibet bonus factus ex motivo Religionis.

Actus elicitus a Religione est actus, quo honor Deo debitus rependitur ob supremum ejus dominium super omnia, v. g. devotio, oratio.

CAPUT II.

De objecto Religionis, sive de his quæ cultum Religiosum merentur.

ARTICULUS I.

De substantiis spiritualibus quæ cultum nostrum merentur.

PRop. 1. Sola divinitas potest & debet supremo latriæ cultu adorari.

Prob. 1. Script. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies*. Deut. 6. v. 13.

2. Ex Concil. Constantinop. *Credimus in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum, & conglorificandum*: Ergo Deus unus in essentia, & trinus in personis, est adorandus & conglorificandus.

3. Ex Aug. lib. 10. de Civit. Dei c. 1. *Quæ itaque* Latreia *Græce nuncupatur, & Latine interpretatur servitus; sed ea qua colimus Deum .... hanc ei tantum Deo deberi dicimus, qui verus Deus est, facitque suos cultores deos*.

4. *Rat.* 1. Ille solus vere supremum meretur cultum, qui omnibus eminet, qui est causa omnium, & qui est ultimus omnium finis; quia supremus cultus supremam illam exigit & supponit eminentiam: patet autem, quod solus Deus omnibus emineat, omnium sit causa, & ultimus omnium finis: soli ergo Deo supremum cultum exhibere possumus. Hanc rationem innuit Paulus dicens: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia; ipsi gloria in sæcula*. Ad Rom. 11. v. 36.

Consectaria hujus Doctrinæ.

De his quæ debent adorari cultu latriæ.

Consect. 1. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, debent adorari supremo latriæ cultu; quia quælibet ex illis personis est verus Deus: unde Aug. serm. contra Arrianos cap. 29. *Cum igitur & Patri, & Filio, & Spiritui Sancto ista, quæ latria vocatur, servitute serviamus, audiamusque legem Dei præcipientem, ut nulli alteri, sed soli Domino Deo nostro hanc exhibeamus; procul dubio unus, & solus Dominus Deus noster est ipsa Trinitas, cui uni, & soli talem servitutem pietatis jure debemus*.

Consect. 2. Verbum Divinum subsistens in natura divina & humana supremo latriæ cultu adorandum est; quia est verus Deus & verus Homo: verus Deus ratione naturæ acce-

acceptæ a Patre: verus homo ratione naturæ humanæ acceptæ a Maria, juxta illud Joan. 1. v. 14. *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*, v. 1. *Et verbum caro factum est*. Unde Paulus ad Philip. 2. v. 10. *In nomine Jesu omne genuflectatur cælestium, terrestrium, & infernorum*; & ad Hebr. 1. v. 6. de Christo ait: *& adorent eum omnes Angeli Dei*.

Consect. 3. Christus, etsi verus homo, constans ex corpore & anima, sicuti nostrum quilibet, tamen vere & proprie cultu latriæ adorandus est, etenim in humanitate Christi, ut dicit Paulus, *inhabitat omnis plenitudo divinitatis*, non figurative, sed *corporaliter*, id est vere & realiter, ad Coloss. 2. v. 9. Deinde humanitas Christi a divinitate sejungi non potest, unde Athan. *Non enim creaturam adoramus, absit; in Ethnicos, & Arianos istiusmodi delirium competit: sed Dominum rerum creatarum, Verbum Dei incarnatum adoramus ... neque Verbum adoraturi, Verbum a carne longe seponimus; sed cum sciamus Verbum carnem esse factum, illud jam in carne situm Deum agnoscimus. Quis igitur tam vecors est, ut Domino ita loquatur: absiste a corpore, ut te adorem; aut quis ita impius est, ut cum Judæis propter corpus dicat ei: cur tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum? Atqui non istiusmodi moribus leprosus te adoravit; adoravit enim Verbum in corpore, adorarunt Apostoli, imo adoraverunt & Angeli*. Epist. ad Adelphum.

Consect. 4. Christus sive in cruce pendeat, sive in Eucharistia lateat, sive sedens ad dexteram Patris regnet, semper est adorandus cultu latriæ; quia Christus ubicumque sit, est verus Deus. Ita de Christo crucifixo Ambrosius loquitur: *Non lignum Crucis, sed Christum passum adoramus. Regem adoravit Helena: non lignum utique; quia hic Gentilis est error, & vanitas impiorum, sed adoravit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo*. Ambros. de obitu Theodosii Imperatoris circa finem. Christum autem sub sacramentalibus speciebus velatum adorari ab Angelis, testes sunt sancti Patres passim in suis operibus; sed instar omnium sit istud Augustini dictum in Psal. 98. *Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit .... non solum non peccamus adorando; peccamus non adorando*. Christum autem regnantem in Cælis chorus omnis, & Angelorum & Beatorum perenni adoratione prosequitur, uti testatur Symbolum Apostolorum his verbis: *Sedet ad dexteram Patris*, ei omnino æqualis, ibique cum Patre & Spiritu Sancto adoratur & conglorificatur.

Consect. 5. Actiones Christi teandricæ, id est humano-divinæ, salutis nostræ operatrices, etsi transierint, tamen in memoriam revocatæ, supremo latriæ cultu una cum Christo sunt adorandæ; quia unum cum Christo efficiunt. Ita Abbas Cluniacensis Epist. contra Petrobusianos: *Etenim cum dico, Mortem Domini, Resurrectionem Domini, Ascensionem Domini adoro, non aliud quam mortuum Dominum, resurgentem Dominum, ascendentem Dominum adorare me profiteor. Simili intellectu, cum ante Crucem humiliatus prosternor, eum, qui in ipsa olim pro requie nostra tortus est, pro vita nostra mortuus est, ut Deum & Dominum, cui hoc solum debetur, adoro*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

De his quæ non possunt cultu latriæ adorari.

Consect. 1. Nulla res creata sive sit supra nos, ut Angelus, sive sit infra nos, uti res corporeæ, sive sit juxta nos, uti anima humana, potest supremo latriæ cultu honorari; quia hæc omnia esse nequeunt nostra beatitudo, & suprema veritas, immobiliter figens intellectum creatum. Ita Aug. lib. de vera Relig. cap. 55. *Non sit nobis Religio in Phantasmatis nostris. Melius est enim qualecumque verum, quam omne quidquid pro arbitrio fingi potest. Et tamen animam ipsam, quamvis anima vera sit, cum falsa imaginatur, colere non debemus .... non sit nobis Religio humanorum operum cultus. Meliores enim sunt ipsi artifices, qui talia fabricantur, quos tamen colere non debemus .... non nobis sit Religio, cultus scilicet latriæ, hominum mortuorum: quia si pie vixerunt, non sic habentur, ut tales quærant honores; sed illum a nobis coli volunt, quo illuminante lætantur, meriti sui nos esse consortes: honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter Religionem .... Non sit Religio in Angelis; neque enim & nos videndo Angelum beati sumus, sed videndo veritatem, qua etiam ipsos diligimus Angelos, & his gratulamur .... & rursus Deus verus colendus est, quo solo fruens beatus sit cultor ejus, & quo solo non fruens, omnis mens misera est, qualibet alia re perfruatur*. Lib. 2. contra Faust. cap. 5.

Consect. 2. Nullus Sanctus sive Patriarcha, sive Propheta, sive Apostolus, sive Martyr, quantacumque sanctitate emineat, quantacumque miracula operetur, potest latriæ cultu adorari; quia res creata est qua utendum, & non res increata qua fruendum: ideo & Angeli, & Sancti non patiuntur se adorari; sed e contra prohibent; sic enim habet

bet Joannes: *Et cecidi ante pedes ejus*, scilicet Angeli, *ut adorarem eum*; *& dicit mihi*: *vide ne feceris*: *conservus tuus sum & fratrum tuorum habentium testimonium Jesu*: *Deum adora*. Ap.19.v.10. Paulus & Barnabas Listrensibus volentibus eis sacrificare, fortiter restiterunt, dicentes: *Viri quid hæc facitis? & nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis converti ad Deum vivum*. Act. 14. v. 14. quod ita paucis explicat Aug. contra Faust. lib. 20. cap. 21. *Colimus ergo Martyres eo cultu dilectionis, & societatis .... at eo cultu, quæ Græce latria dicitur, Latine dici uno verbo non potest, cum sit quædam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum*.

Prop. 2. Cultus supremus Deo debitus in nomine Christi mediatoris nostri exhibendus est sanctissimæ Trinitati.

Prob. 1. Script. *Ego sum via, veritas, & vita*. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*. Jo:14. 6. *Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur*. Cap. 10. v. 9. & rursus: *Non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*. Act. 4. v. 12. *Unus enim Deus; unus & mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*. 1. ad Tim. 2. v. 5. Ergo omnis cultus noster erga Deum per Christum exhibendus est.

2. Traditione. Ex perenni Ecclesiæ praxi patet, cultum omnem in nomine Christi exhibendum sanctissimæ Trinitati; ideo omnes orationes sic concludit: *Per Dominum nostrum Jesum Christum*.

3. Ex Aug. *Sicut enim*, inquit Aug. *diabolus superbus hominem superbientem reduxit ad mortem*; *ita Christus humilis hominem obedientem reduxit ad vitam*: *quia sicut ille elatus cecidit, & dejecit consentientem*; *sic iste humiliatus surrexit & erexit credentem*. Lib. 4. de Trin. c. 10. Ergo per Jesum Christum cultus noster erigatur necessarium est: & rursus idem Aug. *Oratio autem, quæ non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum*. in Psal. 108. v. 9.

4. *Rat.* 1. Rat. Mediator inter Deum, & homines debet esse simul & Deus & homo; quia medium de utroque extremo participat. Solus autem Christus est simul Deus, & homo, Deus ratione naturæ acceptæ a Patre, homo ratione naturæ acceptæ a Maria: solus ergo Christus potest esse mediator inter Deum & homines: & proinde per Christum omnis cultus noster Deo est exhibendus.

2. Ratio. Homo lapsus per peccatum a justitia originali, in qua constitutus fuerat, eget mediatore, quo resurgat ab illo infelici statu, in quem detrusus est: hunc mediatorem in homine solo reperire non potuit, quia homo peccator est; in dæmone quærere non debuit, quia dæmon illusor est; in Angelo ambire non oportuit, quia Angelus minister est, & servus in domo Dei: ergo in solo Christo, Deo simul & homine, verus mediator occurrere potuit, ut docet Paulus: *Talis enim decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus*. ad Heb. 7. v. 26.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ut cultus religiosus sit Deo acceptus, debet in nomine Christi exhiberi. *Per ipsum ergo*, ait Paulus, *offeramus hostiam laudis semper Deo placentem, idest fructum labiorum confitentium nomini ejus*. Ad Hebr. 13. v. 15. Sic in lege naturæ, sacrificium Abel, sacrificium Enoc, sacrificium Noe offerebatur in nomine Christi, qui promissus fuerat, his verbis: *Inimicitiam ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius; ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus*. Gen. 3. v. 14.

Sic in lege Mosaica omnia sacrificia fiebant in fidem Christi venturi, qui eis per Moysem promissus fuerat, his verbis. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies*. Deut. 18. v. 15.

Sic in lege Evangelica nihil fit sancte, nisi in nomine Christi. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*. Joan. 14. v. 6.

Sic demum in cælo perenne laudis sacrificium ab omnibus electis perenniter offerendum, non nisi per Christum, & in nomine Christi offeretur. *Talem*, inquit Paulus, *habemus Pontificem, qui consedit in dextera Sedis magnitudinis in cælis, Sanctorum Minister, & tabernaculi veri, quod fixit Dominus, & non homo*. Ad Hebr. cap. 8. v. 1. Hinc est, quod Joannes *vidit agnum stantem in medio throni tamquam occisum*, Apoc. 5. v. 7. idest, oblatum a prædestinatis, & offerentem prædestinatos.

Consect. 2. Nullum est exercitium spirituale in Christiana Religione, quod magis apud Deum valeat, quam pietas erga Deum per Christum. Hæc est illa pietas, quæ utilis est ad omnia. Hoc illud est ostium, per quod si quis non introierit, ille fur est & latro. Hoc illud est altare, extra quod si quis sacrificaverit, pollutus erit & profanus; stat enim firmum illud Christi effatum: *Qui non colligit mecum, dispergit*. Luc. 11. v. 23.

Prop. 3. Quamvis solus Deus supremo Latriæ

triæ cultu venerandus sit per Christum, & in nomine Christi; tamen Maria, Angeli, animæ beatæ, & res sacræ inanimes possunt sine idololatriæ vitio honorari, cultu tamen longe inferiori. Delatus Virgini, Hyperdulia nuncupatur; delatus vero Angelis & animabus sanctis, Dulia dicitur; delatus vero rebus insensibilibus ad Deum vel Sanctos specialiter pertinentibus, cultus dicitur honorarius vel respectivus.

Prob. 1. Script. *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Psal.138. v.17. Ergo Sanctos, utpote Dei amicos, venerari possumus.

2. Ex Concil. Trid. sess.25. de invocatione Sanctorum, ubi mandat his, qui curam docendi habent, *ut fideles omnes diligenter instruant, docentes eos Sanctos una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere.*

3. Ex perenni praxi Ecclesiæ patet semper in honore habitos fuisse Sanctos. Dicitur enim in confessione publica: *Ideo precor beatam Mariam semper virginem, & omnes Sanctos.* Quod omni tempore fuisse observatum adeo certum est, ut inimici Ecclesiæ hanc consuetudinem, ut ridiculam, a Paganis derivatam voluerint. *Ridiculum esse dicebant*, inquit Theodoretus, *quod honore Martyres prosequamur, & insignis stultitia, si viventes ab his, qui vita functi sunt, ullum sibi commodum comparare contendant.* Prolog. Græcar. affect. & juxta Aug. Manichæi nos eodem convicio verberabant, ut constat ex lib. 20. contra Faust. cap.4. *Desciscentes a gentibus, ... sacrificia eorum vertistis iu Agapes, idola in Martyres, quos votis similibus colitis, defunctorum umbras vino placatis, & dapibus.*

Rem illam ex professo tractat Hieron. contra Vigilantium c.3. *Dicis*, inquit, *in libello tuo, quod dum vivimus, mutuo pro nobis orare possumus; postquam autem mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oratio, præsertim cum Martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes, impetrare non quiverint.* En objectio Vigilantii, cui ita respondet Hieron. *Si Apostoli & Martyres, adhuc in corpore constituti, possunt orare pro cæteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti; quanto magis post coronas, victorias, & triumphos? ... Meliorque erit Vigilantius canis vivens, quan Paulus leo mortuus. Recte hoc de Ecclesiaste proponerem, si Paulum in spiritu mortuum confiterer. Denique Sancti non appellantur mortui, sed dormientes*; cui concordat Amb. dicens: *Obsecrandi sunt Angeli pro nobis.... Martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quodam corporis pignore patrocinium vindicare; possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine etiam, si quæ habuerint, peccata laverunt.... non erubescamus eo intercessores nostræ infirmitatis adhibere; quia ipsi infirmitatem corporis, etiam cum viverent, cognoverunt.* Lib. de Viduis cap.9.

4. *Rat.* 1. Ratio. Cultus religiosus includit fidem, spem, & caritatem, ut docet Eccli.cap. 2.v.8. his verbis: *Qui timetis Dominum, credite illi .... qui timetis Dominum, sperate in illum .... qui timetis Dominum, diligite illum*: sed nihil vetat nos exhibere Mariæ, Angelis, & Sanctis fidem, spem, & caritatem, modo id fiat cum subordinatione ad Deum: Ergo nihil vetat, ut eis cultum religiosum exhibeamus. Totum patebit hac inductione.

Deo credimus, quia verax est: sed qua fide Deo revelanti credimus, eadem Sanctis & Angelis revelationem nobis Divinam communicantibus assentimur: *Spiritu Sancto quippe inspirati locuti sancti Dei homines*; quod si præconibus Divinæ revelationis fidem negamus, Deo pariter negemus necessarium est. In Deum speramus, quia omnipotens: sed qua spe in Divino auxilio confidimus, eadem in Sanctis, nobis a Domino in auxilium missis, intrepidi confirmamur; scriptum est enim: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Psal. 90. v.11. Deum diligimus, quia est summe bonus: sed qua dilectione Deum diligimus, eadem Sanctos, divinæ bonitatis per beatitudinem immobiliter participes, diligamus necessarium est; unde Jo.1.c.4. v.21. *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*, idest, una & eadem dilectione Deum & proximum diligat.

2. Ratio. Cultus Deo debitus, in spiritu, & veritate exercendus, non singularis esse debet, sed communis; non privatus, sed publicus; oblatus per nos Christo, & per Christum Deo: adeo ut omnes Sancti, tam comprehensores, quam viatores sese offerant Christo; & Christus & Sanctos, & sese offerat Patri indissolubili oblatione, qualem decet esse inter caput & membra. *Ita multi unum corpus sumus in Christo.* Ad Rom. 12. v. 5. Sicuti ergo unius, & ejusdem corporis membra mutuo se juvant spirituum animalium commercio; ita Sancti omnes mutuis se juvant apud Deum precibus. Et rursus uti membra ignobiliora honorem deferunt nobilioribus; ita viatores homines honorem

norem deferant Sanctis comprehensoribus justum est.

In illa autem precum communione, in illa erga Sanctos reverentia, situm esse cultum Duliæ, & Hyperduliæ contendimus: qui cultus nihil habet, quod idololatriam sapiat; nec enim, ut opinantur perperam heretici, Angelis, aut Sanctis vel immensitatem, vel omnipotentiam, vel omnium rerum scientiam attribuimus, qua & preces audire, & exaudire valeant; quod vident, Deo revelante vident; quod faciunt, Deo operante faciunt; quibus præsto sunt, Deo adjuvante opitulantur: & ideo cum Mariam, Angelos, vel Sanctos veneramur, non in creaturis cultum nostrum sistimus, sed solam sapientiam, potentiam, misericordiam Dei, in ipsis relucentem, & per eos ad nos derivatam, veneramur, ut docet Aug. de Trin. l. 18. c. 6.

§. I.

De cultu Mariæ.

Nihil est in Ecclesia firmius stabilitum, quam cultus specialis Hyperduliæ, qui a singulis fidelibus defertur Virgini Mariæ: quia Maria est quidem Christo inferior, sed est omnibus puris creaturis excellentior in donis supernaturalibus; ideoque majorem meretur reverentiam. Christus meretur cultum supremum; quia in Christo, ut dicit Paulus, *inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Col. 2. 9. Maria meretur cultum inferiorem; quia per novem menses in ea habitavit Divinitas, juxta illud Angeli: *Dominus tecum*. Christus habet omnem plenitudinem gratiæ pertinentem ad officium Redemptoris: *Vidimus eum plenum gratiæ & veritatis*. Jo. 1. v. 14. Maria habet plenitudinem gratiæ pertinentem ad officium Matris Dei, juxta illud Angeli: *Ave Maria gratia plena*. Christus est collocatus, non in ordine naturali præcise, uti res, quæ istum mundum constituunt; non in ordine gratiæ præcise, uti res, quæ ad salutem nos conducunt: sed insuper situs est in ordine hypostatico, ut dicunt, subsistens ea subsistentia, qua verbum subsistit. Maria pariter habet, quod quodammodo ad ordinem hypostaticum pertineat, cum vere mater sit, non hominis solum, sed Dei; qua dignitate nihil altius. Christus magnus fuit, non divitiis, sed virtutibus, non potestate, sed sanctitate, quæ dotes verum cultum merentur. Ita & Maria in omnibus fuit Christo simillima, manens tamen pura creatura. Mariæ dignitatem, simulque honorem ei debitum his verbis complexa est Ecclesia, quæ illi hæc Scripturæ verba accommodat: *Aurora fulgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut castrorum acies ordinata*. Dicitur 1. *Aurora fulgens*: sicuti enim Aurora est prænuntia Solis venturi; ita Maria & prænuntia, & Mater fuit Christi, qui est Sol & lux spiritualis, *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*. Jo. 1. v. 9. 2. *Pulchra ut Luna*: nam sicuti nullum est sydus Soli similius quam Luna; ita nullus Sanctus Christo similior, quam Maria. 3. *Electa ut Sol*: etenim sicuti in Sole collegit Deus omnem copiam lucis in variis dispersam syderibus: ita in Maria voluit Deus longe uberiorem reperiri gratiarum collectionem, quam in omnibus Sanctis. 4. *Terribilis, ut castrorum acies ordinata*; quia hæc est, de qua scriptum legitur: *Inimicitias ponam inter te & mulierem ... Ipsa conteret caput tuum*. Gen. 3. v. 15.

§. II.

De cultu Angelorum.

2. Nihil est in Ecclesia antiquius statutum, quam cultus Duliæ sanctis Angelis exhiberi solitus: Angeli quippe, ut ait Paulus, *sunt administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Ad Hebr. 1. 14. quapropter reverentiam eis per sanctiores homines exhibitam legimus: Jacob ait: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis*. Gen. 48. v. 16. & Joannes innuens gratiam & pacem ad nos ministerio Angelorum derivare, ait: *Gratia vobis & pax ab eo, qui est, qui erat, & qui venturus est, & a septem spiritibus, in conspectu throni ejus*. Apoc. 14. Deus enim ita ordinem suæ providentiæ disposuit, ut Synagogam, Ecclesiam, immo cælestem Jerusalem, non nisi Angelorum ministerio dirigat. Angeli olim Synagogæ præficiebantur, juxta illud dictum Moysi: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem paravi*. Exod. 23. v. 20. Nunc Angeli Ecclesiæ continuo ministrant; tum eam a malis purgando, ut indicant hæc Christi verba: *Mittet filius hominis Angelos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui operantur iniquitatem*, Matth. 13. 41. tum parvulis, idest justis, opitulando. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*, Matth. 18. v. 10. ut eos scilicet adjuvent. Demum Angeli cælestem Jerusalem ornant, throno Domini semper assistendo, ut testatur Jo: cum ait: *Et vidi, & audivi in circuitu throni vocem Angelo-*

gelorum multorum dicentium ... Dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & divinitatem. Apoc.5.v.11. Unde vix dici potest, quot beneficia Angeli hominibus conferant. Debiles potentia sua sustinent; & in hoc imitantur Patrem, cui attribuitur potentia. Cæcutientes sua luce illuminant; & in hoc imitantur Filium, cui attribuitur sapientia. Tepidos suo ardore inflammant; & in hoc æmulantur Spiritum Sanctum, cui attribuitur amor.

Justos promovent ad virtutem, eorumque orationes Deo offerunt, juxta illud: *Stetit Angelus ante altare habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium.* Apoc.8. v.3. Peccatores a vitiis avocant, & pro eis omnipotentem orant: *Usquequo tu non misereberis Jerusalem, & urbium Juda, quibus iratus es?* ait Angelus Zach.1.v.12.

Singulos, si fas est, percurramus homines. Quis est homo, quem Angeli singulari beneficio non devinciant? Unumquemque nostrum a nativitate custodiunt, juxta illud Psal. 90. v.11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Quæ verba etsi Augustinus de Christo ad honorificentiam intelligat, Theodoretus & Bernard. ad omnes homines referunt. Et ita fideliter custodiunt, ut nec pertinaciores peccatores deserant, donec, quantum in ipsis est, eos post mortem suscipiunt, ut Deo offerant, juxta illud Luc. 16. v.22. *Factum est, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Dum sic contra aereas decertamus potestates, obsessos a dæmonibus majori & fortiori numero cingunt nos, uti cingebant Elisæum. *Et ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Elisæi.* 4.Reg.6.v.17. Circumstantes dæmones aut ligant, ut Raphael ligavit Asmodæum in deserto, Tob. 8. v.3. aut eorum ora vorantia concludunt, uti fecerunt in gratiam Danielis, qui ait: *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit ora leonum & non nocuerunt mihi.* Dan. 6. v.22. 8. Concupiscentiæ flammas temperant, tristitiæ acorem mitigant, uti flammas fornacis Babylonicæ cohibuerunt, ne nocerent pueris, & ab eis omnem doloris & tristitiæ causam longe averterunt, juxta illud: *Et fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contristavit, nec quidquam molestiæ intulit.* Dan.3.v.50.9. Errantes revovant, uti reduxerunt Agar ad Saram Gen.16 v.9.10. Periclitantes a discrimine peccati liberant, uti liberarunt Loth a Sodomis; sic enim loquitur Scriptura: *Cogebant eum Angeli, dicentes: surge, tolle uxorem tuam & duas filias, quas habes, ne & tu pariter pereas.* Gen.19.v.15.11. Detentos peccatis liberant, uti Petrum eduxerunt e carcere: de quo ita Script. Act.12. v.7. *Et ecce Angelus Domini astitit, ... & lumen refulsit in habitaculo; percussoque latere Petri, excitavit eum, dicens: surge velociter: & ceciderunt catenæ de manibus ejus.*

Denique multa similia conferunt beneficia quæ omnia gratum animi cultum haud dubie promerentur. An enim, ut optime quidam recentior ait, vetabimus gratias illis habere, qui nos tot obruunt officiis? An orabunt illi pro nobis, nec ut orent, orari & compellari poterunt? An nostras commendabunt orationes, suisque exaggerabunt, nec tantum beneficium fas erit nobis vel prece aliqua demereri, vel postea gratiarum actione commemorare? An ergo grata Deo non est Religio nostra, nisi ingrata? Numquid ut pii simus, abdicanda pietas est, & obdurandus animus, ut adjutores, fautores, præsides, gratulatoresque salutis nostræ, sanctos Angelos, taciti, duri, brutique prætermittamus, & aspernemur? Ita Thomassinus de Incarn. l. xi. c.4 n.3.

§. III.

De cultu Sanctorum.

Nihil justius stabilitum est in Ecclesia cultu Duliæ erga Sanctos beatitudinis æternæ participes; eadem enim est ratio de animabus Sanctis, quæ est de Angelis: Sancti enim sunt in cælo Angelis æquales, juxta illud Matth. 22.v.30. *Erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Deinde Sanctorum invocationem suadere non operosum est. 1. Christus intercedit pro nobis secundum humanitatem: *semper vivens ad interpellandum pro nobis.* ad Hebr.7.v.25. *Si quis peccaverit advocatum habemus Jesum Christum justum.* 1. Joan. 2. v.1. Si ergo caput nostrum orat pro nobis, cur non etiam membra ejus, Sancti scilicet cum eo regnantes, & se se Christo conformantes, non orarent pro nobis? 2. Vivi orant pro se invicem: *Orate pro invicem, ut salvemini.* Jacobi 5.v.16. Cur animæ beatæ caritate perfectiores, apud Deum ferventiores, intentione puriores, obmutescent? Aut Sancti non orant pro nobis in cælis, ut orabant in terris, vel quia res est eis indigna, & ita oratio illa non conveniet Christo; aut quia res est tantæ excellentiæ, ut soli Christo & non aliis conveniat: quod si ita sit, ergo non conveniet nobis viatoribus: aut quia res est impossibilis puris creaturis.

ris preces nostras ignorantibus, quasi Deus revelare non possit Sanctis præsentia, qui revelavit Prophetis futura; revelare, inquam, vel in verbo, vel extra verbum, ut loquuntur Theologi.

Quomodo autem Sancti possunt & preces nostras audire Deo revelante, & exaudire Deo approbante, incertum est; illud solum pro certissimo habendum, Sanctos & preces nostras audire, nobisque posse suppetias ferre. Preces nostras audiri a Sanctis docet Aug. lib. de cura pro mortuis c. 15. Illud idem docet Greg. Dial. 4. c. 35. lib. 2. Moral. cap. 3. *Quomodo*, inquit, *non omnia videant, qui videntem omnia vident?* Et Amb. serm. 14. sancti Nazarii, & Celsi: *Non clauditur locis Martyr, qui diffunditur meritis: invocasti ubique Martyrem, ubique te exaudiet ille, qui honoratur in Martyre.*

Sanctos autem nobis ubique suppetias ferre, testis est Hieron. contra Vigil. *Si agnus ubique, ergo & hi, qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt, non immensitate naturæ, uti Deus, sed celeritate operationis, uti servi Domini: & cum diabolus, & dæmones toto vagentur orbe, & celeritate nimia ubique præsentes sint; Martyres post effusionem sui sanguinis area operientur inclusi, & inde exire non poterunt?* & Ambr. serm. de sanct. Nazario & Celso ita nos ad Martyrum venerationem adhortatur: *Nemo autem sibi de absentia blandiatur. Præsentior est qui se animis inserit, quam qui oculis protestatur.* Omnia suadent, Sanctos vita functos ardentius pro nobis orare, quam dum viverent; quippe nunc major est eorum caritas, major authoritas, major securitas, universalior provida eorum cura: soli orabant in terris, in cælis omnes simul: hic dissipabantur curis, ibi solo Deo occupantur.

§. IV.

De cultu exhibito corporibus Sanctorum.

4. Non idololatrica, sed pia est, quæ redditur corporibus Sanctorum, veneratio: fuit enim, teste Hieronym. contra Vigilan. & in Synagoga apud Judæos, & in Ecclesia apud Christianos perenniter observata: de hoc enim ita loquitur contra illum hæreticum: *Si non sint honorandæ reliquiæ Martyrum, quomodo legimus: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus? Si ossa mortuorum polluunt contingentes, quomodo Elisæus mortuus mortuum suscitavit, & vitam dedit corpus, quod juxta Vigilantium jacebat immundum? Ergo omnia castra Israelitici exercitus, & populi Dei fuere immunda; quia Josephi, & Patriarcharum portabant corpora in solitudine, & ad terram sanctam immundos cineres pertulerunt. Joseph quoque, qui in typo præcessit Domini salvatoris nostri, sceleratus fuit, qui tanta ambitione Jacob in Hebron ossa portavit, ut immundum patrem avo, & atavo sociaret immundis, & mortuum mortuis copularet.* A Synagoga transit ad Ecclesiam. *Ergo Martyrum immundæ sunt reliquiæ, & quid passi sunt Apostoli, ut immundum Stephani corpus tanta funeris ambitione præcederent, ut facerent ei planctum magnum, ut eorum luctus in nostrum gaudium verteretur .... Sacrilegus dicendus est nunc Augustus Arcadius, qui ossa beati Samuelis longo post tempore de Judæa transtulit in Thraciam. .... Stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerunt sanctis reliquiis .... Mortuum suspicaris, & idcirco blasphemas: lege Evangelium, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob non est Deus mortuorum, sed vivorum.* An vivent Sanctorum reliquiæ ad beneficia præstanda, & non ad obsequia recipienda? Et ne Hieronymus solus de hac re scripsisse putetur, audiatur Basilius in Psal. 115. *In priori lege dicebatur Sacerdotibus & Nazaræis illud: si quis tetigerit cadaver, immundus erit... Nunc e converso, Martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem fit quadantenus sanctificationis particeps.* Et Chrys. Hom. in Sanctum Julianum docet, nos per ossa Sanctorum inflammari ad pietatem, sicuti imbelles per arma cruentata excitantur ad pugnam; & beatos illos cineres Christianis sanctam pandere Philosophiam. Et hom. 26. in 2. Cor. c. 12. fuse docet, honorem Sanctorum reliquiis exhibitum in ipsam Christi gloriam redundare. *Regnat*, inquit, *gloriose Christus, cum corpora Sanctorum a vivis Imperatoribus impensius honorantur, cum ad Sanctorum sepulcrum Reges advolvuntur.*

§. V.

De cultu Reliquiarum.

5. Non idololatrica, sed pia est ea Ecclesiæ consuetudo, qua rebus inanimibus specialem aliquem ordinem vel ad Deum, vel ad Sanctos dicentibus, cultus impenditur. *O quanta Sanctorum virtus!* inquit Chrysost. Hom. 8. ad Popul. Antioch. *Non solum eorum verba & corpora, sed & ipsa indumenta creaturæ omni perpetuo venerabilia sunt. Eliæ Melote Jordanem divisit Elysæus. Calceamenta trium puerorum ignem conculcaverunt. Elysei lignum aquas muta-*

mutavit, & ut ferrum in superficie portarent, effecit. Moysis virga mare rubrum divisit, petram scidit. Pauli vestimenta languores expulerunt. Umbra Petri mortem fugavit. Eidem argumento insistit Hieron. Epist. ad Marcellam hortando, ut commigret Bethleem. *Venerabantur quondam Judaei Sancta Sanctorum quia ibi erant Cherubim, & Propitiatorium, & Arca testamenti, Manna, Virga Aaron, & Altare aureum. Nonne tibi venerabilius videtur sepulcrum Domini; quod quotiescumque ingredimur, toties jacere in syndone cernimus Salvatorem?*

§. VI.

De Cruce, in qua Christus pependit: de lancea, clavis, aliis instrumentis Passionis Christi, quae sunt quasi Christi reliquiae.

Ipsa Crux, in qua Christus pependit; lancea, qua ejus latus perforatum est; spinae, quibus caput opertum est; clavi, quibus manus & pedes Christi Cruci affixi sunt; demum haec omnia instrumenta, quibus Christus salutem nostram in Cruce operatus est, magno in honore in Ecclesia semper habita sunt.

Probatur 1. Ex Cyrillo, qui docet lignum Crucis Christi ad diversas orbis regiones particulatim missum; ita enim loquitur Catechesi quarta. *Ligno crucis universus tandem orbis terrarum particulatim oppletus est*: & Cathechesi decima ait: studium illud sumendi particulas Crucis Christi ex fide procedere.

2. Ex Chrysostomi libro, quod Christus sit Deus. *Totus orbis*, inquit, *exiguas Crucis particulas habere contendit, & qui parvum quiddam ex illo habent, hoc auro includunt .... Omnes eo magis ornantur, quam diadematum coronis, vel multis gemmatis monilibus & torquibus*.

3. Ex Theodoreto in caput 1. Isaiae, ubi loquens de Jerusalem ait: *Ad illam confluunt homines, videre gestienses non murorum amplitudinem, neque turrium sublimitatem, &c. Sed sepulcrum Dominicum, & Crucis formam Dominicae, & parvum illud, sed fama celeberrimum, Praesepe.*

4. Ex Paulino scribente ad Severum epist. 11. eique mittente particulam de ligno Crucis, cui donum illud ita commendat, *Accipite*, inquit, *magnum in modico munus, & in segmento pene atomo hastulae brevis sumite munimentum praesentis, & pignus aeternae salutis. Non angustetur fides vestra carnalibus oculis parva cernentibus, sed interna acie totam in minimo vim Crucis videat .... Tubello aureolo rem tantae benedictionis inclusimus, &c.* Et idem Paulinus docet, quod *experimento resurrectionis inventa & probata Crux Christi est, dignoque mox ambitu consecratur, condita passionis loco Basilica .... Arcano positam sacrario crucem servat, quam Episcopus urbis ejus .... adorandam populo Princeps ipse venerantium promit*.

5. Ex Ambrosio serm. de obitu Imperatoris Theodosii, ubi describens zelum Helenae, ait: *Sapienter Helena egit, quae crucem in capite Regum levavit & locavit, ut crux Christi in Regibus adoretur, &c.*

6. Ex Rustico, qui contra Acephalos disputans ait: *Clavos, quibus Christus crucifixus est, & lignum venerabilis Crucis, omnis per totum mundum Ecclesia absque ulla contradictione adorat*.

7. Ex Hieron. Epistola ad Marcellam, eam adhortans ut commigret Bethleem, ubi ait: *Venerabantur quondam Judaei Sancta Sanctorum, &c..... Nonne tibi venerabilius videtur sepulchrum Domini?*

Probatur demum ratione D. Thomae. Honor seu reverentia, inquit S. Doctor, non debetur nisi rationali naturae; creaturae autem insensibili non debetur honor vel reverentia, nisi ratione spiritualis naturae, quam vel repraesentat, vel cum qua conjungitur; unde homines venerantur imaginem, quae Regem repraesentat, & vestimenta, quae cum eo uniuntur. Sic ergo, si loquamur de cruce, in qua Christus crucifixus est, utroque modo a nobis veneranda est; uno scilicet modo, in quantum nobis repraesentat figuram Christi extensi in ea; alio modo, ex contactu ad membra Christi, & ex hoc quod ejus sanguine perfusa est.

Si quaeras, quo cultu haec crux adoranda sit?

Respondeo, juxta aliquos, eadem adoratione adoratur, qua Christus; quia Christus una cum cruce unum efficit: causa enim principalis, ut ajunt, & instrumentalis, unum & adaequatum efficiunt principium. Juxta alios, adoratur solum adoratione respectiva; quia aspersa Christi sanguine Christum vividius in mentem revocat, quam aliae cruces, quae ipsum representant.

ARTICULUS II.

De usu & cultu symbolorum & imaginum.

Symbolum est signum sensibile aliquid spirituale subobscure exhibens. Tales sunt metaphoricae locutiones, quibus Divinitas nobis in Scriptura depingitur.

Imago est rei corporeae similitudo ad instar illius expressa. Talis est imago hominem repraesentans,

§. I.

§. I.

De usu Symbolorum.

Prop. 1. Licitum est Symbola efformare, quibus Dei naturam, ejusque proprietates sub figuris sensibilibus exprimamus.

Prob. 1. Script. Licitum est sub his signis sensibilibus Deum repræsentare, sub quibus Scriptura eum repræsentat, & quibus Deus ipse voluit apparere hominibus: atqui Scriptura sub signis sensibilibus Deum nobis sæpe repræsentat, & ipse sub iis voluit nobis apparere: Ergo, &c. Probatur minor per partes.

Primo. Deus dicitur in Scripturis habere vultum, oculos, pedes, manus, &c. non eo sensu, quod Deus figuram humanam habeat, sed eo sensu, quod membra humana Deo adscripta proprietates divinas significant; v. g. oculi significant providam ejus curam super justos, juxta illud: *oculi Domini super justos*; significant etiam vim penetrandi omnia, juxta illud: *oculi Domini Sole lucidiores*. Aures designant paternam promptitudinem in exaudiendis nostris precibus, juxta illud: *& aures ejus in preces eorum*. Nares, odoratusve designant gratam tum precum, tum sacrificiorum approbationem, juxta illud: *odoratus est Dominus odorem suavitatis*. Os, loquelave designant claram divinæ voluntatis manifestationem, juxta illud dictum de Moyse: *ore ad os loquor ei*. Vultus, & facies designant modo iram Dei, modo Dei misericordiam, juxta diversos modos, secundum quos describuntur: vultus iratus Dei iram, vultus benignus Dei misericordiam exprimunt.

Manus & dextera significant efficacem operationem virtutis divinæ, juxta illud: *Memento ... quod te eduxerit Deus de Ægypto in manu forti & brachio extento.* Pedes, incessus, festinatio designant tum auxilium Dei erga pios, tum ultionem divinam erga impios, juxta illud: *Domine ad adjuvandum me festina*, idest, mihi prompte succurre.

Secundo. Deus sub multiplici specie corporea apparuit hominibus. Apparuit enim Deus Adamo innocenti deambulans in Paradiso, & familiari conversans colloquio. Apparuit & Adamo peccatori dicens: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*: ejicit illum e Paradiso voluptatis, ejusq; ingressum vetat flammeo gladio atque versatili. Abeli apparuit juxta multos in igne oblatas hostias inflammante. Noemo visus est sensibiliter, futurum prænuntians diluvium. Ad Abraham venit sub hominis forma, & sub hospitis figura. Jacob viatorem exeuntem e domo paterna comitatur, & cum eo redeunte colluctatur. Moysem, modo in rubo ardenti, modo in monte accenso alloquitur, modo digito suo descriptum præbet Decalogum.

3. Ex Synod. 7. Act. 6. ubi Epiphanius Diaconus probat licitum esse uti Symbolis & imaginibus, ex eo quod licitum sit sacram Scripturam legere; sic enim ratiocinatur: *Si Evangelium legendum Patres minime tradiderunt, nec imagines figurandas: at si hoc & illud; sequitur enim titulationis, vel picturæ formatio Evangelicam relationem, & hæc picturalem narrationem: utraque bona ac honorabilis.* Et Adrianus Papa scribit ad Patres ejusdem Concilii Act. 11. his verbis: *Sicuti Divinæ Scripturæ libros, ipsas imagines ob memoriam venerationis habemus, nostræ fidei puritatem servantes*: Ergo sicuti licitus est haud dubie sacræ Scripturæ usus divinas perfectiones legentibus exhibentis; ita & licitus est symbolorum usus res spirituales quibuscumque intuentibus exhibentium.

4. *Rat.* Ea est hominis natura, saltem post peccatum Adami, ut spirituales Dei perfectiones, nonnisi per sensibiles figuras sibi depingere valeat, ut quilibet experitur; unde ait Paulus ad Rom. 1. v. 29. *Invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas*: Cum ergo Deus naturæ hominum sese accommodet, non vetat, immo permittit, ut perfectiones divinas, licet spirituales, nobis sub his sensibilibus signis, seu symbolis, quæ Scriptura commemorat exhibeamus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Illicitus est eorum symbolorum usus, quibus divinæ perfectiones depinguntur, si nullum fundamentum habeat neque in Scriptura, neque in traditione, sed in sola vel pictorum imaginatione, vel hominum ad idololatriam proclivio.

Unde ait Scriptura Deut. 4. v. 15. *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est Dominus vobis in Horeb de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel fœminæ, similitudinem omnium jumentorum ... Et errore deceptus adores ea & colas quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.* Et Isai. 40. v. 18. *Cui ergo similem fecistis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?* & v. 25. *Cui assimilastis me, & adæquastis? dicit Sanctus:* & Paul. Act. 17. v. 19. *Genus ergo cum simus Dei,*

Dei, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi, sculpturæ artis, & cogitationis hominis, Divinum esse simile. Et Synodus 7. Act. 6. *Si animam, præsertim cum sit creata, impossibile est depingere; quanto magis incomprehensibilem & investigabilem Unigeniti Filii Divinitatem?* Et Damascenus oratione prima de imaginibus ait: *Imagine non Divinitatem invisibilem, sed carnem visibilem exprimo.*

Consect. 2. Licitus est eorum Symbolorum usus, quibus Divinitatis perfectiones his figuris exprimimus, quæ fundamentum habent vel in Scriptura, vel in traditione. Sic depingi potest Pater æternus crine niveo, senecta veneranda & antiquitate, sedens in Throno, coram quo libri omnes aperti sunt, septus Angelis, ignitus sede; quia sic Danieli apparuit: qua visione, inquit Catechismus Concilii, significatur Dei æternitas, & infinita ejus cognitio, qua omnes hominum & cogitationes & actiones, ut de iis judicium ferat, intuetur.

Sic Spiritus Sanctus potest depingi sub specie nubis, sub specie columbæ, sub specie ignis quia apparuit sub specie nubis obumbrantis Virginem, sub specie columbæ designantis Christum, & sub specie linguarum ignitarum inflammantium Apostolos.

Prop. 2. Licitus est usus vel Symbolorum, vel Imaginum, quibus nobis depinguntur Angeli.

Probatur Script. Licitum est sub his signis sensibilibus Angelos repræsentare, sub quibus Scriptura eos repræsentat, & sub quibus ipsi apparuerunt hominibus: atqui Scriptura Angelos repræsentat sub signis sensibilibus, ipsique sub iisdem signis hominibus apparuerunt: Ergo licitum est Angelos sub signis sensibilibus depingere. Minor patet: Angeli apparuerunt Abrahamo & Loth sub specie hominum peregrinantium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Illicitus est horum Symbolorum usus, quibus Angeli, eorumque perfectiones depinguntur, si nullum fundamentum habeat nec in Scriptura, nec in traditione, sed in sola vel pictorum vel hominum imaginatione; unde videmus, quod Moyses in Scriptura nullam Angelorum picturam faciat, nisi ubi cœperunt nobis sub specie humana apparere, indicans eas picturas non hominum arbitrio esse relinquendas, sed ex divina determinatione pendere.

Consect. 2. Licitus est eorum Symbolorum aut Imaginum usus, quibus Angelos exprimimus, quæ fundamentum habent vel in Scriptura, vel in traditione. Sic depingi possunt Angeli sub specie humana, eisque alæ affingi, ut intelligant fideles, inquit Catechismus Trident. quam propensi sunt in humanum genus, & quam parati ad ministeria Domini exequenda; omnes enim ad ministratorii sunt spiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.

Sic depingi pariter possunt igniti, ut indicetur, quantum divino amore ardeant.

Prop. 3. Solent animæ beatæ depingi vel sub specie columbæ, ut earum innocentia ostendatur, vel sub specie formosissimæ virginis, ut interior earum pulchritudo illis exterioribus coloribus delineetur. Animæ vero damnatæ, & dæmones depinguntur ignibus circumfusi, & vultu horridi, ut pateat horror conscientiæ quo interius agitantur, & ardor ignium, quibus divinitus torquentur.

§. II.

De usu Imaginum.

Prop. unica. Licitus est usus earum Imaginum, quæ Christum, Crucem Christi, Mariam, & Sanctos repræsentant.

Probatur 1. Script. *Moyses jussu Dei duos Cherubim aureos fecit, & unum ex utraque parte arcæ posuit.* Exod. 25. erexit serpentem æneum. Num. 12. Salomon Cherubim, leones, palmas, malogranata in Templo jussu Domini sculpsit, & auro texuit. 3. Reg. Ergo licitus est imaginum & statuarum usus.

Nec obstat quod Scriptura dicat, Lev. 26. v. 1 *Non facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra*; causam enim addit, *ut adoretis eum*; ut faciunt idololatræ, *dicentes ligno: pater meus es tu: & lapidi: tu me genuisti.* Jerem. 7. v. 27. & rursus: *Homo plantavit pinum, quam pluvia nutrivit..... Medium ejus combussit igni. .... Reliquum autem ejus Deum fecit & sculptile sibi: curvabitur ante illud, & adorabit illud, & obsecrabit, dicens: libera me, quia Deus meus es tu.* Isai. 44. v. 14 Vetatur ergo idolum & sculptile, quod ut verum Deum adoras; non quo uteris, ut verum Deum, quem solum adoras, in mentem revoces.

2. Ex factis historicis usum imaginum approbantibus Eusebius asserit, Seth, qui justus esse perhibetur, imagines Deo fecisse. Idem refert Evagrius cap. 27. lib. 4. histor. Ecclesiast. Christum imaginem sui Agabaro Edessenorum Regi misisse. Quamvis autem hæc Agabari historia a multis apocripha, & suspecta falsitatis ha-

habeatur; id tamen ostendit tempore Eusebii usum imaginum viguisse in Ecclesia, quod ad præsens institutum sufficit. Idem Eusebius testatur l.7.hist. Eccl. c.18. servari in Ecclesia imagines Petri, Pauli, & Christi, colorum varietate expressas. Tertulianus lib. de pudicitia c. 7. depictam dicit in calicibus vitreis imaginem pastoris ovem errantem super humeros deferentis. Hieron. in cap.4. Joan. v.16. in ipsis cucurbitis Apostolorum imagines adumbratas docet. Greg. ad Serenum Epist.9. lib.9. ait: *Quod imagines adorari vetuisset, omnino laudavimus, fregisse vero reprehendimus.* Demum Ecclesia Iconoclastas, id est fractores imaginum, ut hæreticos damnavit.

3. Ex Conciliis. Synodus 7. Act.4. „Sanctas & venerabiles Iconas recepimus, recipimus, & salutamus, atque amplectimur secundum antiquam traditionem sanctæ catholicæ Dei Ecclesiæ." Et Trid. sess.25. *Imagines Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim habendas & retinendas jubet.*

4. *Rat.* Ea est imaginum utilitas, quod instruant simplices, admoneant scientes, afficiant omnes, ut quilibet experitur: Ergo retinendus est imaginum usus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Illicitus est earum imaginum usus, quibus aut falsa dogmata, aut periculosi errores statuuntur. De hoc ita Trid. sess. 25. *In his autem sanctas & salutares observationes si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer cupit; ita ut nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur.*

Sic illicitus est usus earum imaginum, quæ lasciviam inspirant potius quam pietatem. *Omnis*, inquit Trid. sess. 25. *lascivia vitetur, procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur.*

Consect. 2. Licitus & retinendus est earum imaginum usus, quibus populus vel in fide roborari, vel ad virtutis exercitium inflammari potest. *Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus.* Greg. lib.9. Epist. 9.

Sic possumus uti imaginibus sive sculptis, sive depictis, quibus Christum, Mariam, & Sanctos repræsentemus. *Depingimus*, inquit Adrianus Act.27. Synod. *sacram imaginem Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi secundum incarnatam ejus humanam formam, & in aula Dei constituimus, simulque sancta Dei Genitricis, atque beatorum Apostolorum, & Prophetarum, Martyrum, Confessorum vultum, ut per visibilem vultum ad invisibilem divinitatis majestatem mens nostra rapiatur spirituali affectu.*

Sic possumus crucis signum vel manibus efformare, vel imaginibus depingere, vel sculptilibus elaborare, uti perenniter observatum est in Ecclesia. *Non pudeat nos*, inquit Cyrillus Jerosoly. Catech. 13. *Crucifixum confiteri; sed in fronte confidenter digitis signaculum imprimatur, & in aliis omnibus crux fiat, in panibus comedendis, & in poculis bibendis, & in ingressu & egressu, ante somnum recumbendo, & surgendo, eundo, & quiescendo .... Signo isto utere tum edens & bibens, tum sedens ac cubans, de lecto surgens, loquens, ambulans, & ut simul dicam, in omni re.* Et Tertullianus lib. de corona militis cap.4. *Quæcumque nos conversatio exerceat, frontem crucis signaculo terimus.* Et Hierony. ad Eustoch. cap.16. *Ad omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat crucem.*

§. III.

De cultu Symbolorum & Imaginum.

Prop. 1. Symbola Deum, resque divinas repræsentantia, imagines Christum, ejusve crucem, Mariam, aut Sanctos repræsentantes, merentur honorem, non civilem solum, sed religiosum.

Prob. 1. Script. Cherubim in arca collocati, serpens æneus erectus apud Judæos, non civiliter solum, sed religiose colebantur: ergo ea symbola, eæque imagines, quibus res Dei & Sanctorum nobis exhibentur, debent cultu religioso honorari.

2. Ex Concil. 7. Synod. act. 4. ait: *Sanctas & venerabiles Iconas recipimus & salutamus.* Et Trident. sess. 25. decernit imaginibus *honorem & venerationem debitam esse impertiendam:* Ergo cultus erga symbola & imagines debet esse non civilis solum, sed religiosus.

3. Rat. Symbola, imagines, de quibus hic agimus, Deum aut Sanctos repræsentant: ergo si Deus & Sancti honorem mereantur non civilem solum, sed religiosum; religiosus est, & non civilis solum honor, qui eorum symbolis & imaginibus defertur.

Prop. 2. Cultus, qui symbolis & imaginibus Deum vel Sanctos repræsentatibus defertur, non est absolutus, sed respectivus.

Prop. 1. Ex Basilio lib. de Spiritu Sancto c.18. *Imaginis honor ad exemplar primum transit.*

2. Ex Damasceno lib.4. Orthodoxæ Fidei c. 17. Deus invisibilis hominem visibilem ad sui imaginem condidit, ut honor, qui homini defertur, ad Deum ultimo referatur. Sic altare con-

constructum ab Abraham Deum præsentem illi Patriarchæ reddebat; & honor non altari, sed Deo rependebatur. Sic Circumcisio signum erat fœderis inter Deum & hominem; & honor non signo, sed significato cedebat.

3. Ex Authore quæstionum apud Athanasium quæst.39.,,Non ut Deos adoramus imagines, ut Ethnici faciunt; sed solummodo affectionem & amorem animi nostri erga exemplar imaginum significamus. "

4. Ex Tridentino ita veneramur imagines, non quod credatur in eis esse aliqua divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illi similitudinem gerunt, veneremur.

5. Rat. Res respectiva nihil habet, nisi propter terminum, ad quem ordinatur: ergo cum symbolum & imago sint aliquid respectivum ad prototypa, nihil habent, nisi in ordine ad prototypum: ergo honor, qui eis defertur, transit ad prototypa; unde hi versiculi:

Hoc Deus est, quod imago docet, sed non Deus ipse;
Hoc recolas, sed mente colas, quod cernis in illa.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Talis debet esse cultus respectivus erga imagines & symbola, qualis est cultus absolutus prototypi, quod per imagines repræsentatur.

Sic imago Christi veneranda est cultu latriæ respectivo; quia Christus, quem exhibet, adorandus est cultu latriæ absoluto. Id evincitur tum facto, quod refert Eusebius, tum determinatione Synodi. Eusebius enim Cæsariensis lib.7.hist.Eccl.cap.18. refert, quod mulier Hemoroissa Christo statuam æneam erexit, ad cujus basim crescebat planta ignota, quæ præstantissimum erat remedium quibuscumque morbis depellendis.

Sic vero loquitur 8.Synodus can.2. *Sacram Domini nostri effigiem eadem, qua sancta Evangelia, veneratione colendam statuimus: ut enim per syllabas in Evangelio scriptas salutem consequuntur omnes; ita per imagines arte, coloribusque pictas, & expressas, docti juxta & indocti ex objecta re utilitatem percipiunt.... Ergo quicumque Christi Salvatoris imaginem non adorat, is in secundo Christi adventu non videat ipsius faciem.*

Sic Crux repræsentans Christum crucifixum adoratur cultu latriæ respectivo, quia Christus crucifixus, quem exhibet, adorandus est cultu latriæ absoluto. Inde canit Ecclesia: *Ecce lignum crucis; venite adoremus.* Et rursus: *O crux ave spes unica.* Inde est etiam, quod Aug. eleganter docet quod crux non sit jam opprobrio, sed gloriæ. *Cum enim,* inquit in Psal.30. serm.2. *sub antiquis scelerati crucifigerentur, modo nullus crucifigitur. Honorata est, & finita est. Finita est in pœnas, manet in gloria: a locis suppliciorum fecit transitum ad frontes Imperatorum.* Et Tertullianus crucis cultum sic lib.3. adversus Marcionem confirmat. Vim crucis, inquit, præfiguravit arca lignea Noe, homines a diluvio liberans, tabernaculum ligneum Judæos protegens, Moyses manibus in crucem extensis contra Amalecitas orans, serpens æneus in crucem elatus vulneratos a venenosis morsibus sanans. Demum vim crucis ostendunt omnia novæ legis Sacramenta, in quibus juxta Aug. doctrinam nihil efficitur, nisi adhibito crucis signo. *Quod signum* Crucis *nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive oleo, quo unguntur, sive sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* Tract.118.in Joan.

Sic Sanctæ Virginis, Angelorum, & Sanctorum imagines cultu inferiori latriæ veneramur; quia Maria, Angeli, & Sancti non adorandi sunt, sed venerandi: de hoc ita Synod. 8.can.2. *Eadem ratione,* inquit Concilium, *intemeratæ Genitricis illius effigiem, sanctorum Angelorum; ac Sanctorum omnium veneramur & colimus. Qui aliter sentiunt, anathema sunto.*

Consect. 2. Illicitus est omnis contemptus imaginum tum Christi, tum Crucis, tum Mariæ, tum Angelorum, tum Sanctorum. Greg. enim Epist.9.lib.9. ad Severum his verbis scribit: *Perlatum ad nos fuerat, quod inconsiderato zelo succensus, Sanctorum imagines, hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris .... Imagines fregisse reprehendimus. Dic, frater, a quo factum Sacerdote aliquando auditum est, quod fecisti?*

§. IV.

In quo ex principiis supra statutis colligitur, qualis debeat esse cultus noster religiosus erga Deum, erga Christum, & erga Sanctos.

Ex dictis patet, objectum quodlibet Religionis nostræ non esse æqualis dignitatis, nec

æqua.

æquali cultu parique necessitate esse venerandum.

1. Deus unus in essentia, & trinus in personis, debet necessario ab omnibus cultu latriæ adorari, tamquam prima omnium causa, & ultimus omnium finis.

2. Christus Deus & homo debet necessario quoque adorari cultu latriæ, tamquam mediator & salvator, sine quo nemo salvari potest.

3. Virgo Maria, Angeli, & Archangeli, animæ beatæ possunt cultu a latria longe diverso & inferiori honorari, tamquam amici Dei. Cultus Dei, & Christi est necessarius & indispensabilis. Cultus Sanctorum bonus, utilis, & non spernendus. Totum hoc docet Trid. sess. 25. c. 2. præcipit quippe, ut prædicetur: *Sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere: illos vero qui negant, Sanctos, æterna felicitate in cælo fruentes, invocandos esse: aut qui asserunt vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei, & hominum Jesu Christi: vel stultum esse, in cælo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire*. Quibus verbis quatuor inculcantur. 1. Ut Deus adoretur. 2. Ut Christus tanquam solus mediator & redemptor inspiciatur. 3. Cultus Sanctorum consulitur. 4. Contemptus sanctarum Reliquiarum & Imaginum vetatur.

Illud idem diserte describit Damascenus orat. 3. de imaginibus. Primum genus adorationis est quod per latriam exhibetur, quæ per naturam adorando uni Deo tribuitur.... Quam multæ autem & quot modis adorentur res procreatæ, in sacra Scriptura deprehendimus. Primum enim adorantur, in quibus requievit Deus, qui solus est Sanctus, & in Sanctis conquiescit, ut in sancta Dei Genitrice, & in omnibus Sanctis, &c. Adorantur, non quod natura sint adorandi, sed quoniam illum, qui natura adorandus est, in se ipsis habent; sicut ferrum ignitum non natura ejusmodi est, ut tangi nequeat, & comburat, sed quia particeps ignis factum est, qui comburendi naturam habet, &c. Alter adorationis modus est, quo res, per quas, & in quibus salutem nostram Deus, vel ante Domini adventum, vel post assumptæ carnis consilium executus est, veneramur & colimus. Ut montem Sinai, Nazareth, præsepe in Bethleem, crucis lignum, & clavos, vestes, sanctum illud monumentum fontem nostræ Resurrectionis, &c. hæc & his similia veneror, & adoro, & omne Templum Dei sanctum, & omnia loca, in quibus Deus nominatur, non propter naturam ipsorum, sed quoniam actionis divinæ sunt receptacula, & per se ipsa, & in ipsis placuit Deo salutem nostram transigere. Nam & Angelos, & homines, & omnem materiam actionis divinæ participem, atque administram salutis nostræ, propter actionem divinam veneror & adoro. Tertius adorationis modus est, quo adoramus ea, quæ Deo dicata sunt, ut sacra Evangelia Dei, pocula, thuribula, lucernas, &c.... hæc enim esse sacra perspicuum est. Vide enim, quomodo Deus, cum Balthassar populo vasis sacris ministrare fecisset, regnum ejus everterit.... Quartus modus est, quo imagines adorantur a Prophetis perspectæ: imaginum enim intuitu Deum cernebant, & rerum imagines; ut virga Aaron, quæ quidem imago Virginis mysterium exprimebat.... Et Jacob adoravit fastigium virgæ, quo Servator significabatur. Hoc modo pretiosam crucis formam, corporeæque Dei mei figuræ similitudinem, & Deiparæ, & servorum ejus imagines adoramus. Quintus modus, quo nos vicissim, ut Deum patrem habentes, & ad Dei factos imaginem adoramus, atque inter nos submisse gerimus, legi caritatis obtemperantes. Sextus modus est, quem Principibus & in potestate constitutis exhibemus.... Ita enim Jacob tum Esau fratrem majorem natu, tum Pharaonem a Deo constitutum principem adoravit .... Septimus modus est, quo servi dominos, & bene meritos, quorum egent auxilio, prosequuntur: sic Abraham adoravit filios Heth, cum ab illis speluncam duplicem emeret. Hactenus Damasc. qui vult omnes prædictos adorationis modos, non politicos esse, sed religiosos; quia cultus ille omnis & a Deo emanat, & ad Deum tanquam totius perfectionis fontem revertitur. Idem addit ibidem. Denique, ut simpliciter dicam, adoratio est timoris, & desiderii, & honoris signum, & animi submissi atque humilis argumentum. Verum neminem oportet ut Deum adorare, nisi eum, qui natura Deus est: omnibus autem honorem debitum habere propter Dominum. Sic igitur imagines adoremus, ut non ipsi materiæ, sed iis, quos imagines referunt, adorationem tribuamus.

CAPUT III.

De actibus Religionis.

In hoc capite explicabimus quinam sint actus Religionis, & quomodo utiliter ad salutem exercendi sint.

ARTICULUS I.

In quo statuitur actus Religionis esse ad salutem obtinendam necessarios.

PRop. *unica*. Non sufficit adulto ad salutem consequendam, ut habeat religionem habitualem; sed insuper debet frequenter actus religionis elicere.

Prob. 1. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*: Matth. 4. 10. Vox illa *adorabis*, vox illa *servies* non sterilem habitum, sed operationem crebrius repetitam innuit.

2. Ex D. Th. Religio venit juxta aliquos a relegere; eo quod per eam frequenter legamus quæ Deo debeamus. Juxta alios ab eligere; eo quod per eam frequenter eligamus quæ Deo offerre debemus. Juxta alios a religare, eo quod per Religionem Deo tamquam indeficienti operationum nostrarum regulæ conjungamur. Ita D. Th. 2. 2. q. 81. Atqui hæc omnia non tantum otiosum habitum, sed frequentes operationes innuunt: Ergo Christianus adultus debet frequenter actus religionis elicere.

3. Religio importat fidem, spem, & caritatem: patet autem ex dictis supra, quod adultis ad salutem non sufficiat habere habitum fidei, spei, & caritatis, sed quod frequenter debeant elicere actus earumdem virtutum, quia scilicet *præcepta dantur de actibus, & non de habitibus solum*, ut docet D. Th. Ergo ad salutem non sufficit adulto, ut habitum religionis habeat, sed frequentes actus religionis debet elicere. Hic de adultis solum loquimur; quia credimus non adultos salvari per solos habitus supernaturales eis per baptismum una cum gratia infusos.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Christianus adultus debet elicere actus & interiores & exteriores religionis: interiores, quibus animam, exteriores vero, quibus corpus Deo subjiciat; quia Religio debet totum hominem Deo subjicere, & proinde inclinare ad actus, quibus corpus, & anima Deo subsint. Illud innuit Psal. dicens: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*. Psal. 83. v. 3. Actus interiores ad cor, exteriores vero ad carnem pertinent.

Consect. 2. Homo adultus debet exercere religionem, non privatam solum, sed etiam publicam; non soli Deo cognitam, sed etiam aliis hominibus manifestam, juxta illud: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*. Matth. 5. 16. Ergo homo adultus debet actus interiores religionis elicere, quibus soli Deo placeat; & actus exteriores interioribus adjungere, quibus in unum religionis commercium cum aliis hominibus societur: quia, ut optime docet Aug. lib. 19. contra Faust. cap. 11. *In nullum nomen religionis, seu verum, seu falsum, coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, vel sacramentorum visibilium consortio colligentur: quorum sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum; & ideo contempta sacrilegos facit. Impie quippe contemnitur, sine qua non potest perfici pietas*, & ita actus interni religionis, devotio scilicet & oratio, actus externi religionis, scilicet adoratio, oblatio, sacrificium, &c. sunt de præcepto. De quibus sigillatim agemus.

ARTICULUS II.

De devotione.

PRop. *unica*. Devotio non solum est de consilio, sed etiam de præcepto; quia devotio est actus religionis, quo voluntas prompte exequitur ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. Quam animi promptitudinem ambire debent præcipue Christiani ad exemplum filiorum Israel, de quibus sic habetur Exod. 35. 21. *Obtulerunt mente promptissima atque devota primitias Domino*.

Non solum devotio est de præcepto, sed etiam conditiones requisitæ ad veram devotionem; quia quando aliqua virtus est de præcepto, omnia quę cum illa virtute connectuntur, sunt pariter de præcepto. Unde quæ possunt devotionem in nobis aut augere, aut fovere, si pendeant a nobis, sunt de præcepto.

Causa autem devotionis est duplex, extrinseca, & intrinseca.

Causa extrinseca devotionis est Deus; quia ut ait Jac 1. v. 17. *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum*. Ideo dicit Ambr. super Lucam c. 9. *Deus quos dignatur, vocat; & quem vult, religiosum facit; nam si voluisset*,

Sa-

Samaritanos ex indevotis devotos fecisset: Ergo petenda est a Deo devotio.

Causa intrinseca dispositiva devotionis est meditatio mysteriorum Dei, juxta illud Ps. 38. v. 11. *In meditatione mea exardescet ignis*, scilicet devotionis. *Voluntas* enim, ut ait Aug. lib. 14. de Trin. c. 8. *oritur ex intelligentia*, & ideo, inquit D. Th. 2. 2. q. 82. a. 3. necesse est, quod meditatio sit devotionis causa, inquantum scilicet homo per meditationem concipit, quod se tradat divino obsequio. Ad quod quidem inducit duplex consideratio. 1. Divinae bonitatis, excitans ad amorem Dei, juxta illud Psal 72. *Mihi adhaerere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam*. 2. Infirmitatis humanae, excitans ad sui diffidentiam, & ad fiduciam in Deo, juxta illud Ps. 120. *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi: auxilium meum a Domino, qui fecit Caelum & Terram*.

ARTICULUS III.

De Oratione.

PRop. *unica*. Oratio, non solum est de consilio, sed etiam de praecepto; quia est actus religionis, quo petimus a Deo quae decet nos habere.

Praeceptum orandi sic inculcat. 1. Script. *Oportet semper orare, & non deficere*. Luc. 18. v. 1. *Vigilate itaque, omni tempore orantes*. Luc. 21. v. 17. *Sine intermissione orate*. 1. Thes. cap. 5. v. 17. Quomodo autem continua debeat esse oratio, infra dicetur.

2. Idem praeceptum innuit Ecclesia, dum in Missae sacrificio fideles omnes praemonet, orationis exercitium praeceptum esse, & non consilium. *Praeceptis*, inquit, *salutaribus moniti, & divina institutione formati, audemus dicere: Pater noster*.

3. Christus & Apostoli hanc orandi necessitatem suis exemplis tradiderunt; de Christo enim dicitur: *Et erat pernoctans in oratione Dei*: Luc. 6. v. 12. de Apostolis vero & fidelibus: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione & obsecratione*. Act. 1. v. 14.

4. Orationem praecepti esse, & non consilii, ratio convincit; cum enim multis egeamus bonis, & commodis ad animum & corpus tuendum necessariis, eaque a nobis ipsis habere nequeamus, a Deo precibus obtineamus necessarium est: beneficio quippe orationis & aeterna, & temporalia a Deo consequimur.

1. Oratione praedestinatio Divina non immutatur quidem, quia infallibilis, sed impletur: unde Greg. *Obtineri nequaquam possunt, quae praedestinata non fuerint; sed ea, quae sancti viri orando efficiunt, ita praedestinata sunt, ut Sanctorum precibus obtineantur*. 1. Dial. cap. 8.

2. Gratia, utpote gratuita, oratione non praevenitur quidem, sed impetratur, & impetrata commendatur: unde Aug. *Agendae sunt gratiae, quia data est potestas, & orandum, ne succumbat infirmitas*. Tract. 53. in Joan.

3. Fides oratione firmatur. *Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem*, inquit Aug. serm. 115. alias serm. 36. de verb. Dom. 4. Oratione spes erigitur, juxta illud: *Omnia quaecumque orantes petitis, credite, quia accipietis*. Marc. 11. 5. Oratione caritas inflammatur: unde Aug. ait: *Verbis orationis nos ipsos admonentes in id quod desideramus intendere, ne quod tepescere coeperat, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebrius inflammetur*. Epist. 130. ad Probam. 6. Oratione perseverantia obtinetur. *Ipsius sancti Petri*, inquit Prosper, *ardentissima fides in tentationibus defecisset, nisi pro eo Dominus supplicasset*. Epist. ad Rufin. Necessarium est ergo quod oratio sit creaturae intellectualis indispensabile exercitium, & hoc incensum indesinenter offerat: *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*. Ps. 140. v. 2. In caelo comprehensores orationi vacant, Deum quem possident, perpetuo laudantes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*. Isa. 6. 3. Viatores in terris ab oratione non desistunt, Deum, quem non possident, sitientes: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*. Ps. 41. v. 2. Justi in oratione se totos Deo exhibent, exemplo Davidis: *Effundo in conspectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio*. Psal. 141. v. 3. Peccatores exemplo Publicani peccatorum suorum veniam exposcunt: *Propitius esto mihi peccatori*. Omnibus demum sive hilaribus, sive tristibus oratio praecipitur. *Tristatur aliquis vestrum? oret; aequo animo est? psallat*. Jac. 5. v. 13.

Consectaria.

Non modo oratio est in praecepto, sed & conditiones, quae ad veram orationem requiruntur; quia quando aliquid praecipitur, ea pariter praecipiuntur, quae sunt cum illo connexa. Oratio autem necessario exigit certas quasdam conditiones. 1. Ex parte orantis. 2. Ex parte illius, qui oratur. 3. Ex parte illorum, pro quibus oramus.

4. Ex parte loci & temporis, quo debet vel fieri vel durare oratio. 5. Demum ex parte bonorum, quæ petuntur: quæ conditiones, si absuerint, oratio non modo vana, & cassa efficitur; sed etiam ut Deo exosa rejicitur, & in peccatum imputatur.

§. I.

Quæ requirantur conditiones ex parte illius, qui orat.

1. Orans debet se ad orationem præparare, peccatum, aut saltem affectum peccati e corde suo excludere. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Eccli. 18. v. 23. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Ps. 65. v. 18. & e contra: *Si iniquitatem, quæ est in manu tua, abstuleris a te, & non manserit in tabernaculo tuo injustitia; tunc levare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis.* Job. 11. v. 14. *Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis.* Prov. 28. qualis fuit oratio Antiochi, de quo dicitur: *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* 2. Machab. 9. v. 13.

2. Orans debet internam mentis attentionem adhibere. *Spiritus est Deus: & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Jo. 4. 24. *Orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente.* 1. ad Corinth. 14. v. 15. Orantes vero sine attentione ita rejicit Deus: *Populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me.* Matth. 15. 8. Hanc fixam attentionem orando sibi adesse gaudebat David, abesse vero vehementer dolebat: *Quoniam inveni Domine cor meum, ut orarem ad te.* 2. Reg. 7. en gaudium. *Quoniam cor meum dereliquit me.* Psal. 39. v. 13. en tristitia. Qualis autem debeat esse illa attentio, docet D. Th. 2. 2. q. 83. art. 13.

3. Orans debet internam mentis humilitatem & externam corporis modestiam adhibere. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Eccli. 35. v. 21. *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Isa. 66. v. 2. Talis erat oratio Davidis coram Deo suo instar mendici sistentis se: *Ego autem mendicus sum & pauper.* Ps. 39. v. 18. & rursus: *Ego vero egenus & pauper sum; Deus adjuva me.* Psal. 69. v. 6. Talis erat pariter oratio Abrahæ se & mente & corpore coram Deo prosternentis: *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.* Gen. 18. v. 27.

§. II.

Quinam sunt illi, ad quos possumus orationes nostras dirigere.

1. Deum solum debemus orare, tanquam bonorum omnium, quæ petere debemus, verum, & unicum præcipuum authorem. *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum.* Jac. 1. v. 17. Oratio enim directe tendit, ut vel gratiam, vel gloriam postulemus, Deus autem solus utrumque dare potest: *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Ps. 83. v. 12.

2. Omnia in nomine Christi postulanda sunt: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio.* Joan. 14. v. 18. *Non est aliud nomen sub cælo datum, in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. 4.

3. Sanctos possumus tanquam amicos Dei invocare: *Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* Apoc. 8. v. 4.

§. III.

Quinam sunt illi, pro quibus possumus & debemus orare.

1. Orandum universaliter pro omnibus. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* 1. Tim. 2. vers. 1.

2. Orandum pro inimicis. *Orate pro persequentibus, & calumniantibus vos.* Matth. 5. vers. 44.

3. Pro Magistratibus civilibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt. *Orate pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam, & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate.* 1. Tim. 2. v. 2.

4. Pro Superioribus Ecclesiasticis. *De cetero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat, & clarificetur, sicut & apud vos.* 2. Thessal. 3. v. 1.

5. Demum debemus omnes pro nobis invicem orare. *Orate pro invicem, ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua.* Jacob. 5. v. 16.

§. IV.

Quo in loco possimus & debeamus orare.

1. Oratio privata potest fieri in omni loco.

co. *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira & disceptatione*. 1. Timoth. 2. v. 8.

2. Oratio publica debet fieri in loco ad hoc munus consecrato. Sic in lege naturæ Abraham in loco sibi a Domino designato sacrum fecit. *Abiit in locum, quem præceperat ei Deus*. Gen. 24. v. 3. Jacob sacrum fecit in Bethel. *Terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi domus Dei & porta cæli, appellavitque nomen urbis, Bethel*, idest domus Dei. Gen. 28. Sic in lege scripta non licebat sacrum facere, nisi in loco speciali: *Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum, sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus ibi*. Deut. cap. 16. v. 5. Sic Demum in lege Evangelica sacrificium & oratio fiunt in templo, ut patet ex praxi totius Ecclesiæ: quod Christus confirmavit illo textu Isai. *Domus mea, domus orationis vocabitur*. Lucæ 19. v. 46.

§. V.

Quo tempore fieri debeat oratio, & quanto tempore durare.

1. Oratio privata potest fieri omni tempore. *Per omnem orationem, & obsecrationem orantes, omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis*. Ad Eph. 6. v. 18.

2. Oratio privata debet semper durare, si attendatur principium, a quo emanat; non autem, si attendatur ejus exercitium. Ita D. Th. 2. 2. q. 83. a. 14. *De oratione dupliciter loqui possumus: uno modo secundum se ipsam: alio modo secundum causam suam. Causa autem orationis est desiderium caritatis, ex quo procedere debet oratio, quod quidem in nobis debet esse continuum vel actu, vel virtute. Manet enim virtus hujus desiderii in omnibus, quæ ex caritate facimus: omnia autem debemus in gloriam Dei facere*, ut dicitur 1. ad Corinth. 10. & *secundum hoc oratio debet esse continua*. Unde Aug. dicit ad Probam epist. 121. cap. 9. *In ipsa fide, & caritate, continuato desiderio semper oramus: sed ipsa oratio secundum se considerata non potest esse assidua; quia oportet aliis operibus occupari*.

3. Oratio publica debet durare tempore ab Ecclesia determinato; quia ad Ecclesiam pertinet determinare quantum debeat durare oratio communis per comparationem ad populi devotionem, & ad Christi verba: *Oportet semper orare, & non deficere*. Luc. 19. v. 1.

Oratio autem potest esse continua multipliciter. 1. Ratione pii desiderii in Deum, juxta illud Aug. in Psal. 37. v. 14. *Ipsum desiderium tuum oratio tua est, & si continuum desiderium tuum, continua est oratio*.

2. Ratione certi temporis precibus destinati, juxta illud Aug. *Per certa intervalla horarum, & temporum, etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus; quantumque in hoc desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus; & ad hoc augendum nos ipsos acrius excitemus*. Ep. 130. ad Probam cap. 9.

3. Ratione effectus per orationem in nobis producti; orans enim, inquit sanctus Th. remanet post orationem magis devotus. 2. 2. q. 83. a. 14. ad 4.

4. Ratione communionis, quam habemus cum Christo, cum Ecclesia, & cum fidelibus. Quoties enim Christus, Ecclesia, fideles orant, toties & nos orare censemur. Cum autem oratio Christi, Ecclesiæ, & Sanctorum sit continua, nostra pariter oratio perpetua censenda est.

§. VI.

De determinatione Ecclesiæ quoad tempus & durationem orationis.

Quæ sit Ecclesiæ determinatio quoad tempus & durationem orationis relative ad clericos dicemus, cum agemus de obligatione recitandi horas canonicas; sed quæ sit Ecclesiæ determinatio relative ad laicos, vix explicari potest. Dicam hic historice quæ variis temporibus fuerit orandi assiduitas in privatis fidelibus, ut hinc quilibet conjiciat, quo, quantove tempore orationi vacare debeat.

Primis Ecclesiæ temporibus fideles omnes solebant horis precibus destinatis interesse: eas horas vocamus modo horas canonicas.

Constitutiones Apostolicæ ita præcipiunt fidelibus: *Precationes facite, mane, tertia hora, ac sexta, & nona, & vespere, atque ad galli cantum*. Lib. 8. c. 34.

Tertullianus loquens de Christianis ait: *Ita saturant, ut meminerint etiam per noctem adorandum sibi esse Deum*. in Apolog. cap. 39. Basilius: „Fideles ad psalmodiam de nocte instituuntur, & nunc quidem in duas partes divisi, alternis succinentes, psallunt." Epist. 57. Et Aug. serm. 55. de temp. juxta Lovanienses: *Ad vigilias maturius surgite, ad tertiam, ad sextam, ad nonam,*

ante omnia convenite; nullus se a sancto opere subtrahat, nisi quem infirmitas, aut publica utilitas, aut forte certa & grandis necessitas tenuerit occupatum.

Author Epistolæ ad Demetriadem de virginitate servanda ait: „Præter psalmorum, & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, sexta, nona, ad vesperam, media nocte, & mane semper est exercendum, statue, quot horis sanctam Scripturam ediscere debeas. "

Et quamvis hæc orandi instantia non esset ita rigide sub præcepto, ut asseramus peccare singulos fideles, qui his horis canonicis deessent; tamen verba August. innuunt, fideles vulgo saltem diebus festis huic officio non deesse, nisi grandi necessitate detentos. Sed quæ esset oratio cujuscumque fidelis quacumque die, habemus ex Cypriano de oratione Dominica in fine. *Mane orandum est, ut Resurrectio Domini matutina oratione celebretur.... Recedente item Sole, ac die cessante necessario orandum ...ut super nos lux denuo veniat*, idest, *Christi precamur adventum lucis æternæ gratiam præbiturum*. Jam ex praxi communi Ecclesiæ fideles omnes mane orant & vespere, ut imitentur sacrificium vespertinum & matutinum Judæorum. Additur & oratio meridiana, ut ad instar Danielis, tribus temporibus in die flectamus genua, & adoremus Dominum. Enitatur quilibet fidelis, quantum poterit, æmulari antiquam illam primorum Christianorum in orando sollicitudinem.

ARTICULUS IV.

De Adoratione, & Sacrificio.

PRop. unica. Adoratio divinitatis tum interna, tum externa, tum privata, tum publica, non est de consilio solum, sed de præcepto, eoque naturali, si attendatur quoad substantiam; sed quoad modum relinquitur Ecclesiæ determinationi. Item sacrificium Deo oblatum tum internum, tum externum, tum privatum, tum publicum, non est de consilio solum, sed etiam de præcepto naturali, si attendatur quoad substantiam; sed quoad modum relinquitur Ecclesiæ determinationi: ita docet D. Th. 2.2. q. 85. a. 1.

1. Adoratio enim & sacrificium sunt actus Religionis; actus autem Religionis sunt de præcepto legis naturæ.

2. Per adorationem, per sacrificium, Deum agnoscimus tanquam primum authorem sanctitatis, tanquam primam causam, & ultimum finem omnium: atqui præceptum est, & non consilium, ut Deum tanquam authorem totius sanctitatis, ut primam causam, & ultimum finem omnium agnoscamus: ergo adoratio & sacrificium sunt non solum de consilio, sed de præcepto legis naturæ.

Quod autem ad Ecclesiam pertineat & adorationis & sacrificii determinare modum, patet; quia juxta diversum Ecclesiæ statum diversus fuit & adorandi & sacrificandi modus.

Abraham jussu Dei unigenitum filium Isaac sacrificare voluit; sed prohibitus manum suam extendere super filium suum, loco filii obtulit arietem inter vepres hærentem. Gen. 22. v. 13.

Sic in lege Mosaica, Judæi, utpote obstricti lege positiva, Sacrificia juxta præscriptum Moysis offerebant quam plurima.

1. Holocaustum, quod in honorem Dei tanquam authoris vitæ, & mortis, incendebatur totum. Lev. c. 1.

2. Sacrificium expiatorium, seu pro peccato, cujus aliquæ partes in usum Sacerdotum cedebant, & ab eis comedebantur, nisi Sacrificium pro peccato totius populi, aut pro peccato ipsius Sacerdotis offerretur; quia tunc hostia pro peccato integra comburebatur. Lev. v.

3. Sacrificium pacificum, quod ad obtinendum aliquod bonum offerebatur.

4. Sacrificium Eucharisticum, quod ad reddendas gratias pro beneficio accepto immolabatur.

Sic in lege Evangelica Christiani, utpote astricti lege a Christo data, Sacrificium semel a Christo oblatum cruente in cruce, in altari una cum Sacerdote incruente renovant, offerunt se se Christo, & a Christo offeruntur Patri. De hoc Sacrificio Christianorum, quod in altari cordis nostri solo caritatis igne crematur, loquitur Aug. lib. 10. de civ. Dei c. 4. & 6. *Verum*, inquit, *sacrificium est omne opus, quod agitur ut sancta societate inhæreamus Deo: relatum scilicet ad illum finem boni quo veraciter beati esse possimus. Unde & ipsa misericordia, qua homini subvenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium*: & c. 4. *Cum ad illum*, inquit, *sursum est, ejus est altare cor nostrum: ejus Unigenitum cum Sacerdote placamus, & suavissimum adolemus incensum, cum in ejus conspectu pio, sanctoq; amore flagramus, ei sacrificantes Hostiam humilitatis & laudis in ara cordis igne fervidæ caritatis*: & c. 6.

Pro-

Profecto efficitur, ut tota ipsa redempta civitas, hoc est aggregatio, societasque Sanctorum, universale sacrificium offerat Deo per Sacerdotem magnum, qui etiam ipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus secundum formam servi .... Hoc est Sacrificium Christianorum. ... Quod etiam in Sacramento altaris fideliter nostra frequentat Ecclesia. Non modo Sacrificium, & adoratio sunt de præcepto, sed etiam conditiones, quæ ad adorationem, & Sacrificium requiruntur: quia quando aliquid præcipitur, ea pariter præcipiuntur, quæ sunt cum illo connexa. Eædem autem sunt conditiones adorationis, & Sacrificii, quas supra adscripsimus devotioni, & orationi.

ARTICULUS V.

De voto.

§. I.

Definitur votum.

Votum est promissio deliberata facta Deo de meliori bono. Ita D. Th. 2.2. q.8. a.2.

1. Est promissio deliberata; quia promissio, utpote obligatoria, debet esse libera.

2. Est promissio facta Deo; quia votum est actus latriæ, quæ soli Deo debetur. Ideo si quid voveamus Sanctis, votum illud ad Deum ultimate terminatur, qui vult per Sanctos, quibus vovemus, honorari.

3. Est promissio de meliori bono; quia oportet, ut melius, & perfectius sit, facere rem, quam vovemus, quam non facere: votum enim semper debet ad majorem Dei gloriam cedere.

§. II.

Dividitur votum.

Votum aliud est necessarium, aliud voluntarium.

Votum necessarium est illud, quod fit in baptismate, dum is, qui baptizatur, satanæ, & eius operibus renuntiat, ac se fidelem fore, & divina præcepta servaturum promittit. Ita Can. *Spiritus Sanctus*.

Votum voluntarium est illud, quod quis sponte sua facit, se adstringens ad id, ad quod ante votum non tenebatur, v. g. ad continendum, peregrinandum. Ita Can. *Non solum*, 32. q. 8.

Votum voluntarium aliud est solemne, aliud non solemne, seu simplex.

Votum solemne est illud, quod solemnizatur vel per ordinis susceptionem, vel per professionem in Religione approbata. Cap. *Quod de voto*, in 6.

Votum simplex est illud, quod tali solemnitate caret: tale est votum quodlibet diversum a voto elicito vel in professione Religionis, vel in susceptione ordinis.

Votum solemne consideratur ut matrimonium actu cum Deo initum.

Votum simplex consideratur ut sponsalia cum Deo inita.

Votum solemne reddit personam voventem inhabilem ad omnes contractus repugnantes voto: v. gr. votum castitatis reddit inhabilem ad matrimonium: votum paupertatis reddit inhabilem ad contractum transferentem dominium rei temporalis, v. g. ad contractum emptionis, & venditionis: votum obedientiæ reddit inhabilem ad contractum transferentem usum propriæ personæ, v. g. ad contractum locationis sui ipsius.

Votum simplex non reddit personam voventem, absolute inhabilem ad contrahendum valide, sed ad contrahendum licite. Sic votum simplex castitatis non reddit matrimonium nullum, sed illicitum: votum simplex paupertatis non reddit venditionem nullam, sed illicitam: votum simplex obedientiæ, non reddit locationem sui nullam, sed illicitam.

Votum absolutum est illud, cui nulla apponitur conditio: v. g. voveo me daturum eleemosynam.

Votum conditionatum est illud, cui aliqua apponitur conditio: v. g. voveo me ingressurum religionem, si pater convalescat.

Votum aliud est personale, aliud reale, aliud mixtum, aliud pœnale.

Votum personale est illud, quo vovetur aliqua actio personæ: v. g. voveo peregrinationem. Votum personale non transit ad heredes, quia est onus sequens personam.

Votum reale est illud, quo vovetur res pertinens ad voventem: v. g. voveo me daturum pauperibus, vel Ecclesiæ hanc pecuniam. Votum reale, si notum fuerit, transit ad heredes; quia est onus sequens hereditatem. Cap. *Licet de voto*.

Votum mixtum est illud, quo & res, & actio personæ voventur: v. g. voveo me iturum in talem Ecclesiam, & talem pecuniæ summam daturum.

Votum pœnale est votum, quo aliquid promittitur sub pœna: v.g. vovet quis se non lusurum, sub pœna recitandi Rosarium, vel dandi eleemosynam pauperi; si ludat, tenebitur sub peccato pœnam subire, scilicet, recitare Rosarium, vel dare eleemosynam: & hoc, quoties rem voto promissam omittet.

§. III.

De conditionibus requisitis ad votum ex parte subjecti, seu ex parte illius qui vovet.

Prop. 1. Omne votum Deo factum ita debet esse liberum ex parte voventis, ut quidquid tollit libertatem, tollat & votum.

Prob. 1. Script. *Non poteris comedere in oppidis tuis omnia, quæ voveris, & sponte offerre volueris.* Deut. 12. v. 17. ubi Scriptura innuit, votum debere esse spontaneum.

2. Ex jure Canonico. Jus Canonicum statuit vota nulla esse, nisi fiant plena libertate. Ita cap. *Cum simus de regularibus.* Et Trid. sess. 25.

3. *Rat.* Votum est promissio; promissio autem debet esse essentialiter libera: ergo votum debet esse liberum.

Deinde votum est actio obligatoria; actio autem obligatoria debet esse libera: ergo votum debet esse liberum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Votum coacte, & violenter exterius extortum est nullum: quia coactio & violentia tollunt libertatem: & ita qui coactus exterius, & voce tantum diceret se vovere, & interius voto reniteretur, non teneretur voto; quia votum esset nullum coram Deo: peccaret tamen graviter ita vovendo; quia mentiretur in materia Religionis.

Consect. 2. Votum elicitum ignoranter est nullum; quia ignorantia tollit libertatem: & ita, si infans ante usum rationis, si ebrius, si amens, sine usu rationis, exterius voverent, non tenerentur voto; quia votum coram Deo esset nullum. *Votum*, inquit, D. Thom. *non ligat propter defectum rationis, sicuti patet in furiosis & amentibus, qui se voto obligare non possunt ad aliquid, dum sunt in furia & amentia.* 2. 2. q. 88. a. 9.

3. Votum elicitum ex errore tollente libertatem, non ligat; quia, ut supponitur, non est liberum.

Error autem censetur tollere libertatem, si cadat circa substantiam rei, minime vero, si cadat circa accidentia, ut fuse dicetur ubi de contractibus; quia error circa substantiam facit involuntarium *simpliciter*: error vero circa accidentia facit involuntarium *secundum quid*.

Sic si voveam Calicem, putans erronee esse argenteum, qui tamen est aureus, non teneor ex voto dare Calicem; quia error est circa substantiam.

Si vero voveam Calicem, putans erronee valere tantum decem nummos, qui tamen valet duodecim, teneor ex voto dare Calicem; quia error est circa accidentia.

Sic si voveam calicem ob restitutam sanitatem Patris, quem erronee putabam ægrotare, qui tamen non ægrotabat, non teneor ex voto dare calicem; quia error est circa substantiam finis.

Si vero voveam calicem a me deferendum in urbem Romam, ut ibi simul videam fratrem Romæ commorantem, teneor voto, licet comperiam, quod frater non commoretur Romæ; quia error est circa accidentia finis.

Sic denique qui nescit, quid sit status Religionis, quantum ad vota substantialia castitatis, obedientiæ, & paupertatis, si voveat Religionem, non tenetur voto; quia error est circa substantiam: si sciat in communi, quid sit votum castitatis, paupertatis, & obedientiæ, licet ignoret particulares constitutiones status Religiosi, si voveat Religionem, tenetur voto; quia error est tantum circa accidentia.

Consect. 3. Ad hoc ut votum simplex soli Deo factum sit validum, sufficit ea ætas, & ea libertas, quæ sufficit ad peccatum plene liberum; quia votum simplex est solum promissio facta soli Deo sine solemnitate. Ut autem promissio liget, sufficit plena libertas ex parte promittentis, modo sit dominus eorum, quæ promittit. Ita docet D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 9. *Si vero puer ante annos pubertatis usum rationis attigit, potest quidem, quantum in ipso est, se obligare; sed votum ejus potest per parentes irritari, quorum curæ remanet adhuc subjectus.*

Consect. 4. Nemo ligatur voto alieno, nisi votum illud ratum habeat; quia votum factum per alienam voluntatem non est sufficienter liberum.

Prop. 2. Omne votum solemne Deo factum, & ab Ecclesia acceptandum, nedum debet esse plene liberum, sed insuper debet esse vestitum conditionibus ab Ecclesia determinatis, quæ si absint, votum est omnino nullum, nec acceptatur a Deo.

Prob.

Prob. Votum ſolemne addit ſupra votum exteriorem ſolemnitatem, ſicut contractus civilis addit ſupra promiſſionem ſimplicem externas aliquas circumſtantias: ergo ſicuti contractus civilis eſt nullus in foro civili, ſi careat conditionibus a jure præſcriptis; ita votum ſolemne eſt nullum, ſi careat conditionibus ab Eccleſia requiſitis. Et quia Deus non acceptat vota ſolemnia, niſi per miniſterium Eccleſiæ; tunc cenſetur ea non acceptare, cum carent ſolemnitatibus ab Eccleſia requiſitis.

Conſectaria hujus Doctrinæ.

Conſect. 1. Votum ſolemne extortum ex gravi metu injuſte incuſſo eſt invalidum, validum vero, ſi eliciatur ex levi metu, vel ex gravi juſte incuſſo; quia ita determinatur c. *Perlatum, de his quæ vi, metuſque cauſa fiunt.*

Sic, ſi quis ex metu mortis incuſſo ad extorquendum votum vel Religionem profeſſus fuerit, vel Subdiaconatum ſuſceperit, ſi violentiam probare valeat, votum ejus nullum declarabitur; quia metus ille & eſt gravis, & eſt injuſte incuſſus, niſi tamen ab initio, vel poſt facto libere conſenſiſſet voto.

Sic, ſi quis ingreditur Religionem, vel Subdiaconatum ſuſcipiat, timens mortem æternam, vel crudelem conſcientiæ remorſum, niſi ſtatum illum amplectatur, quamtumvis gravis ſit ille metus, votum eſt validum; quia metus ille, etſi gravis, non eſt injuſte incuſſus ab aliqua cauſa libera. Ita Fagnanus.

Sic, ſi quis ex levi metu, vel ex ſuaſione non cogente, ſolemniter voveat, ligatur voto; quia metus non eſt gravis.

Conſect. 2. Votum ſolemne Religionis elicitum ante decimum-ſextum annum, & non completo Novitiatus anno, eſt nullum; quia non acceptatur ab Eccleſia, niſi poſt illud tempus. Ita Trid. ſeſſ. 25. c. 15. de Regularibus: *In quacumque Religione tam virorum, quam mulierum, profeſſio non fiat ante decimumſextum annum expletum; nec qui minore tempore, quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur: Profeſſio autem antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel Religionis, vel ordinis obſervationem, aut alios quoſcumque effectus.* Et juxta ejuſdem Concilii declarationes, Novitiatus debet eſſe continuus, & non intermiſſus. Numeratur tamen tempus, quo Novitius ægrotans exiſſet e Monaſterio convaleſcendi cauſa. Multa alia dicemus, quæ ſpectant ad profeſſionem Religioſam, ubi de ſtatu Religioſo.

Monitum. Nota ex Cajet. quod quantumcumque impubes ſit doli capax, ante annos pubertatis non poteſt ſe obligare voto ſolemni Religionis. Et ſcito, inquit, idem Author, quod votum ſolemne Religionis, quod non valet pro ſolemni, propter defectum ætatis, non remanet habens vim voti ſimplicis, declarante ſeu ſtatuente hoc Eccleſia, cap. *Is qui de Regul.* in 6. ubi dicitur, quod Profeſſus ante completum tempus ſtatutum ab Eccleſia poteſt redire ad ſæculum; quod non diceret Eccleſia, ſi talis, quantum in ipſo eſt, teneretur ad Religionem, aut continentiam. Hactenus Cajet.

Si tamen impubes plene inſtructus de differentia voti ſimplicis & ſolemnis, actu expreſſo diceret: ſi non poſſim me obligare voto ſolemni, volo me obligare voto ſimplici; tunc ligaretur voto ſimplici: adſunt enim requiſita ad votum ſimplex.

Prop. 3. Nemo poteſt per votum ſe obligare in iis, in quibus ſubjicitur alteri, niſi interveniat conſenſus Superioris.

Probatur 1. Script. *Mulier, ſi quippiam voverit, & ſe conſtrinxerit juramento, ſi cognoverit pater & tacuerit, voti erit rea ... ſin autem contradixerit pater, vota & juramenta ejus irrita erunt.* Num. 30.

2. Ex D. Th. Votum eſt promiſſio quædam facta Deo de meliori bono. *Nullus autem poteſt per promiſſionem ſe firmiter obligare ad id, quod eſt in poteſtate alterius, ſed ſolum ad id, quod eſt omnino in ſua poteſtate: quicumque autem eſt ſubjectus alicui, quantum ad id, in quo eſt ſubjectus, non eſt ſuæ poteſtatis facere quod vult, ſed dependet ex voluntate alterius; & ideo non poteſt ſe per votum firmiter obligare in his, in quibus alteri ſubjicitur, ſine conſenſu ſui Superioris.* 2. 2. q. 88. a. 8. in c.

3. Si vovens voveret ea, quæ ſunt alterius, contra voluntatem veri domini, non faceret actum virtutis Religionis, ſed actum injuſtitiæ, ſubtrahendo alteri quod ei debetur.

Conſectaria hujus Doctrinæ.

Conſect. 1. Si ſervus voveat ſine conſenſu domini in his, in quibus ſubjicitur domino, v. g. ſi quid voveat, quod impediat laborem quotidianum, aut reddat eum incapacem ſerviendi, nullum eſt votum.

tum. Ita D. Th. ibidem ad 2. *Servus, quia est in potestate domini, etiam quantum ad personales operationes, non potest se voto obligare ad religionem, per quam ab obsequio domini sui abstraheretur.* Idem statuitur Can. *Ex antiquis* dist. 54.

Consect. 2. Nulla sunt impuberum vota elicita contradicentibus parentibus vel tutoribus, etsi usu rationis fruantur impuberes; sunt enim, inquit D. Th. naturaliter sub cura parentum, vel tutorum, qui sunt eis loco parentum, & proinde eorum vota robur non habent ex defectu dominii. 2. 2. q. 88. a. 9.

Consect. 3. Nulla sunt puberum vota, si voveant, sine consensu parentis vel tutoris, aliquid repugnans gubernio domestico, v. g. abstinentiam a cibis, quibus alii utuntur: minime vero, si voveant aliquid, quod ad perpetuum eorum statum pertineat; quia pubes dominus sui est circa ea, quæ pertinent ad statum eligendum, & non circa gubernium domus. Ita D. Th. ibid. a. 8. ad 3. *Ex quo homo venit ad annos pubertatis, si sit liberæ conditionis, est suæ potestatis quantum ad ea quæ pertinent ad suam personam, puta, quod obliget se religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat; non autem est suæ potestatis quantum ad dispositionem domesticam: unde circa hoc non potest aliquid vovere, quod sit ratum, sine consensu patris.*

Consect. 4. Nullum est Episcopi votum, si sine consensu Papæ voveat Ecclesiam suam relinquere; quia in hoc subjicitur Papæ. Cap. *Nisi cum pridem* de renunt. ubi dicitur Nidrosiensi Archiepiscopo, quod liberum non habeat ad solitudinem volatum sine licentia Sedis Apostolicæ.

Consect. 5. Nullum est Religiosi votum, si voveat sine consensu Prælati aliquid contra regulam Monachalem. Ita D. Thom. ibid. a. 8. ad 3. *Religiosus subditus est Prælato quantum ad suas operationes secundum professionem regulæ; & ideo etiam si aliquis ad horam aliquid facere possit, quando ad alia non occupatur a Prælato, quia tamen nullum tempus exceptum est, in quo Prælatus non possit eum circa aliquid occupare, nullum votum Religiosi est firmum, nisi sit de consensu Prælati: sicut nec votum puellæ existentis in domo nisi de consensu patris: nec uxoris, nisi sit de consensu viri.* Potest tamen Monachus vovere ingressum in Religionem arctiorem; quia non subditur quoad hoc Prælato, & Prælati voluntas esset injusta.

Consect. 6. Nullum est votum, si alter conjugum voveat continentiam sine consensu partis suæ. Ita D. Th. *Dicendum, quod in his, in quibus uxor viro tenetur, & e converso, neuter potest vovere sine mutuo consensu, sicut patet de voto continentiæ. Sed quia in dispensatione domus & regimine vitæ, mulier est subdita viro, & non e converso; ideo vir potest in talibus vovere sine consensu uxoris, sed non e converso.* In 4. dist. 38. q. 1. a. 1. q. 3. ad 4.

§. IV.

De conditionibus requisitis ad votum, ex parte objecti; seu ex parte rei, quæ voto promittitur.

Prop. 1. Votum de re impossibili, de re illicita, vel vana est nullum.

Prob. 1. Script. *Displicet ei*, idest Deo, *infidelis & stulta promissio.* Eccles. 5. v. 3. Votum autem de re impossibili, vel illicita, vel vana, est promissio stulta: ergo tale votum est nullum.

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 88. a. 2. *De nullo illicito, nec de aliquo indifferenti debet fieri votum, sed solum de aliquo actu virtutis .... Id pariter, quod est absolute necessarium esse, vel non esse, nullo modo sub voto cadit*: Ergo res illicita, res indifferens, res impossibilis non potest esse materia voti.

3. *Rat.* Votum est promissio deliberata de meliori bono: ex eo quod dicitur deliberata, res impossibilis non potest cadere sub voto; quia circa impossibilia non exercetur deliberatio: ex eo quod dicitur de meliori bono, res illicita, vel vana non potest esse materia voti; quia res illicita non potest esse melius bonum.

4. Deus per votum rei impossibilis, vel illicitæ, potius irridetur, quam honoratur: ergo votum non potest esse de re illicita, vel impossibili.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Votum de re impossibili ex jam dictis est nullum, quia materia voti debet esse objectum deliberationis; res autem impossibilis nequit sub deliberationem cadere: ergo votum in sequentibus casibus est nullum.

Sic votum de re impossibili physice est nullum, v. g. votum numquam manducandi, numquam bibendi; quia citra miraculum homo non potest semper a cibis abstinere.

Sic votum de re impossibili moraliter, est nullum, v. g. votum numquam peccandi venialiter; quia citra privilegium speciale

ciale homo non potest vitare omnia peccata venialia collective sumpta.

Sic votum de re impossibili ex aliena voluntate non ligat; quia materia voti non est in nostra potestate: v.g. votum intrandi tale Monasterium non ligat, si Monachi illius Monasterii nolint voventem recipere. Ita D.Th. ibidem. *Ille, qui vovit Monasterium aliquod intrare, debet dare operam, quantum potest, ut ibi recipiatur: & siquidem intentio sua fuit se obligare ad Religionis ingressum principaliter, & ex consequenti elegit hanc Religionem, vel hunc locum, quasi magis sibi congruentem, tenetur, si non potest ibi recipi, aliam intrare Religionem. Sin autem principaliter intendit se obligare ad hanc Religionem, vel ad hunc locum, propter specialem complacentiam hujus Religionis, vel loci, non tenetur alibi Religionem intrare, si eum illi recipere nolunt.*

Sic votum de re impossibili ex propria culpa non ligat, nisi ad pœnitentiam culpæ præteritæ, & ad exactam observantiam illius, quod superest observandum; quia præteritum non est in potestate, bene tamen futurum. Ita D.Th ibid. *Si vovens incidit in impossibilitatem implendi votum ex propria culpa, tenetur insuper de propria culpa præterita pœnitentiam agere: sicut mulier, quæ vovit virginitatem, si postea corrumpatur, non solum debet servare quod potest, scilicet perpetuam continentiam, sed etiam de eo, quod amisit peccando, pœnitere.*

Consect. 2. Votum de re ab intrinseco mala, vel ex eventu illicita, est nullum ex dictis; res enim, quæ est voti materia, debet Deo placere, & non displicere: ergo votum in sequentibus casibus est nullum.

1. Res ab intrinseco mala non potest esse materia voti. Ita D. Th. *Quædam sunt in omnem eventum mala, sicut ea, quæ secundum se sunt peccata; & hæc nullo modo possunt sub voto cadere:* & ita vota ista sunt nulla, v.g. voveo occisionem inimici, voveo furtum, &c. quia sunt ab intrinseco mala: voveo eleemosynam ad obtinendam injustam vindictam; quia votum esset malum ex fine.

2. Res ex eventu mala non potest esse materia voti: Ita D. Th. ibid. Votum Jephte erat secundum se validum, sed ex eventu non erat observandum; neque enim, ut ait Hieron. in c. 7. Jere. *Si canis, asinus, aut immundum quolibet animal tunc occurrisset, illud offerre debuerat Deo.*

3. Votum de re secundum se licita, quæ tamen ex aliquibus circumstantiis fieri potest illicita, est validum, sublatis tamen circumstantiis vitiosis: de quo ita D. Th. de maceratione corporis. *Maceratio proprii corporis, puta per vigilias, & jejunia, non est Deo accepta, nisi in quantum cum debita discretione fit, ut scilicet concupiscentia refrænetur, & natura non nimis gravetur; & sub tali tenore possunt hujusmodi sub voto cadere. Propter quod Paulus ait ad Rom. 12. postquam dixerat: Exhibeatis corpora vestra, Hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, addit: rationabile obsequium vestrum. Sed quia in his, quę ad seipsum pertinent, de facili fallitur homo in judicando, talia vota congruentius secundum arbitrium superioris sunt vel servanda, vel prætermittenda: ita tamen quod si ex observatione talis voti magnum & manifestum gravamen sentiret, & non esset facultas ad superiorem recurrendi, non deberet homo tale votum servare.* 2. 2. q.88. a.2. ad 3.

Consect. 3. Votum de re vana, & inutili, ex dictis est nullum, deridendum potius quam observandum; quia votum debet esse de meliori bono: ita Isidorus: *Stulta vota frangenda sunt:* & D. Th. ibid. *Vota quæ sunt de rebus vanis & inutilibus, deridenda sunt, potius quam observanda:* Ergo votum est nullum in sequentibus casibus.

1. Votum nunquam pectendi crines, nunquam lavandi manus, nunquam ambulandi, est nullum; quia hæc vota sunt de rebus vanis.

2. Votum ducendi uxorem, exercendi mercaturam, est nullum; quia non est de meliori bono. Potest tamen fieri validum, si adjungatur circumstantia, quæ faciat rem meliorem: v.g. voves ducere in uxorem virginem, quam deflorasti, votum est de re meliori, quia melius est satisfacere: voves mercaturam, ut lucrum inde nascens des pauperibus, votum est bonum, quia est de re meliori; melius enim est dare eleemosynam ex bonis juste acquisitis, quam non dare.

Consect. 4. Votum de meliori bono secundum se, seu ex objecto, ut dicunt, est validum, quamvis res illa fiat ex circumstantia accidentali illicita, quia res secundum se est bona, & solum ex accidenti mala. Res secundum se bona est observanda, circumstantia mala evitanda.

Sic validum est votum dandi eleemosynam ex vanagloria. Eleemosyna est danda, vanagloria evitanda.

Sic votum de re meliori factum inter peccandum, ligat, quia non est malum ex objecto, sed solum ex circumstantia: v.g. vovet quis in duello, se intraturum in Religionem, si exeat incolumis ex duello; votum ejus est validum. Vovet quis inter furandum, se intraturum Religionem, si non deprehendatur in fur-

furto: votum validum est; quia in utroque casu res voto promissa est bona ex objecto.

§. V.

De obligatione Voti.

Prop. unica. Votum obligat sub peccato juxta rationalem intentionem voventis.

Prob. 1. Script. *Quod semel egressum est de labiis tuis, observabis, & facies sicut promisisti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore locutus es.* Deut. 23. v. 22. *Quodcumque voveris, redde; multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.* Eccles. 5. 4.

2. Ex Innoc. Epist. ad Vitricium. *Inter homines bonæ fidei solent contractus nulla ratione dissolvi; quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit virgo, sine vindicta solvi non debet?*

3. Votum frangere, ex Aug. in Psal. 83. est retro respicere; retro autem respicere juxta phrasim evangelicam est in infernum descendere, & a Paradiso deviare: & proinde votum frangere est gravissime peccare. *Alius*, inquit Aug. *ex munere Dei vovit, statuit nec nuptias pati: non damnaretur, si duxisset uxorem: post votum, quod promisit Deo; si duxerit, damnabitur: quare, nisi quia respexit retro?*

4. Votum est privata lex, quam sibi præfigit vovens: ergo sicuti lex ligat juxta intentionem rationalem legislatoris, ita votum ligat juxta intentionem rationalem voventis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat peccato sacrilegii quicumque infringit votum; quia hæc est rationalis voventis intentio, ut vovendo constringat se Deo nexu Religionis, sicuti promittendo constringit se homini vinculo fidelitatis: ac proinde infringens votum fit reus sacrilegii, sicuti infringens promissum est reus infidelitatis.

Consect. 2. Quicumque infringit votum, peccat peccato mortali, si materia sit gravis: peccato veniali, si materia sit levis; quia votum ligat juxta rationalem intentionem voventis, sicuti lex ligat juxta intentionem rationalem Legislatoris. Ergo sicut lex obligat sub mortali in materia gravi, sub veniali in materia levi; ita & votum. Ita D. Th. *Qui votum recte factum prætermittit, mortaliter peccat, scilicet in materia gravi; quia fidem, quam cum Domino iniit, frangit* In 4. d. 38. q. 1. a. 2. Si vero materia sit levis, peccat venialiter, inquit Sotus; quia votum non potest magis urgere, quam lex Ecclesiastica, vel divina, quæ ligant tantum sub veniali in materia levi.

Consect. 3. Quicumque infringit votum solemne, gravius peccat, quam qui infringit votum simplex, quia promissio solemnis fortius ligat, quam promissio simplex: ita tamen quod utriusque voti violatio sit peccatum mortale, si materia sit gravis. Ita D. Th. *Votum solemne fortiorem habet obligationem apud Deum, quam votum simplex: & gravius peccat qui illud transgreditur. Quod autem dicitur, quod votum simplex non minus obligat apud Deum, quam solemne; intelligendum est quantum ad hoc, quod utriusque transgressor, scilicet in materia gravi, peccat mortaliter.* 2. 2. q. 88. a. 7. ad 1.

Consect. 4. Quicumque infringit votum vel simplex, vel solemne, si votum sit de re jam præcepta, bis peccat. 1. Contra præceptum. 2. Contra votum: quæ circumstantia, ut pote varians speciem, debet in confessione explicari, ut jubet Tridentinum; quia intentio voventis aliquid jam præceptum, est novo vinculo se obligare ad exequendam rem præceptam, novoque peccato se innodare, si violetur res præcepta. Sic qui vovit castitatem, si utatur delectatione venerea, peccat contra castitatem & contra Religionem.

Consect. 5. Quicumque votum elicuit, tenetur illud adimplere juxta terminos suæ intentionis, quando expressa est voventis intentio; quia, ut docet D. Th. 2. 2. q. 88. a. 3. ad 3. *obligatio voti ex propria voluntate & intentione causatur .... & ideo si in intentione & voluntate voventis est obligare se ad statim solvendum, tenetur statim solvere: si autem ad certum tempus, vel sub certa conditione, non statim tenetur solvere, sed nec tardare debet ultra quam intendit se obligare.* Dicitur enim Deut. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requiret illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi ad peccatum.*

Sic qui vovit rem certam determinatam, v.g. hunc calicem, tenetur rem illam, & non aliam dare. Itaque si casu pereat res illa, non tenetur aliam substituere: si vero vovens rem illam vendidisset, teneretur dare pecuniam, quam accepit; quia intentio voventis fuit rem illam determinatam dare, vel ejus pretium restituere, si rem Deo per votum destinatam alio diverteret.

Sic qui vovit aliquid certo loco, certo tempore, tenetur juxta determinatum locum, & tempus rem voto promissam facere; & si prædicto loco, vel tempore fieri nequeat, non tenetur aliud substituere; v.g. qui vovit jejunare certo die, eo transacto, non tenetur

alio die jejunare. Qui vovit talem Religionem, repulsus ab illa non tenetur aliam ingredi, quia intentio voventis ad rem tali tempore, talive loco exequendam ferebatur.

Consect.6. Quando intentio voventis non est expressa, & determinata, qui votum elicuit tenetur illud adimplere non juxta rigidiorem, vel laxiorem sensum verborum, quibus vovendo usus est, sed secundum communem, & usitatam acceptionem eorumdem verborum; quia votum est privata lex, quam vovens sibi præfigit; lex autem ligat non juxta rigidiorem, vel laxiorem interpretationem, sed juxta communem acceptionem: ergo & votum ligat eodem modo.

Sic, qui vovit aliquid in genere, non determinando qualitatem illius generis, satisfacit voto, dando, aut faciendo aliquid illius generis, modo illud quod fit, non sit adeo vile, aut parvum, ut votum videatur potius irrideri, quam solvi; quia intentio voventis aliquid in genere ea est, ut nec optimum, nec vilissimum, sed commune illius generis offeratur.

Ac proinde, qui vovit Religionem in genere, pie se geret, si ingrediatur rigidiorem; imprudenter, si ingrediatur laxiorem: sed voto satisfaciet modo ingrediatur Religionem, in qua observantur vota essentialia Religionis.

Similiter, qui vovit triticum, &c. non tenetur dare optimum, sed satisfacit voto, si det commune, minime vero, si det plane vilissimum.

Denique, qui vovit argentum, triticum &c. non determinando quantitatem, non tenetur dare omnem eam quantitatem, quam potest, sed satisfacit voto, si det id quod commode potest; minime vero, si ita parum daret, ut votum videretur irridere potius, quam solvere.

Consect. 7. Qui vovit aliquid sub conditione futura, tenetur voto, si ponatur conditio: non ligatur voto, si citra culpam voventis non ponatur conditio; quia intentio voventis ea est, ut ligetur non absolute, sed conditionate.

Sic, vovisti religionem, si pater convalescat; teneris voto, si pater convalescat, secus, si aliter eveniat.

Consect. 8. Qui vovit aliquid sub conditione futura, si malitia, vel dolo, vel vi impediat, ne ponatur conditio, tenetur voto; quia intentio rationalis voventis talis debet esse, ut voto sese innodatum judicet, si conditionem, a qua dependet votum, fraudulenter impediat: nemini enim sua fraus debet patrocinari.

Sic, vovet quis religionem, si sanitatem recuperet intra mensem; postea dolo, malitiave, ex intemperantia, eam non obtinet, tenetur voto.

Sic, vovet quis religionem, si a fornicatione per annum abstineat; ex malitia, & prava intentione non abstinet, tenetur voto.

*Consect.*9. In dubiis circa vota tutior pars est amplectenda; quia rationalis intentio voventis talis debet esse, ut velit potius favere legi, quam libertati. Id docet D. Th. his verbis: *Si dubitet, quomodo se in vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat.* in 4. sent. dist. 38. q. 1. a. 3. q. 1. ad 6.

Sic, quando aliquis certus est se vovisse, dubitat autem, quam habuerit intentionem in vovendo, tenetur votum observare; quia præsumitur se habuisse intentionem requisitam ad vovendum; & quia hæc via est tutior.

Sic, quando vovens certus est se vovisse, sed dubitat, an habuerit sufficientem deliberationem, an votum ex metu processerit, an metus fuerit gravis, vel levis, tenetur votum observare; quia possessio stat pro voto, quod emissum fuisse constat; & quia via hæc tutior est.

Sic, quando vovens dubitat, an adimpleverit votum, quod certo scit elicuisse, tenetur adimplere; quia possessio stat pro voto: & via hæc tutior est.

Sic si dubitet quis, an emiserit votum, in dubio debet saltem dispensationem petere, quia hæc via est tutior.

§. VI.

De cessatione voti ex parte objecti.

Prop. unica. Obligatio voti cessat, quoties objectum, quod est materia voti, fit vel impossibile, vel illicitum, vel vanum.

Prob. 1. Script. *Displicet Deo stulta & infidelis promissio.*

2. Ex D. Th. *Qui vovet, quodammodo statuit sibi legem, obligans se ad aliquid, quod est secundum se, & in pluribus bonum; tamen potest contingere, quod in aliquo casu sit vel simpliciter malum, vel inutile, vel majoris boni impeditivum, quod est contrarium ejus, quod cadit sub voto: & ideo necessarium est, quod determinetur in tali casu, votum non esse servandum.* 2. 2. q. 88. a. 10. in corp.

3. Adimpletio voti eo tendit ut colatur Deus; quia votum est actus religionis: in talibus autem circumstantiis Deus non coleretur, sed irrideretur: ergo votum tunc non obligat.

Consect.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Obligatio voti cessat ex supra dictis, quando objectum, quod est materia voti, est impossibile ei, qui votum elicuit: ergo cessat in sequentibus casibus.

Vovisti dare eleemosynam, & factus es pauper, non teneris voto, nisi juxta tuas facultates... Vovisti jejunium, factus es infirmus, non teneris voto... Vovisti virginitatem, post votum illicite contraxisti matrimonium, non teneris servare virginitatem, abstinendo omnino a copula conjugali; quia injuriam faceres comparti; sed teneris servare votum, in quo potes: debes abstinere a petendo debito conjugali, ut satisfacias voto, & debes reddere debitum conjugale comparti postulanti, ut satisfacias justitiæ.

Consect. 2. Quando votum extendit se ad principale & accessoria, si principale sit impossibile, non ligat quoad accessoria; quia accessorium sequitur principale.

Sic, vovisti construere Ecclesiam, & dare ornamenta Ecclesiæ constructæ, non potes construere Ecclesiam, potes tamen dare ornamenta alteri Ecclesiæ; non teneris dare ornamenta.

Sic, vovisti peregrinationem facere accinctus cilicio, non potes peregrinari, potes tamen cilicio accingi; non teneris accingi cilicio.

Consect. 3. Quando materia voti fit illicita ei, qui votum elicuit, votum non ligat ex dictis; quia votum debet esse de majori bono: ergo cessat in sequenti casu & similibus.

Sic existens in sæculo, vovisti te daturum pauperibus quidquid labore manuum tuarum acquireres, factus religiosus non teneris voto: quia illicitum est religioso disponere de bonis, quæ labore suo acquirit: quia quidquid acquirit Monachus, Monasterio acquirit.

Consect 4. Votum non ligat ex dictis, quando materia voti fit vana, & indifferens, & non conducens ad gloriam Dei: ergo votum cessat in sequenti casu &c. Vovisti te non transiturum per aliquam viam, quia ibi occurrit tibi mulier, te alliciens ad peccandum: moritur illa mulier, nullaque superest nascens ex ea via occasio peccandi, votum non ligat, quia materia hujus voti vana est & indifferens.

§. VII.

De cessatione voti interventu authoritatis humanæ.

Nota. Votum cessat interventu authoritatis humanæ multipliciter. 1. Irritatione. 2. Commutatione. 3. Dispensatione.

De irritatione voti.

Nota. Irritatio generatim est actio, qua superior declarat se contradicere, & tollere, quantum in se est, votum emissum a suo inferiori.

Irritatio est duplex, directa, & indirecta.

Irritatio directa est actio, qua superior dominans voluntati inferioris, declarat se rescindere votum emissum a suo inferiore: talis est actio, qua pater rescindit votum filii impuberis.

Irritatio indirecta est actio, qua superior dominus, non voluntatis, sed objecti, quod est materia voti eliciti a suo inferiore, authoritate sua declarat se nolle objectum, cujus est dominus, esse materiam voti sui inferioris: talis est actio, qua uxor habens potestatem, non circa voluntatem, sed circa corpus viri sui, declarat, se nolle acquiescere voto castitatis, quod maritus post initum matrimonium elicuit.

Prop. 1. Superior, qui habet dominium supra voluntatem inferioris, potest directe, si velit, irritare quodlibet votum inferioris.

Prob. 1. Script. *Si contradixerit pater, vota & juramenta filiorum irrita erunt.* N. 30. v. 6.

2. Ex D. Th. *Si puer, vel puella ante annos pubertatis nondum habeat usum rationis, nullo modo potest ad aliquid voto se obligare: si vero ante annos pubertatis attigit usum rationis; potest quidem, quantum in se est, se obligare; sed votum ejus irritari potest per parentes, quorum curæ remanet subjectus.* 2. 2. q. 88. a. 9.

3. *Rat.* Qui non est sui juris, non potest se obligare juramento vel voto, nisi dependenter a superiore; quia aliter superiori faceret injuriam: quod si inferior invito superiore se voto ligaverit, poterit ejus votum, utpote injustum, declarari nullum ab ejus superiore.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Pater, & mater, avi, tutores possunt irritare vota quæcumque filiorum impuberum sibi subditornm; quia nondum

sunt

sunt sui juris. Non tamen possunt irritare vota filiorum puberum; quia sunt sui juris.

Consect. 2. Dominus potest irritare omnia vota mancipiorum; quia non sunt sui juris.

Consect. 3. Superior spiritualis, v. g. Papa, Episcopus, Abbas, Prior, possunt directe irritare vota suorum inferiorum; quia hi non sunt sui juris: non possunt tamen irritare vota elicita circa ea, quæ eis non subjiciuntur: v. g. Papa non potest irritare votum de re aliunde præcepta, v. g. votum non furandi, votum non mœchandi; quia in hoc Papa non est dominus. Episcopus non potest irritare votum, quod non est contra bonum suæ Diœceseos; quia in hoc Episcopus non est dominus. Abbas & Prior non possunt irritare vota Novitiorum; quia Novitii non subduntur Prælatis. Non possunt pariter irritare vota, quæ Religiosi eliciunt transeundi ad strictiorem Religionem; quia Religiosi non subduntur quoad hoc Abbati vel Priori.

Monit. Votum irritatum directe, non reviviscit; quia declaratum fuit nullum. Si ratificetur eo tempore, quo vovens non est sui juris, non ligat, nisi consentiat superior: si vero ratificetur eo tempore, quo vovens est sui juris, ligat; quia tunc novum votum elicitur. Sic, si impubes & mancipium rata habeant vota directe irritata, quando facti sunt sui juris, tenentur voto; quia votum irritatum nova promissione reviviscit.

Prop. 2. Superior, qui habet dominium supra materiam voti, potest indirecte votum sui inferioris irritare.

Prob. 1. Ex D. Th. *Quicumque autem subjectus est alicui, quantum ad id, in quo subjectus est, non est potestatis suæ facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius; & ideo non potest se firmiter obligare per votum in his, in quibus alteri subjicitur, sine consensu sui superioris.* 2. 2. q. 88. a. 8. Ergo potest superior materiam illius voti sibi reservare: & hoc est irritare votum indirecte.

2. *Rat.* Qui non est Dominus objecti, quod est materia sui voti, non potest citra injustitiam eam Domino offerre: ergo votum ejus potest irritari indirecte per illum, qui habet authoritatem supra talem materiam.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Pater, & mater, avus, tutor possunt irritare indirecte ea vota, quæ filii, nepotes, pupilli elicuerunt post annos pubertatis, si eadem vota contrarientur recto familiæ gubernio; quia ea materia eis subjicitur: minime vero vota, quæ non repugnant familiæ gubernio; quia hæc materia non eis subjicitur: ita D. Thom. *Ex quo homo venit ad annos pubertatis, si sit liberæ conditionis, est suæ potestatis quantum ad ea, quæ pertinent ad suam personam; puta, quod se obliget religioni per votum, vel quod matrimonium contrahat; non autem est suæ potestatis, quantum ad dispositionem domesticam: unde circa id non potest aliquid vovere, quod sit ratum sine consensu patris.* 2. 2. q. 88. a. 8. ad 2.

Consect. 2. Superior Religionis potest indirecte irritare omnia vota Novitiorum, quæ impediunt exercitia Novitiatus; quia hæc materia illi subjicitur: minime alia vota, quæ Novitius elicuit, v. g. intrandi in Religionem strictiorem; quia hæc materia non ei subjicitur.

Consect. 3. Uxor potest irritare indirecte vota omnia mariti, quæ repugnant statui conjugali, v. g. votum castitatis, quod elicuisset inito matrimonio, non vero quod elicuisset ante matrimonium; quia ante matrimonium nullam habebat authoritatem supra corpus mariti, bene tamen post matrimonium initum.

Consect. 4. Dominus potest indirecte irritare vota, & juramenta servorum, quibus servi fiunt inhabiles ad servitium. *Servus autem*, inquit D. Thom. *quia est in potestate domini, etiam quantum ad personales operationes, non potest se voto obligare ad Religionem, per quam ab obsequio domini sui abstraheretur.* Ibid. Quod debet intelligi de mancipiis, non vero de servis, quibus vulgo utimur; hi enim habent haud dubie potestatem providendi suæ saluti, sicuti filii familias, etiam subtrahendo se a servitio dominorum suorum.

Consect. 5. Papa potest irritare omnia vota, quæ possent totius Ecclesiæ bono obesse, verb. grat. votum manendi in aliqua peculiari Diœcesi, in aliqua peculiari congregatione, si votum illud impediat bonum Ecclesiæ, verb. grat. si Papa opus haberet, ut talis operarius serviret Ecclesiæ in alio loco; quia Papa authoritatem habet circa ea, quæ spectant universalis Ecclesiæ regimen: sicut pater familias habet authoritatem circa ea, quæ spectant domus gubernium.

Consect. 6. Episcopus potest irritare indirecte omnia vota elicita a suis subditis, si illa vota bono suæ Diœceseos præjudicium afferrent, v. g. votum serviendi alicui peculiari Ecclesiæ, quia Episcopus habet authoritatem circa ea, quæ spectant regimen suæ Diœceseos: sicut pater familias circa ea, quæ spectant gubernium domus.

Monit.

Monit. Vota indirecte irritata reviviscunt hoc ipso quod cessat injuria, & præjudicium personæ irritantis; quia votum non irritatur indirecte, nisi ut impediatur injustitia, quæ a vovente committeretur, si suum votum observaret.

Sic, vir conjugatus vovit castitatem, votum illius irritatur indirecte ab uxore; maritus manet liber a voto vivente uxore: moritur uxor, votum reviviscit, & tenetur servare castitatem.

Sic, minor vovet se daturum pecunias pauperibus, votum illud irritatur a tutore; minor liber est a voto durante minoratu, sed transacto minoratu minor tenetur dare pauperibus quod promisit.

De commutatione voti.

Nota. Commutatio voti est substitutio rei bonæ & honestæ in locum rei per votum promissæ: ut quando peregrinatio voto promissa mutatur in eleemosynam.

Prop. unica. Quilibet potest commutare votum in rem meliorem, si Deo hic & nunc judicetur magis accepta. In rem minorem vel æqualem non potest mutare, nisi solus superior.

Prob. prima pars, quod scilicet quilibet potest commutare votum in rem meliorem. Bern. Epist. 57. *Non arbitror Deum exigere quodcumque promissum votum, si pro eo aliquid melius fuerit persolutum.*

2. *Rat.* Ratio id convincit; quia tunc major honos Deo rependitur.

Sic, vovisti peregrinationem, potes tua authoritate mutare votum peregrinandi in alia pietatis exercitia, quæ ad salutem magis conducent, quam peregrinatio: v. g. si per dies aliquos in pium locum secedas, ibique unice de reformanda vita cogites.

Prob. secunda pars, scilicet, quod solus superior Ecclesiasticus possit mutare votum in rem vel æqualem, vel minorem.

1. Ex D. Th. 2.2. q.88.a.12. ubi sic loquitur: *Prælatus in Ecclesia gerit vicem Dei, & ideo in commutatione, vel dispensatione votorum requiritur Prælati authoritas, qui in persona Dei determinet quid sit Deo acceptum.*

2. *Rat.* Commutatio voti in minus vel in æquale, est actus jurisdictionis, quo declaratur Deum potius acceptaturum id quod offertur post commutationem, quam id quod voto oblatum fuerat: ergo ad hanc declarationem juridicam requiritur, non solum doctrina prudentis viri, uti sufficit cum votum mutatur in rem meliorem; sed necessum est etiam, ut interveniat Prælati authoritas.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quando evidenter constat votum in rem meliorem, & Deo gratiorem commutari, non est recurrendum ad superiorem; sed sufficit recurrere ad prudentem virum, vel ad proprium judicium: tunc enim, ut ait Cajet. verbo *votum*: *Deo, cui facta est promissio, satisfit plenius, dando majus, & acceptius ei bonum.*

Sic, quodcumque votum elicueris, potes illud propria authoritate mutare in votum Religionis, quam profitearis; omnia enim vota particularia, quantumcumque perfecta sunt, mutantur in melius, cum mutantur in professionem Religiosam. *Dicendum*, inquit D. Th. *quod omnia alia vota sunt quorumdam particularium, sed per Religionem homo totam suam vitam Dei obsequio deputat; particulare autem in universali continetur. Ideo Decretalis dicit: Reus voti facti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis observantiam commutat; nec Religionem ingrediens tenetur implere vota vel jejuniorum, vel orationum, vel aliorum ejusmodi, quæ in sæculo fecit*. 1. 2. q. 88. a. 12. ad 1.

Consect. 2. Quando non constat, sed dubitatur, an votum mutetur in rem meliorem, tunc recurrendum est ad superiorem, qui gerens vices Dei talem mutationem acceptet.

Observa ex Cajetano, verbo *votum*, quod commutatio non tollit vinculum voti, sed mutat materiam voti: unde etsi de rigore juris commutatio sufficiens videatur, si fiat in aliquid æquale; tamen ut commutans tutior sit, commutet semper in aliquid melius.

De dispensatione.

Nota. Dispensatio est relaxatio vinculi voti, seu condonatio obligationis erga Deum a vovente contractæ.

Prop. unica. Solus Prælatus Ecclesiasticus habens jurisdictionem potest dispensare.

Prob. 1. Script. *Nam & ego*, inquit Paulus, *quod donavi, propter vos in persona Christi*. 2. Corinth. c. 2. v. 10. Ergo in condonatione, seu dispensatione requiritur authoritas veniens a Christo.

2. *Rat.* & author. D. Th. 2. 2. q. 88. a. 12. *Votum est promissio facta Deo de aliquo, quod sit Deo acceptum. Quid sit autem in aliqua promissione acceptum ei, cui promittitur, ex ejus pendet arbitrio. Prælatus autem in Ec-*

clesia gerit vicem Dei : & ideo in commutatione , vel dispensatione votorum requiritur Prælati authoritas , qui in persona Dei determinet, quid sit Deo acceptum.

3. *Rat.* Sicut lex obligat ad aliquid faciendum ; ita & votum : sed ad dispensandum in præcepto legis requiritur authoritas superioris : ergo pari ratione etiam in dispensatione voti.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Papa potest dispensare in omnibus votis dispensabilibus; quia habet universalem authoritatem in Ecclesia. Ita D. Th. *Dicendum, quod quia summus Pontifex gerit plenarie vicem Christi in tota Ecclesia, ipse habet plenitudinem potestatis dispensandi in omnibus dispensabilibus votis; aliis autem inferioribus Prælatis committitur dispensatio in votis, quæ communiter fiunt, & indigent frequenti dispensatione, ut habeant de facili homines ad quem recurrant, sicut sunt vota peregrinationum, jejuniorum, & aliorum hujusmodi*. 2.2. q. 88. a. 12. ad 3.

Vota autem, quæ reservantur summo Pontifici, sunt. 1. Votum absolutum perpetuæ castitatis. 2. Votum Religionis promissæ. 3. Votum peregrinationis Terræ sanctæ, ad limina Apostolorum, & ad sanctum Jacobum Compostellanum.

Consect. 2. Papa potest dare potestatem dispensandi in prædictis votis ; quia qui habet supremam authoritatem, & non est delegatus, uti est Pontifex, potest alium delegare.

Sic Papa dat aliquando cuilibet Sacerdoti potestatem dispensandi in votis tempore Jubilæi, & alio tempore aliquibus Confessariis a se deputatis.

Consect. 3. In minoribus & communibus votis dispensare possunt Episcopi suos subditos, & Prælati regulares suos pariter subditos, quia utrique habent jurisdictionem relative ad suos subditos; Episcopi quidem jure divino, posuit enim Deus Episcopos regere Ecclesiam Dei ; Prælati Regulares ex jure Ecclesiastico, quia ex privilegio Regulares subjiciuntur suis Abbatibus.

Consect. 4. Tria sunt vota, in quibus solus Romanus Pontifex, ordinarie, non quidem ex aliquo jure scripto, sed ex consuetudine, quæ æquivalet reservationi virtuali, potest dispensare. Ea sunt ex jam dictis. 1. Votum castitatis perpetuæ. 2. Votum dandi nomen Religioni approbatæ. 3. Votum peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Jacobum, ad urbem Hierosolymitanam; quia ea vota ex usu, qui æquivalet legi, reservantur summo Pontifici.

Consect. 5. In quibuscumque aliis votis possunt fideles a suis Episcopis dispensari ; quia circa illa vota Episcopi habent authoritatem episcopalem jure divino nulla reservatione restrictam. Unde ab Episcopo dispensabilia sunt. 1. Votum non nubendi. 2. Votum castitatis ad tempus. 3. Votum non petendi debitum conjugale. 4. Votum suscipiendi Ordinem sacrum, licet ex institutione Ecclesiæ annexum habeat votum solemne castitatis. (a) Votum conditionatum perpetuæ castitatis, conditione manente adhuc in suspenso; minime vero adimpleta conditione: v.g. si filius aut filia voverit perpetuam continentiam, si pater ex bello vel captivitate redeat, Episcopus conditione non posita potest dispensare; conditione posita non potest disensare, quia votum conditionatum posita conditione transit in absolutum;in incertum vero &conditionatum, conditione manente in suspenso. 6. Votum Religionis strictioris, v. g. Carthusianorum, modo intretur in mitiorem Religionem; quia non est dispensatio circa Religionem, sed circa circumstantias Religionis. 7. Votum dubium & ambiguum: ut si dubitetur, utrum sufficiens præcesserit deliberatio in promittente. 8. Votum emissum in gratiam alicujus tertiæ personæ, si votum illud non acceptaverit neque per se, neque per aliam vices ejus gerentem. Ratio prædictorum omnium est, juxta Cabassutium lib. 1. c. 8. Theoriæ & praxis juris n. 14. quia absoluta & diserte concepta vota esse convenit, ut Papæ reservata censeantur, & quia ita necesse esse compertum est ob gravia animarum pericula, quibus se quamplurimos implicare videmus ex nimia facilitate, & præcipiti fervore se votis adstringendi.

Consect. 6. Abbas potest dispensare suos Monachos in votis omnibus summo Pontifici non reservatis; quia Abbas habet jurisdictionem supra suos Monachos quasi episcopalem.

Consect. 7. Capitulum potest sede vacante dispensare in eisdem votis, in quibus Episcopus, quia habet jurisdictionem Episcopi.

(a) Loquor secundum vulgarem opinionem. Scio secundum aliquos Authores, Subdiaconos, & Diaconos, & Presbyteros non teneri ad servandam continentiam ex vi voti, sed ex Lege Ecclesiastica, quæ a Syricio vocatur inviolabilis.

Quæ causæ requirantur ad hoc ut valida & licita sit & commutatio & dispensatio, dictum est ubi de dispensatione legis; eadem enim est ratio utriusque, cum votum sit quasi quædam lex; quam sibi vovens constituit. Motivum vero commutandi & dispensandii in votis debet esse major Dei gloria, utilitas Ecclesiæ, & bonum spirituale illius, qui vovit.

CAPUT IV.

De vitiis oppositis Religioni.

Vitia opposita Religioni sunt superstitio, & irreligiositas. Superstitio opponitur Religioni per excessum: irreligiositas per defectum.

ARTICULUS I.

De superstitione & ejus speciebus.

Superstitio est cultus vitiosus per excessum, quo vel creatura colitur ut Deus, vel Deus aliter colitur, quam oporteat.

Superstitio est vitiosa vel ratione objecti, vel ratione modi.

Superstitio vitiosa ratione objecti est, quando colitur falsum Numen, quod contemnendum est potius, quam colendum.

Superstitio vitiosa ratione modi est, quando verum Numen aliter colitur, quam oporteat.

Actus superstitionis vitiosæ quoad objectum sunt idololatria, divinatio, vana observantia, maleficium, magia.

Idololatria est actus, quo cultus Deo debitus redditur creaturis.

Divinatio est actus, quo tacite, vel expresse invocatur dæmon ad cognoscenda futura contingentia.

Vana observantia est actus, quo tacite vel expresse invocatur dæmon, observando aliquid non conducens & insufficiens ad id, quod expectatur.

Maleficium est actus, quo tacite, vel expresse invocatur dæmon ad nocendum aliis.

Magia est actus, quo tacite vel expresse invocatur dæmon ad operandum mira & stupenda.

Actus superstitionis vitiosæ quoad modum sunt cultus perniciosus, & cultus superfluus.

Cultus perniciosus est cultus Deo exhibitus contra veritatem fidei: ut si quis Christum jam natum suis ceremoniis quasi venturum expectaret, ut faciunt Judæi.

Cultus superfluus est cultus Deo exhibitus contra solitum Ecclesiæ morem: ut si quis agat contra Rubricas Ecclesiæ vel in Missa celebranda, vel in Officio recitando.

ARTICULUS II.

De regulis ad dignoscendam superstitionem ex objecto.

Prop. 1. Toties actus est superstitiosus ex objecto, quoties res quæ fit, non habet virtutem inducendi effectum, qui expectatur, virtutem, inquam, vel ex natura sua, vel ex Dei elevatione: quæ elevatio divina non debet præsumi, nisi in eis, quæ Deus se elevaturum promisit.

Prob. authorit. & ratione D. Thom. 2. 2. q. 96. a. 2. *In his, quæ fiunt ad aliquos effectus particulares inducendos, considerandum est, utrum videantur posse naturaliter effectus tales causare; sic enim non erit illicitum, licet enim causas naturales adhibere ad proprios effectus: unde si naturaliter non videantur posse tales effectus causare, consequens est, quod nec adhibeantur ad hos effectus causandos tanquam causæ, sed solum quasi signa; & sic pertinent ad pacta significationum cum dæmonibus inita.* Unde S. Aug. lib. 21. de Civit. Dei cap. 6. scribit: *Illiciuntur dæmones ad inhabitandum per creaturas, quas non ipsi, sed Deus condidit, delectabilibus pro sua diversitate diversis, non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis, quæ cujusque delectationi congruunt per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum.* Ergo juxta D. Aug. & D. Th. toties præsumi, vel timeri debet superstitio, quoties res quæ fit, non habet vim neque naturalem, neque supernaturalem inducendi effectum, qui expectatur. 2. 2. q. 96. a. 2. in corp.

Consectaria hujus Doctrinæ.

De his, in quibus non est superstitio.

Consect. 1. Non est superstitio expectare gratiam a Sacramentis; quinimo actus Religionis est: quia Sacramenta ex Dei promissione facta Ecclesiæ, elevantur divinitus ad producendam gratiam.

Consect. 2. Non est superstitio attendere ad tempus Jubilæi, Indulgentiarum, Festivitatum, &c. ut eo tempore ferventius orationi vacemus, & gratiam a Deo expectemus; quia non illa tempora serviliter observamus, ut Judæi, sed ea potius inspicimus, quæ temporibus significantur, ut docet Aug. con-

contra Adimantum cap. 16. *Nos quoque Dominicam diem, & Pascha solemniter celebramus, & quaslibet alias Christianas dierum festivitates; sed quia intelligimus, quo pertineant, non tempora observamus, sed quæ illis significantur temporibus.*

Consect. 3. Non est superstitio figuram Crucis secum deferre, sanctum Dei Evangelium, Rosarium, Scapulare, si pio animo fiat, nullisque vanis circumstantiis adjunctis vitietur; in his enim actionibus tota fiducia in Deo collocatur. Eadem est ratio ex D. Thom. de reliquiis Sanctorum, quæ ex devotione portantur; ita enim loquitur 2. 2. q. 96. a. 4. ad 3. *Quia si portentur ex fiducia Dei & Sanctorum, quorum sunt reliquiæ, non erit illicitum: si autem circa hoc attenderetur aliquid aliud vanum, puta, quod vas esset triangulare, aut aliquid aliud hujusmodi, quod non pertineret ad reverentiam Dei, & Sanctorum, esset superstitiosum & illicitum.* Et Aug. Tract. 7. in Joan. *Cum caput tibi dolet, laudamus si Evangelium ad caput tibi posueris, & non ad ligaturam cucurreris.*

Consect. 4. Non est superstitio observare Lunam, aut tempora aptiora colligendis herbis, purgandis corporibus, dandis remediis, cædendis arboribus, &c. v. g. observare crescentem aut decrescentem Lunam; quia longo multorum experimento constat, causas naturales vim efficaciorem habere certo tempore, quam alio.

Consect. 5. Non est superstitiosum uti cælestibus signis, & volatu avium ad cognoscendum certos effectus naturales; quia juxta omnes ex syderum inspectione & avium volatu prænuntiari possunt tempestatum mutationes, pluviæ, grandines, &c. Astra prænuntiant certos futuros effectus naturales, quales sunt eclypses, pluviæ, &c. quippe ex Dei institutione facta sunt, *ut sint in signa, & tempora, & dies, & annos,* Gen. 1. v. 14. Illos eosdem effectus aves prænuntiare possunt; hyrundo enim adventans, ver adventare significat; & recedens, hyemem denotat. Hinc est, quod Jer. c. 8. v. 7. dicitur: *Milvus in cælo cognovit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia, custodierunt tempus adventus sui.*

Consect. 6. Vana quidem curiositas est uti astrorum aspectu, situ, & influxu in puncto nativitatis alicujus ad cognoscendum etiam conjecturaliter ejus temperamentum; quia astrorum distantia, rapidissimus illorum motus, & plures alii obices impediunt, ne certo cognoscamus, quis fuerit aspectus astrorum in puncto conceptionis, & nativitatis illius, cujus temperamentum indagamus; sed absolute non est superstitio uti hac inspectione: etenim si astra influant in hæc inferiora, ut multi tenent Philosophi, possunt aliquid in corporeis humoribus efficere, & ad cognoscendum temperamentum inservire; unde vulgo dicitur, quod qui nascuntur sub Marte, sunt ad bellum proclives, &c.

Consect. 7. Vana quidem curiositas est uti lineamentis manuum, frontis, &c. ad cognoscendum etiam conjecturaliter temperamentum hominis; quia, ut fert vulgare effatum, frons, oculi, vultus persæpe mentiuntur: sed uti lineamentis ad cognoscendum conjecturaliter habitualem propensionem, non est absolute superstitio, humores enim multum conducunt ad habitualem propensionem: humores autem produnt se exterius in carne; unde natum illud effatum: Qualis prævalet humor in corpore, talis perhibetur in cute.

Consect. 8. Non est superstitio uti virga salicea, vel amygdalina ad inveniendas aquas in terra latentes; imo ad inveniendas fodinas metallorum; id enim fieri cernimus a certis hominibus sub certo signo cælesti natis, quin tamen ullum cum Dæmone pactum, vel explicitum, vel implicitum fecerint. Sed non idem dicendum de his, qui quosvis thesauros asconditos a Dæmone, ut dicunt, custoditos jactitant se inventuros: ibi enim est superstitio, ut infra dicetur.

Consect. 9. Non est superstitio adhibere herbas, lapillos, &c. ad sanitatem inducendam, morbosque depellendos; quia possunt habere talem vim naturaliter, licet nobis incognitam: nec statim conjicienda est superstitio, modo nihil sit ridiculum in precibus; & si quid sit ridiculum, debet emendari.

Consectaria hujus Doctrinæ.

De his, in quibus est superstitio.

Consect. 1. Superstitio divinatoria est sperare cognitionem futurorum aliunde quam a Deo; quia solus Deus est qui cognoscit futura. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos.* Isai. 41. v. 23.

Consect. 2. Superstitio artis notoriæ est sumere potionem, vel bolum, vel deferre ligaturam, ut repente fias doctus; quia *hæc non habent secundum se virtutem causandi scientiam,* ut docet D. Th. 2. 2. q. 96. a. 1. in corp. Deus enim est qui scientiam infundit, juxta illud: *Deus scientiarum Dominus est.*

Consect. 3. Superstitio est deferre ligaturas, ut fias invulnerabilis, invisibilis, impenetrabilis; quia hæc non habent virtutem ad inducendum talem effectum: *Stupentes enim illi effectus a solo Deo provenire possunt*. D. Th. ibid. a. 2. ad 1.

Consect. 4. Superstitio vanæ observantiæ est habere dies alios tanquam faustos, alios tanquam infaustos; quia dies non possunt inducere infortunium: & variæ illæ observantiæ, ut loquitur D. Th. *videntur esse quædam reliquiæ idololatriæ, secundum quam observabantur auguria, & quidam dies fausti, vel infausti*. 2. 2. q. 96. a. 3. in corp.

Consect. 5. Superstitio vanæ observantiæ est deferre imagines astronomicas, Gallice *talismans*, ex ære, vel plumbo, vel auro, vel ex alia materia confectas cum ignotis caracteribus, expectando insolitos effectus ab illis; quia *totum hoc*, inquit Aug. *pertinet* ad Dæmones *ludificatores animarum sibimet subditarum*. Lib. 10. de civitate Dei cap. 11. & juxta D. Thom. *Imagines, quas astronomicas vocant, ex operatione dæmonum habent effectum; cujus signum est, quod necessarium est eis inscribi quosdam caracteres, qui naturaliter ad nihil operantur*. 2. 2. q. 96. a. 2. ad 2.

Consect. 6. Superstitio est adhibere preces aliquas, quibus tu, vel animalia tua sanentur, nisi preces illæ sint ab Ecclesia approbatæ; quia, ut ait Hilarius, in hæc verba psal. 64. *Te decet hymnus Deus in Sion. Vota tantum Ecclesiasticæ Religionis utilia sunt, quæ cum & dignis Deo cantionibus, & propositæ in Ecclesia observantiæ studio probantur* ..... Ideo Concilium Bituricense, an. 1586. jubet, *ne prætextu pietatis ulli exorcismi fiant, nisi qui ab Ecclesia probati sunt*. Tit. 4. Can. 3.

Consect. 7. Superstitio est deferre res aliquas nominibus aliquibus ignotis insignitas: talia sunt *bai*, *gloi*, &c. & alia hujusmodi ridicula: hæc enim non habent vim inducendi effectus qui expectantur.

Consect. 8. Superstitio est deferre Rosarium, Scapulare & alia sacrarum Fraternitatum insignia, si ea credulitate gerantur, quod numquam damnabuntur qui ea ferunt, vel quod in mortis articulo sinceram pœnitentiam agent, quamvis toto vitæ curriculo pœnitentiam neglexerint, contenti externis Fraternitatum illarum insignibus; quia hæc insignia non habent virtutem inducendi talem effectum. Ideo Concil. Cameracense an. 1565 ait: *Abominandam esse eorum vanitatem ac superstitionem, qui certo pollicentur, non ex hac vita migraturos sine pœnitentia & Sacramentis illos, qui hunc illumve ex vivis coluerint, qui securitatem in rebus gerendis, fortunæ certum ac optatum eventum iisdem promittunt, & si quæ alia hujusmodi proferantur & credantur* ..... *Præscriptaque Missarum forma aut precum asfirmant certas designatasque animas semper e purgatorio liberari*.

Prop. 2. Quoties stupendus aliquis effectus contingit, non statim temerarie pronuntiandum est superstitiosum esse quod agitur, sed prudenter omnia sunt examinanda.

Prob. Multi sunt mirabiles & stupendi effectus, quos rude & imperitum vulgus in magiam refundit, qui tamen diligenter inspecti a causis mere naturalibus procedere dignoscuntur, ut fuse probari potest ex libro, qui scribitur, *magia Schoti*, ubi stupendi effectus recensentur a causis mere naturalibus procedentes, qui tamen videntur non ab alio quam a dæmone posse provenire: ne ergo Confessarii errent hac in parte, nihil determinandum est præcipiti judicio, sed omnia prudenti examine ponderanda sunt.

MONITA

Quibus determinatur, quid agendum tam a Confessario, quam a pœnitente, cum præsumitur superstitio.

Monit. 1. Si adhibeantur causæ naturales, consulendi sunt Medici, & Physici, ut ab ipsis sciatur, an causæ adhibitæ vim naturalem habeant inducendi effectum, qui inspicitur evenire. Si causæ adhibitæ vim habeant naturalem producendi illum effectum, non est superstitio.

Monit. 2. Si adhibeantur preces, consulendi sunt Doctores Theologi, ut sciatur ab illis, an preces illæ sint conformes, vel difformes universalis Ecclesiæ ritui. Si preces nihil habeant difforme Ecclesiæ ritibus, non est superstitio.

Monit. 3. Si nec Phylosophi nec Theologi consuli possunt, & iterim urgeat necessitas adhibendi aliquid, quod superstitiosum videri potest, qui rem illam insolitam aggreditur, debet fusis ad Deum precibus protestari, se nolle ullum habere cum dæmone commercium.

Monit. 4. *Circa personas interrogandas.*

Hi omnes, quos hic subjicio, sunt interrogandi circa superstitionem; quia vulgo adhibent remedia, in quibus sæpius latet superstitio.

1. Pa-

1. Pastores, qui certas adhibent causas, ut pecora servent a lupis, a scabie, &c.

2. Fabri ferrarii, qui insolitis utuntur mediis, ut sanent pecora.

3. Vetulæ, quæ parituras circa mulieres, vel parturientes, vel matrice, ut dicunt, laborantes, insolita adhibent remedia.

4. Imperiti Medici, qui stupenda jactitant remedia.

5. Milites, qui deferunt secum obscura nomina, ut fiant invulnerabiles.

6. Hi omnes, qui stupendum quid jactitant, vel in ferendis ponderibus, vel in itineribus celerrime conficiendis.

Monit. 5. circa modum interrogandi pœnitentes in materia superstitionis.

Personæ suspectæ superstitionis ita interrogandæ sunt, ut horrorem superstitionis concipiant; tanti vero vitii naturam non addiscant: & proinde

1. Videndum, utrum insolitum illud, quod peragunt, refundi possit in causas naturales: si a causis naturalibus procedere valeat, permitti debet; si vero non nisi a Dæmone procedere possit, debet prohiberi.

2. Si constet superstitiosum esse, videndum, an pactum expressum habuerint cum Dæmone, an solum tacitum.

3. Si pactum cum Dæmone expresse inierint, interrogandi, an id fecerint ex ignorantia affectata, aut non affectata? an ex malitia, v. g. ex odio contra Deum, vel proximum? an ex curiositate? an pactum obsignaverint vel sua manu, vel suo sanguine, vel alio quovis signo exteriori & sensibili? an pactum habeant apud se, vel apud aliquem, qui illud custodiat? debet ab illis exigi pactum, ut ei renuntient.

4. Debent ab illis exigi libri, si quos habeant de illis arcanis tractantes: debent exigi caracteres, & alia hujusmodi, & comburi, vel ad Episcopum deferri, ut cum peritioribus videatur quid agendum.

ARTICULUS III.

De regulis ad dignoscendam superstitionem ex modo.

PRop. unica. Toties actus est superstitiosus ex modo, quoties cultus Deo exhibitus ab Ecclesia reprobatur, vel quia est falsus, vel quia est superfluus.

Prob. 1. Script. Matth. 18. v. 17. *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Ergo cultus noster erga Deum debet approbari ab Ecclesia: Ergo si per eam reprobetur, debet censeri superstitiosus, non ex objecto, cum Deo exhibeatur: ergo ex modo, quia exhibetur aliter, quam debet exhiberi.

2. Ex Aug. lib 1. de consensu Evangelistarum c. 18. *Socratis sententia est, unumquemque Deum sic coli oportere, quo modo se ipse colendum esse præceperit*: Ergo, si Deus aliter colatur, quam exigit, cultus ille debet censeri superstitiosus.

3. *Rat.* Deus exigit ab homine cultum religiosum, non qualemcumque, sed eum, quem Deus nobis revelavit, & per Ecclesiam proponit, qui cultus debet esse in spiritu & veritate: ergo toties cultus noster erga Deum erit superstitiosus, quoties pugnabit contra Ecclesiæ determinationem: erit falsus, si per illum aliquid falsum significetur: erit vero superfluus, si non sit proportionatus gloriæ Dei, qui est finis cultus divini.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ultimum falsum exercent hi, qui in exercitio religionis aliquid falsum significant; quia præcipuum in cultu religioso est veritas.

Sic juxta D. Thom. 2. 2. q. 93. a. 1. in corp. *Perniciosum est uti ceremoniis veteris legis, quibus Christi mysteria figurabantur futura; sicuti etiam perniciosum esset, si quis non confiteretur Christum esse passum.*

Sic juxta eumdem D. Th. superstitiosum est, falsa miracula proponere, falsas reliquias ostentare, Sanctos nondum canonizatos, ut loquuntur, venerari; sicut falsarius esset qui aliqua proponeret ex parte alicujus, quæ non essent ei commissa. Ibidem.

Consect. 2. Cultum superfluum exercent qui religionem statuunt in his exercitiis, quæ nec mentem ad Deum elevant, nec corpus Deo subjiciunt; quia finis divini cultus est, ut homo Deo det gloriam, eique se subjiciat & mente & corpore.

Tales sunt cantus molles, qui interdum in Ecclesia audiri solent. Tales sunt choreæ, tripudia, & alia hujusmodi, quibus imperitum vulgus festis diebus indulget.

Tales sunt ceremoniæ ab hominibus excogitatæ, & non ab Ecclesia approbatæ; ut si dicatur bis alleluja, ubi non debet dici; aut si in Missa fiat signum Crucis, ubi non debet fieri, &c.

ARTICULUS IV.

Quale peccatum sit superstitio vitiosa ex modo.

PRop. 1. Superstitio vitiosa ex modo, si inducat falsitatem, est peccatum mortale ex suo genere.

Prob. 1. Ex Script. Veritas est Deus, juxta illud Joan. 4. v. 24. *Ego sum via, veritas, & vita. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant eum, oportet in spiritu, & veritate adorare.* Ergo cultus vitiosus continens falsitatem non proficit, sed officit; non salvat, sed damnat.

2. Ex Ambros. *Paulus indignum esse dicit, qui aliter celebrat mysterium quam a Christo traditum est.* In Epist. 1. ad Corinth. cap. 11. v. 27. Ergo si cultus ille indignos Deo nos efficiat, est peccatum mortale.

3. *Rat.* Mendacium perniciosum est haud dubie peccatum mortale; cultus autem falsus est mendacium perniciosum, cum religioni noceat: Ergo est peccatum mortale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccarent mortaliter qui modo colerent Deum ceremoniis Judaicis, quæ significabant Christum venturum, quippe legalia observata post veritatem Evangelii sunt mortifera, ut docet ex professo Aug. Epist. ad Hieron. 82. alias 19. & Paulus ad Galat. 5. v. 2. Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.

Consect. 2. Peccant quoque mortaliter qui vel falsis miraculis, vel suppositiciis reliquiis verum Dei cultum promovere quærunt; quia veritas Dei nostris non eget mendaciis, mendacium autem in materia religionis est maxime perniciosum, & proinde peccatum mortale.

Consect. 3. Qui mutaret materiam, vel formam Sacramentorum, vel nollet adhibere ceremonias in Ecclesia usitatis, peccaret mortaliter: hæc enim omnia, inquit Sylvius, cultum veri Dei aliqua falsitate commaculant, & sunt ex genere suo peccata mortalia; venialia tamen vel ob imperfectionem actus, vel ob ignorantiam.

Prop. 2. Superstitio vitiosa ex modo, si cultum inducat superfluum tantum, peccatum est communiter veniale tantum, si absit contemptus & scandalum.

Prob. 1. Ex Aug. lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 18. *Quisquis bonus, verusque Christianus est, etiam in litteris sacris superstitiosa, id est, superflua figmenta repudiet*: Ergo peccatum est, superfluum in cultu divino adhibere, non mortale quidem, ut satis indicant Aug. verba, qui acrioribus verbis scelera prohibere solet.

2. *Rat.* D. Thom. In cultu divino, absolute loquendo, nihil potest esse superfluum; quia quidquid impendimus Deo, semper est minus eo, quod illi debetur: sed relative potest esse superfluum, scilicet, id omne, quod nec ex natura sua, nec ex Dei, Ecclesiæve institutione ad gloriam Dei ordinetur. Si quid autem superfluum, vel minus rectum in tali cultu observetur, quod nec scandalum aliis inducat, nec contemptum contineat, talis cultus, inquit Cajet. non est contra, sed præter divinam reverentiam: ergo non est peccatum mortale, sed veniale tantum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccatur venialiter cum in Missa v.g. nimis anxie observatur certus numerus candelarum, certus imaginum situs, certus color absque ordinatione Ecclesiæ.

Consect. 2. Cum in horis Canonicis, vel in Sacrificio dicitur *Gloria in excelsis, Credo, Alleluja*, cum non est dicendum, vel omittitur, cum est dicendum.

ARTICULUS V.

Quale peccatum sit superstitio vitiosa quoad objectum.

PRop. unica. Superstitio vitiosa quoad objectum est de se peccatum mortale.

Prob. 1. Ex Script. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*: & iterum: *Soli Deo honor & gloria*: Ergo cum per superstitionem vitiosam ex objecto non Deus, sed creatura colatur sine ordine ad Deum, hæc superstitio erit peccatum mortale.

2. Ex Aug. qui loquens de magicis artibus ait: *Omnes igitur artes hujusmodi, vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis ex quadam pestifera societate hominum & dæmonum, quasi pacta quædam infidelis & dolosæ amicitiæ constituta, penitus sunt repudianda.* Lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 203.

3. *Rat.* Per talem superstitionem aut exhibetur dæmoni honor aliquis, qui soli Deo debetur, aut saltem habetur cum inimico Dei, scilicet dæmone, aliquod commercium: Ergo est peccatum mortale.

Deinde talis superstitio est mendacium in materia religionis; quia significat aliquid contra-

trarium veritati revelatæ, nimirum, dæmonem aliquid posse invito Deo; mendacium autem in materia religionis est peccatum mortale: ergo & superstitio vitiosa ex objecto.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Omnes species superstitionis vitiosæ ex objecto sunt ex genere suo peccata mortalia. Itaque peccatum mortale est

1. Idololatria; quia est cultus divinus creaturæ exhibitus.

2. Divinatio; quia est usurpatio notitiæ divinæ ope dæmonis.

3. Vana observantia; quia est expectatio eventus ope dæmonis eventuri.

4. Maleficium; quia est nocumentum proximi ope dæmonis procuratum.

5. Magia; quia est opus stupendum ope dæmonis præstitum. Quod ut fusius pateat, explicabuntur omnes species superstitionis sequentibus articulis.

ARTICULUS VI.

De Idololatria.

PRop. unica. Idololatria sive actus, quo creatura tanquam Deus colitur, est peccatum mortale quocumque modo fiat; quia est superstitio vitiosa ex objecto.

Prob. 1. Ex Scriptura. Deformitatem tanti vitii Scriptura satis significat his verbis: *Foris canes, & venefici, & idolis servientes.* Apocal. 22. v. 15. ergo est peccatum mortale, cum excludat a gloria.

2. Ex Patribus. Crimen illud vocatur a Tertulliano *summus sæculi reatus*: a Nazianzeno *extremum & primum malorum*: a Lactantio *scelus inexpiabile*: a Synodo Illiberitana *crimen capitale*: Ergo est peccatum mortale.

3. *Rat.* D. Th. 2. 2. q. 64. a. 3. in corp. *Sicut enim*, inquit, *in terrena republica gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem regium alteri impendat, quam vero Regi; quia quantum in se est, totum Reipublicæ perturbat ordinem: ita in peccatis, quæ contra Deum committuntur, quæ tamen sunt maxima, gravissimum esse videtur, quod aliquis honorem divinum creaturæ impendat; quia quantum in se est, facit alium Deum in mundo, minuens principatum divinum.*

Quot modis committatur idololatria.

Idololatria committi potest tripliciter.

1. Ignoranter; ut cum quis credit creaturam esse Deum: sed talis ignorantia non excusat a peccato; quia talis ignorantia & potest, & debet vinci: *Vani enim sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei.* Sap. 13. v. 1.

2. Scienter, & malitiose; ut cum quis adorat creaturam in odium Dei, & hoc culpabiliter; quia debet illud odium deponere, cum nulla causa sit odio habendi Deum, juxta illud: *Odio habuerunt me gratis.* Joan. 15. v. 25.

3. Simulate exterius solum, & non interius, ut cum quis adorat falsum Deum exterius, execrans interius illum cultum superstitiosum, imo cupiens cultum omnem ad verum Deum ordinari; sed hæc simulatio est lethalis, quia, ut docet D. Thom. *externus cultus est signum interioris: sicuti est perniciosum mendacium, si quis verbis asserat contrarium ejus, quod per veram fidem tenet in corde; ita est perniciosa falsitas, si quis exteriorem cultum exhibeat alicui contra id, quod sentit in mente.* 2. 2. q. 94. in corp. nam, ut ait Tert. de idolol. cap. 22. *Negat quicumque dissimulat in quacumque causa pro Ethnico habitus.*

De his, qui sunt quasi idololatræ.

Ad idolatras reduci possunt

1. Hæretici, qui novas opiniones in fide, vel in moribus periculosas cogitant, eisque pertinaciter adhærent; etenim, inquit Hieron. *sicut idola fiunt manu artificis; ita hæreticorum perversa doctrina quodcumque simulaverit, vertit in idolum, & facit pro Christo adorari Antichristum.* In c. 13. Zachar. Tunc enim nova illa opinio est quasi Deus recenter excogitatus, & quasi novum idolum in mente erectum, & adoratum.

2. Parentes, qui filios suos ardentius, quam par est, depereunt, quibus exprobrari potest, quod Heli dictum est: *Honorasti filios tuos magis quam me.* Idololatræ sunt parentes, qui filios vitiosos non castigant. Ejusdem criminis rei sunt, qui mortuos filios, aut parentes, magis quam par est, lugent; acerbus enim ille luctus originem dedit idololatriæ. *Acerbo enim luctu pater rapti cito sibi filii fecit imaginem.* Sap. 14. v. 15.

3. Avari, qui thesauris suis impensius adhærent. *Argentum suum, & aurum suum fecerunt sibi idola, ut interirent.* Oseæ c. 8. v. 4. *Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide.* 1. ad Tim. 6. v. 10.

4. Gulosi, quorum Deus venter est, ut lo-

loquitur Paulus ad Philip. 3. v. 9. Et qui Christo Domino non serviunt, sed suo ventri, ut loquitur idem Paul. ad Rom. 16. v. 18.

5. Impuris amoribus irretiti. 1. Quia semper suos amores cogitant, rarissime autem Deum in mente habent. 2. Quia corpus suum offerunt voluptati, quod Deo offerre debuissent. 3. Quia ex se ipsis Deum ejiciunt per pravam libidinem; homo enim est templum Dei. 4. Quia faciunt membra sua, quæ sunt membra Christi, membra meretricis. 5. Quia sicuti Adrianus Crucem Salvatoris dejecit, & in loco Crucis erexit statuam Adonidis; ita impudici illi amatores e corde suo Crucem ejiciunt, eique Venerem, vel Adonidem substituunt.

ARTICULUS VII.

De Divinatione.

PRop. *unica*. Divinatio, sive actus, quo tacite, vel expresse Dæmon invocatur ad cognoscendum res, quæ naturaliter cognosci nequeunt, v. g. futura contingentia, actus liberos, &c. est peccatum mortale; quia est cultus superstitiosus ratione objecti: solus quippe Deus cognoscit futura contingentia, & actus liberos, juxta illud 1. Reg. cap. 16. v. 7. *Homo videt ea, quæ parent, Deus autem intuetur cor*. Quam grave peccatum sit divinatio

Prob. 1. Scriptura. Deut. 28. *Non inveniatur in te, qui Ariolos sciscitetur; nec qui Pythones consulat, nec Divinos, nec quærat a mortuis veritatem: omnia enim hæc abominatur Dominus.*

2. Ex Conciliis. Synodus Romana secunda an. 721. sub Greg. 2. Can. 12. ait: *Si quis ariolos, arupisces, incantatores observaverit, aut philacteriis usus fuerit; anathema sit: & responderunt omnes tertio: anathema sit.*

3. *Rat.* D. Thom. *Omnis*, inquit, *divinatio ex operatione Dæmonum provenit, vel quia expresse dæmones invocantur ad futura manifestanda, vel quia Dæmones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate*. 2. 2. q. 95. a. 2. *Nulla autem*, ut optime addit idem Doctor, *utilitas temporalis potest comparari detrimento spiritualis salutis, quod imminet ex inquisitione occultorum per Dæmonum invocationem.*

Quot modis Dæmon expresse invocetur in ordine ad divinandum.

Dæmon invocatur expresse quando rogatur, ut sensibiliter appareat ad docendum rem, cujus cognitionem peroptamus.

1. Apparet dæmon per præstigium, perstringendo oculos, ostendendo quod est absens quasi præsens. Ita fecisse præstigiatores Pharaonis multi credunt, dum projecti ab ipsis baculi serpentes exhibebant. Exod. 7. v. 11.

2. Apparet dæmon per somnium, commovendo phantasmata, & ostendendo quod vult edocere. De diabolicis somniis ita scriptum est: *Non augurabimini, nec observabitis somnia*: Lev. 19. v. 26. Quod ut pateat, sciendum, multiplex esse somnium, scilicet, naturale, divinum, & diabolicum.

Somnium naturale est illud, quod provenit a causa naturali, vel intrinseca, quales sunt humores; vel extrinseca, qualis est aer, & alia corpora ambientia. Credere somnio naturali non est malum; medici quippe possunt ex somniis naturalibus morbos dignoscere, & cordis affectus conjicere.

Somnium divinum est illud, quod provenit a Deo, aliquid absconditum manifestante.

Tale fuit somnium Abimelech, in quo vidit Saram conjunctam esse matrimonio cum Abraham. Gen. 20.

Tale fuit pariter somnium Pharaonis, quo Deus septem vaccis pinguibus, & totidem macilentis, septem spicis aridis, & plenis totidem, docuit septem annos steriles septem annis fœcundis successuros. Gen. 41. Credere somnio divinitus immisso, nedum illicitum, quinimo necessarium, juxta illud: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum*. Num. 12. 6.

Cum vero difficillimum sit distinguere inter somnium divinum & diabolicum, melius est nunquam credere somniis, nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio. *Ne dederis in illis cor tuum; multos enim errare fecerunt somnia & exciderunt sperantes in illis*. Eccles. v. 6. Quod præcipue contingit, ut optime monet Cajet. verbo, *somnium*; *dum paulatim tantum homo credit somniis, ut somniis utatur pro regulis actionum, ut pro iis aut omittat, aut committat contra aliquid, ad quod tenetur.*

3. Apparet dæmon in corporibus mortuis, agitando corpus mortuum, & per illud ostendendo quod vult ostendere. Talis forte fuit visio, in qua Samuel mortuus Sauli morituro apparuit operatione magica. 1. Reg. cap. 28. v. 11. Ille quippe Samuel, qui Saulem allocutus est, non erat verus Dei Propheta. 1. Quia animæ justorum non subjacent operationibus magicis, nec sunt in potestate

te diaboli. 2. Quia dixit impio Sauli: *cras mecum eris*; Saul autem non abiit in sinum Abrahæ, ubi erat Samuel, sed abiit in infernum.

4. Apparet dæmon per elementa, imprimendo elementis varias figuras, quibus significat quod vult ostendere. Apparet autem modo in igne, modo in aere, modo in aqua, modo in terra. Apparitio in igne vocatur Pyromantia, in aere Aeromantia; in aqua Hydromantia; in terra Geomantia: uti autem illis apparitionibus, eisve credere illicitum. *In omnibus ergo istis Doctrinis societas dæmonum formidanda est, atque vitanda*, ut loquitur Aug. lib. 2. de Doct. Christ. c. 23.

Quot modis dæmon implicite invocetur in ordine ad divinandum.

Dæmon invocatur implicite, quando assumitur aliquid in ordine ad sciendum futura libera, quod nec ex natura sua, nec ex institutione Dei potest nos ad incognitum deducere. Et hoc fit multipliciter. Per Astrologiam, per Chyromantiam, per Auguria, per Sortes, de quibus sigillatim.

Prop. 1. Divinatio per Astrologiam judiciariam, qua quis utitur astris ad cognoscenda futura libera, est gravissimum peccatum.

Prob. 1. ex Scriptura ita loquente: *A signis cæli nolite metuere, quæ timent gentes; quia leges populorum vanæ sunt.* Jerem. x. v. 2. Ergo Scriptura, inquit Duhamel, hic damnat Genethliacos, qui vi siderum omnia putant gubernari.

2. Ex Patribus, qui passim diabolicam hanc artem condemnant: de ea ita loquitur Ambr. lib. 4. Hexamer. c. 4. *Nonnulli nativitatum tentaverunt exprimere qualitates, qualis futurus sit unusquisque, qui natus sit, cum hoc non solum vanum, sed etiam inutile sit quærentibus, impossibile pollicentibus.* Et Aug. lib. 2. Doctr. Christ. cap. 22. *Ex ea notatione velle nascentium mores, actus, eventa prædicere, magnus error, & magna dementia est.*

3. Ex Conciliis. Concilium enim Toletanum I. sic habet Can. 15. *Si quis Astrologiæ, vel Mathesi existimat esse credendum, Anathema sit.* Idem habet Mediolanense, Rhemense, Burdigalense, Narbonense, Tolosanum, & Constitutio Sixti V. quæ incipit *Cœli & terræ.*

4. Demum authoritate & ratione D. Th. *Si quis*, inquit, *consideratione utatur Astrorum ad præcognoscendos futuros casuales vel fortuitos eventus, aut etiam ad cognoscendum per certitudinem futura opera hominum, procedit hoc ex falsa, & vana opinione; & sic operatio dæmonis se immiscet: unde erit divinatio superstitiosa & illicita.* 2. 2. q. 95. a. 5. in corp. & cum ibi Dæmon se immisceat, peccatum erit mortale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant mortaliter, juxta Cajetanum, qui ita insistunt astrorum observationi, ut res tum præteritas, tum præsentes, tum futuras ad Religionem pertinentes, in ipsa astra refundant. Hoc enim est, inquit ille Author, contra spiritualitatem Christianæ Religionis, quæ super cælos est, potens ipsos cælorum cursus immutare, minime vero ab ipsis tantisper concuti, juxta id, quod scriptum est: *Confessio ejus super cælum & terram*: & quidem experientia teste, non ab influxu cælorum dependet Christiana Religio, sed quæcumque in mundo fieri cernimus, hæc omnia Christianæ inserviunt Religioni: impiissimi enim Christiani nominis persecutores, dum serviunt cupiditati, famulantur Religioni; sanguisque Martyrum, quos occidunt, fit semen Christianorum.

Consect. 2. Peccant & quidem mortaliter, juxta eumdem Cajetanum, qui insistunt astrorum observationi, ut hinc certo velint conjicere futura contingentia, actusque liberos; hoc enim est contra veritatem fidei, qua certi sumus hominem liberi esse arbitrii, & qua conscii sumus actus nostros liberos influxibus astrorum minime subjacere.

Consect. 3. Peccant quoque mortaliter, inquit Cajetanus, qui ita observationi astrorum insistunt, ut actiones suas dirigant secundum cælorum motus, variasque astrorum vices quasi pro lege habeant; Christiani enim non aliam debent legem agnoscere, quam fidem, juxta illud: *Justus meus ex fide vivit*. Sicuti enim, inquit idem Cajetanus, erramus subjiciendo nos passionibus iræ, odii, spei, timoris, aliosque impetus passionum pro lege habentes; ita erramus turpiter, si impressiones cælorum pro lege habeamus; corpora enim sunt, quæ per modum passionum inclinant nos.

Prop. 2. Divinatio per Chiromantiam, qua quis utitur lineamentis, quæ sunt in corpore hominis, ut quid sit ei eventurum certo pronunciet, est omnino illicita.

Prob. 1. Scriptura, quæ prohibet nos ab alio, quam a Deo futura inquirere. *Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis sciscitemini futura, ut polluamini per eos.* Lev. 19.

2. Ex

2. Ex constitutione Sixti V. quae incipit, *Caeli & terrae*, sic habetur: *Cum futuros eventus in se ipsis considerare, antequam fiant, sit proprium Dei*, dum quis quocumque modo praesumit illa praenuntiare, fit, *ut Divina majestas graviter laedatur, fidei integritas violetur, & animabus exitium importetur*.

3. *Rat*. Sarisberiensis lib. 2. de nugis curialium c.27. qui sic loquitur: „Chiromantici vera, quae in rugis manuum latent, se nosse gloriantur, quorum errorem, quia ratione non nititur, non necesse est rationibus impugnare, licet eo ipso illos expugnet ratio, quod deficiunt ratione."

4. *Rat*. D.Th. Lineamenta manuum nullam habent connexionem necessariam cum futuris, quae praenunciantur: Ergo iis uti non possumus ad praenuncianda futura.

Consectaria hujus Doctrinae.

Consect. 1. Peccant, & quidem mortaliter illusores illi homines, qui horoscopos faciunt, & jactitant se ex lineamentis corporis certo cognoscere, quid cuilibet eventurum sit; quia artem illam exercere non possunt, quin aliquod cum Daemone habeant commercium, ignaramque plebem decipiant: utrumque autem ingens malum est. Divinationem fieri ope Daemonum testis est Origenes Homil. 16. in Numeros. *Est quaedam*, inquit, *operatio Daemonum in ministerio praescientiae, quae artibus quibusdam ab his, qui se Daemonibus mancipaverunt, nunc per sortes, nunc per auguria, nunc ex contemplatione umbrarum, comprehendi videtur. Haec autem omnia operatione Daemoniorum fieri non dubito*.

Consect. 2. Peccant qui Aegyptios de fortuna consulunt; & quidem mortaliter, si id fiat cum firma fide, & cum scandalo, juxta illud Script. Levit. 20. *Anima, quae declinaverit ad Magos & Ariolos*, quales sunt vulgo illi, qui ex lineamentis volunt certo actus liberos conjicere, *& fornicata fuerit cum eis; ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi sui*: si tamen id fieret sine scandalo, & ex risu solum, non esset peccatum mortale; quia fides non adhibetur vanis illis illusionibus.

Consect. 3. Divinatio, quae fit per auguria, per virgas, per annulos, per cribrum farinarium, &c. est peccatum mortale.

Prob. 1. Script. Eccli. 34. v. 5. *Divinatio erroris, & auguria, mendacia, & somnia malefacientium vanitas est*: Ergo vanum est fidem illis adhibere; & quia ibi latet pactum cum Daemone, ibi est peccatum mortale.

2. Ex Cyrillo Hierosoly. prima Catechesi Mystagogica, ubi sic habet: *Auguria, divinationes, omnia amuleta, aut inscriptiones in foliis, aut aliae malae artes, & caetera hujusmodi, cultus Diaboli sunt*: Ergo cum importent cultum Daemonis sunt peccata mortalia.

3 *Rat*. Basilii in cap. 2. Isai. ubi sic loquitur: *A morum probitate est alienum prorsus eum, qui penes se habet consultationem ex Dei justificationibus, ad discernendum de rebus agendis sibi in consiliarios adhibere brutos animantes; immo ne his quidem tamquam consiliariis uti, sed ut Doctoribus & Legumlatoribus*.

Consectaria hujus Doctrinae.

Consect. 1. Peccatur, & quidem mortaliter, quoties vanis auguriis plena fide credimus, eisque tamquam regula agendi utimur: quippe, ut ait Basilius ibid. *olim Mosaica lege istiusmodi auguria, divinationes, ominationes, atque auspicia, infamia notabantur tamquam inventa Daemonum*: Ergo qui his utitur tamquam regula agendi, fovet cum Daemone commercium: Ergo peccat mortaliter.

Sic a gravi peccato non sunt immunes, qui certo credunt, & pronuntiant sibi infausta obventura, si Sacerdos, Monachus, virgo, lepus, bufo, aut serpens occurrerit, si corvus supra domum crocitaverit, aut pica ad sinistram volaverit, si in mensa sal effusum fuerit: haec enim omnia & similia, ut ait Aug. lib. de Doct. Christ. cap. 24. *plena sunt pestiferae curiositatis, cruciantis sollicitudinis, & mortiferae servitutis*.

Consect. 2. Graviter peccant qui virgis utuntur divinatoriis, annulis, cribro farinario, &c. ad detegendum furem occultum, homicidam incognitum longe distantem, ad cognoscendam virginitatem puellae, ad cognoscendum futurum sponsum, &c. haec enim omnia fieri nequaquam possunt sine implicito, vel explicito cum Daemone commercio.

De divinatione per Sortes.

Nota, quod ex D. Thom. 2.2.q.95. a. 8. in corp. *Sortes proprie dicuntur, cum aliquid fit, ut ejus eventu considerato aliquid occultum innotescat*; unde sortes, juxta D.Th. pertinent ad divinationem.

Sors est triplex: divisoria, consultoria, divinatoria.

Sors divisoria est, quando quaeritur, quid cuilibet sit exhibendum.

Sors consultoria est, quando quaeritur, quid in arduo aliquo negotio sit agendum.

Sors

Sors divinatoria est, quando quæritur, quid sit futurum.

Prop. 1: Uti sortibus non est ab intrinseco, & ex natura sua malum.

Prob. 1. Script. Multi sancti homines usi sunt sortibus, nec factum illorum reprehenditur. Josue præcepto Dei, & indicio sortium crimen Achan cognovit. Josue 7. Matthias sorte ab Apostolis electus est. Act. 1. Ergo uti sortibus non est ab intrinseco malum.

2. Ex Aug. in Psal. 30. *Sors non est aliquid mali... nam & sortes miserunt Apostoli:* & lib. 1. de Doct. Christ. cap. 28. ait: *Si tibi abundaret aliquid, quod oporteret dari ei, qui non haberet, nec duobus posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia, vel erga te aliqua necessitudine superaret, nihil justius faceres, quam ut sorte eligeres, cui dandum esset quod dari utrique non potest.*

3. *Rat.* Usus sortium adhibitus in certis circumstantiis nullam virtutem violat, nulli legi opponitur: Ergo non est peccatum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Sors divinatoria non est illicita, quoties ex speciali instinctu adhibetur, & non ab alio expectatur quam a Deo cognitio futuri ... Talis fuit usus sortium factus a Josue, & ab Apostolis.

Consect. 2. Sors divisoria est licita, quoties urgente necessitate adhibetur prudenter, juste, & religiose. Sic, inquit Aug. Epist. ad Honor. 180. quando aliter disceptatio fieri non potest, & cum omnia sunt utrique æqualia, sorte eliguntur Sacerdotes, qui debeant manere in Ecclesia, & ministrent fidelibus, dum sævit tyrannus. Dum vero pestis grassatur, sorte eliguntur Medici, qui debeant manere in urbe, ut ministrent civibus. Dum sævit fames, sorte determinatur qui pauperes in urbe sint nutriendi, qui ejiciendi ex urbe, cum omnes simul nutriri non possunt. Cum vero multi damnati sunt ad mortem, sorte determinatur qui sint liberandi, qui vero puniendi, cum omnes liberari non possunt.

Consect. 3. Sortes consultoriæ sunt aliquando licitæ. Ita Sylvius in D. Th. 2. 2. q. 95. a. 8. Sortes consultoriæ tunc sunt licitæ, inquit, quando Deus inspirat esse illis utendum, veluti in detegendo Achan. Videtur idem licere in casu magnæ necessitatis, quando super re necessario agenda humanum judicium non sufficit, si serventur sequentes conditiones. 1. Si adhibeatur debita reverentia ad Deum. 2. Si servetur modus proportionatus, v. g. non utendo sacris ad temporalia. 3. Si non fiat sortitio pro beneficiis, quæ per electionem conferri debent.

Prop. 2. Uti sortibus est per accidens peccatum, quoties virtus aliqua vel Moralis, vel Theologica violatur; & peccatum est tanto gravius, quanto excellentior est virtus, cui opponitur; v. g. peccatum erit veniale, si violetur sola prudentia; mortale, si violetur Justitia, Religio, &c.

Prob. Actus de se indifferens fit peccatum ex oppositione ad virtutem: bonum enim ex integra causa, malum ex quocumque defectu: Ergo usus sortium de se indifferens fiet illicitus ex oppositione ad virtutem.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Usus sortium est illicitus, si passim & temere adhibeatur; violatur enim prudentia. Ita Aug. Epist. 119: ad Januarium cap. 20. *Illa mihi displicet consuetudo, ad negotia sæcularia, & ad vitæ hujus vanitatem divina Oracula velle convertere.*

Consect. 2. Usus sortium est illicitus, si contra formam juris adhibeatur; quia violatur Justitia: v. g. si in præmiis distribuendis, in pœnis infligendis recurratur ad sortes, cum aliter quam per sortes jus cuilibet reddi potest, vel cum partes non sunt omnino æquales.

Consect. 3. Usus sortium est illicitus, cum adhibetur contra leges; quia actio de se indifferens fit illicita, si prohibeatur per legem. Sic peccatur, si in electionibus Ecclesiasticis, quæ ex Spiritus Sancti inspiratione debent fieri, aliqui sortibus utantur; hoc enim prohibetur cap. *Ecclesia* de sortilegiis.

Consect. 4. Usus sortium est illicitus, quoties non adhibetur religiose; quia violatur Religio: v. g. si eventus, qui inquiritur, expectetur a dispositione stellarum; *actus enim hominum dispositioni stellarum non subduntur*, inquit D. Th. 2. 2 q. 95. a. 8. si ad sortes recurratur absque necessitate; quia *hoc videtur ad tentationem Dei pertinere*. D. Thom. ibid. Si in necessitate hoc fiat absque reverentia, v. g. non fusis ad Deum precibus. Unde Beda relatus a D. Thom. *Si qui necessitate aliqua compulsi, Deum putant sortibus exemplo Apostolorum esse consulendum, videant, hoc ipsos Apostolos, non nisi collecto fratrum cœtu & precibus ad Deum fusis, egisse.*

Prop. 3. Divinatio per sortes, quæ non fit expresso Dei jussu, uti aliquando factum vidimus in Scriptura; sed quæ fit ex curiositate cognoscendi futura, est peccatum ex suo genere mortale.

Prob.

Prob.1.Script.Osee 4. v.12. loquens de sortibus divinatoriis, quibus utebantur Judæi ad cognoscendum futura, ait: *Populus meus in ligno suo interrogavit, & baculus ejus annuntiavit ei: Spiritus enim fornicationis*, id est diabolus, *decepit eos, & fornicati sunt a Deo suo*. Fornicari autem a Deo, est ab illo recedere, & peccare mortaliter: ergo divinatio per sortes est peccatum mortale.

2.Ex jure Canonico Can. *Sortes* 25. q.4. ubi sic habetur: *Sortes, quibus cuncta vos in vestris discriminatis judiciis, quas Patres damnarunt, nihil aliud, quam divinationes, & maleficia decernimus .... Et ne exerceantur, sub anathematis interdicto prohibemus*. Ergo si sors divinatoria sub pœna anathematis prohibetur, est peccatum mortale.

3.*Rat*. Sortes divinatoriæ, v.g. taxillorum projectio & dispositio, sagittarum aut palearum commixtio, ad cognoscendum futurum, v.g. quis sit obtenturus victoriam, quis sit futurus sponsus &c.ea, inquam, omnia neque ex natura rei, neque ex Dei, vel Ecclesiæ instituto inserviunt rei futuræ cognoscendæ: ergo sunt medium improportionatum: ergo si hinc habeatur futuri cognitio, hoc fit ob tacitam Dæmonis invocationem; permittit enim aliquando Deus, ut Dæmon invocatus per sortes futura nobis patefaciat, uti olim patefecit Diabolus futurum Regi Babiloniæ, ut refert Ezechiel 21.v.21. *Stetit*, inquit, *Rex Babylonis in bivio, in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiscens sagittas, interrogavit idola, exta consuluit, ad dexteram ejus facta est divinatio super Jerusalem*. Ergo si in divinatione per sortes consulatur Dæmon, vel implicite, vel explicite, divinatio per sortes est peccatum mortale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant, & quidem gravissime, qui sortibus divinatoriis conantur addiscere, quam compartem in matrimonio habituri sint, ibi enim semper immiscetur Dæmon in usu illarum sortium.

Consect. 2. Peccant item gravissime hi, qui sortibus divinatoriis tentant cognoscere, an futuri sint felices vel infelices in eis negotiis, quæ suscipiunt; a Deo enim, & non a sortibus expectandus est faustus rerum nostrarum successus.

Consect. 3. Peccant quoque gravissime milites, qui sortibus divinatoriis nituntur addiscere, an incolumes ab hostibus evasuri sint; a solo enim Deo & non a sortibus expectandus est felix bellorum eventus.

ARTICULUS VIII.

De vana observantia.

PRop. unica. Vana observantia sive actus, quo aliquid observatur, quod nec ex natura sua, nec ex Dei institutione vim habet inducendi effectum, qui expectatur, est peccatum ex suo genere mortale.

Prob. 1. Script. Gravitatem hujus peccati demonstrat Isaias cap. 2. v. 6. *Projecisti populum tuum, domum Jacob; quia repleti sunt, ut olim*, vanis nimirum observantiis, *& augures habuerunt, ut habitatores Philistiim*. Deus autem non rejicit, nisi propter peccatum mortale.

2. Ex Conciliis. Vana observantes excommunicantur. *His enim utentes observantiis anathemate Apostolica decreta percussos ab Ecclesia pelli præcipiunt*, ut loquitur Nicolaus I. ad consulta Bulgarorum art. 79. Christiani autem non excommunicantur nisi ob peccatum mortale.

3.Ex Chrysost. qui Homil. 8. in Epist. ad Colossi. ait, quod vanis observantiis *Christus fuit ejectus, & introducitur Anus ebria & delirans: conculcatum est nostrum mysterium, & choros ducit fraus Diaboli*.

4. *Rat*. Per vanam observantiam expectatur aliquid, quod nec a Deo, nec a creatura provenit: ergo illud a Diabolo expectatur: ergo habetur cum Diabolo commercium: ergo peccatur mortaliter.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect.1. Peccant mortaliter qui utuntur arte notoria, quæ fit, cum quis ad acquirendam statim scientiam utitur mediis ad illam causandam insufficientibus, certis v.g. figuris, vanis orationibus, jejuniis, &c. De hac arte sic loquitur D.Th.2.2. q. 96.a.1. *Ars notoria est illicita & inefficax. Illicita quidem est, quia utitur quibusdam ad scientiam acquirendam, quæ non habent secundum se virtutem causandi scientiam, sicut inspectione quarumdam figurarum & prolatione quorumdam ignotorum verborum, & aliis hujusmodi; & ideo hujusmodi ars non utitur his ut causis, sed ut signis, non autem ut signis divinitus institutis, sicut sunt Sacramentalia signa: unde relinquitur, quod sint supervacua signa, & per consequens pertinentia ad pacta quædam significationum cum dæmonibus placita, atque fœderata; & ideo ars notoria penitus est repudianda, & fugienda a Christiano. Est etiam hujusmodi ars inefficax* ad scien-

scientiam procurandam; solius enim Dei est scientiam infundere, & homines sine ullo studio doctos efficere.

Consect. 2. Peccant mortaliter qui utuntur observantia sanitatum, quod fit, cum quis media inania ad procurandam sanitatem adhibet, quæ media nihil vigoris habeant nec ex natura sua, nec ex divina promissione; ut si quis, v.g. quædam vana carmina recitet, vanas imagines secum deferat, vanos ritus adhibeat ad mitigandum dolorem dentium, dolorem capitis, curanda animalia, sistendum sanguinem. Ad hanc observantiam videtur Paulus alludere, dum dicit 1. Cor. 10. v. 20. *Nolo autem vos socios fieri dæmonum*; quippe, ut ait Aug. lib. 2. de Doct. Christ. cap. 2. *ad molimina magicarum artium pertinent omnes ligaturæ atque remedia, quæ Medicorum quoque disciplina condemnat, sive in præcantationibus, sive in quibusdam notis (quas characteres vocant) sive in quibusdam rebus suspendendis atq; ligandis, vel etiam aptandis quodam modo, non ad temperationem corporum, sed ad quasdam significationes aut occultas, aut etiam manifestas*. Et Chrysost. Homil. 8. in Epist. ad Coloss. laudat mulierem, cujus infans *ægrotavit, nec fecit amuleta. Reputatur ei ad Martyrium*, inquit; *mente enim sacrificavit filium, & maluit infantem videre mortuum, quam pati idololatriam*. Chrysostomus quippe per *amuleta* vana media intelligit, quibus utimur ad procurandam sanitatem, & quæ idololatriam nominat; quia non sine quadam dæmonis invocatione adhibentur.

Consect. 3. Peccant, & quidem mortaliter, nisi ob simplicitatem rusticam excusentur, qui ita sunt addicti dierum, mensium, annorumve observationi, ut eam pro regula suarum operationum adhibeant: habent aliquos dies ut faustos, alios ut infaustos: negotia sua retardant, aut penitus omittunt juxta vanam illam, quam sibi fingunt, dierum, mensium, annorumve differentiam.

Vanam illam observantiam reprobat Apostolus his verbis: *Dies observatis, & menses, & tempora, & annos; timeo vos ne forte sine causa laboraverim in vobis*. Ad Galat. cap. 4. v. 10. Locus enim ille, juxta Aug. intelligi potest & de Judæis, qui observabant ceremonias Moysis, & de Gentilibus, qui observabant dies juxta morem Paganorum; quia, ut ait Chrysost. Homilia in eos, qui novilunia observant: *Dies bonus, & malus est, non sua quadam & propria natura, nihil enim dies a die differt, sed nostra vel diligentia, vel ignavia; si justitiam feceris, bonus tibi dies erit; sin peccatum designaveris, malus & supplicii plenus*. Et D. Th. 2. 2. q. 96. a. 3. *Manifestum est omnes hujusmodi observationes superstitiosas esse, & illicitas, & videntur esse quædam reliquiæ idololatriæ, secundum quam observabantur auguria, & quidam dies fausti, vel infausti*. Et Nicolaus I. *Diei & horæ observationes, atque auguria operationes diaboli sunt, quibus, Deo gratias, jam in Baptismate abrenuntiastis*. Cap. 25. ad consult. Bulgarorum. Unde peccant qui putant infausta esse matrimonia die Mercurii, mense Maji, &c. habita; qui nolunt die Sabbati quædam opera facere: qui anxie observant, quo pede mane terram tangant, quid primo occurrat exeunti domo, an bestia, an homo, an animal bipes, aut quadrupes, & alias hujusmodi observantias adhibent, ad rem, quæ expectatur, nihil omnino pertinentes.

ARTICULUS IX.

De Maleficio.

PRop. 1. Maleficium, id est actus quo ope dæmonis nocemus proximo, est peccatum mortale.

Prob. 1. Ex Script. *Maleficos non patieris vivere, nec inveniatur in te qui ariolos sciscitetur & observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, nec qui Pythones consulat*. Deut. 18. v. 10. Ergo cum Deus jubeat maleficos occidi, maleficium est peccatum mortale.

2. Ex jure Canonico & civili. *Si quis hæc*, idest ligaturas, & maleficia, *exercuerit, Clericus degradetur, Laicus anathematizetur*. Can. *admoneant*, caus. 26. q. 7. Jus vero civile ita loquitur: *Eorum est scientia punienda, & severissimis merito legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus, aut contra salutem hominum moliti, aut pudicos animos ad libidinem deflexisse detegentur*. L. multis de maleficis.

3. *Rat.* Per maleficium homo habet commercium cum Dæmone, & per maleficium homo nocet proximo: ergo ex duplici capite maleficium est peccatum mortale. 1. Quia opponitur religioni. 2. Quia opponitur caritati.

Quot sint species maleficii.

Maleficium est multiplex.

1. Maleficium amatorium, quo impurus amor, vel injustum odium excitatur: hoc enim potest dæmon efficere, non quidem voluntatem directe cogendo, quia voluntas non potest cogi, sed objective movendo, eique exhibendo ea, quæ vel amorem, vel odium excitare possunt: de hoc maleficio videtur loqui

Baruch cap. 6. v. 42. *Mulieres autem*, inquit, *circumdatæ funibus in viis sedent, succendentes ossa olivarum*, ut scilicet amorem vel odium excitarent, ut vulgo docent Interpretes.

2. Maleficium ligaminis, quo ita ligantur conjugati, ut actum conjugalem exercere non valeant. Hoc enim potest Dæmon efficere vel impediendo motum membrorum ad generationem inservientium, vel interponendo corpus aliquod inter virum & mulierem: de hoc maleficio Can. *Si per sortiarias*.

3. Maleficium hostile, quo inducuntur morbi vel hominibus, vel bestiis, quo occiduntur infantes antequam recipiant Baptismum, &c. hæc enim potest Dæmon operari, imprimendo motum corporibus eos effectus inducentibus.

4. Maleficium elementare, quo interturbantur elementa, & excitantur tempestates, & grandines, quod diabolo nequaquam est impossibile; quia corpora elementaria subjiciuntur Angelis quantum ad motum localem: de quo ita Justinianus Leg. 6. de maleficiis. *Multi magicis artibus usi, elementa turbare, vitam insontium labefactare non dubitant, & manibus accitis audent ventilare, ut quisque suos conficiat malis artibus inimicos: hos, quoniam naturæ peregrini sunt, feralis pestis absumat*. Et Beda ait: *Emissores tempestatum septem annis pœniteant*. In suo pœnitentiali cap. 7.

Prop. 2. Non licet maleficium maleficio tollere.

Prob. 1. Script. *Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid sciscitemini, ne polluamini per eos; ego Dominus Deus vester*. Levitici cap. 19. v. 31.

2. Ex D. Thom. *Nullo modo debet aliquis Dæmonis auxilium per maleficia invocare*. In 4. dist. 34. art. 3. ad 3. Et Facultas Parisiensis ait: *Errorem esse, quod licitum sit, & etiam permittendum, maleficia maleficiis repellere*. ann. 1498.

3. *Rat.* Cum maleficium sit ab intrinseco malum, non licet maleficium altero maleficio tollere nec positive, nec permissive cooperando, quæcumque expectetur utilitas; quia non sunt facienda mala, ut deinde veniant bona.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Non licet rogare magum, ut tollat maleficium altero maleficio, nec illud permittere, si sciatur, vel dubitetur, quod sit usurus maleficio: sic enim cooperaremur ejus maleficio.

Consect. 2. Licet uti precibus Ecclesiæ ad tollendum maleficium. Ita habetur Canone, *Si per sortiarias atque maleficas, occulto, sed nunquam injusto, Dei judicio permittente, & diabolo præparante, concubitus non sequitur, hortandi sunt, quibus ista eveniunt, ut corde contrito, & spiritu humiliato Deo & Sacerdoti de omnibus peccatis suis puram confessionem faciant, & profusis lacrymis, & largioribus eleemosynis, & orationibus, atque jejuniis, Domino satisfaciant; & per exorcismos, ac cætera Ecclesiasticæ Medicinæ munia, ministri Ecclesiæ, tales, quantum Dominus annuerit, qui Abimelech, & domum ejus Abrahæ orationibus sanavit, sanare procurent*.

Consect. 3. Licet inventum meleficium in contemptum, & detestationem magicæ superstitionis comburere; quia hoc non est communicare cum diabolo, sed opera ejus perdere: ita docet Rituale Roman. *Illa maleficia sunt extrahenda & comburenda*, dum dicitur Psalmus, *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus*. Et Deus Deut. 7. & 12. jubet omnia idololatriæ monumenta, aras, lucos, statuas penitus disperdi. Et Josias Rex, qui præceptum hoc diligenter & fideliter executus est, multum eo nomine commendatur. 4. Reg. 23: unde Jo. 1. Ep. 3. v. 8. ait: *In hoc apparuit filius Dei, ut dissolvat opera diaboli*, scilicet peccata, & instrumenta peccatorum, artes scilicet magicas.

Licitum pariter videtur, maleficia destruere sub ea spe, quod nocumentum cessabit, modo spes in solo Deo statuatur, nec aliquid a Dæmone expectetur: *cujus beneficia*, inquit Leo, *sunt omnibus vulneribus nocentiora*.

ARTICULUS X.

De Magia.

PRop. unica. Magia diabolica, qua ope Dæmonis fit aliquod stupendum, est peccatum mortale; minime vero magia naturalis, qua per artem fit aliquid stupendum, applicando, ut dicunt, activa principia passivis.

Prob. 1. Script. Magia illa diabolica commercium aliquod cum Dæmone supponit, ut innuit illud Isaiæ: *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum*. cap. 28. vers. 15. Ergo est peccatum mortale.

2. Ex jure Canonico. *Qui autem talibus*, idest magicis operationibus, *credunt, sciant se fidem Christianam & Baptismum prævaricasse*. Can. *Non observetis*: Ergo magia diabolica est peccatum mortale.

3. *Rat.* Opus magicum, de quo loquimur, nec.

nec fit ope naturæ, nec ope divina: ergo fit ope Dæmonis: ergo est peccatum mortale.

Magia est diabolica, quoties opus præstitum excedit vim eorum corporum, quæ applicari possunt ab homine; quia insueti illi effectus aut a Deo, aut ab homine, aut a diabolo procedunt; non procedunt a Deo, quia non fiunt nomine Dei; non fiunt ab homine, quia homo non potest applicare, ut supponitur, hæc corpora: ergo fiunt a diabolo.

Talis fuit apparitio Samuelis facta Sauli. Talis fuit virtus Simonis magi, qua decipiebat Samaritanos, ut habetur Act. 8. v. 6.

Magia est naturalis, quoties opus præstitum non excedit vim eorum corporum, quæ possunt applicari ab homine; quia in illis operibus natura est principium, ars vero ministra.

CAPUT V.

De Irreligiositate.

IRreligiositas est irreverentia commissa vel contra Deum, vel contra res sacras.

Irreverentia contra Deum est tentatio Dei, perjurium, & blasphemia.

Irreverentia contra res sacras est sacrilegium & simonia. De his agemus sigillatim, excepto perjurio & blasphemia, de quibus agemus explicando secundum præceptum Decalogi.

ARTICULUS I.

De tentatione Dei.

TEntatio est actus, quo exploramus, an conveniat Deo aliqua perfectio, quæ revera ei convenit, v. g. veracitas, bonitas, omnipotentia.

Tentatio Dei est duplex: formalis, & interpretativa.

Tentatio Dei formalis est, quando quis expresse dubitans de aliqua Dei perfectione, eam experiri cupit; v. g. si quis peteret miraculum, ut fieret certus de veritate divinæ revelationis.

Tentatio Dei interpretativa est, quando aliquis non expresse dubitans de Dei perfectione aliquid tamen agit, quo Dei perfectionem videtur experiri; v. g. si quis in morbo nollet sumere medicinam vulgarem.

Prop. unica. Tentatio formalis, qua quis expresse dubitat de aliqua Dei perfectione, est peccatum mortale.

Prob. 1. Deut. 6. v. 16. *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

2. Ex D. Thom. *Tentare est experimentum sumere; nullus autem experimentum sumit de eo, de quo est certus, & ideo omnis tentatio ex aliqua ingnorantia, vel dubitatione procedit... Ignorare autem, vel dubitare de his, quæ pertinent ad Dei perfectionem, est peccatum; unde manifestum est quod tentare Deum ad hoc, quod ipse tentans cognoscat Dei virtutem, est peccatum.* 2. 2. q. 97. a. 2.

3. *Rat.* Talis tentatio importat dubium de Dei perfectione: & dubium in rebus revelatis est peccatum mortale: tentatio igitur Dei est peccatum mortale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccaret qui peteret miraculum, ut confirmaretur in Christiana religione; quia tale dubium est injuriosum Deo. *Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ.* Matth. 12. v. 39. Jam enim post tot miracula præstita sufficit Ecclesiæ testimonium & authoritas.

Consect. 2. Peccaret qui daret se præcipitem e turri, projiceret se in flumen, ut experiretur, an Deus sit omnipotens, vel misericors ad eum liberandum: ideo Christus Dæmone compellente noluit constitutus in templi pinnaculo se mittere deorsum, dicens Dæmoni: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Deut. 6. v. 16.

Consect. 3. Peccaret qui vellet innocentiam suam probare duello, ferro candenti, aqua fervente, aliisque hujusmodi purgationibus. Nec obstat, quod olim viri pii hujusmodi purgationibus ex instinctu speciali usi fuerint; quippe jam reprobatæ sunt per Ecclesiam, ut constat cap. *Ex tuarum.* de purg. vulgari: & quidem merito. 1. Quia continent tentationem Dei. 2. Quia ad tuendum bonum commune sufficit, ut de crimine, aut de innocentia constet per depositionem testium, aut per juramentum, aut per alia media communiter usurpata.

Consect. 4. Peccaret qui nollet laborare, ut nutriendo, & vestiendo corpori provideret; quia Deus nutrit volatilia & vestit lilia agri. Ita Aug. lib. de opere Monach. cap. 27. *Si nos per aliquam infirmitatem, vel occupationem non possumus operari; sic ille nos pascet, & vestiet, quemadmodum aves, & lilia, quæ nihil operantur hujusmodi; cum autem possumus, non debemus tentare Deum nostrum.*

Consect. 5. Peccarent, qui ægrotantes nollent

lent vulgaria sumere remedia, sine quibus convalescere non possent; quia, ut ait Script. *Altissimus creavit de terra medicamenta: vir prudens non abhorrebit illa*. Eccles. 38. v. 4. In quo duo extrema vitiosa fugienda sunt; alterum est erga carnem nimius amor, quo ægroti non tam quærimus remedia, quam delicias; alterum, inordinatum carnis odium, quo remedia, vel alimenta necessaria nobis subtrahimus. Possent prædicta omnia excusari, si fierent instinctu Spiritus Sancti; ille enim divinus ardor suam secum affert dispensationem. Sic B. Agatha noluit medicinam carnalem suo corpori adhiberi. Idem præstiterunt multi Martyres, idemque præstant sancti viri, qui ex pio instinctu, neglectis medicinæ remediis, acres dolores patiuntur, ut exhibeant Deo corpora sua, Hostiam sanctam, & Deo placentem.

Consect. 6. Peccarent qui temere se offerrent Martyrio, irritando, & turbando infideles absque necessitate fidei vel fidelium; quia caritas nihil agit perperam. Debemus, cum honor Dei, & utilitas proximi exigunt, fidem confiteri. Possumus, cum neutrum illorum intervenit, fugere. Sic Christus *fugit, & latuit: & fugiendo, & latendo, hominis instruebat infirmitatem*, ut loquitur Aug. lib. 22. cont. Faustum cap. 36.

Consect. 7. Peccant qui ante tempus orationis ad orationem non se præparant. *Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum*. Eccli. 18. v. 23. & D. Thom. ait: *Ille, qui ante orationem suam non præparat se, dimittendo si quid adversum aliquem habet, vel alias ad devotionem se non disponendo, non facit quod in se est, ut exaudiatur a Deo; & ideo quasi interpretative tentat Deum*. 2. 2. q. 97. a. 3. ad 2.

ARTICULUS II.

De Sacrilegio.

Sacrilegium est violatio rei Deo dicatæ. Sacrilegium est triplex; personale, quo persona Deo sacrata; locale, quo locus Deo dicatus; reale, quo res Deo consecrata violatur.

Prop. unica. Quando opus specialiter repugnat cum sanctitate rei, quæ violatur, sacrilegium est peccatum ex suo genere mortale, tanto gravius, quanto res sacra, in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem.

Prob. 1. Ex Scriptura. *Ostendas ei*, idest civitati Jerusalem, *omnes abominationes suas*. Inter quas ponit hæc sacrilegia: *Sanctuaria mea sprevistis: Sabbata mea polluistis*. Ezech. 2. 2. Ergo, cum sacrilegia recenseantur inter abominationes, & hæ haud dubie sint peccata mortalia; sacrilegia erunt peccata mortalia.

4. Juxta D. Th. 2. 2. q. 99. art. 4. Sacrilegis per jus Ecclesiasticum infligitur excommunicatio, & mulcta pecuniaria; secundum jus civile pœna capitalis: ergo sacrilegium est peccatum mortale.

3. Legimus Heliodorum ærarium templi expoliare nitentem divina virtute durissime cæsum. 2. Machab. cap. 3. Item legimus Andronicum occisorem Oniæ sacerdotis purpura exutum per totam civitatem circumductum fuisse, & deinde vita privatum. Mach. 2. cap. 4. Ergo hæ pœnæ inflictæ sacrilegis denotant sacrilegium esse peccatum mortale.

4. Per sacrilegium læditur specialis virtus, nimirum religio, quæ est præcipua inter virtutes morales: Ergo est peccatum mortale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui offendit personam sacram in eo, in quo consecrata est, peccat peccato sacrilegii personalis; quod peccatum est tanto gravius, quanto excellentior est persona, quæ offenditur.

Sic peccat sacrilegio personali qui percutit Clericum, Monachum: quia percussio specialiter repugnat sanctitati Clericorum, & Monachorum, qui, cum carnalibus armis renunciaverint, æquum est, ut spiritualibus armis tegantur; & hi sacrilegi habeantur, & excommunicationem incurrant, qui eos percutere voluerint, ut habetur Can. *Si quis suadente diabolo* caus. 17. q. 4. Hujus sacrilegii reus fuit Saul, cujus jussu Doeg Idumæus irruit in Sacerdotes, & trucidavit in die illa octoginta viros vestito Ephod lineo. 1. Reg. cap. 22. v. 18.

Sic peccat sacrilegio personali qui luxuriose violat personam voto castitatis consecratam; quia luxuries specialiter repugnat castitati, quam vovit. *Formaliter autem & proprie*, inquit D. Th. 2. 2. q. 99. a. 3. ad 3. *illud solum peccatum sacræ personæ sacrilegium est, quod agitur directe contra ejus sanctitatem, puta, si virgo Deo dicata fornicetur: & eadem est ratio in aliis*.

Consect. 2. Sacrilegium locale committit qui culpabiliter polluit locum Deo sacrum vel per homicidium mortaliter culpabile, quo violatur immunitas Ecclesiæ, vel per effusionem mortaliter culpabilem proprii aut alterius

terius sanguinis, qua pariter violatur ejus immunitas, vel per culpabilem seminis effusionem, qua violatur loci sacri sanctitas, vel per sepulturam excommunicati, qua ejus pariter sanctitas violatur... Quandonam autem ita polluatur Ecclesia, ut nova consecratione egeat, dicemus alibi.

Quoddam genus sacrilegii videntur committere qui seditiones in Ecclesia excitant, qui loco sacro utuntur ad stabulationes pecorum, qui in loco sacro incendia, effractiones, spoliationes faciunt; contra quos facit illud Christi: *Domus mea, domus orationis vocabitur; vos autem fecistis eam speluncam latronum*. Matth. 21. 13.

Conject. 3. Sacrilegium reale committit quicumque tractat rem sacram aliter quam oportet: quod fit tribus modis.

1. Cum res sacra subripitur a loco sacro, v. g. calix ab Ecclesia. Tale fuit furtum Achan, qui quædam occultavit, & sibi retinuit ex anathemate Jerico. Jos. cap. 6. & 7.

2. Cum res sacra subripitur a loco non sacro, v. g. Calix sacratus subripitur e domo Sacerdotis. Tale videtur esse furtum Ananiæ & Saphiræ, Act. 5. qui pretium Deo sacrum retinuerant.

3. Cum res non sacra subripitur in loco sacro, v. g. argentum furtim vel palam in Ecclesia eripitur. Quantum sit crimen hoc sacrilegium, conjici potest ex supplicio Heliodori, qui ausus est ea eripere, quæ erant in templo deposita; non minus enim Deus vult sacra esse quæ in templis deponuntur, quam quæ sibi consecrantur. Vide cap. 4. lib. 2. Machab.

Conject. 4. Sacrilegium reale committit quicumque res sacras ad profanum usum adhibet; quia tractat illas aliter quam oportet. Tale fuit sacrilegium Balthassar vasis sacris in convivio profano abutentis. Daniel. c. 5. Tale est pariter eorum sacrilegium, qui *Scripturam Sacram ad jocos, ad scurrilia, ad detractiones, ad libellos famosos detorquent*. Tales autem verbi Domini corruptores Conc. Trid. *pœnis juris & arbitrii subjicit*. Sess. 4.

ARTICULUS III.

De Simonia.

§. I.

Definitur Simonia.

Simonia est studiosa voluntas vendendi, aut emendi aliquid spirituale, vel aliquid temporale spirituali annexum.

1. Dicitur studiosa voluntas, idest, deliberata voluntas.

2. Dicitur vendendi, aut emendi: quibus verbis intelligitur omnis contractus non gratuitus, ultro citroque obligatorius, excepta permutatione; quia permutatio in rebus sacris est licita, servatis servandis.

3. Dicitur spirituale: quo nomine intelligitur non res opposita corpori, qualia sunt v. g. opera Poetica, Historica, Philosophica; sed nomine spiritualis intelligitur res supernaturalis ad salutem hominum ordinata.

Spirituale, prout hic sumitur, & prout idem est ac supernaturale, est donum Dei intrinsece ordinatum ad salutem hominum. Sic gratia gratis data, gratia gratum faciens sunt aliquid supernaturale, seu spirituale.

Spirituale, prout idem est ac supernaturale, est quadruplex, spirituale *essentialiter*, spirituale *causaliter*, spirituale *executive*, spirituale *unitive*.

Spirituale essentialiter est ens, cujus natura est spiritualis.... Sic gratia gratum faciens, idest gratia ordinata ad sanctificationem recipientis, est aliquid spirituale formaliter.... Sic gratia gratis data, idest gratia ordinata non ad sanctificationem recipientis, sed ad sanctificationem aliorum, est res formaliter spiritualis.... Sic gratia vel habitualis vel actualis, fides, spes, caritas, virtutes morales infusæ tam actuales quam habituales, sunt ens spirituale formaliter, pertinens ad gratiam gratum facientem. Sic sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum, sunt gratiæ gratis datæ, juxta Paulum.

Sic potestas Ordinis, v. g. vis conferendi Sacramenta, vis prædicandi, vis serviendi altaribus. Sic potestas jurisdictionis, v. g. vis inferendi censuras, excommunicationes, irregularitates, suspensiones, interdicta, vis impertiendi indulgentias, vis præsentandi, eligendi, & confirmandi, & instituendi aliquem in beneficio, vis dispensandi in votis, in impedimentis matrimonialibus, sunt aliquid spirituale formaliter; quia ista omnia reducuntur ad gratias gratis datas.

Spirituale executive est exercitium actuale potestatis spiritualis.

Sic actualis inflictio censurarum, actualis concessio indulgentiarum, actualis dispensatio in votis, actualis nominatio ad beneficia, actualis collatio Sacramentorum, actualis prædicatio, res sunt spirituales executive.

Spirituale causaliter est illud, quod licet na-

naturale, immo & corporeum, potest tamen virtute divina producere effectum supernaturalem.

Sic Sacramenta, v. g. Baptismus, Confirmatio, &c. sunt aliquid spirituale causaliter.

Sic Sacramentalia, nimirum oratio, confessio publica, eleemosyna, res benedictæ, v. g. aqua benedicta, panis benedictus, benedictio Episcopalis, Abbatialis, sunt aliquid spirituale causaliter.

Spirituale unitive est illud, quod unitur cum aliquo corporeo, se habente cum re spirituali vel *antecedenter*, vel *concomitanter*, vel *consequenter*.

Temporale antecedenter unitum spirituali est illud, quod præsupponitur spirituali, sicut subjectum recipiens spirituale.... Sic vasa sacra, fundus patronatus, sepulchrum. sunt aliquid temporale antecedenter, & spirituale in unione; quia ea omnia præcedunt spiritualia; & conjunguntur cum spiritualibus ipsis supervenientibus.

Temporale concomitanter unitum spirituali est illud, quod inseparabiliter conjungitur cum spirituali.... Sic labor corporalis inseparabilis a collatione Sacramentorum, ab exercitio virtutum, est spirituale in unione, & temporale formaliter.

Sic redditus temporales beneficii sunt formaliter temporales & spirituales in unione.

Temporale consequenter est illud, quod consequitur ad spirituale præsuppositum.

Sic jus spirituale quodcumque vivendi ex altari, habendi decimas, beneficia Ecclesiastica, &c. est spirituale præsuppositive.

Sic jus percipiendi pensiones ex redditibus Ecclesiæ est spirituale præsuppositive; quia ex constitutione Pii V. quæ incipit *Ex proximo*, omnes pensionarii tenentur ad officium aliquod spirituale, Clerici ad munera clericalia, non Clerici ad recitationem officii Beatæ Mariæ.

Sic jus, quod habet persona professa, ut nutriatur in Monasterio, est formaliter temporale, & spirituale præsuppositive; quia fundatur in Professione Religiosa.

§. II.

Dividitur Simonia.

Simonia est quadruplex: mentalis, conventionalis, realis, & confidentiaria.

Simonia mentalis, quæ ad effectum externum non est perducta, est tantum desiderium internum dandi aliquid spirituale pro temporali consequendo, vel aliquid temporale pro spirituali consequendo. Sic desiderium internum, quo aliquis vult dare rem sacram, quam habet, ut obtineat temporale, quod non habet, est simonia mentalis: v. g. actus internus, quo Petrus Clericus Beneficiatus vult dare Beneficium, quod habet, ut obtineat argentum, quod non habet, est simonia mentalis. Sic actus internus, quo aliquis vult dare temporale, quod habet, ut acquirat spirituale, quod non habet, est simonia mentalis: v. g. actus internus, quo Petrus vult dare argentum, quod habet, ut obtineat Beneficium, quod non habet, sed quod vellet consequi, est simonia mentalis.

Simonia conventionalis, in qua pactum intercedit, est conventio duorum aut trium de tradenda re spirituali pro temporali, vel de tradendo temporali pro spirituali. Hæc conventio dicitur pura, si neutra pars exequatur conventionem: dicitur mixta, si altera pars exequatur conventionem: dicitur realis simonia, si utraq; pars consummet conventionem.

Simonia igitur realis est conventio duorum vel trium tacita vel expressa de tradenda re spirituali pro temporali, vel de tradendo temporali pro spirituali, conventio, inquam, actualiter ex utraq; parte executioni mandata: ubi vides, quod simonia realis supponit conventionalem, & conventionalis mentalem.

Simonia fiduciaria est ea, qua datur aliquid spirituale cum onere dandi illud idem spirituale alteri, vel cum onere dandi aliquos fructus ex tali spirituali provenientes. Sic dare Beneficium Petro, cum onere, ut aliud resignet Paulo, vel cum onere, ut det dimidium fructuum, vel solvat pensionem, est simonia fiduciaria.

Simonia alia est subjecta Canonibus Ecclesiæ & ultioni divinæ, alia est subjecta soli ultioni Divinæ & non Canonibus. Simonia subjecta ultioni Divinæ & pœnis Ecclesiasticis est ea, propter quam incurruntur censuræ Ecclesiasticæ, & ultio Divina. Simonia non subjecta pœnis Ecclesiasticis est ea, propter quam incurritur sola ultio Divina, & non censuræ Ecclesiasticæ.

Simonia alia est juris mere Ecclesiastici, alia est juris naturalis, & Divini.

Simonia juris naturalis, & Divini ea est, quæ jure naturali, & Divino prohibetur. Talis est omnis emptio, aut venditio rei vel spiritualis, vel spirituali annexæ.

Simonia juris mere Ecclesiastici ea est, quæ solum ab Ecclesia prohibetur ad fugandam omnem simoniæ speciem.

Talis est actio, qua res spirituales non dantur, aut recipiuntur, uti Ecclesia jubet,

v. g.

v. g. permutatio Beneficii cum alio Beneficio sine authoritate Superioris Ecclesiastici. Cap. *Quaesitum de rerum permutatione*. Item resignatio Beneficii cum pensionis reservatione. Cap. *Pactiones* de pactis. Resignatio in favorem in manibus alterius a Papa. Item Beneficiorum collationes, & praesentationes cum aliquo pacto.

Talis est pariter actio, qua res, non quidem sacra, sed affinis rei sacrae, emitur, aut venditur contra Ecclesiae vetitum, v. g. emptio, vel venditio officiorum Sacristae, Oeconomi, &c. Can. *Salvator* 1. q. 3.

§. III.

Statuitur, quam grave crimen sit Simonia.

Simonia deliberate commissa est de se peccatum mortale.

Prob. 1. Verbis Petri acri reprehensione vitium illud in Simone Mago fulminantis. Act. 8. v. 20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem; quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.*

2. Ex eodem D. Petro, peccatum illud in Balaam his verbis execrante. *Balaam mercedem iniquitatis amavit, correptionem vero habuit suae vesaniae subjugale mutum animal, quod in hominis voce loquens prohibuit Prophetae insipientiam.* 2. Petri c. 2. 15.

3. Exemplo Giesi, qui ob illud crimen lepra percussus est.

4. Ex Tharasio Can. *Eos (a) qui per pecunias.* Simoniacus est pejor Macedoniano, & aequalis Judae proditori .... Macedonianus haeretice sentit Spiritum Sanctum esse creaturam, & simoniacus vendit Spiritum Sanctum quasi foret suum mancipium. Judas vendidit Christum; simoniacus vendit Spiritum Christo consubstantialem: unde, ut docet disertis verbis D. Th. Simoniacus est haereticus, non secundum opinionem, qua credat Deum esse venalem; sed quia ita se gerit ac si Deus venalis esset. 2. 2. q. 100. a. 1. ad 1.

5. Irreligiositas est de se peccatum mortale; quia opponitur Religioni: atqui simonia est irreligiositas; quia per simoniam res sacra, cunctis opibus longe praestantior, habetur ut venalis: Ergo simonia est peccatum mortale. Tertullian. Apolog. cap. 13. probat, Ethnicos Deorum, quos se colere profitebantur, revera fuisse illusores; quia Deos illos emebant & vendebant. Potiori ratione Religionis illusor est Christianus, qui res sacras venales habet. *Quis enim non vile esse putat quod emitur? quis denuo veneretur quod venditur?* Greg. lib. 7. epist. 115.

6. Furtum est peccatum mortale; quia opponitur justitiae: atqui simonia est furtum; quia per simoniam homo vendit quod non ejus est, sed quod est Dei: ergo simonia est peccatum mortale.

7. Pervertere naturam rei spiritualis est peccatum mortale; quia tale peccatum non est contra medium indifferens, sed est contra finem, vel contra medium connexum cum fine: atqui simonia pervertit naturam rei spiritualis; quia dat titulo pretii quod gratis est dandum, juxta illud Matth. 10. v. 8. *Gratis accepistis, gratis date:* Ergo omnis simonia est peccatum mortale.

§. IV.

Statuitur, quae simonia subjiciatur poenis Canonicis, & quae sint poenae illae Canonicae.

Tribus poenarum generibus jus Ecclesiasticum in simoniacos animadvertit, ut patet ex Extravag. 1. quae incipit, *Sane*, & ex Extravag. 2. quae incipit, *Detestabile*, de simonia.

Prima poena est privatio rerum, qua quis per simoniam acquisivit. Secunda poena est restitutio pretii, quod acceptum est. Tertia poena est excommunicatio latae sententiae, si sit Laicus; suspensio vero ab exercitio Ordinum, si sit Clericus.

Sunt aliqui Theologi, qui tuentur duas priores poenas juris esse naturalis, & incurri etiamsi jus positivum Ecclesiasticum eas non infligeret; sed cum hoc controvertatur, agamus primo de his, quae certa sunt, postea discutiemus quae sunt dubia.

Prop. 1. Ut simonia subjiciatur poenis Canonicis, debet esse. 1. Realis & completa. 2. Debet esse vel in Ordinis Sacramento, quales sunt minores, & majores Ordines; vel in Beneficiis, qualia sunt Episcopatus, Abbatia, Praebenda, Prioratus & Praelaturae regulares; vel in ingressu, aut professione Religiosa.

Probatur. 1. Ex jure Canonico. Ut incur-

(*a*) Citando jus canonicum sic habeo, Canon *Eos*, nihil ultra addens, quia id sufficere credidi; sed imposterum addam vel dist. vel caus. v. g. Can. *Eos qui*. 1. q. 1. ut vulgo Canonistae solent.

currantur pœnæ Canonicæ contra simoniacos inflictæ. 1. Simonia debet esse realis; nam si sit pure mentalis in eo casu, *Delinquentibus*, ait Greg. IX. *sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere Creatori*. cap. Mandata, de simonia. 2. Simonia debet esse vel in beneficiis, vel in Ordinibus, vel in receptione, aut professione Religiosa; quia Ecclesia nullam aliam prohibuit simoniam sub pœnis Canonicis, ut patet ex Extravagant. de simonia prima, & secunda: siquidem prima quæ incipit, *Sane*, subjicit pœnis Canonicis eos, qui dant, aut accipiunt aliquid pro ingressu in Religionem; secunda quæ incipit, *Cum detestabile*, subjicit pœnis Canonicis eos, qui ordinantur, aut eliguntur ad beneficia simoniace. Ergo ut simonia subjiciatur pœnis Canonicis debet esse. 1. Realis. 2. Commissa vel in Ordinibus, vel in receptione, aut professione Religiosa.

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 100. a. 6. ad 6. *Dicendum, quod quoad Deum sola voluntas facit simoniacum; sed quoad pœnam pure ecclesiasticam & exteriorem non punitur ut simoniacus*, qui est solius mentalis simoniæ conscius, adeo ut abrenuntiare teneatur beneficio simoniaca mente desiderato, si ei postea canonice conferatur; sed debet de mala intentione pœnitere: Ergo ex D. Th. ut simonia subdatur pœnis Canonicis debet esse realis. Et in responsione ad 1. & 5. argum. idem sanctus Doctor non aliam simoniam subjectam pœnis Canonicis recenset, nisi eam, quæ committitur vel in receptione, aut collatione Ordinum aut beneficiorum, vel in ingressu aut professione Religiosa.

3. Ex Canonistis & Theologis non alia admittitur simonia subjecta pœnis Canonicis, nisi ea, quæ est realis, & commissa vel in collatione aut receptione Ordinum aut beneficiorum, aut in ingressu aut professione Religiosa: ergo hæc sola simonia subditur pœnis Canonicis.

4. *Rat.* Ratio cur hæc triplex simonia, & non alia subdatur pœnis Canonicis, non alia est quam voluntas Legislatoris; motivum autem esse potuit, quod triplex illa simonia graviora mala infert Ecclesiæ: ergo debuit pœnis Canonicis coerceri.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Simonia sive realis, sive conventionalis, sive mentalis commissa circa res quascumque spirituales, diversas ab Ordinibus sacris, a beneficiis, ab ingressu in Religionem, non subjicitur pœnis Canonicis; quia sola simonia in beneficiis, in Ordinibus, in ingressu in Religionem subjicitur pœnis Canonicis.

Sic simonia commissa in vasis sacris emendis, vel vendendis, in sepulturis, in concionibus, in Missis, &c. est quidem grave peccatum, sed non subjicitur pœnis Canonicis.

Consect. 2. Simonia etiam circa beneficia, circa Ordines, circa ingressum in Religionem; si sit omnino pure mentalis, & nullatenus in externum opus prodeat, est quidem grave peccatum, quia adjunctum habet animum deliberatum vendendi, aut emendi aliquid spirituale, quod gravissimum scelus est; sed non subjicitur pœnis Canonicis, quia Ecclesia non judicat de internis: sicuti homicidium internum, hæresis interna, quantumvis aliunde gravissima scelera, non tamen submittuntur pœnis Canonicis, licet hæresis externa, aut homicidium externum censuris subjiciantur. Unde hæc regula apud omnes recepta: *Cogitationis pœnam nemo patitur*. Can. *Cogitationis* de pœnit. dist. 1. q. 3.

Consect. 3. Simonia etiam circa beneficia, circa Ordines, circa ingressum in religionem, mere mentalis, etsi exterius imperata & exercita, modo interius lateat venenosa intentio, inquit Cajetanus, quamvis rem propositam assequatur, est quidem grave peccatum, quia per spirituale paratur via ad temporale, vel per temporale ad spirituale; sed non subjicitur pœnis Canonicis, quia inter simonias mentales collocatur, inquit Cajetanus, verbo *Simonia*.

Sic si servit aliquis Episcopo, aut munus offert pro spirituali consequendo, vel e contrario, spirituale dat pro temporali consequendo, non tamen declarat pravam suam intentionem nec implicite, nec explicite, scilicet, quod intentione emendi aut vendendi hoc faciat; peccat graviter, sed non incurrit censuras Ecclesiasticas.

Consect. 4. Simonia pure conventionalis, in qua facta est conventio de dando spirituali, & accipiendo temporali, in qua tamen neque res spiritualis, neque pretium tradita fuerunt, est quidem grave peccatum, quia omnis simonia est peccatum; sed non subjicitur pœnis Canonicis, inquit Cajetanus, quia non est realis & completa.

Consect. 5. Simonia conventionalis mixta, in qua facta est conventio de dando spirituali, & accipiendo temporali; quæ completa est solum ex parte ementis, qui dedit pretium, & non ex parte vendentis, qui daturus erat spirituale, est quidem grave peccatum, quia est simonia; sed non subjicitur,

tur,

tur, inquit Cajetanus, pœnis Canonicis, quia non est realis & completa.

Consect. 6. Simonia conventionalis mixta, in qua facta est conventio de dando spirituali, & accipiendo temporali, quæ quidem completa est ex parte vendentis spirituale, & non ex parte ementis, sive in qua datum est spirituale, sed in qua non datum est temporale; est quidem, juxta omnes, grave peccatum, quia est simonia; sed non convenit inter authores, an sit subjecta pœnis canonicis, necne.

Juxta Cajetanum & alios, hæc simonia conventionalis, non subjicitur pœnis canonicis; quia, ut ajunt, pœnæ non infliguntur, nisi actibus consummatis; simonia autem non censetur consummata, nisi ab utraque parte datum fuerit quod promissum est: & talis est, inquiunt, stylus Curiæ Romanæ.

Juxta alios prædicta simonia conventionalis subjicitur pœnis canonicis; quia, inquiunt, contractus emptionis & venditionis perfecte consummatus censetur, quando res est tradita emptori, etiamsi pretium nondum fuerit venditori persolutum, sed tantum promissum.

Monit. Constat ex dictis ubi de probabilitate, quod in dubiis & in æque probabilibus tutior pars est sequenda: ergo qui conscii sunt simoniæ conventionalis, quæ completa est solum ex parte vendentis, & in qua datum est spirituale, & non persolutum temporale, neque in toto, neque in parte: ii, inquam, debent ita se gerere, ac si incurrissent simoniam realem, & proinde recurrere ad sedem Apostolicam, ut quid opus sit facto a summo Pontifice accipiant: nulla enim satis magna securitas ubi periclitatur æternitas.

Prop. 2. Illi omnes pœnas canonicas latas contra simoniacos incurrunt, qui committunt simoniam realem, & completam, vel in Ordinibus, vel in beneficiis, vel in professione Religiosa, vel qui sunt ejusdem realis simoniæ mediatores.

Prob. 1. Ex Jure Canonico. Ut incurrantur pœnæ canonicæ contra simoniacos, sufficit quod simonia sit circa vel Ordines, vel beneficia, vel professionem Religiosam, ut patet ex Extravagan. 2. *Cum detestabile*; de simonia, modo sit realis & completa: ergo prædicti incurrunt pœnas contra simoniacos. Sufficit pariter ad incurrendas easdem pœnas, quod quis sit mediator, ut habetur eodem cap. Ergo &c.

Illud idem habetur in Concil. Chalcedonensi, ut refertur Can. *Si quis*. *Si quis vero mediator tam turpibus, tam nefandis datis vel acceptis extiterit; si quidem Clericus fuerit, proprio gradu decidat: si vero Laicus, aut Monachus, anathematizetur.*

De prima pœna contra Simoniacos, scilicet excommunicatione, & suspensione.

Consect. 1. Simoniace scienter ordinans, & simoniace scienter ordinatus simonia reali & completa, etiamsi eam simoniam occulte incurrerint, excommunicantur excommunicatione reservata summo Pontifici, & suspenduntur ordinans a collatione quorumcumque Ordinum, immo primæ Tonsuræ, & ordinatus ab exercitio Ordinis recepti. Mediatores eisdem pœnis subjiciuntur. Illud patet ex Extravaganti 2. *Cum detestabile*, de simonia. *Declaramus*, inquit Paulus Papa II. *quod omnes illi, qui simoniace ordinati fuerint, seu provocaverint, sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nonnisi a Romano Pontifice pro tempore existente, non possint absolvi, præterquam in mortis articulo constituti.*

Consect. 3. Receptus, aut recipiens simoniace scienter ad professionem religiosam, excommunicantur eadem excommunicatione, si sint singulares personæ; si vero sit Capitulum, aut Conventus, suspenditur ab officio capitulari ad jurisdictionem vel ad administrationem Ecclesiasticam pertinente. Ita Extravaganti 1. de Simonia, quæ incipit *Sane*, ubi Urbanus IV. jubet, ut omni pactione cessante fiat ingressus in religionem: *qui secus fecerint, si sint singulares personæ tam dantes, quam accipientes, hujusmodi excommunicationis; si capitulum, vel conventus fuerit, suspensionis sententiis eo ipso decernimus subjacere, a quibus, præterquam in mortis articulo, absolvi nequeant absque Sedis Apostolicæ licentia speciali.*

De secunda pœna contra Simoniacos, scilicet de privatione rei per Simoniam acceptæ.

Consect. 4. Simoniace scienter ordinati recipiunt quidem characterem Ordinis, quia est effectus necessarius Sacramenti; sed non possunt uti Ordine simoniace accepto, quia suspenduntur, ut patet ex cap. *Detestabile.*

Consect. 5. Qui simoniace scienter recepti sunt in statu religioso, non eximuntur ab obligatione voti; quia valide voverunt.

Et ne evagentur in sæculo, inquit D.Th. debent vel in arctiori monasterio recipi, ut jussit Concilium Lateranense, vel in eodem monasterio, ut permittit Urbanus IV. post peractam pœnitentiam recipi. cap. *Sane*.

Consect. 6. Qui simoniace scienter beneficium aliquod Ecclesiasticum accepit, tenetur protinus, nulla expectata sententia Judicis, illud resignare in manibus Prælati; quia non habet titulum, quo illum retineat, & fructus restituere, quos mala fide percepit. *Tenetur*, inquit D. Th. *resignare beneficium, quod est consecutus, cum fructibus extantibus*. Et paulo superius: *Tenetur*, inquit, *ad restituendos fructus non solum perceptos, sed etiam eos, qui percipi poterunt a possessore diligenti*. 2. 2. q. 100. a. 6. ad 3.

Nota, quod qui recipit simoniace scienter beneficium, fit inhabilis ad idem beneficium; quia ita determinat Jus Canonicum.

Sed non privatur beneficiis, quæ antea habebat, nec fit inhabilis ad alia beneficia; quia nulla est Lex Canonica istam pœnam apponens: pœnæ autem non sunt extendendæ. Can. *Pœnæ* & cap. *Odia* de regulis juris in 6.

Sola simonia confidentialis ex jussu Pii V. item simonia commissa in electione summi Pontificis, ut statuit Concil. Later. sub Julio II. sess. 5. tandem simonia, per quam examinatores futurorum Parochorum aliquid ab eis recipiunt, sive ante, sive post examen, ut statuit Trid. sess. 24. cap. 18. de reformat. habent hanc pœnam propriam, ut privent reos hujusce simoniæ quibuscumque beneficiis antea obtentis, & inhabilitatem inducant ad futura recipienda.

De tertia pœna contra Simoniacos, scilicet de restitutione pretii per Simoniam accepti.

Consect. 7. Simoniace ordinans tenetur restituere pretium acceptum pro collatione Ordinum; non enim potest retineri.

Consect. 8. Pretium acceptum pro ingressu in religionem non potest retineri ab Abbate, vel Priore; sed debet in bonum Communitatis impendi, ut jubet Urbanus IV.

Consect. 9. Pretium acceptum pro collatione beneficii, aliove actu ad hunc finem ordinato, ut sunt electio, præsentatio, confirmatio, &c. retineri non potest, ut habetur cap. *de hoc*, de simonia. *Acceptum illud*, inquit Alexand. III. *sine gravi salutis suæ periculo retinere non possunt*. Sed pretium illud debet dari vel Ecclesiæ, quæ læsa est, inquit D. Thomas, vel pauperibus, quibus certa portio beneficiorum destinata est.

§. V.

Inquiritur, utrum ex vi solius juris naturalis incurratur a Simoniacis duplex hæc pœna, scilicet privatio rerum spiritualium, quas quis per Simoniam acquisivit, & obligatio restituendi pretii, quod simoniace acceptum est.

Prop. unica. Juxta gravissimos authores non solum jure Ecclesiastico, sed etiam jure Divino & Naturali omnis venditio & emptio simoniaca est nulla; atque adeo ex vi solius juris Naturalis simoniacus tenetur vero domino reddere & spirituale, quod simoniace acquisivit, eo modo quo reddi potest, & temporale, quod simoniace consecutus est.

Prob. 1. Script. Res spiritualis nec emi potest, nec vendi, sed solum gratuito donari, juxta illud: *Gratis accepistis, gratis date*: Ergo omnis emptio & venditio rei spiritualis est ex jure Naturali & Divino nulla.

2. Ex Jure Can. c. *Pactiones* de pactis, ubi sic habetur: *Pactiones factæ a vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti*. Postea additur: *Pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit*: Ergo sicut pactio rei impossibilis est nulla, ita & venditio, vel emptio rei spiritualis.

3. Ex D.Th. 2. 2. q. 100. a. 6. in corp. *Dicendum, quod nullus potest licite retinere id, quod contra voluntatem domini acquisivit, puta, si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra voluntatem domini sui, ille, qui acciperet, licite retinere non posset. Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores & ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur... Et ideo, qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licite retinere non potest*: Ergo ex D. Th. emptio & venditio rei spiritualis est nulla, sicut donatio rei alienæ.

4. Ratione allata per Covarruviam, ad regulam *Peccatum*, p. 2. §. 8. Simoniaca Sacerdotiorum collatio, & aliarum dignitatum & beneficiorum simoniaca concessio, est nulla, nec jus aliquod tribuit ei, cui facta fuit, non quidem in pœnam criminis, sed quia ex natura rei jure ipso Naturali hæc acquisitio impeditur divina voluntate, sine qua spiritualia vendi nequeunt; & quia, inquit idem author, res spiritualis

lis materia invendibilis est: ergo si res spiritualis, tum natura sua, tum voluntate Dei, vendi non possit, omnis venditio & emptio rei spiritualis est nulla.

Nec obstat, quod Sacramenta simoniace collata, v. g. Baptismus, Confirmatio, & Ordo characterem conferant; quia tria illa Sacramenta eam vim habent, non ex vi venditionis, aut emptionis, quæ nulla est, sed ex vi institutionis Christi, qui voluit, quod triplex hoc Sacramentum, modo validum, licet informe, ut dicunt, characterem produceret.

Nec obstat pariter, quod matrimonium, licet simoniace collatum, sit validum, & Professio Religiosa, licet simoniaca, sit valida; quia id provenit, non ex pactione simoniaca, quæ nulla est, sed ex eo, quod & matrimonium, & professio Religiosa acceptantur ab Ecclesia, si certis solemnitatibus muniantur, quamvis simoniaca conventio, si quæ intercesserit, ab Ecclesia reprobetur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Simonia mentalis cum opere subsecuto est restitutioni obnoxia. Ita docent Adrianus VI. Dominicus, Covarruvias, Estius, aliique quamplures, reclamantibus licet plerisque Canonistis.

Sic si quis non paciscatur expresse de pretio, sed munus quasi liberaliter offerat, mente tamen simoniaca, qua intendat munere tamquam pretio beneficium sibi comparare, is obnoxius fit restitutioni, nec beneficium retinere potest; quia acceptio beneficii fuit simoniaca: beneficium autem sine canonica institutione retinere non possumus. Et sicuti, inquiunt, qui ea mente dat mutuum, ut aliquid speret ultra sortem, usuram mente committit, & ad restitutionem tenetur ejus, quod tali intentione acceperit, etiamsi expressa conventio non intercesserit, ut docet Urbanus III. cap. *Consuluit* de usuris; ita idem sentiendum de eo, qui simoniam mentalem committit cum opere subsecuto.

Consect. 2. Qui beneficium aliquod accipit simoniace, non sciens, sed ignorans, non per simoniam a se, sed ab alio commissam, nisi id fuisset factum fraudulenter, & in ejus odium, aut nisi ipse expresse tali simoniacæ pactioni contradixisset: is, inquam, tenetur beneficium dimittere hoc ipso, quod cognoscit simoniam; quia institutio non fuit canonica, sed simoniaca; beneficium autem sine canonica institutione obtineri non potest.

Sic pueri tenentur ea beneficia dimittere, quæ eis omnino pactionem simoniacam ignorantibus per parentes simoniace acquisita sunt. Sicuti, si alienum ignoranter detineamus, tenemur id restituere hoc ipso, quod cognoscimus non nostrum esse, sed alienum. De prædicto casu ita loquitur D. Th. *Si eo nesciente per alios alicujus promotio simoniace procuratur, caret quidem Ordinis executione, & tenetur resignare beneficium, quod est consecutus cum fructibus extantibus; non autem tenetur restituere fructus consumptos: quia bona fide possedit; nisi forte inimicus ejus fraudulenter pecuniam daret pro alicujus promotione, vel nisi ipse expresse contradixerit; tunc enim non tenetur ad renuntiandum, nisi forte postmodum pacto consenserit, solvendo quod fuit promissum.* 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3. Idem habes cap. *Nobis fuit*, & cap. *Sicut suis liberis*, de simonia.

Consect. 3. Pretium simoniace acceptum retineri non potest; cum enim emptio, & venditio simoniaca sit nulla, venditor rei spiritualis non acquirit vi venditionis dominium pretii, quod accipit.

Quæres, cui restitutio fieri debeat tum rei spiritualis, tum pretii.

Respondeo. Si solum jus naturale spectemus, restitutio rei simoniace acceptæ facienda esset ei, a quo accepta est, sicut & Judas fecit, referendo triginta argenteos Principibus Sacerdotum; sed quia æquum est, ut restitutio facienda ob crimen simoniæ determinetur per Ecclesiam, cujus est de hujusmodi flagitiis judicare; ideo hæc restitutio debet fieri hoc pacto.

Primo quoad beneficia. Si simonia realis fuerit, beneficium ecclesiasticum simoniace acceptum redit ad jus collatoris, vel superioris; alioquin ad priorem possessorem reverti debet. Ita Estius in 4. dist. 26. §. 18.

Secundo quoad pretium. Si simonia realis fuerit, & ex utraque parte completa, pretium debet dari vel Ecclesiæ, cui facta est injuria, vel pauperibus. Ita D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 6. ad 4. *Dicendum, quod pecunia, vel possessio, vel fructus &c. simoniace accepti, debent restitui Ecclesiæ, in cujus injuriam data fuerunt... Si vero Prælatus, & totum Collegium sunt in culpa, tunc debet cum authoritate Superioris vel pauperibus, vel alteri Ecclesiæ erogari.*

Si vero simonia non sit realis ex utraque parte, sed datum fuerit pretium, & non acceptum spirituale; tunc, inquit Cajetanus, pretium restituendum est ei, a quo acceptum est: non enim datum est nisi supposita conditione, quæ adimpleta non est. Item, cum datum est temporale pro spirituali, quod quis ex justitia conferre tenebatur,

tur, v. g. datum est argentum Parocho, ut conferret Sacramenta; vel si simplex Sacerdos, aut etiam Parochus exigunt pro collatione rei spiritualis aliquid ultra consuetudinem, vel taxam, tunc temporale debet restitui ei, qui dedit.

§. VIII.

Stabilitur propositio fundamentalis, qua penetrata innotescit, quibus in casibus committatur Simonia tum mentalis, tum conventionalis, tum realis.

Prop. unica. Crimen simoniæ incurritur quotiescumque ex pacto datur temporale pro spirituali, vel spirituale pro temporali, quacumque mente detur, si interveniat contractus vel explicitus, vel implicitus.

Prob. Script. Toties ex Script. simonia committitur, quoties spirituale datur non gratis, juxta illud Matth. 10. 8. *Gratis accepistis, gratis date*: atqui spirituale non datur gratis, quando datur ex contractu & pacto, ut patet, quodcumque interveniat motivum, libertas enim dandi, vel non dandi, & necessitas dandi opponuntur: Ergo toties simonia committitur, quoties ex contractu & pacto datur temporale pro spirituali, vel spirituale pro temporali, quocumque motivo detur. Ridenda enim est explicatio quorumdam, qui, ut refert Damianus lib. 1. Epist. 13. ajunt: *Non emitur Sacerdotium, sed possessio prædiorum .... Venalia sunt, unde fint divites; gratis accipiunt, unde fiant Sacerdotes.*

2. Ex Canonibus. Canones vetant dari pro spirituali consequendo quodlibet præmium, *quolibet modo, quocumque modo*: Ergo Canones supponunt committi simoniam, quoties ex pacto datur temporale pro spirituali: quod patet 1. ex Concilio Toletano. 8. cap. 3. *Quicumque pro recipienda dignitate quolibet præmium detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore anathematis se noverit opprobrio condemnatum*. 2. Ex Conc. Tolos. anno 1506. Can. 1. *Si quis Episcoporum accepta quocumque modo pecunia ordinaverit, subjaceat pœnis simoniacorum*. 3. Gregorius lib. 4. Epist. 8. *Fraternitati vestræ commoda quolibet modo subrepant, ne laqueis simoniacæ (quod absit) hæreseos alligetur.*

5. Ex propositionibus damnatis a summis PP. & a Clero Gallicano art. 15. Ad simoniam contrahendam sufficit, quod detur temporale non pro beneficio, sed pro temporali, quod cum beneficio connectitur. Ita determinavit Alexander VII. damnando hanc propositionem: *Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis; quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

Ad simoniam incurrendam sufficit quod detur temporale tanquam motivum, licet non detur tanquam pretium. Ita determinavit Innocentius XI. damnando sequentes propositiones. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.*

Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

6. *Rat.* Quotiescumque intervenit illud pactum, *do, ut des*, vel *do, si des*, toties intervenit contractus, ut patet: atqui contractus in rerum spiritualium traditione & receptione inducit simoniam: Ergo quotiescumque intervenit pactum, *do, ut des*, vel *do, si des*, committitur simonia, ad quam non requiritur pactum expressum, sed sufficit tacitum, ut docet Damianus Opusc. 31. cap. 5. *Sunt nonnulli*, inquit, *qui nullum pacti sunt commodum; postmodum vero tamquam a debitoribus exigunt .... Hi non dubitent se Giesi crimen incurrere.*

Sic cum solo pacto implicito Simon Magus peccavit peccato simoniæ; quia usus est temporali, scilicet pecunia, ut obtineret spirituale, scilicet vim operandi miracula: quam pecuniam Petrus rejecit, dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*. Act. 8. v. 20. Giesi vero sine pacto pariter explicito peccavit peccato simoniæ; quia accepit temporale, scilicet pecuniam, & vestes propter spirituale, quod datum fuerat ab Eliseo, scilicet pro miraculosa sanitate corporis & animæ, quam Naaman receperat: cui Giesi dixit Elisæus: *Accepisti argentum, accepisti vestes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & servos, & ancillas; sed & lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo usque in sempiternum. Et egressus est Giesi ab eo*, scilicet Eliseo, *leprosus quasi nix*. 4. Reg. 5. v. 26.

Consectaria generalia hujus Doctrinæ, quæ sunt totidem principia Consectariorum particularium.

Consect. 1. Simoniam committunt conferentes

rentes rem spiritualem vel formaliter, vel executive, vel unitive, vel causaliter, ut ajunt, si conferant propter aliquod commodum temporale, v. g. ob munus a manu, ob munus a lingua, ob munus ab obsequio; quia non dant gratis rem spiritualem.

Confect. 2. Simoniam committunt recipientes rem spiritualem, vel spirituali annexam propter commodum temporale, quod rependunt, v. g. propter munus a manu, a lingua, ab obsequio; quia recipiunt rem spiritualem non gratuito. Ita Canon *Salvator*. 1. q. 3.

Per munus a manu intelliguntur omnia bona temporalia, sive mobilia, sive immobilia, v. g. pecunia, fundus, supellex, redditus, debita, aut res alia quælibet, quæ solet esse materia contractuum.

Per munus a lingua intelliguntur preces, non manifestantes solum meritum personarum, quibus conferri solent res sacræ; sed preces urgentes, intercessiones Magnatum, commendationes, laudes, adulationes, & alia hujusmodi, quibus flectitur animus conferentium res spirituales.

Per munus ab obsequio intelliguntur omnia obsequia ad alterius utilitatem temporalem spectantia: *Munus a manu pecunia, munus ab obsequio obedientia subjectionis, munus a lingua favor adulationis significant*, inquit Damianus lib. 2. Epist. 21.

§. VII.

In quo applicando propositionem superius stabilitam fit descensus ad casus particulares, in quibus committitur simonia vel mentalis, vel conventionalis, vel realis.

Constat ex dictis, quod vendere aut emere aliquid spirituale, vel in natura sua, vel in causa, vel in effectu, vel in unione, sit simonia. Spirituale inquam in natura: cujusmodi sunt gratia gratis data, & gratia gratum faciens. In causa: cujusmodi sunt Sacramenta & Sacramentalia. In effectu: cujusmodi est exercitium actuale potestatis spiritualis. In unione: cujusmodi sunt beneficia, juspatronatus, &c.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. Simoniam committit qui intendit vendere, aut emere (si fieri posset) spirituale in natura. 1. Donum gratum faciens, nimirum gratiam, spem, caritatem, virtutes morales, & actus earumdem virtutum. 2. Gratias gratis datas, v. g. donum linguarum, operationes virtutum, Prophetiam, &c. 3. Potestatem jurisdictionis, v. g. vim ferendi censuras, excommunicationes, irregularitates, suspensiones, interdicta, vim impertiendi indulgentias, vim perducendi ad beneficia vel per præsentationem, vel per collationem, vel per confirmationem, vim dispensandi in votis, in impedimentis matrimonialibus. 4. Potestatem Ordinis, v. g. vim conferendi Sacramenta, vim prædicandi, vim serviendi altaribus, quia hæc omnia sunt aliquid spirituale *formaliter*, ut dicunt.

Confect. 2. Simoniam committit qui vendit, vel emit exercitium potentiæ & virtutis spiritualis; qualia sunt 1. Exercitium potentiæ Ordinis, v. g. collatio actualis Sacramentorum, actualis prædicatio, actualis inflictio censurarum, excommunicationis, suspensionis, irregularitatis, interdicti, absolutio a censuris, dispensatio in votis, in impedimentis matrimonialibus, benedictio Papalis, largitio Indulgentiarum; quia ista omnia sunt spiritualia *executive*, ut loquuntur.

Confect. 3. Simoniam committit qui vendit, aut emit aliquid, quod est causa rei spiritualis, verb. grat. qui vendit Sacramenta, aut Sacramentalia; quia hæc omnia sunt aliquid spirituale *effective*, ut ajunt, seu ratione effectus producti.

Confect. 4. Simoniam committit quicumque vendit, aut emit aliquid spirituale connexum cum temporali, si vendat temporale carius ratione spiritualitatis sibi annexæ: sic vendere vasa sacra, vestes sacras carius ob spiritualitatem adjunctam, est simonia; quia hæc sunt spiritualia in unione, seu, ut dicunt, *unitive*.

Confect. 5. Vendere temporale, quod præcedit spirituale, non est simonia; modo carius non vendatur, bene tamen si carius vendatur; quia in primo casu non venditur spirituale, sed solum temporale: in secundo vero casu est simonia; quia venditur spirituale: & ita non est simonia vendere, aut emere ista omnia, v. g. vasa sacra, vestes sacras, terram sepulturæ, prædium, domum, urbem, cui annexum est juspatronatus, materiam Sacramentorum, v. g. aquam ad Baptismum, oleum ad Confirmationem, panem & vinum ad Eucharistiam: nec simonia est dare dotem pro contractu matrimoniali; quia in his omnibus casibus, temporale, quod venditur, præcedit spirituale, cum quo venditur: at si hæc omnia carius venderentur propter spirituale annexum, esset simonia; quia venderentur carius ratione spiritualitatis. Illud constat ex Alexandro III. cap. *Ea quæ* extra de simo-

simonia. *Audivimus*, inquit, *quod nummos pro Chrismate ab Ecclesiasticis extorquetis .... Quia vero hoc simoniacum esse cognoscitur, mandamus quatenus prætextu alicujus consuetudinis, vel prælationis præscriptos denarios nullatenus exigatis*.

Consect. 6. Non est simonia vendere temporale annexum spirituali, modo non carius vendatur ratione spiritualitatis; quia sicuti res temporalis potest separari a spirituali, ita & vendi: & ita non est simonia vendere ista omnia, v.g. vendere laborem extrinsecum non solitum adhiberi in collatione Sacramentorum, in celebratione Missarum, in consecratione Ecclesiarum; justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium, & ita potest iniri pactum ob laborem longioris itineris, ob cantum extraordinarium, ob obligationem celebrandi Missam tali & tali hora; quia iste labor est extrinsecus, & separabilis a collatione rei spiritualis: cavendum tamen a turpi lucro sic juxta Cajet. *Absque simonia fieri potest locatio operarum in illis exercitiis spiritualibus, quæ principaliter sunt corporalia, ut patet de officio Sacristæ, Judicis, Doctoris in Theologia, & aliis hujusmodi, in quibus debentur certa stipendia, & possunt fieri conventiones; quia de corporali, ac venali opere pactio fit, non de re spirituali*. V. *Simonia*.

Consect. 7. Simonia est vendere, aut emere aliquid temporale intrinsece annexum rei spirituali, & inseparabile a re spirituali; quia sicuti illud temporale non potest separari a re spirituali, ita nec vendi: & ita simonia est vendere ista omnia, v.g. corporis laborem absolute necessarium ad celebrationem Missæ, ad celebrationem Sacramentorum, ad recitationem Officii.

Consect. 8. Simonia est vendere aut emere temporale se habens consequenter ad spirituale; quia cum spirituale præcedat temporale, adeo ut temporale non possit haberi, nisi prius habeatur spirituale, qui emit aut vendit temporale, censetur pariter vendere spirituale. Et ita simonia est vendere ista omnia. 1. Beneficia, seu jus percipiendi redditus Ecclesiasticos, quia in beneficiis spirituale præcedit temporale; id enim quod ante omnia concipitur in beneficio est potestas spiritualis exercendi sacra. 2. Jus quod quis habet post Professionem Religiosam ut nutriatur in Monasterio. 3. Jus quod beneficiatus habet nominandi ad beneficia; quia utrumque jus fundatur in aliquo spirituali. Hanc Doctrinam tradit D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 2. in corp. *Aliquid potest esse annexum spiritualibus .... sicut ex spiritualibus dependens: sicut habere beneficia Ecclesiastica, dicitur spiritualibus annexum, quia non competit nisi habenti officium Clericale: unde hujusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus, & propter hoc ea nullo modo vendere licet; quia eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici*.

§. VIII.

In quo magis adhuc in particulari percurruntur casus, in quibus committitur simonia vel mentalis, vel conventionalis, vel realis.

DE SIMONIA

Ex parte dantium spirituale pro temporali.

Prop. 1. Fundamentalis illata ex principiis superius positis.

Quicumque dat, vel exercet aliquid spirituale propter commodum temporale principaliter intentum, sive illud temporale sit munus a manu, sive a lingua, sive ab obsequio, simoniam committit; quia non gratis dat rem spiritualem quam habet, sed eam confert ob temporale emolumentum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consectarium 1. De munere a manu.

Illi omnes simoniam committunt per munus a manu, qui dant aliquid spirituale, ut obtineant temporale; quia per spirituale patant sibi viam ad temporale: & ita isti omnes sunt simoniaci.

1. Fideles omnes, si qui sint, qui exerceant actus virtutum, pietatis, & religionis principaliter propter commodum temporale quales sunt hypocritæ, qui ficta pietate extorquent eleemosynas, aliaque commoda temporalia.

2. Omnes qui recitant officium, cantant in choro, celebrant Missam principaliter propter emolumentum temporale, v.g. propter retributiones. *Si quis enim istiusmodi distributiones respiciat, quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit, & mortaliter peccat*, inquit D. Th. quolibeto 8. q. 6. art. 10.

3. Clerici omnes, sive Sacerdotes, sive Episcopi, qui exercent potestatem Ordinis,

nis, vel jurisdictionis principaliter propter emolumentum temporale, v. g. prædicant propter retributionem temporalem, conferunt Sacramenta propter pecunias, consecrant Ecclesias, dant Indulgentias, & dispensationes propter utilitatem temporalem sibi obvenientem. *Sacerdotes, qui de pretio paciscuntur, ut Missas celebrent; & Parochi, qui pro Sacramentorum administratione, vel funere, vel sepulturis, exigunt præter ea, quæ de jure, vel consuetudine laudabili conferuntur, habeantur simoniaci; non autem si oblata recipiant*. Concil. Rhemense ann. 1583. cap. de simoniacis.

4. Clerici omnes, qui denegant conferre Sacramenta, sepulturam, &c. veriti, ne non recipiant retributiones temporales. Ita Conc. Illiberitanum Canon. 48. *Emendari placuit, ut qui baptizantur, nummos in concham non mittant* (ut fieri solebat) *ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur*. Et Gelasius I. Epistola ad Episcopos per Lucaniam & Siciliam constitutos cap. 5. ait: *Baptizandis, consignandisque fidelibus pretia nulla præfigant*. Idem vetat Concil. Lateran. secundum, & Londinense.

Et Paulus V. in suo Rituali vetat, ne quavis ex causa ministri Ecclesiæ aliquid directe, vel indirecte exigant, aut petant in Sacramentorum administratione, sed Sacramenta gratis administrent.

5. Confessarii, qui pœnitentibus non imponunt salutares pœnitentias, sed in temporale aliquod donum sibi Confessariis obventurum immutant: quod quidem expresse prohibet jus Canonicum cap. 14. extra. de simonia, ubi sic habetur: *Nemo presbyterorum xenium, vel emolumentum quodlibet temporale, imo spirituale detrimentum, a quocumque publice peccante accipiat, ut Episcopo vel ministris ejus peccatum illius celet...quia simoniacum est*: cui consentire videtur Scriptura dicens: *Declinaverunt post avaritiam, acceperunt munera, & perverterunt judicium*: 1. Reg. cap. 3. & rursus Paulus ait, loquens de avaris ministris: *Universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia*: ad Tit. c. 1. v. 11. Ideo Concilia prohibent, ne Confessarii imponant pro pœnitentia Missas ab ipso Confessario celebrandas. *Prohibemus*, inquit Synodus Cantuariensis, anno 1195. Canon. 3. *ut Sacerdos laico ad pœnitentiam venienti, obtentu cupiditatis, injungat, ut Missas celebrare faciat*. Et Synodus Londinensis 1200. Canon. 4. idem vetat his verbis: *Adjicimus ad Sacerdotum cupiditatem refrænandam, ut Missæ non injungantur in pœnitentiam his, qui non sunt Sacerdotes*.

6. Collatores omnes beneficiorum quorumlibet, qui conferunt beneficia ob pecuniam, vel aliud quodcumque temporale acceptum, vel accipiendum. *Qui conferunt beneficium hoc pacto, vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideant, simoniam committunt*. D. Thom. 2. 2. quæst. 100. a. 5. ad 2.

7. Qui permutant beneficia ob terrenum commodum alterius partis. *Est in permutatione simonia, si pro aliquo terreno commodo utriusque, vel alterius partis fiat*. (a) ait D. Th. in 4. dist. 25. q. 3. a. 3. ad 8.

8. Qui conferunt beneficia sub onere pensionis, quando non habent jus ponendi onus pensionis: ita Concilium Rothomagense: *Omnes pensiones, & pactiones super beneficiis, in quibus non intervenit Sedis Apostolicæ approbatio, illicitas & simoniacas declaramus*. De Episcoporum officiis n. 2.

9. Qui paciscuntur de redimenda pensione: ita Conc. Rothomagense an. 1581. n. 17. *Resignationes quorumcumque beneficiorum cum reservatione fructuum, vel pensione, quæ postea ab iis, qui resignationes illas acceptaverint, præsenti pretio sine Sedis Apostolicæ authoritate redimitur, simoniacas judicamus*.

10. Qui habentes jus ponendi pensionem, dant beneficium sub onere pensionis, non Clerico digniori, per quem dignius Ecclesiæ ministretur, sed Clerico ditiori, per quem pensio exactius persolvatur.

Prædicti omnes simoniam contrahunt per munus a manu: quia utuntur aliquo spirituali, quod habent, ut ad temporale, quod non habent, perveniant.

Consectarium 2. De munere a lingua.

Illi omnes simoniam committunt per munus a lingua, qui dant aliquid spirituale, quod

(a) Fiunt vulgo permutationes pro commodo aliquo temporali, v. g. sanitate, vicinia suorum, servitio commodiore, &c. Episcopo has permutationes approbante. Sed manet semper D. Thomæ sententia, si illud commodum temporale non referatur ad majorem Ecclesiæ utilitatem.

quod habent, principaliter propter preces urgentes, & rationem pretii habentes; quia per illud spirituale viam sibi parant ad commodum temporale, quod evenit ex illis percibus. Dixi, preces habentes rationem pretii; quia aliunde preces, quamvis nefariæ, inquit Cajet. inducunt quidem peccatum, sed non simoniam; quia ubi non intervenit pretium, ibi non est simonia. Sic isti omnes sunt simoniaci.

1. Fideles illi hypocritæ, qui sperantes commodum temporale ex ficta pietate eventurum, simulant pietatem coram Confessariis, coram Magnatibus, a quibus temporale expectant se recepturos. Sic enim spirituali parant sibi viam ad temporale, nihil pietatem curant, sed solum commodum terrenum intendunt.

2. Clerici illi hypocritæ, qui actus clericales exercent, v.g. intersunt choro, recitant officium, &c. non ut Deum precibus flectant, vel mentem oratione nutriant; sed solum ne retributionibus temporalibus priventur, vel ut favorem eorum ineant, a quibus sperant se ad dignitates ecclesiasticas evehendos; spiritualibus enim exercitiis quærunt sibi parare viam ad temporales redditus.

3. Sacerdotes illi timidi, qui veriti, ne priventur commodo aliquo temporali, vel emolliti precibus, vel deterriti minis, Sacramenta conferunt indignis, aut omittunt ea, quæ sui sunt officii; sic enim per spirituale, quod male exercens, parant sibi viam ad temporale.

4. Episcopi illi timidi, qui veriti pariter, ne priventur aliquo temporali emolumento, aut minis territi, aut precibus carnalibus inflexi, indignos ad Ordines promovent, & vigorem ecclesiasticæ disciplinæ omnino languescere permittunt.

5. Collatores beneficiorum, qui moti non dignitate personæ, sed precibus urgentibus, vel per suffragium, vel collationem, vel per confirmationem, vel per nominationem aliquem ad beneficium evehunt, vel procurant evehendum. *Quando*, inquit D. Th. *Fiunt preces pro indigno, vel ab aliquo potente, qui periculum comminatur, quæ dicuntur preces armatæ, manifeste simonia committitur.* In 4. dist. 25. q. 3. a. 3. ad 4. Simoniaci quoque sunt collatores, qui conferunt beneficia, ut apud Magnates gratiam obtineant. *Qui autem*, inquit D. Th. ibid. *dat aliquid spirituale pro favore, vel laude acquirenda, non est dubium, quin simoniam committat.*

6. Prædicatores, qui ob preces minasve urgentes non arguunt populos, sed eorum vitiis adulantur.

7. Fideles omnes, qui ob preces urgentes non deferunt publicos peccatores ad superiores.

Hi omnes simoniam committunt per munus a lingua; quia dant spirituale, quod habent, ut perveniant ad temporale, quod non habent, nimirum ad favorem Magnatum.

Consectarium 3. De munere ab obsequio.

Illi omnes simoniam committunt per munus ab obsequio, qui dant aliquid spirituale quod habent, propter obsequium temporale quod accipiunt, vel quod sperant se accepturos; quia per spirituale, quod habent, parant sibi viam ad temporale, quod non habent: & ita isti omnes sunt simoniaci.

1. Fideles omnes, si qui sint, qui exercerent actus virtutum ob aliquod obsequium temporale, quod ab aliis acciperent, v. g. confiterentur, reciperent Eucharistiam, ut exigerent ab aliquo ministerium temporale.

2. Clerici omnes, qui exercerent actus Clericorum, v. g. recitarent officium, adessent choro in gratiam aliquorum, qui eis obsequium temporale ministrarent, v. gr. colerent eorum vineas, agros, &c.

3. Sacerdotes omnes, qui exercerent actus Sacerdotales, v. g. conferrent Sacramenta ob obsequium temporale, quod acciperent, v. g. darent Sacramenta rusticis sub ea conventione, ut isti agros, vineas eorum colerent; Magnatibus ea conditione, ut lites ipsorum peragerent.

4. Collatores beneficiorum, qui conferunt beneficia, ut obsequium temporale accipiant, v. g. Curati, qui dant beneficia Vicariis ad solvenda stipendia Vicariatus. Episcopi, qui dant beneficia famulis suis, aut filiis famulorum, ad solvenda stipendia famulatus. Magnates, qui curant dari beneficia pedagogis filiorum suorum, aut filiorum consanguineorum, & amicorum ad solvenda stipendia pedagogis. *Si quis beneficium propter obsequium, vel impensæ servitutis mercedem confecat, simoniacus esse censetur*. Concil. Rhemense ann. 1583. titulo 23.

Hi omnes simoniam contrahunt; quia dant spirituale quod habent, pro obtinendo temporali quod non habent.

DE

DE SIMONIA

Ex parte dantium temporale pro obtinendo spirituali.

Prop. 2. illata ex principiis superius positis.

Quicumque dat temporale, quod habet, pro obtinendo spirituali, quod non habet, sive illud temporale sit munus a manu, sive munus a lingua, sive munus ab obsequio, simoniam committit; quia non gratis obtinet spirituale, quod non habebat, sed ad illud viam sibi parat per temporale.

Consectaria bujus Doctrinæ.

Consectarium 1. De munere a manu.

Simoniam committit per munus a manu quicumque dat aliquid temporale pretio æstimabile pro obtinendo spirituali; quia parat sibi viam ad spirituale per temporale: & ita isti omnes simoniam contrahunt.

1. Qui dant pecuniam, fundum, &c. ut obtineant vi emptionis rem spiritualem, qualis est potentia Ordinis, potentia jurisdictionis, &c.

2. Qui dant fundum, pecuniam, &c. ut obtineant rem spiritualem, v. g. beneficium, potestatem Ordinis, &c. quocumque prætextu dent, si per talem pecuniarum largitionem parent sibi viam ad rem spiritualem, quam non habent.

3. Qui dant pecunias pro redimenda lite de re spirituali, v.g. de beneficio nondum legitime possesso: ita Alexander III. cap. *Cum pridem*. De pactis. *Cum quidam Clericus, & Monachi pro causa, quæ inter illos vertebatur super Ecclesia, ad nostram præsentiam accessissent, inter se convenerunt, quod ei dem Clerico pro expensis, quas fecerat, tres marchæ argenti solverentur, & sic cederet. Cumque compositionem ipsam authoritate Pontificia peteret confirmari, nos eam non duximus admittendam pro eo, quod videbatur pravam illicitæ pactionis speciem continere.* Et idem Alex. III. *Super eo quod quæsisti, utrum de Ecclesiastico beneficio in legitimum deducto possit fieri transactio, tale damus responsum, quod transigi super re sacra & litigiosa non potest: etenim res sacræ, ut possideantur, aliquo dato, vel retento, sive promisso, speciem credimus habere simoniæ.* Cap. *Super eo*. Extra. de transactionibus.

Sic litigantes super alicujus beneficii possessorio, inter se convenire absque simonia non possunt, ut pacis causa alter beneficium, alter pensionem super beneficio habeat; quia sic paratur via ad beneficium per aliquod temporale; & quia hujusmodi conventiones litis sedandæ causa tunc solum permittuntur, dum fiunt authoritate vel Episcopi, vel judicum arbitrariorum. Vide Fagnanum in cap. *Nisi essent*. De Præbendis lib. 3. decret. n. 130. ubi notat. 1. Quod hæc compositio debet sumere initium, non quidem ex pactione partium, sed ex jussione judicum, non ordinariorum, qui debent secundum rigorem juris judicare, sed arbitrorum, qui tamquam amicabiles compositores pronuntiant. 2. Quod debet hæc compositio fieri pro bono pacis; quod si nulla subsit causa, non potest pensio imponi. 3. Quod pensio illa sit duratura tantum ad vitam litigantis, & non transitura ad ejus successorem. Itaque in praxi melius, & tutius est, ut omnes illæ conventiones authoritate Papæ confirmentur.

4. Qui fundat beneficium, v.g. Præbendam, Canonicatum, ea conditione, vel pacto, ut illud idem beneficium ei postea conferatur. Ita Innoc. III. *Si quis Clericus conditione, vel pacto, largiatur aut offerat bona sua Ecclesiæ, ut postmodum illa bona pro Præbenda detineat, & in Canonicum admittatur; hujusmodi oblatio, vel receptio fieri non poterit sine vitio simoniæ, cum in talibus omnis pactio, aut conventio cessare debeat juxta canonicas Sanctiones.* Extra c. *Tua nos*, de simonia.

5. Qui oppignorat redditus fundi sui, aut beneficii sui, ut ei beneficium conferatur.

6. Qui non dat præsentem pecuniam, sed dat schedulas obligatorias, vel promittit pecunias se mutuo daturum.

7. Qui promittit solvere resignanti expensas facta pro beneficio.

8. Qui promittit collatori se daturum aliquam partem redditTuum beneficii, se daturum pensionem; se non exacturum decimas e bonis collatoris, se daturum aliud beneficium.

9. Qui capaces beneficii accipiunt illud cum onere expresso, vel implicito illud conferendi alicui personæ designatæ, vel designandæ ab ipso collatore, v. g. nepoti, amico, quando capax factus fuerit beneficii recipiendi. Ita in Concil. Rhemensi supra citato cap. de simoniacis.

10. Qui dant, aut promittunt aliquid temporale pro institutione, aut admissione ad possessionem. Ita Concil. Lateran. sub Alex. III. can. 7. *Horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur*

Quæ fuerit Ecclesiæ consuetudo circa retributionem pro celebratione Missarum, paucis accipe.

Temporibus Apostolorum Fideles offerebant panem & vinum pro sacrificio, & quod supererat cedebat in usum ministrorum, & pauperum: qui mos viget adhuc in Missis defunctorum. Non solum panis & vinum offerebatur, sed & alia, ut constat ex Can. 4. Apostolorum: *Offerri non liceat aliquid ad altare præter novas spicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & Thymiama, idest incensum, tempore quo sancta celebratur oblatio*. Postea loco panis, & farinæ, denarii oblati sunt. *Statutum est denarios formari, ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret*, inquit Honorius Augustodunensis in gemma animæ cap. 58. Tandem usu statutum est, ut pro celebratione certum statueretur stipendium: & a quibusdam Episcopis taxatum est honorarium pro Missa celebrata, quod honorarium citra simoniam accipitur.

Consect. 9. Citra ullam simoniam Papa potest annatas pecuniarias recipere ad sustentanda onera Pontificatus, vel ob alias rationes, sicut in veteri lege, Num. 18. summo Sacerdoti offerebantur decimarum decimæ.

Consect. 10. Quicumque habens spirituale, confert illud dignioribus, principaliter ob gloriam Dei, minus principaliter ob emolumentum temporale sibi obventurum, modo absit omnis pactio, non peccat, nec est simoniacus: non peccat; quia, ut lex jubet, dat spirituale dignioribus: non est simoniacus; quia ad simoniam incurrendam requiritur, ut interveniat conventio, quæ ibi nulla est.

Et ita nec peccat, nec est simoniacus, qui dat spiritualia hominibus, expectans, 1. Æternam retributionem a Deo. 2. Temporalem retributionem ab hominibus; quippe (ut ait Christus) *Dignus est operarius mercede sua* Luc. 10. v. 7. Et æquum est (ut ait Paulus) 1. Cor. 9. v. 11. ut qui spiritualia seminamus, metamus temporalia; nemo enim *militat stipendiis suis*. 1. Corinth. 9. v. 7.

Dignoscitur autem, quod homo intendat primario gloriam Dei, & secundario tantum temporale, quando pari affectu confert spiritualia pauperibus, & divitibus, nullam personarum acceptionem faciens, æque contentus tenui stipendio quam pingui, æque ardenter laborans in vinea Domini, sive offeratur, sive negetur honorarium, exemplum Christi imitatus, cui magis placuit pauper vidua, quæ duo minuta in Gazophylacium miserat, quam potentes divites, qui ingentes thesauros dederant.

Mon. 1. In omnibus casibus prædictis, in quibus scilicet titulo gratitudinis, liberalitatis, eleemosynæ, retributionis, honorarii, injustæ vexationis, pœnalitatis, consuetudinis approbatæ, datur aut recipitur ex pacto aliquid pretio æstimabile, est simonia; quia quoties in rebus spiritualibus conferendis, aut recipiendis, ex pacto inducitur vis obligatoria, toties intervenit simonia. Illud Gratianus multis Canonibus ostendit. 1. Caus. q. 3. 1. Refert authoritatem Greg. Can. *audivimus*, ubi sic habetur: *A sacrilegio quoque hoc facinus non dispar dixerim, cum id, quod sponte, & sacra deliberationis arbitrio gratis fieri debuit, sub pecuniæ pactione causetur*. Et Can. *ea quæ*, ibidem dicitur: *Quidquid ergo vel in Sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus vel data, vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, & nullas umquam vires habere censemus*. Greg. dicit: passim declinandum est, no sub obtentu eleemosynæ peccata simoniacæ hæreseos perpetremus: & Conc. Tolet. ann. 1324. ait: *Prohibemus, ne quis Presbyter pro Missis celebrandis* (idem dic de quolibet alio spirituali) *pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem, sed gratis accipiat, si aliquid per facientem Missas celebrare oblatum sibi fuerit caritative, absque compacto, & conventione quacumque*. Can. 6 & Trid. ait sess. 22. decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ: *Atque ut multa paucis comprehendantur, in primis quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones, potius quam postulationes, aliaque ejusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant*.

Mon. 2. Item in prædictis casibus intervenit si non simonia, saltem turpis quæstus, quoties pro spiritualibus collatis in receptione temporalium intervenit avaritiæ affectus; quia gregem Christi pascimus non spontanee secundum Deum, sed turpis lucri gratia, ut ait Petrus 1. Epist. 5. v. 2. *Et priorem facimus cibum, & posterius regnum Dei*, ut ait Aug. lib. 2. de serm. Domini in monte c. 16. Toties autem intervenit avaritiæ affectus, ut loquitur Alvarus Pelagius de planctu Ecclesiæ cap. 5. quoties collationem rerum spiritualium, ut quæstuariam, habet Clericus: quoties de celebratione Missarum, & collatione spiritualium artem facit de pane lucrando: quoties ad sancta accedit, sicut artifex ad artificium, lucri scilicet gratia: *quærens* (ut ait Bonav.)

non cælestem panem, sed terrenum; non spiritum, sed lucrum; non Dei honorem, sed suam ambitionem; non salutem animarum, sed quæstum pecuniarum. Tract. de præparatione ad Missam.

*Mon.*3. Si gratuita etiam retributio sit vetita ab Ecclesia, peccatum esset eam dare vel accipere: ideo licet tempore Gregorii licitum esset accipere gratis oblata pro collatione Ordinum; illud jam est illicitum ex decreto Tridentini veterem illam consuetudinem abrogantis, sess. 21. cap. 1. de reform. *Quoniam ab Ecclesiastico Ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, aut pro sigillo, nec alia quacumque de causa etiam sponte oblatum, Episcopi & alii Ordinum collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant*. Decima tamen pars aurei potest dari Notario, si salarium non habeat aliunde, modo hinc Episcopo nihil lucri vel directe, vel indirecte obveniat. Idem dicitur de examinatoribus, quando fit examen, ut eligatur dignior ad Ecclesiam Parochialem dandam in concursu. *Caveant, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis nec ante, nec post recipiant; alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur*. Sess. 24. c. 18. Item Episcopis prohibetur aliquid accipere etiam titulo stipendii pro dispensationibus, aliisve functionibus Ecclesiasticis. Cap. *Jacobus* de simonia.

De munere a lingua.

Prop. 2. Quicumque adhibet preces non urgentes, sed solum manifestantes meritum, & dignitatem personæ, quæ proponitur, ut ei aliquid spirituale præ alio conferatur; non est simoniacus, nec ibi ullum reperitur peccatum.

1. Nullum ibi committitur peccatum; quia licitum est manifestare meritum personarum utilium Ecclesiæ, immo illud est necessarium.

2. Nulla ibi est simonia, tum quia non est conventio, tum quia non est simonia in precibus, nisi quando non attenditur *ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum*, ut loquitur D.Th. 2.2.q. 100.a.5.ad 3.

Illud idem docet Gratianus (*a*) cap. 1. q. 1. post Can. 122. *Non quorumlibet precibus Ordinationes factæ falsæ dijudicantur; sed hæ demum, quæ precibus ordinandi, vel ejus amici, non spirituali, sed carnali affectu porrectis, fiunt cum alias futuræ non essent, quas non caritas interveniens, sed ambitio supplicans extorquet.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Non peccat, nec simoniacus est, qui manifestat meritum alterius, ut ei conferatur beneficium, præbenda, prælatura, potestas prædicandi, conferendi sacra, modo aliunde nullum sit pravum motivum vitians illam actionem.

Consect. 2. Non peccant Curati, qui exhibent, & manifestant Episcopis Clericos aptos ad beneficia, ad conferenda Sacramenta, ad concionandum, &c. immo bene agunt, modo non sit prava intentio.

Consect. 3. Non peccant superiores religiosi, qui Episcopis exhibent religiosos sui Ordinis idoneos ad prædicandum, & conferendum Sacramenta; quia illi omnes non adhibent, ut supponimus, preces urgentes, immo bene agunt, modo non sit prava intentio; quia hi omnes in prædictis casibus nihil aliud intendunt, quam offerre bonos operarios, sequentes in hoc præceptum Christi, Luc. 10.2. *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.*

An vero aliquis possit exhibere seipsum Episcopis, & offerre se ad beneficium recipiendum, ad conferenda Sacramenta, ad concionandum, &c. si ducatur puro, & sincero zelo animarum, illud potest; imitatur enim Prophetam Isaiam dicentem, 6. v. 8. *Ecce ego, mitte me*; sed cavendum maxime, ne spes lucri latitet sub specie zeli.

De munere ab obsequio.

Prop. 3. Quicumque exhibet obsequium honestum, & spirituale, principaliter propter gloriam Dei, & secundario propter emolumentum temporale, non peccat, nec est simoniacus.

Prob. 1. Non peccat, cum per se primo intendat gloriam Dei. 2. Non est simoniacus, cum nullum ibi interveniat pactum.

2. Quicumque dat spirituale dignioribus propter obsequium honestum, & spiritua-

(*a*) Gratianus author est privatus, non habet auctoritatem irrefragabilem, nec fidem facit, uti facit Jus Canonicum; sed ejus sententia non est omnino spernenda, præcipue cum cohæret Canonibus, quos explicat.

Et ne evagentur in sæculo, inquit D.Th. debent vel in arctiori monasterio recipi, ut jussit Concilium Lateranense, vel in eodem monasterio, ut permittit Urbanus IV. post peractam pœnitentiam recipi. cap. *Sane*.

Consect. 6. Qui simoniace scienter beneficium aliquod Ecclesiasticum accepit, tenetur protinus, nulla expectata sententia Judicis, illud resignare in manibus Prælati; quia non habet titulum, quo illum retineat, & fructus restituere, quos mala fide percepit. *Tenetur*, inquit D. Th. *resignare beneficium, quod est consecutus, cum fructibus extantibus*. Et paulo superius: *Tenetur*, inquit, *ad restituendos fructus non solum perceptos, sed etiam eos, qui percipi poterunt a possessore diligenti*. 2. 2. q. 100. a. 6. ad 3.

Nota, quod qui recipit simoniace scienter beneficium, fit inhabilis ad idem beneficium; quia ita determinat Jus Canonicum.

Sed non privatur beneficiis, quæ antea habebat, nec fit inhabilis ad alia beneficia; quia nulla est Lex Canonica istam pœnam apponens; pœnæ autem non sunt extendendæ. Can. *Pœnæ* & cap. *Odia* de regulis juris in 6.

Sola simonia confidentialis ex jussu Pii V. item simonia commissa in electione summi Pontificis, ut statuit Concil. Later. sub Julio II. sess. 5. tandem simonia, per quam examinatores futurorum Parochorum aliquid ab eis recipiunt, sive ante, sive post examen, ut statuit Trid. sess. 24. cap. 18. de reformat. habent hanc pœnam propriam, ut privent reos hujusce simoniæ quibuscumque beneficiis antea obtentis, & inhabilitatem inducant ad futura recipienda.

De tertia pœna contra Simoniacos, scilicet de restitutione pretii per Simoniam accepti.

Consect. 7. Simoniace ordinans tenetur restituere pretium acceptum pro collatione Ordinum; non enim potest retineri.

Consect. 8. Pretium acceptum pro ingressu in religionem non potest retineri ab Abbate, vel Priore; sed debet in bonum Communitatis impendi, ut jubet Urbanus IV.

Consect. 9. Pretium acceptum pro collatione beneficii, aliove actu ad hunc finem ordinato, ut sunt electio, præsentatio, confirmatio, &c. retineri non potest, ut habetur cap. *de hoc*, de simonia. *Acceptum illud*, inquit Alexand. III. *sine gravi salutis suæ periculo retinere non possunt*. Sed pretium illud debet dari vel Ecclesiæ, quæ læsa est, inquit D. Thomas, vel pauperibus, quibus certa portio beneficiorum destinata est.

§. V.

Inquiritur, utrum ex vi solius juris naturalis incurratur a Simoniacis duplex hæc pœna, scilicet privatio rerum spiritualium, quas quis per Simoniam acquisivit, & obligatio restituendi pretii, quod simoniace acceptum est.

Prop. unica. Juxta gravissimos authores non solum jure Ecclesiastico, sed etiam jure Divino & Naturali omnis venditio & emptio simoniaca est nulla; atque adeo ex vi solius juris Naturalis simoniacus tenetur vero domino reddere & spirituale, quod simoniace acquisivit, eo modo quo reddi potest, & temporale, quod simoniace consecutus est.

Prob. 1. Script. Res spiritualis nec emi potest, nec vendi, sed solum gratuito donari, juxta illud: *Gratis accepistis, gratis date*: Ergo omnis emptio & venditio rei spiritualis est ex jure Naturali & Divino nulla.

2. Ex Jure Can. c. *Pactiones* de pactis, ubi sic habetur: *Pactiones factæ a vobis pro quibusdam spiritualibus obtinendis, cum in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti*. Postea additur: *Pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de jure, vel de facto, nullam obligationem inducit*: Ergo sicut pactio rei impossibilis est nulla, ita & venditio, vel emptio rei spiritualis.

3. Ex D.Th. 2.2. q. 100. a. 6. in corp. *Dicendum, quod nullus potest licite retinere id, quod contra voluntatem domini acquisivit, puta, si aliquis dispensator de rebus domini sui daret alicui contra voluntatem domini sui, ille, qui acciperet, licite retinere non posset. Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores & ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur... Et ideo, qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licite retinere non potest*: Ergo ex D. Th. emptio & venditio rei spiritualis est nulla, sicut donatio rei alienæ.

4. Ratione allata per Covarruviam, ad regulam *Peccatum*, p. 2. §. 8. Simoniaca Sacerdotiorum collatio, & aliarum dignitatum & beneficiorum simoniaca concessio, est nulla, nec jus aliquod tribuit ei, cui facta fuit, non quidem in pœnam criminis, sed quia ex natura rei jure ipso Naturali hæc acquisitio impeditur divina voluntate, sine qua spiritualia vendi nequeunt; & quia, inquit idem author, res spiritua-

lis

lis materia invendibilis est: ergo si res spiritualis, tum natura sua, tum voluntate Dei, vendi non possit, omnis venditio & emptio rei spiritualis est nulla.

Nec obstat, quod Sacramenta simoniace collata, v. g. Baptismus, Confirmatio, & Ordo characterem conferant; quia tria illa Sacramenta eam vim habent, non ex vi venditionis, aut emptionis, quæ nulla est, sed ex vi institutionis Christi, qui voluit, quod triplex hoc Sacramentum, modo validum, licet informe, ut dicunt, characterem produceret.

Nec obstat pariter, quod matrimonium, licet simoniace collatum, sit validum, & Professio Religiosa, licet simoniaca, sit valida; quia id provenit, non ex pactione simoniaca, quæ nulla est, sed ex eo, quod & matrimonium, & professio Religiosa acceptantur ab Ecclesia, si certis solemnitatibus muniantur, quamvis simoniaca conventio, si quæ intercesserit, ab Ecclesia reprobetur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Simonia mentalis cum opere subsecuto est restitutioni obnoxia. Ita docent Adrianus VI. Dominicus, Covarruvias, Estius, aliique quamplures, reclamantibus licet plerisque Canonistis.

Sic si quis non paciscatur expresse de pretio, sed munus quasi liberaliter offerat, mente tamen simoniaca, qua intendat munere tamquam pretio beneficium sibi comparare, is obnoxius fit restitutioni, nec beneficium retinere potest; quia acceptio beneficii fuit simoniaca: beneficium autem sine canonica institutione retinere non possumus. Et sicuti, inquiunt, qui ea mente dat mutuum, ut aliquid speret ultra sortem, usuram mente committit, & ad restitutionem tenetur ejus, quod tali intentione acceperit, etiamsi expressa conventio non intercesserit, ut docet Urbanus III. cap. *Consuluit* de usuris; ita idem sentiendum de eo, qui simoniam mentalem committit cum opere subsecuto.

Consect. 2. Qui beneficium aliquod accipit simoniace, non sciens, sed ignorans, non per simoniam a se, sed ab alio commissam, nisi id fuisset factum fraudulenter, & in ejus odium, aut nisi ipse expresse tali simoniacæ pactioni contradixisset: is, inquam, tenetur beneficium dimittere hoc ipso, quod cognoscit simoniam; quia institutio non fuit canonica, sed simoniaca; beneficium autem sine canonica institutione obtineri non potest.

Sic pueri tenentur ea beneficia dimittere, quæ eis omnino pactionem simoniacam ignorantibus per parentes simoniace acquisita sunt. Sicuti, si alienum ignoranter detineamus, tenemur id restituere hoc ipso, quod cognoscimus non nostrum esse, sed alienum. De prædicto casu ita loquitur D. Th. *Si eo nesciente per alios alicujus promotio simoniace procuratur, caret quidem Ordinis executione, & tenetur resignare beneficium, quod est consecutus cum fructibus extantibus; non autem tenetur restituere fructus consumptos: quia bona fide possedit; nisi forte inimicus ejus fraudulenter pecuniam daret pro alicujus promotione, vel nisi ipse expresse contradixerit; tunc enim non tenetur ad renuntiandum, nisi forte postmodum pacto consenserit, solvendo quod fuit promissum.* 2. 2. q. 100. art. 6. ad 3. Idem habes cap. *Nobis fuit*, & cap. *Sicut suis liberis*, de simonia.

Consect. 3. Pretium simoniace acceptum retineri non potest; cum enim emptio, & venditio simoniaca sit nulla, venditor rei spiritualis non acquirit vi venditionis dominium pretii, quod accipit.

Quæres, cui restitutio fieri debeat tum rei spiritualis, tum pretii.

Respondeo. Si solum jus naturale spectemus, restitutio rei simoniace acceptæ facienda esset ei, a quo accepta est, sicut & Judas fecit, referendo triginta argenteos Principibus Sacerdotum; sed quia æquum est, ut restitutio facienda ob crimen simoniæ determinetur per Ecclesiam, cujus est de hujusmodi flagitiis judicare; ideo hæc restitutio debet fieri hoc pacto.

Primo quoad beneficia. Si simonia realis fuerit, beneficium ecclesiasticum simoniace acceptum redit ad jus collatoris, vel superioris; alioquin ad priorem possessorem reverti debet. Ita Estius in 4. dist. 26. §. 18.

Secundo quoad pretium. Si simonia realis fuerit, & ex utraque parte completa, pretium debet dari vel Ecclesiæ, cui facta est injuria, vel pauperibus. Ita D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 6. ad 4. *Dicendum, quod pecunia, vel possessio, vel fructus &c. simoniace accepti, debent restitui Ecclesiæ, in cujus injuriam data fuerunt ... Si vero Prælatus, & totum Collegium sunt in culpa, tunc debet cum authoritate Superioris vel pauperibus, vel alteri Ecclesiæ erogari.*

Si vero simonia non sit realis ex utraque parte, sed datum fuerit pretium, & non acceptum spirituale; tunc, inquit Cajetanus, pretium restituendum est ei, a quo acceptum est: non enim datum est nisi supposita conditione, quæ adimpleta non est. Item, cum datum est temporale pro spirituali, quod quis ex justitia conferre tenebatur,

tur, v. g. datum est argentum Parocho, ut conferret Sacramenta; vel si simplex Sacerdos, aut etiam Parochus exigunt pro collatione rei spiritualis aliquid ultra consuetudinem, vel taxam, tunc temporale debet restitui ei, qui dedit.

§. VIII.

Stabilitur propositio fundamentalis, qua penetrata innotescit, quibus in casibus committatur Simonia tum mentalis, tum conventionalis, tum realis.

Prop. unica. Crimen simoniæ incurritur quotiescumque ex pacto datur temporale pro spirituali, vel spirituale pro temporali, quacumque mente detur, si interveniat contractus vel explicitus, vel implicitus.

Prob. Script. Toties ex Script. simonia committitur, quoties spirituale datur non gratis, juxta illud Matth. 10. 8. *Gratis accepistis, gratis date:* atqui spirituale non datur gratis, quando datur ex contractu & pacto, ut patet, quodcumque interveniat motivum, libertas enim dandi, vel non dandi, & necessitas dandi opponuntur: Ergo toties simonia committitur, quoties ex contractu & pacto datur temporale pro spirituali, vel spirituale pro temporali, quocumque motivo detur. Ridenda enim est explicatio quorumdam, qui, ut refert Damianus lib. 1. Epist. 13. ajunt: *Non emitur Sacerdotium, sed possessio prædiorum.... Venalia sunt, unde sint divites; gratis accipiunt, unde fiant Sacerdotes.*

2. Ex Canonibus. Canones vetant dari pro spirituali consequendo quodlibet præmium, *quolibet modo, quocumque modo:* Ergo Canones supponunt committi simoniam, quoties ex pacto datur temporale pro spirituali: quod patet 1. ex Concilio Toletano. 8. cap. 3: *Quicumque pro recipienda dignitate quolibet præmium detectus fuerit obtulisse, ex eodem tempore anathematis se noverit opprobrio condemnatum.* 2. Ex Conc. Tolos. anno 1506. Can. 1. *Si quis Episcoporum accepta quocumque modo pecunia ordinaverit, subjaceat pœnis simoniacorum.* 3. Gregorius lib. 4. Epist. 8. *Fraternitati vestræ commoda quolibet modo subrepant, ne laqueis simoniacæ (quod absit) hæreseos alligetur.*

5. Ex propositionibus damnatis a summis PP. & a Clero Gallicano art. 15. Ad simoniam contrahendam sufficit, quod detur temporale non pro beneficio, sed pro temporali, quod cum beneficio connectitur. Ita determinavit Alexander VII. damnando hanc propositionem: *Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis; quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*

Ad simoniam incurrendam sufficit quod detur temporale tanquam motivum, licet non detur tanquam pretium. Ita determinavit Innocentius XI. damnando sequentes propositiones. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale; vel quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.*

Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

6. *Rat.* Quotiescumque intervenit illud pactum, *do, ut des*, vel *do, si des*, toties intervenit contractus, ut patet: atqui contractus in rerum spiritualium traditione & receptione inducit simoniam: Ergo quotiescumque intervenit pactum, *do, ut des*, vel *do, si des*, committitur simonia, ad quam non requiritur pactum expressum, sed sufficit tacitum, ut docet Damianus Opusc. 31. cap. 5. *Sunt nonnulli*, inquit, *qui nullum pacti sunt commodum; postmodum vero tamquam a debitoribus exigunt.... Hi non dubitent se Giesi crimen incurrere.*

Sic cum solo pacto implicito Simon Magus peccavit peccato simoniæ; quia usus est temporali, scilicet pecunia, ut obtineret spirituale, scilicet vim operandi miracula: quam pecuniam Petrus rejecit, dicens: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Act. 8. v. 20. Giesi vero sine pacto pariter explicito peccavit peccato simoniæ; quia accepit temporale, scilicet pecuniam, & vestes propter spirituale, quod datum fuerat ab Eliseo, scilicet pro miraculosa sanitate corporis & animæ, quam Naaman receperat: cui Giesi dixit Elisæus: *Accepisti argentum, accepisti vestes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & servos, & ancillas; sed & lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo usque in sempiternum. Et egressus est* Giesi *ab eo*, scilicet Eliseo, *leprosus quasi nix.* 4. Reg. 5. v. 26.

Consectaria generalia hujus Doctrinæ, quæ sunt totidem principia Consectariorum particularium.

Consect. 1. Simoniam committunt conferentes.

rentes rem spiritualem vel formaliter, vel executive, vel unitive, vel causaliter, ut ajunt, si conferant propter aliquod commodum temporale, v. g. ob munus a manu, ob munus a lingua, ob munus ab obsequio; quia non dant gratis rem spiritualem.

Consect. 2. Simoniam committunt recipientes rem spiritualem, vel spirituali annexam propter commodum temporale, quod rependunt, v. g. propter munus a manu, a lingua, ab obsequio; quia recipiunt rem spiritualem non gratuito. Ita Canon *Salvator*. 1. q. 3.

Per munus a manu intelliguntur omnia bona temporalia, sive mobilia, sive immobilia, v. g. pecunia, fundus, supellex, redditus, debita, aut res alia quælibet, quæ solet esse materia contractuum.

Per munus a lingua intelliguntur preces, non manifestantes solum meritum personarum, quibus conferri solent res sacræ; sed preces urgentes, intercessiones Magnatum, commendationes, laudes, adulationes, & alia hujusmodi, quibus flectitur animus conferentium res spirituales.

Per munus ab obsequio intelliguntur omnia obsequia ad alterius utilitatem temporalem spectantia: *Munus a manu pecunia, munus ab obsequio obedientia subjectionis, munus a lingua favor adulationis significant*, inquit Damianus lib. 2. Epist. 21.

§. VII.

In quo applicando propositionem superius stabilitam fit descensus ad casus particulares, in quibus committitur simonia vel mentalis, vel conventionalis, vel realis.

Constat ex dictis, quod vendere aut emere aliquid spirituale, vel in natura sua, vel in causa, vel in effectu, vel in unione, sit simonia. Spirituale inquam in natura: cujusmodi sunt gratia gratis data, & gratia gratum faciens. In causa: cujusmodi sunt Sacramenta & Sacramentalia. In effectu: cujusmodi est exercitium actuale potestatis spiritualis. In unione: cujusmodi sunt beneficia, juspatronatus, &c.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Simoniam committit qui intendit vendere, aut emere (si fieri posset) spirituale in natura. 1. Donum gratum faciens, nimirum gratiam, spem, caritatem, virtutes morales, & actus earumdem virtutum. 2. Gratias gratis datas, v. g. donum linguarum, operationes virtutum, Prophetiam, &c. 3. Potestatem jurisdictionis, v. g. vim ferendi censuras, excommunicationes, irregularitates, suspensiones, interdicta, vim impertiendi indulgentias, vim perducendi ad beneficia vel per præsentationem, vel per collationem, vel per confirmationem, vim dispensandi in votis, in impedimentis matrimonialibus. 4. Potestatem Ordinis, v. g. vim conferendi Sacramenta, vim prædicandi, vim serviendi altaribus, quia hæc omnia sunt aliquid spirituale *formaliter*, ut dicunt.

Consect. 2. Simoniam committit qui vendit, vel emit exercitium potentiæ & virtutis spiritualis; qualia sunt 1. Exercitium potentiæ Ordinis, v. g. collatio actualis Sacramentorum, actualis prædicatio, actualis inflictio censurarum, excommunicationis, suspensionis, irregularitatis, interdicti, absolutio a censuris, dispensatio in votis, in impedimentis matrimonialibus, benedictio Papalis, largitio Indulgentiarum; quia ista omnia sunt spiritualia *executive*, ut loquuntur.

Consect. 3. Simoniam committit qui vendit, aut emit aliquid, quod est causa rei spiritualis, verb. grat. qui vendit Sacramenta, aut Sacramentalia; quia hæc omnia sunt aliquid spirituale *effective*, ut ajunt, seu ratione effectus producti.

Consect. 4. Simoniam committit quicumque vendit, aut emit aliquid spirituale connexum cum temporali, si vendat temporale carius ratione spiritualitatis sibi annexæ: sic vendere vasa sacra, vestes sacras carius ob spiritualitatem adjunctam, est simonia; quia hæc sunt spiritualia in unione, seu, ut dicunt, *unitive*.

Consect. 5. Vendere temporale, quod præcedit spirituale; non est simonia; modo carius non vendatur, bene tamen si carius vendatur; quia in primo casu non venditur spirituale, sed solum temporale: in secundo vero casu est simonia; quia venditur spirituale: & ita non est simonia vendere, aut emere ista omnia, v. g. vasa sacra, vestes sacras, terram sepulturæ, prædium, domum, urbem, cui annexum est juspatronatus, materiam Sacramentorum, v. g. aquam ad Baptismum, oleum ad Confirmationem, panem & vinum ad Eucharistiam: nec simonia est dare dotem pro contractu matrimoniali; quia in his omnibus casibus, temporale, quod venditur, præcedit spirituale, cum quo venditur: at si hæc omnia carius venderentur propter spirituale annexum, esset simonia; quia venderentur carius ratione spiritualitatis. Illud constat ex Alexandro III. cap. *Ea quæ* extra de simo-

simonia. *Audivimus*, inquit, *quod nummos pro Chrismate ab Ecclesiasticis extorquetis .... Quia vero hoc simoniacum esse cognoscitur, mandamus quatenus prætextu alicujus consuetudinis, vel prælationis præscriptos denarios nullatenus exigatis*.

Consect. 6. Non est simonia vendere temporale annexum spirituali, modo non carius vendatur ratione spiritualitatis; quia sicuti res temporalis potest separari a spirituali, ita & vendi: & ita non est simonia vendere ista omnia, v. g. vendere laborem extrinsecum non solitum adhiberi in collatione Sacramentorum, in celebratione Missarum, in consecratione Ecclesiarum; justum namque est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium, & ita potest iniri pactum ob laborem longioris itineris, ob cantum extraordinarium, ob obligationem celebrandi Missam tali & tali hora; quia iste labor est extrinsecus, & separabilis a collatione rei spiritualis: cavendum tamen a turpi lucro sic juxta Cajet. *Absque simonia fieri potest locatio operarum in illis exercitiis spiritualibus, quæ principaliter sunt corporalia, ut patet de officio Sacristæ, Judicis, Doctoris in Theologia, & aliis hujusmodi, in quibus debentur certa stipendia, & possunt fieri conventiones; quia de corporali, ac venali opere pactio fit, non de re spirituali*. V. *Simonia*.

Consect. 7. Simonia est vendere, aut emere aliquid temporale intrinsece annexum rei spirituali, & inseparabile a re spirituali; quia sicuti illud temporale non potest separari a re spirituali, ita nec vendi: & ita simonia est vendere ista omnia, v. g. corporis laborem absolute necessarium ad celebrationem Missæ, ad celebrationem Sacramentorum, ad recitationem Officii.

Consect. 8. Simonia est vendere aut emere temporale se habens consequenter ad spirituale; quia cum spirituale præcedat temporale, adeo ut temporale non possit haberi, nisi prius habeatur spirituale, qui emit aut vendit temporale, censetur pariter vendere spirituale. Et ita simonia est vendere ista omnia. 1. Beneficia, seu jus percipiendi redditus Ecclesiasticos, quia in beneficiis spirituale præcedit temporale; id enim quod ante omnia concipitur in beneficio est potestas spiritualis exercendi sacra. 2. Jus quod quis habet post Professionem Religiosam ut nutriatur in Monasterio. 3. Jus quod beneficiatus habet nominandi ad beneficia; quia utrumque jus fundatur in aliquo spirituali. Hanc Doctrinam tradit D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 2. in corp. *Aliquid potest esse annexum spiritualibus .... sicut ex spiritualibus dependens: sicut habere beneficia Ecclesiastica, dicitur spiritualibus annexum, quia non competit nisi habenti officium Clericale: unde hujusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus, & propter hoc ea nullo modo vendere licet; quia eis venditis, intelliguntur etiam spiritualia venditioni subjici*.

§. VIII.

In quo magis adhuc in particulari percurruntur casus, in quibus committitur simonia vel mentalis, vel conventionalis, vel realis.

DE SIMONIA

Ex parte dantium spirituale pro temporali.

Prop. 1. Fundamentalis illata ex principiis superius positis.

Quicumque dat, vel exercet aliquid spirituale propter commodum temporale principaliter intentum, sive illud temporale sit munus a manu, sive a lingua, sive ab obsequio, simoniam committit; quia non gratis dat rem spiritualem quam habet, sed eam confert ob temporale emolumentum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consectarium 1. De munere a manu.

Illi omnes simoniam committunt per munus a manu, qui dant aliquid spirituale, ut obtineant temporale; quia per spiritualε parant sibi viam ad temporale: & ita isti omnes sunt simoniaci.

1. Fideles omnes, si qui sint, qui exerceant actus virtutum, pietatis, & religionis principaliter propter commodum temporale quales sunt hypocritæ, qui ficta pietate extorquent eleemosynas, aliaque commoda temporalia.

2. Omnes qui recitant officium, cantant in choro, celebrant Missam principaliter propter emolumentum temporale, v. g. propter retributiones. *Si quis enim istiusmodi distributiones respiciat, quasi finem sui operis principaliter intentum, simoniam committit, & mortaliter peccat*, inquit D. Th. quolibeto 8. q. 6. art. 10.

3. Clerici omnes, sive Sacerdotes, sive Episcopi, qui exercent potestatem Ordinis,

nis, vel jurisdictionis principaliter propter emolumentum temporale, v. g. prædicant propter retributionem temporalem, conferunt Sacramenta propter pecunias, consecrant Ecclesias, dant Indulgentias, & dispensationes propter utilitatem temporalem sibi obvenientem. *Sacerdotes, qui de pretio paciscuntur, ut Missas celebrent; & Parochi, qui pro Sacramentorum administratione, vel funere, vel sepulturis, exigunt præter ea, quæ de jure, vel consuetudine laudabili conferuntur, habeantur simoniaci; non autem si oblata recipiant*. Concil. Rhemense ann. 1583. cap. de simoniacis.

4. Clerici omnes, qui denegant conferre Sacramenta, sepulturam, &c. veriti, ne non recipiant retributiones temporales. Ita Conc. Illiberitanum Canon. 48. *Emendari placuit, ut qui baptizantur, nummos in concham non mittant* (ut fieri solebat) *ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrahere videatur*. Et Gelasius 1. Epistola ad Episcopos per Lucaniam & Siciliam constitutos cap. 5. ait: *Baptizandis, consignandisque fidelibus pretia nulla præfigant*. Idem vetat Concil. Lateran. secundum, & Londinense.

Et Paulus V. in suo Rituali vetat, ne quavis ex causa ministri Ecclesiæ aliquid directe, vel indirecte exigant, aut petant in Sacramentorum administratione, sed Sacramenta gratis administrent.

5. Confessarii, qui pœnitentibus non imponunt salutares pœnitentias, sed in temporale aliquod donum sibi Confessariis obventurum immutant: quod quidem expresse prohibet jus Canonicum cap. 14. extra. de simonia, ubi sic habetur: *Nemo presbyterorum xenium, vel emolumentum quodlibet temporale, imo spirituale detrimentum, a quocumque publice peccante accipiat, ut Episcopo vel ministris ejus peccatum illius celet... quia simoniacum est*: cui consentire videtur Scriptura dicens: *Declinaverunt post avaritiam, acceperunt munera, & perverterunt judicium*: 1. Reg. cap. 3. & rursus Paulus ait, loquens de avaris ministris: *Universas domos subvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia*: ad Tit. c. 1. v. 11. Ideo Concilia prohibent, ne Confessarii imponant pro pœnitentia Missas ab ipso Confessario celebrandas. *Prohibemus*, inquit Synodus Cantuariensis, anno 1195. Canon. 3. *ut Sacerdos laico ad pœnitentiam venienti, obtentu cupiditatis, injungat, ut Missas celebrare faciat*. Et Synodus Londinensis 1200. Canon. 4. idem vetat his verbis: *Adjicimus ad Sacerdotum cupiditatem refrænandam, ut Missæ non injungantur in pœnitentiam his, qui non sunt Sacerdotes*.

6. Collatores omnes beneficiorum quorumlibet, qui conferunt beneficia ob pecuniam, vel aliud quodcumque temporale acceptum, vel accipiendum. *Qui conferunt beneficium hoc pacto, vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideant, simoniam committunt*. D. Thom. 2. 2. quæst. 100. a. 5. ad 2.

7. Qui permutant beneficia ob terrenum commodum alterius partis. *Est in permutatione simonia, si pro aliquo terreno commodo utriusque, vel alterius partis fiat*. (a) ait D. Th. in 4. dist. 25. q. 3. a. 3. ad 8.

8. Qui conferunt beneficia sub onere pensionis, quando non habent jus ponendi onus pensionis: ita Concilium Rothomagense: *Omnes pensiones, & pactiones super beneficiis, in quibus non intervenit Sedis Apostolicæ approbatio, illicitas & simoniacas declaramus*. De Episcoporum officiis n. 2.

9. Qui paciscuntur de redimenda pensione: ita Conc. Rothomagense an. 1581. n. 17. *Resignationes quorumcumque beneficiorum cum reservatione fructuum, vel pensione, quæ postea ab iis, qui resignationes illas acceptaverint, præsenti pretio sine Sedis Apostolicæ authoritate redimitur, simoniacas judicamus*.

10. Qui habentes jus ponendi pensionem, dant beneficium sub onere pensionis, non Clerico digniori, per quem dignius Ecclesiæ ministretur, sed Clerico ditiori, per quem pensio exactius persolvatur.

Prædicti omnes simoniam contrahunt per munus a manu: quia utuntur aliquo spirituali, quod habent, ut ad temporale, quod non habent, perveniant.

Consectarium 2. De munere a lingua.

Illi omnes simoniam committunt per munus a lingua, qui dant aliquid spirituale, quod

(a) Fiunt vulgo permutationes pro commodo aliquo temporali, v. g. sanitate, vicinia suorum, servitio commodiore, &c. Episcopo has permutationes approbante. Sed manet semper D. Thomæ sententia, si illud commodum temporale non referatur ad majorem Ecclesiæ utilitatem.

quod habent, principaliter propter preces urgentes, & rationem pretii habentes; quia per illud spirituale viam sibi parant ad commodum temporale, quod evenit ex illis precibus. Dixi, preces habentes rationem pretii; quia aliunde preces, quamvis nefariæ, inquit Cajet. inducunt quidem peccatum, sed non simoniam; quia ubi non intervenit pretium, ibi non est simonia. Sic isti omnes sunt simoniaci.

1. Fideles illi hypocritæ, qui sperantes commodum temporale ex ficta pietate eventurum, simulant pietatem coram Confessariis, coram Magnatibus, a quibus temporale expectant se recepturos. Sic enim spirituali parant sibi viam ad temporale, nihil pietatem curant, sed solum commodum terrenum intendunt.

2. Clerici illi hypocritæ, qui actus clericales exercent, v.g. intersunt choro, recitant officium, &c. non ut Deum precibus flectant, vel mentem oratione nutriant; sed solum ne retributionibus temporalibus priventur, vel ut favorem eorum ineant, a quibus sperant se ad dignitates ecclesiasticas evehendos; spiritualibus enim exercitiis quærunt sibi parare viam ad temporales redditus.

3. Sacerdotes illi timidi, qui veriti, ne priventur commodo aliquo temporali, vel emolliti precibus, vel deterriti minis, Sacramenta conferunt indignis, aut omittunt ea, quæ sui sunt officii; sic enim per spirituale, quod male exercens, parant sibi viam ad temporale.

4. Episcopi illi timidi, qui veriti pariter, ne priventur aliquo temporali emolumento, aut minis territi, aut precibus carnalibus inflexi, indignos ad Ordines promovent, & vigorem ecclesiasticæ disciplinæ omnino languescere permittunt.

5. Collatores beneficiorum, qui moti non dignitate personæ, sed precibus urgentibus, vel per suffragium, vel collationem, vel per confirmationem, vel per nominationem aliquem ad beneficium evehunt, vel procurant evehendum. *Quando*, inquit D. Th. *Fiunt preces pro indigno, vel ab aliquo potente, qui periculum comminatur, quæ dicuntur preces armatæ, manifeste simonia committitur*. In 4. dist. 25. q. 3. a. 3. ad 4. Simoniaci quoque sunt collatores, qui conferunt beneficia, ut apud Magnates gratiam obtineant. *Qui autem*, inquit D. Th. ibid. *dat alipuid spirituale pro favore, vel laude acquirenda, non est dubium, quin simoniam committat*.

6. Prædicatores, qui ob preces minasve urgentes non arguunt populos, sed eorum vitiis adulantur.

7. Fideles omnes, qui ob preces urgentes non deferunt publicos peccatores ad superiores.

Hi omnes simoniam committunt per munus a lingua; quia dant spirituale, quod habent, ut perveniant ad temporale, quod non habent, nimirum ad favorem Magnatum.

Consectarium 3. *De munere ab obsequio*.

Illi omnes simoniam committunt per munus ab obsequio, qui dant aliquid spirituale quod habent, propter obsequium temporale quod accipiunt, vel quod sperant se accepturos; quia per spirituale, quod habent, parant sibi viam ad temporale, quod non habent: & ita isti omnes sunt simoniaci.

1. Fideles omnes, si qui sint, qui exercerent actus virtutum ob aliquod obsequium temporale, quod ab aliis acciperent, v.g. confiterentur, reciperent Eucharistiam, ut exigerent ab aliquo ministerium temporale.

2. Clerici omnes, qui exercerent actus Clericorum, v.g. recitarent officium, adessent choro in gratiam aliquorum, qui eis obsequium temporale ministrarent, v. gr. colerent eorum vineas, agros, &c.

3. Sacerdotes omnes, qui exercerent actus Sacerdotales, v. g. conferrent Sacramenta ob obsequium temporale, quod acciperent, v. g. darent Sacramenta rusticis sub ea conventione, ut isti agros, vineas eorum colerent; Magnatibus ea conditione, ut lites ipsorum peragerent.

4. Collatores beneficiorum, qui conferunt beneficia, ut obsequium temporale accipiant, v.g. Curati, qui dant beneficia Vicariis ad solveada stipendia Vicariatus. Episcopi, qui dant beneficia famulis suis, aut filiis famulorum, ad solvenda stipendia famulatus. Magnates, qui curant dari beneficia pedagogis filiorum suorum, aut filiorum consanguineorum, & amicorum ad solvenda stipendia pedagogis. *Si quis beneficium propter obsequium, vel impensæ servitutis mercedem confecat, simoniacus esse censetur*. Concil. Rhemense ann. 1583. titulo 23.

Hi omnes simoniam contrahunt; quia dant spirituale quod habent, pro obtinendo temporali quod non habent.

DE

DE SIMONIA

Ex parte dantium temporale pro obtinendo spirituali.

Prop. 2. illata ex principiis superius positis.

Quicumque dat temporale, quod habet, pro obtinendo spirituali, quod non habet, sive illud temporale sit munus a manu, sive munus a lingua, sive munus ab obsequio, simoniam committit; quia non gratis obtinet spirituale, quod non habebat, sed ad illud viam sibi parat per temporale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consectarium 1. De munere a manu.

Simoniam committit per munus a manu quicumque dat aliquid temporale pretio æstimabile pro obtinendo spirituali; quia parat sibi viam ad spirituale per temporale: & ita isti omnes simoniam contrahunt.

1. Qui dant pecuniam, fundum, &c. ut obtineant vi emptionis rem spiritualem, qualis est potentia Ordinis, potentia jurisdictionis, &c.

2. Qui dant fundum, pecuniam, &c. ut obtineant rem spiritualem, v. g. beneficium, potestatem Ordinis, &c. quocumque prætextu dent, si per talem pecuniarum largitionem parent sibi viam ad rem spiritualem, quam non habent.

3. Qui dant pecunias pro redimenda lite de re spirituali, v.g. de beneficio nondum legitime possesso: ita Alexander III. cap. *Cum pridem*. De pactis. *Cum quidam Clericus, & Monachi pro causa, quæ inter illos vertebatur super Ecclesia, ad nostram præsentiam accessissent, inter se convenerunt, quod eidem Clerico pro expensis, quas fecerat, tres marchæ argenti solverentur, & sic cederet. Cumque compositionem ipsam authoritate Pontificia peteret confirmari, nos eam non duximus admittendam pro eo, quod videbatur pravam illicitæ pactionis speciem continere.* Et idem Alex. III. *Super eo quod quæsisti, utrum de Ecclesiastico beneficio in legitimum deducto possit fieri transactio, tale damus responsum, quod transigi super re sacra & litigiosa non potest: etenim res sacræ, ut possideantur, aliquo dato, vel retento, sive promisso, speciem credimus habere simoniæ.* Cap. *Super eo*. Extra. de transactionibus.

Sic litigantes super alicujus beneficii possessorio, inter se convenire absque simonia non possunt, ut pacis causa alter beneficium, alter pensionem super beneficio habeat; quia sic paratur via ad beneficium per aliquod temporale; & quia hujusmodi conventiones litis sedandæ causa tunc solum permittuntur, dum fiunt authoritate vel Episcopi, vel judicum arbitrariorum. Vide Fagnanum in cap. *Nisi essent*. De Præbendis lib. 3. decret. n. 130. ubi notat. 1. Quod hæc compositio debet sumere initium, non quidem ex pactione partium, sed ex jussione judicum, non ordinariorum, qui debent secundum rigorem juris judicare, sed arbitrorum, qui tamquam amicabiles compositores pronuntiant. 2. Quod debet hæc compositio fieri pro bono pacis; quod si nulla subsit causa, non potest pensio imponi. 3. Quod pensio illa sit duratura tantum ad vitam litigantis, & non transitura ad ejus successorem. Itaque in praxi melius, & tutius est, ut omnes illæ conventiones authoritate Papæ confirmentur.

4. Qui fundat beneficium, v.g. Præbendam, Canonicatum, ea conditione, vel pacto, ut illud idem beneficium ei postea conferatur. Ita Innoc. III. *Si quis Clericus conditione, vel pacto, largiatur aut offerat bona sua Ecclesiæ, ut postmodum illa bona pro Præbenda detineat, & in Canonicum admittatur; hujusmodi oblatio, vel receptio fieri non poterit sine vitio simoniæ, cum in talibus omnis pactio, aut conventio cessare debeat juxta canonicas Sanctiones.* Extra c. *Tua nos*, de simonia.

5. Qui oppignorat redditus fundi sui, aut beneficii sui, ut ei beneficium conferatur.

6. Qui non dat præsentem pecuniam, sed dat schedulas obligatorias, vel promittit pecunias se mutuo daturum.

7. Qui promittit solvere resignanti expensas facta pro beneficio.

8. Qui promittit collatori se daturum aliquam partem redituum beneficii, se daturum pensionem; se non exacturum decimas e bonis collatoris, se daturum aliud beneficium.

9. Qui capaces beneficii accipiunt illud cum onere expresso, vel implicito illud conferendi alicui personæ designatæ, vel designandæ ab ipso collatore, v. g. nepoti, amico, quando capax factus fuerit beneficii recipiendi. Ita in Concil. Rhemensi supra citato cap. de simoniacis.

10. Qui dant, aut promittunt aliquid temporale pro institutione, aut admissione ad possessionem. Ita Concil. Lateran. sub Alex. III. can. 7. *Horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur*

betur habere; ita ut pro Episcopis, pro Abbatibus, seu quibuscumque personis Ecclesiasticis ponendis in sede, & introducendis Presbyteris in Ecclesiam aliquid exigatur. Consuetudo haec quamtumvis inveterata non excusat.

Hi omnes simoniam committunt, quia dant temporale quod habent, ut obtineant spirituale quod non habent, & quia parant sibi viam ad rem spiritualem per aliquid temporale.

Consectarium 2. De munere a lingua.

Simoniam committit per munus a lingua quicumque utitur urgentibus, & pretio aestimabilibus precibus ad obtinendum aliquid spirituale; quia non accipit gratis spirituale quod non habet. Ideo ait Chrysost. hom. in act. Apostolorum: *Cogita quid acciderit Simoni mago; quid autem refert, si non das pecuniam, sed pecuniae loco adularis, subornas, multaque machinaris?* Et ita isti omnes simoniam committunt.

1. Ille, qui dignus alicujus rei spiritualis, v.g. dignus, qui Sacramenta recipiat, dignus, qui mittatur ad praedicandum, dignus, qui eligatur, praesentetur, confirmetur in aliquo beneficio, recipiatur in aliqua religione, adhibet ad obtinendum spirituale, quod meretur, preces adulatorias, urgentes, & non solum manifestantes meritum personae, sed insuper quamdam necessitatem inferentes collatori rei spiritualis; quia non accipit gratis rem spiritualem, sed per preces urgentes. Unde ait D. Th. *Conferre beneficium ad preces alterius, licet illae fiant pro digno, si non attendatur ad dignitatem personae, sed ad favorem humanum, simonia est saltem in intentione*. 2.2. q. 100. a. 5. ad 3.

2. Qui pro se indigno, vel pro alio indigno adhibet preces urgentes; quia non accipit gratis rem spiritualem. Et qui pro se, vel pro alio indigno adhibet preces urgentes, praeter simoniam, peccatum committit acceptionis personarum; quia causa est, cur indignus elevetur ad consequendas res spirituales.

Consectarium 3. De munere ab obsequio.

Simoniam committit per munus ab obsequio quicumque adhibet obsequium temporale, ut aliquid spirituale consequatur; quia non accipit gratis spirituale, quod non habet, sed ad illud per aliquod temporale pervenit. Et ita isti omnes simoniam committunt.

1. Famuli Magnatum, pedagogi, &c. qui suas impendunt curas tum in ministrando rei domesticae, tum in docendis filiis Magnatum, nepotibus Episcoporum, sub spe consequendi aliquod beneficium. *Infelix Clericus*, inquit Damianus opusc. 22. c. 2. *quot servitia fucatae humilitatis exhibuit, quasi tot pecuniarum summas appendit*.

2. Sacerdotes, qui exhibent Episcopis famulatum temporalem, expectantes pro retributione aliquid spirituale, v.g. beneficium, munus praedicandi, &c. *Si vero servitium sit inhonestum*, inquit D. Thom. *vel ad carnalia ordinatum, puta, quia servit Praelato ad utilitatem consanguineorum suorum, vel patrimonii sui, vel ad aliquid hujusmodi, erit munus ab obsequio, & est simoniacum*. 2.2. q. 100. a. 5. ad 1.

3. Sacerdotes Vicarii, qui serviunt Curatis, expectantes pro retributione se ab iisdem Curatis recepturos aliquod beneficium.

4. Religiosi, qui exhibent famulatum temporalem suis superioribus, expectantes se ab illis nominandos, eligendos ad aliquam Praelaturam.

5. Religiosi, qui munera pretio aestimabilia eisdem superioribus conferunt, vel iis qui vocem habent in Capitulo, ut iisdem muneribus eos alliciant, ut suffragium in sui favorem emittant, &c. Hi omnes simoniam committunt; quia per aliquid temporale perveniunt ad aliquid spirituale.

§. IX.

De casibus, in quibus videtur committi simonia & tamen non committitur.

De munere a manu.

Prop. 1. Quicumque dat temporale pro spirituali, vel spirituale pro temporali, si det illud exclusa omni obligatione, excluso omni contractu oneroso, non peccat, nec est simoniacus.

Prob. 1. Ex responso Alexandri III. dato Strigoniensi Archiepiscopo, extra de simonia c. *Et si quaestiones*, ubi innuitur, quod quoties munere voluntatem movere, & inclinare, animumque allicere non possunt, toties simonia non inducitur.

2. *Rat.* Simonia consistit in contractu oneroso, quo venditur, aut emitur aliquid spirituale, vel aliquid spirituali annexum. Contractus autem tria importat, 1. Intentionem, 2. Conventionem, 3. Executionem: ex eo enim, quod humanus actus est, intentionem requirit, ut fiat, hoc est, ut intendat quis vendere, aut emere: ex eo quod commutatio voluntaria est, oportet partes convenire utrin-

que de pretio, vel implicite vel explicite: ex eo quod actus talis exterior ad alterum est, exigitur ad sui consummationem datio, & acceptio rei, quæ venditur, & pretii, quod impenditur; quia emptor acquirit rem, venditor acquirit pretium. Ita Cajet. Ergo simonia non committitur quoties datur, aut accipitur aliquid exclusa omni pactione tam explicita, quam implicita.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Non est simonia dare, vel recipere aliquod temporale pro spirituali motivo gratitudinis, modo illud fiat excluso omni contractu oneroso, & obligatorio, & postquam gratis collatum est spirituale.

Consect. 2. Non est simonia dare, vel recipere aliquod temporale pro spirituali motivo liberalitatis, modo illud fiat excluso omni contractu oneroso, & obligatorio, postquam gratis collatum est spirituale.

Consect. 3. Non est simonia dare, vel recipere aliquod temporale pro spirituali motivo eleemosynæ, modo illud fiat excluso omni contractu oneroso. *Noverint omnes Christiani non libertatis esse, sed debiti, ministranti Sacramenta, atque alia spiritualia stipendium aliquod solvere.* Conc. Rothomagense anno 1581. c. de Curatorum officiis, num. 26.

Consect. 4. Non est simonia dare aliquod temporale pro redimenda injusta vexatione. *Postquam*, inquit D. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5. *jus in rebus spiritualibus alicui est acquisitum, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.*

Sic possum dare temporale, ut vitem, ne mihi infligatur injusta excommunicatio, vel ut injuste excommunicatus absolvar.

Sic possum dare temporale, ut extinguam litem injustam circa beneficium, quod legitime, & pacifice possideo.

Consect. 5. Non est simonia dare aliquod temporale, aut illud recipere titulo retributionis taxatæ ab Ecclesia post collationem rei sacræ, modo non interveniat contractus onerosus, & obligatorius; si quid vero nomine eleemosynæ, aut devotionis studio peracto jam Sacramento, a fidelibus sponte offeratur, id licite pro consuetudine locorum minister accipere poterit, inquit Paulus V.

Consect. 6. Immo non est simonia exigere coram judice retributiones taxatas ab Ecclesia, modo id fiat post collationem rei sacræ; quia hoc non fit vi contractus onerosi, sed ex vi consuetudinis justæ.

Sic licet exigere retributiones taxatas post Sacramenta collata, minime ante Sacramenta collata. *Accipere, aut dare aliquid pro sustentatione ministrantium spiritualia, secundum ordinem Ecclesiæ, ut consuetudinem approbatam, licitum est, ita tamen quod desit intentio emptionis, & venditionis, & quod ab invitis non exigatur per spiritualium subtractionem, hoc enim haberet quandam venditionis speciem: gratis tamen spiritualibus datis, licite possunt statutæ, & consuetæ oblationes, & quicumque alii proventus exigi a nolentibus, solvere, authoritate superioris interveniente.* D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3. in corp.

Simoniam tamen redoleret se præbere difficilem in conferendis Sacramentis, aliisque rebus sacris ministrandis, præcipue erga pauperes, & eos avaritiæ arguere, qui dona non offerunt: immo juxta Raymundum simoniaca censenda sunt statuta, quibus dicitur, quod non fiat processio, nisi tanta pecunia detur, quod talis crux non deferatur, nisi talis retributio detur; quia, ut ait Tertullianus in Apol. cap. 39. *Neque enim pretio ullo res Dei constat .... Nemo compellitur dare, sed sponte confert.*

Consect. 7. Non est simonia dare, vel recipere, immo exigere aliquod temporale titulo pœnalitatis & mulctæ, v. g. exigere mulctam pecuniariam ab eo, qui dispensatur in votis, in impedimentis matrimonialibus; quia hoc non fit titulo contractus onerosi: Ecclesia enim illud permittit, non ut vendens spiritualia, sed ut mulctans, & puniens aliqua pœna eos, qui volunt eximi a lege communi, & gaudere privilegiis. *Pecunia* (inquit D. Thom.) *non exigitur ab eo, qui absolvitur, quasi pretium absolutionis, hoc enim esset simoniacum; sed quasi pœna culpæ præcedentis, pro qua fuit excommunicatus.* 2. 2. q. 100. a. 2. ad 3.

Consect. 8. Non est simonia, si secluso omni pacto detur aut accipiatur aliquod temporale titulo stipendii honorarii, sive hoc fiat pro celebratione Missæ, sive pro prædicatione divini verbi, sive pro ministerio Vicariatus, sive pro mortuorum sepultura, &c. *Facere pactionem* de celebranda Missa esset *Simoniacum semper; si tamen* Clericus *non habet alios sumptus, & non teneatur ex officio Missam cantare, potest accipere denarios, sicut conducti Sacerdotes faciunt, non quasi pretium Missæ, sed quasi sustentamentum vitæ.* in 4. dist. 25. q. 3. a. 2. ad 4. In hoc D. Thom. secutus est usum sui temporis.

Quæ fuerit Ecclesiæ consuetudo circa retributionem pro celebratione Missarum, paucis accipe.

Temporibus Apostolorum Fideles offerebant panem & vinum pro sacrificio, & quod supererat cedebat in usum ministrorum, & pauperum: qui mos viget adhuc in Missis defunctorum. Non solum panis & vinum offerebatur, sed & alia, ut constat ex Can. 4. Apostolorum: *Offerri non liceat aliquid ad altare præter novas spicas, & uvas, & oleum ad luminaria, & Thymiama, idest incensum, tempore quo sancta celebratur oblatio*. Postea loco panis, & farinæ, denarii oblati sunt. *Statutum est denarios formari, ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret*, inquit Honorius Augustodunensis in gemma animæ cap. 58. Tandem usu statutum est, ut pro celebratione certum statueretur stipendium: & a quibusdam Episcopis taxatum est honorarium pro Missa celebrata, quod honorarium citra simoniam accipitur.

Consect. 9. Citra ullam simoniam Papa potest annatas pecuniarias recipere ad sustentanda onera Pontificatus, vel ob alias rationes, sicut in veteri lege, Num 18. summo Sacerdoti offerebantur decimarum decimæ.

Consect. 10. Quicumque habens spirituale, confert illud dignioribus, principaliter ob gloriam Dei, minus principaliter ob emolumentum temporale sibi obventurum, modo absit omnis pactio, non peccat, nec est simoniacus: non peccat; quia, ut lex jubet, dat spirituale dignioribus: non est simoniacus; quia ad simoniam incurrendam requiritur, ut interveniat conventio, quæ ibi nulla est.

Et ita nec peccat, nec est simoniacus, qui dat spiritualia hominibus, expectans, 1. Æternam retributionem a Deo. 2. Temporalem retributionem ab hominibus; quippe (ut ait Christus) *Dignus est operarius mercede sua* Luc. 10. v. 7. Et æquum est (ut ait Paulus) 1. Cor. 9. v. 11. ut qui spiritualia seminamus, metamus temporalia; nemo enim *militat stipendiis suis*. 1. Corinth. 9. v. 7.

Dignoscitur autem, quod homo intendat primario gloriam Dei, & secundario tantum temporale, quando pari affectu confert spiritualia pauperibus, & divitibus, nullam personarum acceptionem faciens, æque contentus tenui stipendio quam pingui, æque ardenter laborans in vinea Domini, sive offeratur, sive negetur honorarium, exemplum Christi imitatus, cui magis placuit pauper vidua, quæ duo minuta in Gazophylacium miserat, quam potentes divites, qui ingentes thesauros dederant.

Mon. 1. In omnibus casibus prædictis, in quibus scilicet titulo gratitudinis, liberalitatis, eleemosynæ, retributionis, honorarii, injustæ vexationis, pœnalitatis, consuetudinis approbatæ, datur aut recipitur ex pacto aliquid pretio æstimabile, est simonia; quia quoties in rebus spiritualibus conferendis, aut recipiendis, ex pacto inducitur vis obligatoria, toties intervenit simonia. Illud Gratianus multis Canonibus ostendit. 1. Caus. q. 3. 1. Refert authoritatem Greg. Can. *audivimus*, ubi sic habetur: *A sacrilegio quoque hoc facinus non dispar dixerim, cum id, quod sponte, & sacra deliberationis arbitrio gratis fieri debuit, sub pecuniæ pactione causetur*. Et Can. *ea quæ*, ibidem dicitur: *Quidquid ergo vel in Sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus vel data, vel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, & nullas umquam vires habere censemus*. Greg. dicit: passim declinandum est, ne sub obtentu eleemosynæ peccata simoniacæ hæreseos perpetremus: & Conc. Tolet. ann. 1324. ait: *Prohibemus, ne quis Presbyter pro Missis celebrandis* (idem dic de quolibet alio spirituali) *pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem, sed gratis accipiat, si aliquid per facientem Missas celebrare oblatum sibi fuerit caritative, absque compacto, & conventione quacumque*. Can. 6 & Trid. ait sess. 22. decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ: *Atque ut multa paucis comprehendantur, in primis quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis celebrandis datur, necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones, potius quam postulationes, aliaque ejusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, omnino prohibeant*.

Mon. 2. Item in prædictis casibus intervenit si non simonia, saltem turpis quæstus, quoties pro spiritualibus collatis in receptione temporalium intervenit avaritiæ affectus; quia gregem Christi pascimus non spontanee secundum Deum, sed turpis lucri gratia, ut ait Petrus 1. Epist. 5. v. 2. *Et priorem facimus cibum, & posterius regnum Dei*, ut ait Aug. lib. 2. de serm. Domini in monte c. 16. Toties autem intervenit avaritiæ affectus, ut loquitur Alvarus Pelagius de planctu Ecclesiæ cap. 5. quoties collationem rerum spiritualium, ut quæstuariam, habet Clericus: quoties de celebratione Missarum, & collatione spiritualium artem facit de pane lucrando: quoties ad sancta accedit, sicut artifex ad artificium, lucri scilicet gratia: *quærens* (ut ait Bonav.) non

non cælestem panem, sed terrenum; non spiritum, sed lucrum; non Dei honorem, sed suam ambitionem; non salutem animarum, sed quæstum pecuniarum. Tract. de præparatione ad Missam.

Mon.3. Si gratuita etiam retributio sit vetita ab Ecclesia, peccatum esset eam dare vel accipere: ideo licet tempore Gregorii licitum esset accipere gratis oblata pro collatione Ordinum; illud jam est illicitum ex decreto Tridentini veterem illam consuetudinem abrogantis, sess.21. cap. 1. de reform. *Quoniam ab Ecclesiastico Ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, aut pro sigillo, nec alia quacumque de causa etiam sponte oblatum, Episcopi & alii Ordinum collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant*. Decima tamen pars aurei potest dari Notario, si salarium non habeat aliunde, modo hinc Episcopo nihil lucri vel directe, vel indirecte obveniat. Idem dicitur de examinatoribus, quando fit examen, ut eligatur dignior ad Ecclesiam Parochialem dandam in concursu. *Caveant, ne quidquam prorsus occasione hujus examinis nec ante, nec post recipiant; alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocumque etiam antea obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles reddantur*. Sess.24.c.18. Item Episcopis prohibetur aliquid accipere etiam titulo stipendii pro dispensationibus, aliisve functionibus Ecclesiasticis. Cap. *Jacobus* de simonia.

De munere a lingua.

Prop.2. Quicumque adhibet preces non urgentes, sed solum manifestantes meritum, & dignitatem personæ, quæ proponitur, ut ei aliquid spirituale præ alio conferatur; non est simoniacus, nec ibi ullum reperitur peccatum.

1. Nullum ibi committitur peccatum; quia licitum est manifestare meritum personarum utilium Ecclesiæ, immo illud est necessarium.

2. Nulla ibi est simonia, tum quia non est conventio, tum quia non est simonia in precibus, nisi quando non attenditur *ad dignitatem personæ, sed ad favorem humanum*, ut loquitur D.Th.2.2.q.100.a.5.ad 3.

Illud idem docet Gratianus (*a*) cap. 1. q.1. post.Can. 122. *Non quorumlibet precibus Ordinationes factæ falsæ dijudicantur; sed hæ demum, quæ precibus ordinandi, vel ejus amici, non spirituali, sed carnali affectu porrectis, fiunt cum alias futuræ non essent, quas non caritas interveniens, sed ambitio supplicans extorquet*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect.1. Non peccat, nec simoniacus est, qui manifestat meritum alterius, ut ei conferatur beneficium, præbenda, prælatura, potestas prædicandi, conferendi sacra, modo aliunde nullum sit pravum motivum vitians illam actionem.

Consect.2. Non peccant Curati, qui exhibent, & manifestant Episcopis Clericos aptos ad beneficia, ad conferenda Sacramenta, ad concionandum, &c. immo bene agunt, modo non sit prava intentio.

Consect.3. Non peccant superiores religiosi, qui Episcopis exhibent religiosos sui Ordinis idoneos ad prædicandum, & conferendum Sacramenta; quia illi omnes non adhibent, ut supponimus, preces urgentes, immo bene agunt, modo non sit prava intentio; quia hi omnes in prædictis casibus nihil aliud intendunt, quam offerre bonos operarios, sequentes in hoc præceptum Christi, Luc. 10.2. *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam*.

An vero aliquis possit exhibere seipsum Episcopis, & offerre se ad beneficium recipiendum, ad conferenda Sacramenta, ad concionandum, &c. si ducatur puro, & sincero zelo animarum, illud potest; imitatur enim Prophetam Isaiam dicentem, 6.v.8. *Ecce ego, mitte me*; sed cavendum maxime, ne spes lucri latitet sub specie zeli.

De munere ab obsequio.

Prop. 3. Quicumque exhibet obsequium honestum, & spirituale, principaliter propter gloriam Dei, & secundario propter emolumentum temporale, non peccat, nec est simoniacus.

Prob. 1. Non peccat, cum per se primo intendat gloriam Dei. 2. Non est simoniacus, cum nullum ibi interveniat pactum.

2. Quicumque dat spirituale dignioribus propter obsequium honestum, & spiritua-

(*a*) Gratianus author est privatus, non habet auctoritatem irrefragabilem, nec fidem facit, uti facit Jus Canonicum; sed ejus sententia non est omnino spernenda, præcipue cum cohæret Canonibus, quos explicat.

rituale redditum Ecclesiæ, non peccat, nec est simoniacus; sed e contra bene agit.

Prob. 1. Non peccat, cum tamquam procurator fidelis provideat Ecclesiæ bonos operarios, eosque remunerans temporali illa retributione, sequitur illud Christi, Luc. 10. v. 7. *Dignus est operarius mercede sua.*

2. Non est simoniacus; simonia enim consistit in venditione, & emptione rei sacræ; hic autem non intervenit emptio vel venditio.

Utramque prædictæ propositionis partem confirmat jus canonicum his verbis, Can. *Ecclesiasticis.* 12. q. 2. *Ecclesiasticis utilitatibus desudantes, ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere, ut qui se voluntariis obsequiorum necessitatibus sponte subjiciunt, digne nostris provisionibus consolentur.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Clericus, qui servit Altari, v. g. prædicat, audit confessiones, servit Episcopis in rebus pertinentibus ad utilitatem Ecclesiæ, non est simoniacus, licet ei ob retributionem talis obsequii obveniat beneficium. Ecclesiasticis utilitatibus deservientes (inquit D. Th.) dignum est Ecclesiastica remuneratione gaudere. *Si aliquis Clericus alicui Prælato impendat obsequium honestum & ad spiritualia ordinatum, puta, ad Ecclesiæ utilitatem, vel ministrorum ejus auxilium, ex ipsa devotione obsequii redditur dignus beneficio Ecclesiastico.* 2. 2. q. 100. a. 5. ad 1.

Consect. 2. Religiosus, qui exacte servat regulam, moremgerit superiori in omnibus, non est simoniacus, licet ob retributionem talis obsequii ei obveniat Prælatura.

Consect. 3. Qui dat Sacramenta dignioribus ob zelum, quem videt in ipsis, non peccat, nec est simoniacus, sed sancte se gerit.

Consect. 4. Qui dat beneficium Clericis, v. g. Vicariis, attendendo ad obsequium spirituale, quod exhibuerunt Ecclesiæ, non peccat, nec est simoniacus.

Consect. 5. Episcopus, qui dat beneficium Sacerdoti, quia ei ministravit in visitanda Diœcesi, in concionibus, in missionibus, non peccat, nec est simoniacus.

Consect. 6. Episcopus, qui dat stationes ad prædicandum Sacerdotibus, Religiosis, &c. qui laborant spiritualiter in Diœcesi, potius quam extraneis, nec est simoniacus, nec peccat.

In prædictis casibus nulla est simonia; quia nullum est pactum: immo est sancta administratio rerum spiritualium; quia res sacræ conferuntur juxta meritum dignioris personæ.

§. X.

De Simonia fiduciaria.

Prop. 1. Simonia fiduciaria incurritur quoties quis confert beneficium, ea conditione, ut ille aut alteri illud idem beneficium, aut sibi aliud conferat, aut beneficii fructus, aut partem fructuum ab alio percipi sinat.

Prob. 1. Script. Toties ex Scriptura simonia committitur, quoties spirituale non datur gratis, juxta illud: *Gratis accepistis, gratis date*: atqui illud contingit in prædicto casu: ergo in prædicto casu incurritur simonia.

2. Ex Urbano III. an. 1186. *Generaliter*, inquit, *itaque teneas, quod commutationes præbendarum de jure fieri nnn possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ.* Capite *Quæsitum*, de rerum permutatione.

3. Ex Concil. Rhemensi. Si quis beneficium in compensationes collationis etiam alteri conferendum exigat, vel aliam quamlibet pactionem a Sede Apostolica non approbatam fecerit, simoniacus esse censeatur. Idem determinat Pius IV. Bulla, quæ incipit *Romanum Pontificem* & Pius V. Bulla, quæ incipit *Intolerabilem.*

4. Ratione. In spiritualibus omnis pactio, omnisque conventio cessare debet, & omnes pactiones nullius penitus sunt momenti: ita jus canonicum. Extra. de pactis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui resignat beneficium cum lege retrocessionis, idest, ea lege, quod sibi liceat illud idem beneficium occupare, est simoniacus; quia illud prohibetur prædictis Bullis.

Consect. 2. Qui resignat beneficium ea lege, ut alteri conferatur, ut illius fructus, vel pars eorum aliis conferantur, vel pensiones illicitæ ex eisdem fructibus solvantur, est simoniacus; quia omnis conventio abesse debet in resignationibus. Cap. *Quæsitum*. Extra. De rerum permutatione, & cap. *Pactiones*. Extra. de pactis. Quandonam pensiones sint licitæ, dicemus ubi de beneficiis, ubi agemus de statu Clericorum.

Consect. 3. Qui confert beneficium lege tacita, vel expressa, ut illud beneficium, aut aliud alteri, vel per se, vel per alium, personæ a collatore designandæ, conferatur, est simoniacus. Item qui ita paciscitur: ego nunquam consentiam, ut talis, quem proponis, fit

sit Canonicus, nisi vicissim ipse consentias, ut talis, quem ego propono sit Canonicus; quia eæ pactiones sunt confidentiariæ.

Consect. 4. Qui acceptat beneficium ea conditione, ut non recipiat fructus, sed ut alius fructibus, vel eorum portione sub ipsius nomine gaudeat, est simoniacus confidentiarius: quia ita determinatur in prædictis Bullis.

Consect. 5. De simonia fiduciaria suspecti sunt *Qui sine intentione clericandi beneficia ad tempus retinent, in cognatos tandem resignanda, eoque modo de uno ad alium transferenda, & perpetuo in eadem domo quasi hæreditario jure possidenda*. Concil. Burdigalense anno 1624. cap. de simonia num. 2.

Consect. 6. Simoniam committunt duo collatores, qui ad prælaturam spiritualem sibi mutuo suffragari paciscuntur. Ita declaravit Alexander III. dicens: quod Episcopus Oxoniensis erat simoniacus, eo quod Archidiacono beneficium, & Clerico cuidam Prioratum promiserat, si ambo suæ electioni consentirent. Capite *De hoc autem* de simonia.

Idem declaravit Facultas Parisiensis, damnans hanc propositionem: *Simoniæ rei non sunt viri duo religiosi, qui in hunc modum paciscuntur: suffragare mihi, ut sim Provincialis: & tibi suffragabor, ut sis Prior*. Hi simoniam committunt; quia rem spiritualem conferunt non gratis, sed cum pactione.

Nota. Simoniam fiduciariam non committit qui beneficium remittit in manu collatoris sine ullo pacto tacito, vel expresso, quamvis speret patronum illud beneficium collaturum ei, quem ad hoc beneficium promoveri desiderat; quia ibi nullum est pactum.

§. XI.

De pœnis Simoniæ fiduciariæ.

1. Simoniacus fiduciarius excommunicatur excommunicatione reservata summo Pontifici. 2. Privatur quibuscumque beneficiis, etiam alias canonice obtentis. 3. Restituere cogitur omnes fructus beneficii simoniace accepti. 4. Redditur inhabilis ad alia beneficia, a solo summo Pontifice rehabilitandus. 5. Extra Galliam collatio beneficii simonia fiduciaria accepti devolvitur ad Papam, in Gallia vero ad Ordinarium. Illa omnia constant ex Bullis supra citatis.

§. XII.

De Simonia, quæ committi potest in ingressu ad Religionem.

Prop. 1. Omnis conventio, & pactio tradendi pecuniam pro ingressu in religionem tam in Monasteriis pauperibus, quam divitibus, est simoniaca.

Prob. 1. Ex Script. Omnis res spiritualis debet dari gratis, juxta illud: *Gratis accepistis, gratis date*: atqui ingressus in religionem est res spiritualis: ergo debet gratis concedi; & ita simonia committitur quoties fit pactum dandi pecuniam.

2. Ex Concilio Nicæno secundo action. 7. & ultima, Canone 19. *Si quis*, inquit Concilium, *inventus fuerit hoc faciens*, id est, dans, vel accipiens pecuniam pro ingressu in religionem; *si quidem Episcopus, vel Abbas extiterit, aut quilibet de sacro Collegio, aut desinat, aut deponatur*.

3. Ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. Can. 10. *Monachi*, inquit, *non pretio recipiuntur in Monasterio. Si quis autem exactus pro sua receptione aliquid dederit, ad Sacros Ordines non ascendat. Is autem, qui receperit, officii sui privatione mulctetur.*

4. Ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Can. 64. *Quoniam simoniaca labes adeo plerasque Moniales infecit, ut vix aliquas sine pretio recipiant in sorores paupertatis prætextu, volentes hujusmodi vitium palliare: ne id de cætero fiat, prohibemus*. Et ibidem contravenientes detruduntur *in locum arctioris regulæ, ad agendam perpetuam pœnitentiam*.

5. *Rat.* Ingressus in religionem est aliquid spirituale, ad quod per temporale non licet pervenire.

Prop. 2. Pro victu, & vestitu Novitiorum, & Novitiarum toto probationis anno congrua pensio exigi, & recipi potest sine simonia a quibuscumque Monasteriis & divitibus & pauperibus.

Prob. 1. Ex Concil. Triden. sess. 25. c. 16. *Sed neque ante professionem excepto victu, & vestitu Novitii, vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu a parentibus, vel propinquis, aut curatoribus ejus, Monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur.*

2. *Rat.* Novitius & Novitia non habent jus, ut ex Monasterii bonis alantur; illud quippe jus non habetur, nisi per professionem: ergo potest aliquid recipi, immo exigi pro pensione vitalitia.

Prop. 3. Quoties in Monasterio diviti

erunt superflua, & Novitius vel Novitia ob paupertatem non poterunt congruam pensionem etiam pro anno Novitiatus solvere, toties Monasterium tenebitur ex caritate nil exigere vel recipere pro pensione Novitiatus; immo neque pro dotali, vel vitalitia pensione, si Monasterium valeat illam eleemosynam impendere.

Prob. Ex caritate tenemur dare superfluum pauperibus: non potest autem congruentius eleemosyna fieri a Monasterio, quam illi, qui vult Monasterium ingredi: ergo in illo casu nihil debet exigi.

Prop. 4. Pensiones vitalitiæ consuetæ, & legitimæ eleemosynæ non solum recipi, sed exigi possunt a Monasteriis inopibus, & tenuibus.

Prob. 1. Ex Concil. Senonensi an. 1528. *Si qua enim puella ultra numerum constitutum, in Monasterium se recipi petat, id permittunt, dummodo secum congruam afferat pensionem, qua cum cæteris religiosis numerariis alatur.* Titulo de decretis morum c. 28.

2. Ex Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. *In Monasteriis & domibus tam virorum, quam mulierum bona immobilia possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari.* Ex quo videtur sequi, quod si quis velit recipi in Monasterio inopi, debeat redditus afferre, quibus cum aliis commode ali possit. Sicut cernimus, quod cum quis Clericus non habet beneficium, sub cujus titulo Subdiaconatum accipiat, Ecclesia exigit titulum patrimonialem, ut licite ordinari possit.

3. Ex D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4. *Dicendum, quod pro ingressu Monasterii non licet aliquid exigere, vel accipere quasi pretium; licet tamen, si Monasterium sit tenue quod non sufficiat ad tot personas nutriendas, gratis quidem ingressum Monasterii exhibere, sed accipere aliquid pro victu personæ, quæ in Monasterio fuerit recipienda, si ad hoc non sufficiant Monasterii opes.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. In Monasteriis, in quibus præfixus est numerus Monialium, vel Religiosorum, potest recipi, immo exigi dos, vel pensio vitalitia pro ea persona, quæ ultra numerum voluerit recipi.

Consect. 2. A fortiori aliquid potest recipi ab ea persona, quæ ob provectam ætatem, vel ob graves infirmitates habituales, vel ob ingenii tarditatem, & hebetudinem, aliasque rationes, prævidetur onerosa Monasterio; quia justum est, ut Monasterium servetur indemne.

Prop. 5. In Monasteriis, in quibus præfixus est numerus personarum religiosarum, quæ ex redditibus, & eleemosynis ali possunt, simonia non committitur, si dos, vel pensio vitalitia recipiatur etiam pro ea persona, quæ non excedit numerum definitum, modo certæ conditiones observentur infra determinandæ.

Prob. Illud definivit Congregatio Cardinalium interpr. Concilii Tridentini, ut refert Fagnanus, cujus hæc sunt verba: Hanc difficultatem sustulit postea sacra Congregatio super negotiis Episcoporum, & Regularium, quæ animadvertens sanctimonialium Monasteria sine dotium subsidio diu sustineri non posse, & propter ingruentes necessitates & casus inopinatos plerumque ad inopiam redigi, summis Pontificibus approbantibus, prudenter sanxit, ut dotales eleemosynæ a numerariis Monialibus persolverentur, tametsi numerus esset taxatus ad mensuram reddituum Monasterii; ex penuria enim multa proveniunt mala, præsertim in Monasteriis dominarum, inquit Ostiensis hic in finem. Hactenus Fagnanus in cap. *Non amplius*. Extra de institutionibus num. 24. Idem docent Sotus, & Sylvester; quia, inquiunt, hæc taxatio fit titulo sustentationis. Verum hæc sententia Fagnani ita videtur determinanda.

1. Quoties in Monasterio erunt superflua, & persona, quæ vult profiteri religionem, non poterit pensionem vitalitiam solvere, toties Monasterium debebit illam gratis admittere, si professa non sit futura oneri Monasterio. 1. Quia ex caritate Monasterium debet eleemosynam dare, & non potest eleemosynam Deo gratiorem efficere. 2. Quia debet omnem speciem simoniæ longe amovere, quod utique fiet, si dum se exhibet occasio, gratis pauperes personas ad professionem admittat.

2. Quando licebit Monasterio pensionem vitalitiam exigere, hæc pensio non debet esse nec arcta, nec excedens, sed solum sufficiens ad monialem decenter nutriendam, & juxta piam, & christianam locorum consuetudinem taxandam. *Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti simus.* 1. Timoth. 6. v. 8. Et Trid. in temporalibus Monasteriorum facultatibus eam ineundam esse rationem ait, ut Monialium *numerus commode sustentari possit*. Sess. 25. c. 3.

3. Ex-

3. Extirpanda est illa consuetudo, vel potius corruptela, qua fit, ut quo Monasteria sunt ditiora, eo opulentiores, & pinguiores pensiones exigant: qua fit pariter ut idoneæ personæ rejiciantur, si dotem taxatam non habeant, ineptæ vero admittantur, modo dotem afferant; quia sic vere venditur ingressus in religionem, & contra illum præsertim abusum statuti sunt Canones, qui referuntur c. *Quoniam simoniaca*, de simonia.

4. Extirpanda est fœda illa consuetudo, qua exigitur pecunia pro extruendis conviviis in die vestitionis, aut professionis. Num satius esset (inquit Navarrus) modesta quædam humilisque temperantia spirituali conjuncta contemplationi, quam pomposa intemperantia mundanæ cuidam admixta voluptati, in funeralibus ejus, quæ per professionem moritur mundo; & nascitur, vel excrescit Deo.

§. XIII.

De Bursarum venditione.

Bursæ sunt annuum subsidium, munificentia fidelium fundatum, ut pauperes scholastici studiorum suorum cursum possint peragere sub eo onere, quod scholastici bursarii teneantur statutis fundatorum obedire.

Prop. 1. Bursarum venditio non est simoniaca.

Prob. Bursæ non sunt proprie beneficia: beneficium quippe ecclesiasticum est potestas spiritualis exercendi ministerium ecclesiasticum cum jure percipiendi redditus temporales. Bursa vero est subsidium temporale datum pauperi, ut studiorum cursum peragere valeat: quæ duo maxime differunt.

Illud pariter videtur probasse Sorbona: cum enim Baccalaureus quidam, nomine Clictoraus, has propositiones asseruisset: *Non est illicitum lege divina & naturali vendere beneficia: Item non est illicitum lege divina & naturali bursas vendere*: Facultas Sorbonica determinavit primam propositionem simoniacam labem inducere; secundam vero turpe lucrum fovere: quam distinctionem non adhibuisset Sorbona, si talis venditio esset simoniaca.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Venditores bursarum non subjiciuntur iisdem pœnis canonicis supra relatis, quibus subjiciuntur venditores beneficiorum; quia talis venditio non est vere simoniaca.

Prop. 2. Bursarum venditio est turpe lucrum prorsus illicitum.

Prob. Turpe lucrum dicitur, vel quod ex turpi commercio provenit, quale est lucrum meretricis, vel quod ex animo ita cupido quæritur, ut etiam ex alia quacumque re paratus sit homo sic operans divitias sibi parare. Utraque autem labes in bursarum venditione reperitur: turpe quippe est venumdare bursas in pauperum subsidium institutas; & illud commercium arguit hominem ita avarum, ut nihil curet, modo lucrum faciat.

Illud idem expresse determinavit Sorbona, sequentem propositionem censura afficiens: *Non est illicitum lege divina aut naturali bursas vendere.* Hæc propositio, ait, est scandalosa, & turpe lucrum impie fovens.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Venditores bursarum non possunt retinere pecuniam, quam acceperunt ex bursarum venditione; sed debent eam pauperibus distribuere, aut in bonum Collegii destinare, 1. Non possunt eam pecuniam retinere; quia non sunt domini bursarum. 2. Debent eam pecuniam vel pauperibus distribuere, vel in bonum Collegii destinare; id enim videtur exigere recta & justa intentio fundatoris.

Prop. 3. Scholares bursarii tenentur exacte institutis fundatorum parere, alioquin peccant, & tenentur ad restitutionem.

Prob. Fideles, qui subsidia illa suis munificentiis in perpetuum stabilierunt, voluerunt eas eleemosynas largiri cum certo onere: & proinde, qui eas eleemosynas recipiunt, non fiunt eorum bonorum domini, nisi impositam conditionem adimpleant.

Et sicuti beneficiatus omittens sine causa horas canonicas tenetur ad restitutionem fructuum ex beneficio provenientium, ut statutum est in Concil. Lateranensi sub Leone X. ita & bursarii officiis suis non perfuncti tenentur ad restitutionem.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Bursarii, qui non habent dotes requisitas a fundatoribus, tenentur fructus perceptos restituere; quia impositas conditiones non implent.

Sic bursarii divites tenentur restituere, quando bursæ sunt fundatæ pro inopibus, non pro divitibus.

Sic bursarii unius Diœceseos tenentur restituere, quando bursæ sunt fundatæ pro personis

ſonis alterius Diœceſeos, quarum locum injuſte detinent.

Sic burſarii non Clerici tenentur reſtituere, quando burſæ ſunt fundatæ pro ſolis Clericis.

Sic burſarii, qui non habent animum clericandi, tenentur reſtituere, quando burſæ ſunt fundatæ pro iis ſolum, qui volunt in Sacerdotio miniſtrare Eccleſiæ.

Conſect. 2. Quando burſæ ſunt fundatæ ad obtinendos gradus, v. g. Baccalaureatus, Doctoratus, &c. illi, qui talem gradum conſecuti ſunt, debent abdicare burſas, & eas digniori reſignare; quia alias intentionem fundatoris non exequerentur.

Conſect. 3. Quando burſæ ſunt deſtinatæ ad ſpiritualis alicujus ſcientiæ ſtudium, burſarii tenentur huic ſcientiæ, & non alteri ſtudere: v. g. ſi burſa fuerit fundata ad ſtudendum Theologiæ, non debet ſtudere Medicinæ; quia alias non ſatisfacit intentioni fundatoris, niſi forte eo fine ſtudeat, ut per ſtudium unius ſcientiæ diſponatur ad ſtudium alterius ſcientiæ.

Conſect. 4. Quando burſæ ſunt fundatæ ad procurandos fideles operarios in vinea Domini, quando burſarius conſecutus eſt ſcientiam neceſſariam ad miniſtrandum Eccleſiæ, debet in vinea Chriſti operari, & burſam ſuam abdicare; quia alias non ſatisfaceret intentioni fundatoris.

§. XIV.

De remediis contra Simoniam.

Præcipuum remedium contra ſimoniam eſt, ut qui vel conferunt, vel recipiunt ſpiritualia, nullum lucrum quærant, ſed ſolam Dei gloriam ambiant.

1. *Gratis accepiſtis, gratis date*, ideſt, ut ait Gennadius, ſi a me hoc vobis venditum eſt, vos quoque ipſum aliis vendite; ſi autem *gratis accepiſtis, gratis date*.

En præceptum impoſitum his, qui conferunt ſpiritualia; audi modo præceptum recipientibus ſpiritualia impoſitum: *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee, ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie.* 1. Pet. 5. v. 2.

Quapropter, *ſi Evangelium* (idem dic de aliis ſpiritualibus bonis) *propter cibum quærimus, priorem facimus cibum, poſterius Regnum Dei; ſi evangelizamus, ut manducemus, vilius habemus Evangelium, quam cibum*. Aug. lib. 2. de ſerm. in monte cap. 16. Ergo &c.

Qui enim officium eccleſiaſticum eo quærit, aut tenet animo, eoque intuitu, ut huic vitæ habeat neceſſaria, perverſo nimis ordine cæleſtibus terrena mercatur.

TRACTATUS NONUS.

DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

SEcundum Præceptum Decalogi his verbis exprimitur: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum; nec enim inſontem habebit Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Dei ſui fruſtra*. Exod. c. 20.

Hoc Præceptum aliquid præcipit, aliquid vetat: præcipit, ut Dei nomen honoretur: prohibet, ne nomen Dei contemnatur; nomen autem Dei honoratur fide, ſpe, caritate, & religione, de quibus ſupra: contemnitur vero blaphemia, juramentis illicitis, imprecatione, de quibus omnibus hic agemus.

CAPUT I.

De Blaſphemia.

ARTICULUS I.

EXplicatur natura blaſphemiæ, ſimulque traduntur variæ notiones ad blaſphemiam pertinentes.

Blaſphemia eſt injurioſa tum in Deum, tum in res ſacras, vel interna, vel externa locutio.

Blaſphemia alia eſt cordis, ſeu interior: alia oris, ſeu exterior.

Blaſphemia interior ea eſt, qua interius male ſentimus de Deo, rebuſve divinis. Talis eſt cogitatio interior eorum, qui Deum ſibi fingunt vel miſericordem ſine juſtitia, vel juſtum ſine miſericordia. Talis eſt blaſphemia illius, de quo David Pſal. 13. *Dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus*.

Blaſphemia exterior ea eſt, qua vel verbis, vel ſcriptis, vel cantu, vel ſono inarticulato, aliove ſigno ſenſibili aliquid injurioſum vel contra Deum, vel contra res ſacras proferimus. Talis eſt actio eorum, qui verbis ſuis, aut ſigno aliquo ſenſibili, Deo, aut rebus ſacris contumeliam irrogant.

Blaſphemia tum interior, tum exterior, ſeu tum cordis, tum oris, alia eſt *enuntiativa*, alia *imprecativa*, alia *dehoneſtativa*, alia *hæreticalis*, alia non *hæreticalis*, ut dicunt.

Blaſphemia *enuntiativa* ea eſt, qua Deo rebuſve divinis attribuitur aliqua imperfectio,

quæ eis minime convenit; aut de Deo rebusve divinis negatur aliqua perfectio, quæ eis maxime convenit: ut si quis assertive dicat, quod Deus est injustus, quod Sacramenta sint inutilia; vel si neget, quod Deus sit sanctus, quod Sacramenta conferant gratiam.

Blasphemia *imprecativa* ea est, qua Deo rebusve divinis malum aliquod imprecamur: ut si quis sanctum nomen Dei maledictis impetat.

Blasphemia *dehonestativa* ea est, qua membra Christi, vel Sanctorum inhoneste nominantur.

Blasphemia *hæreticalis* ea est, qua asseritur aliquid fidei contrarium, vel negatur aliquid ad fidem pertinens.

Blasphemia non *hæreticalis* ea est, quæ nihil continet contra fidem. Talis est ea blasphemia, quæ fit optando, vel imprecando, aliquod malum Deo, itemque ea, quæ ex iracundia proficiscitur in despectum Dei, nullum tamen errorem in fide continens.

ARTICULUS II.

Quam grave sit peccatum Blasphemiæ.

PRop. unica. Blasphemia est peccatum ex suo genere mortale.

Prob. 1. Ex Script. *Est & alia loquela*, blasphemia scilicet, *contraria morti*, idest, mortifera. *Non inveniatur in hæreditate Jacob*. Ecclesiastici 23. v. 15. Et ad Ephes. 4. v. 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei... Omnis amaritudo ... & blasphemia tollatur a vobis*. Ergo cum blasphemia juxta Ecclesiasticum sit mortifera, & juxta Paulum contristet Spiritum Sanctum, debet esse peccatum mortale.

2. Ex Aug. lib. contra mendacium cap. 19. *Ideo autem pejus est blasphemare, quam pejerare; quoniam pejerando falsæ rei adhibetur testis Deus; blasphemando autem de ipso falsa dicuntur Deo*: Ergo blasphemia est peccatum mortale, cum sit pejor perjurio.

3. Rat. Per blasphemiam negatur Deo, aut rebus divinis perfectio, quæ eis debetur; aut eis tribuitur imperfectio, quæ eis non convenit: ergo cum id sit maxime injuriosum Deo, rebusque divinis, blasphemia est peccatum mortale.

Prob. 4. Ex pœnis destinatis contra illud vitium. Blasphematores in lege Mosaica morte puniebantur. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur*. Lev. 14. v. 16. In lege Evangelica, Blasphemia in Spiritum Sanctum *non remittitur neque in hoc sæculo, neque in futuro*. In jure Canonico can. *Si quis*, 22. q. 1. determinatur, quod *si quis per capillum Dei, vel caput juraverit, vel alio modo blasphemia contra Deum usus fuerit, si in Ecclesiastico ordine est, deponatur, si Laicus, anathematizetur*. Et cap. *Statuimus de maledicis*, statuitur gravis pœnitentia, quam si blasphemus nolit adimplere, interdicitur ei *ingressus Ecclesiæ*, & in morte privatur *Ecclesiastica sepultura*. Item blasphemum non posse absolvi sine gravissima pœnitentia decrevit Concil. Lateranense.

In jure civili, qui rei sunt blasphemiæ, sæpissime damnantur pœna capitis: unde S. Ludovicus Rex Galliæ contra blasphemos constituit pœnam *igniti cauterii* in fronte, ut habetur cap. *Statuimus de maledicis*: similemque zelum pro extirpanda a Regno suo blasphemia adhibuerunt Ludovic. XIII. & XIV. ut patet ex eorum Edictis: & quidem merito, nam, ut optime ait Aug. lib. 5. civit. c. 24. is felix & magnus Rex est, si suam potestatem ad Dei cultum maxime dilatandum majestati ejus famulam faciat: ergo graves illæ pœnæ contra blasphemos destinatæ denotant blasphemiam esse peccatum mortale ex genere suo; potest autem fieri veniale ex sola indeliberatione, minime vero ex *levitate materiæ*: sicuti enim perjurium etiam in *minima re* gravem continet malitiam; ita quoque blasphemia in *quacumque materia* gravem in Deum injuriam involvit.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant mortaliter qui interius aliquid negant Deo, vel rebus sacris, quod eis tamen revera convenit; v.g. qui interius dicunt: *Deus non est justus, Evangelium non est sacrum, &c.* Talis est blasphemia dæmonum interius divinam bonitatem & justitiam execrantium, ut dicitur Apoc. 16. *Æstuaverunt æstu magno, & blasphemaverunt nomen Domini*. Talis est etiam blasphemia eorum, qui de Deo, rebusque sacris non satis alte sentiunt, inter quos numerari potest Rex Tyri, quem ita jussu Dei alloquitur Ezech. 28. v. 2. *Hæc dicit. Dominus Deus: eo quod elevatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum... Cum sis homo & non Deus, & dedisti cor tuum quasi cor Dei .... Morte incircumcisorum morieris*. v. 10.

Consect. 2. Peccant mortaliter qui exterius voce vel scripto negant aliquid, quod aut Deo, aut rebus sacris convenit, vel affirmant aliquid, quod Deo rebusve divinis minime convenit. Talis fuit blasphemia

Pharaonis supremum dominium Deo abnegantis his verbis : *Nescio Dominum & Israel non dimittam*. Exod. 5. v. 2. Talis item fuit blasphemia Nabuchodonosor infirmitatem Deo attribuentis : *Et quis est Deus*, inquiebat, *qui eripiat vos de manu mea?* Dan. 3. v. 15. Talis quoque fuit blasphemia Sennacherib, qui comparans Deum verum cum Diis gentium dicebat : *Non conturbet vos Ezechias dicens : Dominus liberabit nos. Numquid liberaverunt Dii gentium unusquisque terram suam de manu Regis Assyriorum?* Isai. 36. v. 18.

Consect. 3. Peccant mortaliter qui signo aliquo exteriori Deum, aut res sacras aspernantur, v. g. expuunt in cælum, in crucem, in imagines, in reliquias, in Sacramenta, &c. quia hæc contra res sacras contumelia blasphemiam redolet. Talis erat Judæorum contra Christum cruci affixum contumelia, qui juxta Matth. 27. v. 39. *Prætereuntes blasphemabant eum moventes capita sua*. Talis fuit pariter blasphemia Juliani apostatæ, qui vulneratus sagitta projiciebat sanguinem suum in cælum, dicens : *vicisti Galilæe, vicisti*.

Consect. 4. Peccant mortaliter qui ex impotenti animo, ex ira, aut alio pravo motu verba contumeliosa in Deum, aut res sacras proferunt : hi dicuntur blasphemare in Patrem, cui attribuitur omnipotentia, cui videtur expressius opponi blasphemia impotentis animi. Talis fuit blasphemia illius, qui jussu Dei lapidatus est ; jurgatus enim cum Israelita blasphemavit : res ad Moysem defertur, qui interrogat Dominum : consultus Dominus respondet, dicens : *Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus*. Lev. 24. v. 14.

Consect. 5. Peccant peccato blasphemiæ qui ex ignorantia verba contumeliosa in Deum proferunt : hi dicuntur blasphemare in Filium, cui attribuitur *sapientia*, cui videtur expressius opponi blasphemia ex ignorantia. Talis fuit blasphemia Pauli ante ejus conversionem, ut ipse fatetur 1. ad Tim 1. v. 13. *Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus : sed misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate*.

Consect. 6. Peccant peccato blasphemiæ qui ex malitia verba contumeliosa in Deum proferunt, attribuentes spiritui maligno id, quod venit ex Spiritu Sancto : & hi dicuntur blasphemare in Spiritum Sanctum, cui attribuitur *bonitas*, cui expressius opponitur blasphemia ex malitia. Talis erat blasphemia Judæorum opera Christi in Beelzebub refundentium. *In Beelzebub principe Dæmoniorum*, ajebant, *ejicit Dæmonia*. Luc. 11 v. 3.

Consect. 7. Peccant peccato blasphemiæ qui assumunt nomen Dei, aut Christi ad execrationes. *Immanis est blasphemia*, ex Concil. Trecens. apud Bochellum, *cum Sanctum Dei nomen & virtus Dei, & salutaris Christi passio, & adoranda vulnera, & devotus pro hominum salute sanguis ejus, & reverenda Christi Sacramenta ad execrationes & maledictiones assumuntur*.

Consect. 8. Peccant peccato blasphemiæ, aut reducto ad blasphemium, qui in Deum, aut Sanctos contumeliosa verba proferunt, eorum significationem advertentes, quamvis intentionem actualem non habeant blasphemandi; nam ad peccatum non requiritur advertentia actualis : D. quippe Paulus fatetur se reum esse blasphemiæ, quamvis ignoranter egisset. *Cum aliquis*, inquit D. Th. 2. 2. q. 13. a. 2. ad 3. *subito ex aliqua passione in verba imaginata prorumpit, quorum significationem non considerat, tunc est peccatum veniale, & non habet proprie rationem blasphemiæ : alio modo, quando advertit hoc esse blasphemiam, considerans significata verborum, & tunc non excusatur a peccato mortali; sicuti nec ille, qui ex subito motu aliquem occidit juxta se sedentem*.

Consect. 9. Peccant peccato ad blasphemiam pertinente qui Dei nomen incommunicabile, aut attributum aliquod divinum creaturis ascribunt ; quia de Deo non loquuntur uti decet. Exemplum habemus in Herode Agrippa, qui Tyriis & Judæis pacem postulantibus, & populo acclamante, *Dei voces, & non hominis, confestim percussus fuit ab Angelo Domini; & ex eo quod non dedisset honorem Deo, consumptus vermibus expiravit*. Act. c. 12. v. 22. Simili inquinantur peccato viles illæ animæ, quæ hominibus mortalibus laudes soli Deo debitas tribuunt. Id præstant aliquando prædicatores in suis concionibus, Authores in suis libris.

Consect. 10. Peccant peccato ad blasphemiam pertinente qui ut asserant, aut negent aliquid etiam verum, sic prologui non pertimescunt : *Hoc magis verum est, quam Deus sit verax, quam Evangelium sit verum, quam res fidei sit vera, &c. Ego sum magis innocens, quam Christus, quam Virgo*; hæc enim impia & injusta comparatio est Deo, rebusque divinis quam maxime injuriosa : non videtur autem blasphemiæ reus qui asserendo sic loquitur : Hoc ita est verum & certum, sicuti certum

certum est Evangelium, si intelligatur cum quadam proportione, ita ut sensus sit: hoc esse verum suo modo, sicut Deus est verax, sicut Evangelium est verum: est tamen abstinendum a tali loquendi formula; impium enim aliquid sapit istaec assertio.

Consect. 11. Peccant peccato blasphemiae qui maledicunt creaturis, quatenus sunt opus Dei: ita D. Th. 2. 2. quaest. 76. a. 2. in corpore. *Maledicere autem*, inquit, *rebus irrationabilibus, in quantum sunt creaturae Dei, est peccatum blasphemiae: maledicere autem eis secundum se consideratis, est otiosum & vanum, & per consequens illicitum.*

Consect. 12. Peccant blasphemia operis fideles, qui infidelibus sunt scandalo, Sacerdotes, qui laicis scandalum pariunt, & demum omnes, qui aliis non praelucent exemplo: de quibus sic loquitur Paulus ad Rom. 2. v. 23. *Qui in lege gloriaris, per praevaricationem legis Deum inhonoras; nomen enim Dei per vos blasphematur inter gentes, sicut scriptum est.*

CAPUT II.

De Juramento.

ARTICULUS I.

Explanatur quid sit Juramentum, simulque traduntur variae notiones ad Juramentum pertinentes.

JUramentum est divini Numinis attestatio ad faciendam fidem *circa rem assertam*, promissionemve firmandam *circa rem promissam*: unde jurare, juxta Chrysostomum & Augustinum, est accipere Deum in testem, eumque dare quasi testem rei assertae, & fidei jussorem rei promissae.

Juramentum aliud est *per Deum*, aliud *per creaturas*.

Juramentum per Deum est attestatio divini Numinis in se vel in attributo suo: v. g. juro per Deum viventem, per veritatem Dei, per omnipotentiam, &c.

Juramentum per creaturam est attestatio creaturae, quatenus in ea relucet specialiter Divinitas (*a*), v. g. juro per Mariam, quae est mater Dei, per Angelos, qui sunt ministri Dei, per sancta Evangelia, in quibus continetur veritas divinitus revelata.

Juramentum sive per Deum, sive per creaturas Deum specialiter repraesentantes, aliud est *assertorium*, aliud *promissorium*.

Juramentum assertorium est attestatio divini Numinis in se, vel in creatura relucentis ad faciendam fidem circa rem, quae asseritur.

Juramentum promissorium est attestatio divini Numinis in se, vel in creatura relucentis, ad firmandam rem, quae promittitur.

Juramentum sive assertorium, sive promissorium, aliud est *simplex*, aliud *solemne*.

Juramentum simplex est attestatio divini Numinis absque ceremonia notabili. Tale est juramentum quod fit in vulgari cum hominibus colloquio.

Juramentum solemne est attestatio divini Numinis cum aliqua ceremonia notabili v. g. coram Notario, testibus, per attactum Evangelii, Reliquiarum, Crucifixi, &c.

Juramentum tam simplex, quam solemne aliud est *formale*, aliud *materiale*, ut dicunt.

Juramentum materiale est divini Numinis attestatio externa sine deliberatione, intentioneve jurandi.

Juramentum formale est divini Numinis attestatio deliberata cum intentione jurandi.

Conditiones juramenti aliae sunt ex parte personae quae jurat, aliae ex parte rei per quam juramus, aliae ex parte rei ob quam juratur.

ARTICULUS II.

An Juramentum vestitum circumstantiis requisitis tum ex parte personae quae jurat, tum ex parte rei per quam juratur, tum ex parte rei ob quam juratur, sit licitum vel illicitum.

PRop. unica. Juramentum non est illicitum, quando vestitur circumstantiis requisitis tum ex parte personae quae jurat, tum ex parte rei per quam juratur, tum ex parte rei ob quam juratur.

1. Prob.

(*a*) Non is meus sensus est, quod velim indicare per aliquas solum creaturas verum fieri juramentum; nam cum omnis creatura Deum ut authorem suum respiciat, sub tali respectu per quamlibet creaturam verum potest fieri juramentum: sed solum id volui indicare, quod juramentum per creaturam soleat fieri per eam, in qua specialiter relucet Divinitas. Vide D. Th. 2. 2. quaest. 89. art. 96. ubi docet, quod juramentum per simplicem contestationem, non nisi per Deum principaliter, secundario autem per creaturas, ut in ipsis relucet divina veritas, perficiatur. In juramento autem per execrationem induci solent eae, quas diligimus, creaturae, ut contra eas divinum exerceatur judicium.

1. *Prob.* 1. Script. *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen ejus jurabis*. Deut. 6. & David ait: *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo*. Psal. 62. v. 12. Et Isajas 19. v. 18. vaticinans de gentibus convertendis ait: *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan, & jurantes per Dominum exercituum*.

2. Exemplis desumptis ex Scriptura. Ante legem, Abraham juravit Regi Sodomorum his verbis: *Levo manum meam ad Dominum meum Deum excelsum possessorem cæli & terræ, quod .... non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas, ego ditavi Abraham*. Gen 14. v. 22. Post legem Moysi datam, David juravit Sauli, quod non destrueret semen ejus. *Jura mihi in Domino*, inquit Saul, *ne deleas semen meum post me .... Et juravit David Saul*. 1. Reg. 24. v. 22. In lege Evangelica Paulus juravit sæpius his verbis: *testis est mihi Deus*. Ad Rom. 1. v. 9. Angelus juravit *per viventem in sæcula sæculorum*. Apoc. 1. v. 6. Immo Deus cum non habeat majorem, juravit per semetipsum Abrahamo dicens: *nisi benedicens benedicam te*. Ut scilicet filii promissionis per duas res immobiles, scilicet, promissionem & juramentum, fortissimam spem salutis æternæ conciperent. Ergo ex tot exemplis constat juramentum non esse ex se malum.

3. Ex Concilio Constantiensi, in quo damnatur illa propositio: *Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus, & civilia commercia*.

4. *Rat.* Quando juramentum fit cum debita reverentia ex parte jurantis, cum attestatione veri Dei per quem juramus, cum veritate, judicio, & justitia ex parte rei ob quam juratur, est actus religionis quo Deus invocatur tamquam prima veritas & testis veracissimus, qui non potest decipi, quia est infinite sciens; nec potest decipere, quia est infinite bonus: cum ergo actus religionis non sit prohibitus, ita nec juramentum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. unicum. Quando Scriptura dicit: *Ego autem dico vobis non jurare omnino, sit sermo vester, est, est, non, non*: tunc Scriptura non prohibet absolute juramentum; sed ideo dicitur, *est est, non non*, ut duplicata affirmatio significet firmiter asserendum esse quod verum est, & duplicata negatio, firmiter negandum esse quod falsum est: vel ideo dicitur bis, *est, est, non, non*, ut quod ore affirmas, operibus probes, & quod verbis negas, factis non probes: cum autem addit, *quod amplius est, a malo est*, scilicet jurantis, cum leviter & sine reverentia jurat: item a malo illius qui exigit juramentum, cum temere & sine causa exigit juramentum; sed Scriptura solum prohibet illicita juramenta, ea scilicet, quibus assuescimus jurationi, contra illud Scripturæ: *Jurationi ne assuescat os tuum; multi enim casus in illa*: & ea insuper, quibus decipimus proximum, juxta illud Ps. *Qui jurat proximo suo, & non decipit*. Ita ergo intelligitur præcepisse Dominum, ne juretur, inquit Aug. *Ne quisquam sicut bonum appetat jusjurandum, & assiduitate jurandi ad perjurium per consuetudinem delabatur*. in Ps. 109. Sed non prohibet juramentum factum in debitis circumstantiis, de quibus jam agendum uberius.

ARTICULUS III.

Quæ conditiones requirantur ex parte jurantis, ut licitum sit Juramentum.

PRop. unica. Ut attestatio divini Numinis veram juramenti rationem habeat, requiritur ex parte jurantis deliberata intentio jurandi.

Prob. 1. Scriptura. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, in justitia, & in judicio*: In judicio, id est, cum discretione & deliberatione: ergo jurans debet habere intentionem jurandi.

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 89. a. 3. in corp. ubi sic habet: *Juramentum non est bonum nisi ei, qui bene utitur juramento. Ad bonum autem usum juramenti duo requiruntur; primo quidem, quod aliquis non leviter, sed ex necessaria causa, & discrete juret; & quantum ad hoc requiritur judicium scilicet discretionis ex parte jurantis*. Judicium autem discretionis includit intentionem: ergo jurans debet habere intentionem deliberatam jurandi.

3. Juramentum est actus religionis: ergo importat intentionem deliberatam.

4. A juramento judiciali excluduntur impuberes, cum pueri ante an. 14. non cogantur jurare. Concil. Illiberitanum an. 305. Ergo jura requirunt maturam deliberationem in his, qui jurant: ergo intentionem jurandi.

5. Damnata est sequens propositio: *Cum causa, licitum est jurare, sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis*: censura Cleri Gallic. art. 12.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat peccato perjurii, qui jurat

jurat exterius sine intentione jurandi, pro quacumque re juret. 1. Quia magna est irreverentia in Deum, quod quis utatur testimonio primæ veritatis ad fallendum. 2. Quia talis modus jurandi simulate est perniciosus & contrarius fini juramenti. 3. Quia si semel permitteretur dolosa illa juratio, prorsus evertetur fructus omnis juramenti, & securitas quæ ex juramentis expectatur: unde a summis Pontificibus & a Clero Gallicano art. 12. damnata est sequens propositio: *Qui jurandi intentionem non habet, licet falso juret, non pejerat, etsi alio crimine tenetur, puta mendacii alicujus*.

Sic qui interrogatus a legitimo judice simulat juramentum, bis peccat. Primo, contra religionem, quia irreligiose tractat rem sacram, scilicet juramentum. Secundo, contra obedientiam; quia non morem gerit legitimo superiori.

Sic qui ex conventione tenetur jurare super aliquo contractu, qui initur, si simulate juret, bis pariter peccat. Primo, contra Religionem quam tractat irreligiose. Secundo, contra publicam fidem, quam violat.

Sic qui ultronee exterius jurat etiam pro veritate, si sine *intentione interiori jurandi* exterius proferat verba juratoria, gravissime peccat; quia irreligiositas, quæ est in juramento illo simulato, abstrahit *per se* ab eo, an sit verum, vel falsum quod profertur: & censetur ex genere suo esse mortalis; quia semper est illusio divini Numinis, etiam quando reperitur in materia vera: semperque adversatur fini juramenti, continetque mendacium, quo decipitur ille, cui fit juramentum; recipit enim iste simulatum juramentum, cum credit sincerum accipere.

Consect. 2. Qui juramento promittit aliquid, quod dubitat se posse exequi, peccat mortaliter; quia exponit se periculo pejerandi: & si ibi interveniat jurandi intentio, non intervenit saltem intentio sincera exequendi quod juramento promittitur.

Consect. 3. Peccat mortaliter qui juramento promittit aliquid, quod sibi videtur impossibile dum promittit; quia tunc aut non habet intentionem jurandi, aut si habeat intentionem jurandi, scienter se exponit periculo pejerandi, & proinde ex utroque capite gravissime peccat: de quo ita D. Thom. *Si est*, inquit, *talis res, quæ in ejus potestate non fuit, deest juramento discretionis judicium; nisi forte quod erat ei possibile, quando juravit, reddatur ei impossibile per aliquem eventum: puta, cum aliquis jurat se pecuniam soluturum, quæ ei post modum vi, vel furto subtrahitur; nam tunc videtur excusatus a faciendo quod juravit, licet teneatur facere quod in se est*. 2. 2. q. 89. a. 7.

ARTICULUS IV.

De conditionibus requisitis ex parte rei, per quam juratur.

PRop. unica. Ut attestatio, quæ adhibetur, veram & integram juramenti rationem habeat, res, per quam juratur, debet esse *vel Deus ipse, vel creatura aliqua, in qua specialiter reluceat divinitas* (a). Relucet autem Dei majestas in rebus sacris; quia sunt media, quibus Deus utitur ad sanctificandos homines: relucet pariter in cælis, in elementis, igne, aere, aqua, & terra; quia sunt partes præcipue universi.

Prob. 1. Scriptura. *Dominum Deum tuum timebis, & ei soli servies, ipsique adhærebis, jurabisque in nomine illius*. Deut. 10. v. 20. & rursus: *Per nomen externorum deorum non jurabis*. Exod. 23. Ergo non licet jurare, nisi per Deum, vel per aliquid, in quo specialiter reluceat divinitas.

2. Ex Aug. *Quid ergo tu facis, cum juras? testaris Deum; hoc est jurare, Deum testari*, in Psal. 10. v. 9.

3. *Rat.* Juramentum proprie est invocatio, qua petitur, ut is, qui vocatur in testem, tamquam unicus cordium inspector testimonium det veritati, & falsum juramentum puniat, cordium autem inspectio, criminum punitio, ad solum Deum pertinent: unde Deus solus est, qui in attestationibus potest juramento compellari.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Possumus jurare per tres personas Trinitatis, scilicet, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; quia quælibet persona divina est Deus. Sic Paulus videtur per tres personas Trinitatis jurasse. *Testis est mihi Deus Pater*, inquit ad Phil. 1. v. 8. en prima persona: *quomodo cupiam vos in visceribus Jesu Christi*: en secunda persona. Et ad Rom. 9. *Veritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in Spiritu Sancto*: en tertia persona.

Consect. 2. Possumus jurare per res sacras, v. g. per sanctos Angelos, per animas beatitudinem consecutas, per Evangelium, per Crucem,

(a) Notanda eadem explicatio in fine pag. 249.

cem, &c. ratione enim sanctitatis, quam habent, specialem dicunt ordinem ad Deum, qui testis est irrefragabilis veritatis. Eo sensu loquitur Paulus I. ad Tim. 5. *Testor coram Deo, & Christo Jesu, & electis Angelis ejus.*

Consect. 3. Possumus jurare per partes insigniores Universi, v.g per *Cælum*, per *Terram*, &c. cum enim in illis creaturis reluceat divinitas, hoc ipso quod compellantur, Deus censetur compellari. Eo forte alludit Christus, dum dicit: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per Terram, quia scabellum est pedum ejus*. Matth. 5. v. 34. quia, ut ait Matth. c. 23. *Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, & in omnibus, quæ super illud sunt; & quicumque juraverit in Templo, jurat in illo, & in eo qui habitat in ipso; & qui jurat in Cælo, jurat in throno Dei, & in eo, qui sedet super eum.* Eodem sensu Moyses Deuter. 30. *Testes invocat Cælum & Terram;* & Caus. 22. q. 1. Can. *Si quis*, dicitur: *Si quis per creaturam*, quatenus scilicet in ea relucet Dei majestas, *juraverit, acerrime castigetur.*

Consect. 4. Qui utitur illis dicendi formulis: per *fidem* receptam in baptismate, per *fidem*, quæ Sacerdoti debetur, vere videtur jurare; & ideo perjurus censendus est, si falso juret: quippe fides recepta in baptismate, & fides Sacerdotis, res est maxime sacra, quæ non ob alium finem adhibetur, quam ut id, quod dicimus, facilius audientibus suadeamus. Ita docet Regum Francorum Capitulare, cap. 62. de perjuris. *Sunt aliqui, qui per caritatem & veritatem jurant, & cavent se a juramento nominis Dei, & nesciunt, quod idem est Deus, quod caritas & veritas, dicente Joanne Apostolo: quia Deus caritas est. Item ipse Dominus in Evangelio ait: Ego sum via, veritas, & vita; ideo qui in veritate & caritate jurat, in Deo jurat.* Qui tamen utitur istis loquendi formulis: *En verité .... par ma foy .... certes, &c.* non videtur jurare; voces enim illæ non videntur juramenta, sed solum quædam asserendi formulæ, a quibus tamen est abstinendum: in quibus tamen loquendi formulis verum est juramentum, si qui iis utitur intentionem jurandi habeat.

Consect. 5. Gravissime peccant qui jurant per idolum, aut per creaturam quamcumque, nisi ea creatura inspiciatur, quatenus in ea specialiter relucet Divinitas.

Monit. 1. *Adverte autem*, inquit Cajet. verbo *jurare*, *quod crimen istud ad blasphemiam reducitur: quia dum aliquis intendit vere jurare, intendit testimonium infallibile afferre; & dum per creaturam quamcumque, aut falsum Deum jurat, profitetur creaturam illam, seu illum æstimatum Deum esse infallibilem testem, quod est proprium Dei veri; ac per hoc attribuit quod est proprium Dei, alteri, quod est blasphemare. Est ergo jurare per creaturas, aut falsum Deum, plusquam perjurium, quia est peccatum blasphemiæ.*

Monit. 2. Qui jurat per idolum, aut per creaturas, si juret contra veritatem, perjurus est, & tenetur servare quod promisit, si licitum sit. Ita Aug. serm. de verbis Apost. nunc 180. ubi sic habet: *Multi in hoc falluntur, & putant, quia nihil est id per quod jurant, non se crimine teneri perjurii. Prorsus perjurus es; quia per id, quod sanctum putas, falsum juras.*

ARTICULUS V.

De conditionibus ex parte rei, ob quam juratur.

PRop. *unica*. Res, ob quam juratur, debet esse vera; discreta, idest, alicujus momenti; & justa, id est, non illicita.

Prob. 1. Script. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, in judicio, & in justitia.* Jer. 4. v. 2. id est, jurabis pro re, quæ sit vera, quæ sit magni momenti, & quæ sit licita.

2. Ex Hieron. *Simulque advertendum*, ait, *quod jusjurandum hos habeat comites, veritatem, judicium, atque justitiam. Si ista defuerint, nequaquam erit juramentum, sed perjurium.* In c. 4. Jeremiæ.

3. *Rat.* Res, ob quam juratur. 1. Debet esse vera; quia juramentum est ad confirmandam veritatem. 2. Debet esse alicujus momenti; quia non debemus pro rebus exiguis, seu vanis, nomen Dei assumere. 3. Debet esse justa, seu licita; quia non debemus assumere nomen Dei ad rem illicitam aut præstandam, aut confirmandam.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Toties possumus jurare, quoties videmus rem, ob quam juratur, veram esse, discretam, & justam; quippe tunc juramentum habet omnes conditiones, quas exigit Deus, ut sit licitum. Sic sine scrupulo possumus in sequentibus casibus jurare.

1. Pro confirmanda veritate ad bonum publicum conducente, v g. pro confirmanda veritate fidei & morum. Sic Paulus juravit prædicando Evangelium. ad Rom. 1. v. 9.

2. Pro amicitia contrahenda. Sic Jacob iniens

iniens pacem cum Laban juravit, & Principes pacem ineuntes, fœdus suum solent juramento confirmare.

3. Pro pace renovanda. Sic Judas Machabæus pacem renovans cum Romanis juravit, & Principes pacem renovantes solent promissa sua juramentis sancire.

4. Pro stabiliendo fidelitatis obsequio. Sic subditi solent Regibus obedientiam & subjectionem jurare. Cap. *Nullus* de jurejurando. Cap. *Legebatur* de majoritate & obedientia.

5. Pro conservandis legibus & statutis Ecclesiæ. Sic fideles solent jurare se observaturos Constitutiones Ecclesiasticas.

6. Pro infamia purganda. Sic accusati solent se purgare juramento, titulo de juramento purgatorio.

7. Pro dirimenda litis contestatione. Sic quando dubia & incerta sunt litigantium jura, digniori parti defertur juramentum, ut hoc pacto omnis controversia dirimatur.

Consect. 2. Toties nobis juramentum interdicitur, quoties caret aliqua ex prædictis conditionibus, scilicet vel veritate, vel judicio, vel justitia: bonum enim ex integra causa; malum vero ex quocumque defectu. Quocirca ait D. Th. 2.2. q. 89. a. 3. in C. *Judicio caret juramentum incautum; veritate autem juramentum mendax: justitia autem juramentum iniquum, sive illicitum*. Unde in sequentibus casibus non licet usurpare juramentum.

1. Si res confirmanda per juramentum sit falsa, vel nobis dubia.

2. Si res confirmanda per juramentum sit exigui momenti.

3. Si res confirmanda per juramentum sit illicita, vel majoris boni impeditiva.

Consect. 3. Juramentum quamvis munitum prædictis circumstantiis, scilicet veritate, judicio, & justitia, non est expetendum tamquam *per se* bonum, sed cum cautela maxima adhibendum tamquam aliquid *per accidens* necessarium. Unde ait D. Thom. 2.2. q. 89. a. 5. in C. *Id quod non quæritur nisi ad subveniendum infirmitati vel defectui, non numeratur inter ea, quæ sunt per se appetenda, sed inter ea, quæ sunt necessaria; sicut patet de medicina, quæ quæritur ad subveniendum infirmitati; juramentum autem quæritur ad subveniendum alicui defectui, quo scilicet unus homo alteri discredit: & ideo juramentum est habendum non inter ea quæ sunt per se appetenda, sed inter ea quæ sunt huic vitæ necessaria, quibus indebite utitur quicumque eis utitur ultra terminos necessitatis; ideo audi Consilium* Aug. *Noli jurare ... falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est*. De verbis Apost. serm. 28.

§. I.

Quale peccatum sit juramentum factum contra veritatem.

Prop. unica. Juramentum factum contra veritatem est peccatum mortale ex suo genere, quantacumque sit levitas rei, ob quam juratur.

Prob. 1. Script. *Maledictio, dicit Dominus, veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio ejus, & consumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus*. Zach. c. 5. v. 4. Ergo cum maledictio divina non incurratur nisi per peccatum mortale, juramentum contra veritatem est peccatum mortale.

2. Ex Concil. Constantiensi sess. 45. ubi habetur: Quod quilibet suspectus de erroribus Vviclefi interrogandus sit: *An credat, quod perjurium scienter commissum ex quacumque causa, vel occasione pro conservatione vitæ corporalis, vel propriæ, vel alterius, etiam in favorem fidei, sit mortale peccatum*.

3. Ex Aug. *Perjurium peccatum esse, & grande peccatum nemo dubitat*. Sermone nunc 180. de verbis Apost. Jacobi. Ergo cum juramentum contra veritatem perjurium sit, ut mortale peccatum habendum est.

4. Ex D. Th. Quidquid pertinet ad contemptum Dei est peccatum mortale: perjurium autem ex se importat contemptum Dei: ergo perjurium est peccatum mortale. 2.2. q. 98. a. 3.

5. *Rat.* Juramentum factum contra veritatem, ut peccatum mortale censendum est. 1. Quia tunc itur contra finem principalem juramenti, qui est confirmatio veritatis. 2. Quia Deus adducitur, quasi falsus testis, quo nihil indignius contra Deum excogitari potest.

Immo notandum maxime, quod *parvitas* materiæ non minuit peccatum, quinimmo quodammodo aggravat: indignius enim est Deum adduci in falsum testem pro re *exigui*, quam pro re *magni momenti*, sicuti indignius est Regem vilibus officiis mancipari, quam ingentibus negotiis occupatum detineri.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui falso jurat pro re quantumvis *exigua*, peccat mortaliter, quamvis per

per tale juramentum non noceat proximo; quippe tunc juramentum privatur fine suo præcipuo, qui est confirmatio veritatis. *Ille, qui jocose perjurat*, inquit D. Th. 2. 2. q. 98. a. 3. ad 2. *non evitat divinam irreverentiam, sed quantum ad aliquid magis auget; & ideo non excusatur a peccato mortali*; quapropter damnata est sequens propositio ab Innoc. XI. an. 1679. prop. 24. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

Consect. 2. Qui ex lapsu linguæ jurat falsum, si perspectam habeat falsitatem, quam jurat, lethalis perjurii reus est; si autem non advertat, nec intentionem jurandi habeat, venialiter peccat: ita docet D. Th. ibid. *Ille autem qui ex lapsu linguæ falsum jurat, siquidem advertat se jurare, & falsum esse quod jurat, non excusatur a peccato mortali, sicut nec a Dei contemptu: si autem hoc non advertat, non videtur habere intentionem jurandi, & ideo a crimine perjurii excusatur.*

Consect. 3. Qui jurat pro re dubia mortaliter peccat; exponit enim se periculo pejerandi: ita Catechismus Concilii Tridentini: *Simili quoque ratione pejerat qui id jurat, quod verum existimat, & tamen revera falsum jurat, nisi quantum potuit, curam & diligentiam adhibuerit, ut totam rem compertam, atque exploratam haberet: quamvis enim ipsius oratio menti consentiat, tamen hujus præcepti reus est.* part. 3. de 2. præcep. n. 32.

Consect. 3. Qui jurat modo pro re vera, modo pro re dubia, & contrahit habitum jurandi quacumque data occasione, est in statu peccati mortalis; exponit enim se occasioni pejerandi: quippe, ut monet Innoc. III. cap. *Etsi Christ.* extra de jure jurando: *Ex incauta juratione perjurium sæpe contingit.*

Consect. 4. Bis peccat paganus & quicumque alius, qui contra veritatem jurat per idolum: de quo ita Aug. Epistol. ad Publicolam 154. *Nunc vero quia juravit per quos non debuit, & contra pollicitam fidem fecit quod non debuit, bis utique peccavit.* 1. Jurando per idolum, quod falsum numen est. 2. Falsitatem firmando juramento, quod utique pro confirmanda sola veritate adhibendum est.

§. II.

An licitum sit juramentum simulatum, seu factum cum æquivocatione, vel restrictione mentali.

Nota 1. Juramentum aliud est sincerum, aliud simulatum: juramentum est sincerum, quando jurans nulla utitur simulatione nec ex parte *intentionis*, nec ex parte *verborum*, quibus jurando utitur.

Juramentum est simulatum, quando jurans utitur simulatione vel ex parte *intentionis*, vel ex parte *verborum*, quibus jurando utitur.

Nota 2. Juramentum simulatum potest esse duplex. 1. Ex *defectu intentionis*, quæ simulatur adesse, cum tamen non adsit. 2. Ex *significatione, vel usu verborum*, quibus utitur ille qui jurat; quando scilicet juramentum exprimitur verbis, quæ in uno sensu sumuntur a jurante; in alio vero sensu ab his quibus juratur, seu qui accipiunt juramentum.

Nota 3. Juramentum simulatum *defectu intentionis*, potest esse multiplex. 1. Quando quis jurat seu profert verba juratoria sine intentione jurandi. 2. Quando quis profert verba juratoria cum intentione quidem jurandi, sed sine intentione obligandi se per juramentum: vel si intendat se obligare, intendit non adimplere promissum, vel assertum.

Juramentum simulatum *ex significatione vel usu verborum*, quibus juramentum exprimitur, potest esse multiplex. 1. Per *restrictionem mentalem*. 2. Per *æquivocationem seu amphibologiam*.

Juramentum est simulatum per *restrictionem mentalem*, quando verba, quæ duplicem sensum non patiuntur, sumuntur ab eo, cui juratur, in sensu obvio, ab illo vero, qui jurat, in sensu a se interius excogitato: v. g. si jurans dicat, testor Deum me illud non fecisse, subintelligens in mente, *antequam natus essem*, vel non feci, *ut tibi illud dicerem, &c.*

Juramentum est simulatum per æquivocationem, vel amphibologiam, quando phrasis, vel verba, quibus jurans utitur, duplicem sensum patiuntur, & jurans ex intentione fallendi sumit in uno sensu; ille vero cui juratur sumit in alio: talis fuisse fertur illud oraculum Dæmonis: *Ajo te Æacida Romanos vincere posse*. De his plura dicemus ubi de mendacio.

Prop. unica. Dato, quod æquivocatio verbalis, vel restrictio mentalis esset licita, de quo ubi de mendacio, non liceret tamen jurare nec cum æquivocatione verbali, nec cum restrictione mentali; sed jurare oportet secundum sanum intellectum ejus, cui juramentum fit. Si juret æquivoce, fit vere perjurium, & proinde peccatur mortaliter.

Prob. 1. Script. Ille solus salvabitur, *qui jurat proximo, & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram*. Psal. 14. v. 4. Ergo sicuti illicitum est pecuniam dare ad usuram;

tam; ita illicitum est jurare vel cum æquivocatione verbali, vel cum restrictione mentali: tali quippe juramento proximus semper decipitur; & sicuti usura est peccatum ex suo genere mortale; ita & juramentum factum cum æquivocatione, vel restrictione mentali.

2. Ex Aug. Epist. olim 124. jam 125. *Perjuri sunt, qui servatis verbis expectationem eorum, quibus juratum est, deceperunt*: Ergo non licet jurare contra sanum sensum ejus, cui juratur; & qui jurat incurrit crimen perjurii.

3. Ex Concilio Constantiesi sess. 15. in fine, ubi damnatur sequens articulus: *Quilibet Tyrannus potest, & debet licite, & meritorie occidi per quamcumque vassallum suum, vel subditum .... non obstante quocumque* PRÆSTITO JURAMENTO .... *Adversus hunc errorem insurgens sancta Synodus declarat, & definit, hujusmodi doctrinam erroneam esse in fide, & moribus; ipsamque tamquam hæreticam, scandalosam, & ad fraudes*, DECEPTIONES, MENDACIA, PRODITIONES, PERJURIA, *vias dantem, reprobat & condemnat*.

4. Ex Clero Gallic. a quo damnatur sequens propositio art. 12. *Qui mediante commendatione, vel munere, ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum*.

5. Ex Facultate Lovaniens. Accademia Lovaniensis, consulta a Parochis Lovaniens. supra juramentis æquivocis, sic respondet: *Cui, quando, quomodo, quisquam jurato credat, si neque juratis hic tute credi potest? si, inquam, liceat hic commentitio verborum fuco Principis & Reipublicæ, atque omnium bonorum expectationem fallere, & de cœpis interrogatum de alliis jurare; hoc enim non est* JURARE, *sed* PEJERARE *est; nam, ut optime verissimeq; ait Aug. Expectationem eorum quibus juratur quisquis decipit, perjurus est*.

6. Ratione. Finis juramenti non alius esse potest quam aut confirmare veritatem, aut terminare controversiam, juxta illud Pauli ad Hebr. 6. v. 16. *Homines enim per majorem sui jurant, & omnes controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum*. Si autem juramentum fiat æquivoce, non confirmatur veritas, sed falsitas; non expeditur controversia, sed fovetur dolus & injustitia: Ergo fit pravus usus juramenti: Ergo perjurium: Ergo peccatum mortale.

Deinde mendacium est, quando ex conscientia respondentis responsum non conformatur vero sensui illius, qui juste & legitime interrogat, juxta illud Aug. *Quapropter ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbo, vel quibuslibet significationibus enuntiat*. Lib. de Mendacio cap. 3. Sed mendacium firmatum juramento est vere perjurium & peccatum mortale: Ergo, &c.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat mortaliter, qui a nemine interrogatus jurat æquivoce; quia nulla est causa, quæ eum ad jurandum æquivoce impellat (*a*). Unde damnata est sequens propositio ab Inn. XI. & a Clero Gall. art. 12. *Si quis vel solus, vel coram aliis sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret non fecisse aliquid, aliud intelligendo, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus....* Ubi Pontifex duo declarat. 1. Ibi esse mendacium. 2. Ibi esse perjurium.

Consect. 2. Peccat mortaliter qui in communi colloquio interrogatus circa aliquid indifferens, v. g. an habeat pecunias, quas det mutuo, an Titius sit domi nec ne, jurat æquivoce se non habere, scilicet, ut mutuo det; quia nulla ibi est causa aut æquivocandi, aut pejerandi. Et rursus in communi colloquio debemus proximo veritatis manifestationem. *Unus enim homo ex honestate debet alteri veritatis manifestationem*, ut ait Aug. contra Mendacium c. 18. & Tertul. lib. 4. contra Marcionem c. 38. *Justa & digna præscriptio est in omni quæstione ad propositum interrogationis pertinere debere sensum responsionis; cæterum aliud consulenti, aliud respondere, dementis est*.

Consect. 3. Peccati mortalis reus est qui interrogatus a legitimo superiore, & a legitimo judice *jurat æquivoce*; quia tenetur respondere sincere & sine fraude superiori legitime interroganti. Qui autem legitime interroganti non verentur vel cum æquivocatione,

(*a*) Non is meus sensus est, ut velim indicare juramentum æquivocum aliquando licitum esse, si aliqua interveniat causa; nam contrarium doceo in sequentibus consectariis; sed is est meus sensus, quod velim indicare, eum, qui jurat æquivoce sine causa, gravius peccare eo, qui jurat æquivoce cum causa, quamvis uterque perjurus sit.

ne, vel cum restrictione mentali jurare, in mentem revocent miseram Arii mortem, qui in pœnam subdolæ jurationis oppressus interiit. Hic enim, ut testatur Socrates lib. 1. Hist. Eccles. c. 38. interrogatus ab Imperatore, *Num decretis Nicænæ fidei consentiret: nihil cunctatus alacri animo coram Imperatore subscripsit ea quæ de fide in Concilio statuta fuerant callide ludificans. Cumque Imperator admiratione captus jurejurando insuper eum adigeret, ille per* FRAUDEM *ac* SIMULATIONEM *istud etiam præstitit. Porro fraus ac simulatio, qua usus est scribendo, sicut ipse accepi, hujusmodi fuit: opinionem suam Arius in charta conscriptam gerens sub ala occultabat: juravit ergo se animo ita sentire uti scripserat*, in carta scilicet, quam sub ala gestabat; ideo teste Athanasio: *Egressus statim utpote pœnam* perjurii *daturus, corruit, atque ita suspensus medius discrepuit*. Et teste Gregor. Nazian. Oratione. Paneg. pro S. Athan. Arius *petulantis & effrenis linguæ in obscænis & impuris locis extinctus est: atque orationis non morbi viribus oppressus ob eamdem verbi proditionem diruptus est*.

Consect. 4. Peccat mortaliter qui hostes etiam publicos fallit juramentis æquivocis; quia ex eo, quod hostes sint, non desinunt esse proximi: & ut optime ait Ferrandus Eccl. Carthag. Diaconus: *Fixus sit & immutabilis sermo, cujus fidei est adhibitus testis Deus*. Et Aug. Epist. olim 244. jam 125. laudat Romanos, qui eum dignitate Senatoria privarunt, qui post juramentum etiam æquivoce factum Pœnorum castra repetere noluit. *Non attenderunt*, inquit, *qui eum Senatu pepulerunt, quid ipse jurando cogitasset, sed quid ab illo quibus juraverat expectarent; nec legerant quod nos usquequaque cantamus*: Qui jurat proximo suo, & non decipit.

Consect. 5. Qui interrogatur injuste, v. g. reus a judice illegitimo, viator a latronibus, mulier occulte adultera a marito, &c. hi omnes non possunt jurare æquivoce; quia injusta interrogatio non dat jus fraudandi juramentum suo fine, sed possunt prudenter celare veritatem. Tales perjuros Aug. vocat belluas ab hominum societate expellendas. „ Da alium, inquit, qui scit falsum esse, & dicit verum esse, & jurat tamquam verum sit quod scit falsum esse; videtis quam detestanda illa bellua sit, & de rebus humanis exterminanda: quis enim hoc fieri velit? omnes homines talia detestantur. " Serm. 28. de verbis Apost.

Consect. 6. Quando interrogamur a pœnitentibus, quo pacto jurare oporteat, hortandi sunt pœnitentes, ut numquam æquivoce jurent, sed veritatem præcipue in juramentis plusquam omnia diligant: & cavendum maxime ne consulti modum jurandi vel per æquivocationem, vel per restrictionem mentalem doceamus. De hoc ita Aug. cont. Mend. cap. 18. *Et sunt in eis docti, qui etiam regulas figant, finesque constituant, quando debeat, quando non debeat pejerari? Ubi estis fontes lacrymarum? & quid faciemus? quo ibimus? ubi nos occultabimus ab ira veritatis? si non solum negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria?*

Consect. 7. Cum agitur de juramentis ambiguis & æquivocis, si quæstio sit de juramento faciendo, abstinendum omnino a juramento æquivoco; quia est verum perjurium: si vero quæstio sit de juramento æquivoce facto, servanda est hæc regula, quam tradit D. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 4. *Quando non est eadem jurantis intentio, & ejus, cui juratur; si hoc proveniat ex dolo jurantis, debet juramentum servari secundum sanum intellectum ejus, cui juramentum præstatur.... Si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem jurantis.*

§. III.

An peccatum sit jurare pro re vera, sed levis & exigui momenti.

Prop. unica. Peccat quicumque jurat pro re vera, si sit vana, & exigui momenti.

Prob. 1. Script. *Non usurpabis nomen Domini Dei tui frustra; quia non erit impunitus, qui super re vana nomen ejus assumpserit*. Deut. 5. vers. 11.

2. Ex Concil. Troslejano ann. 909. Can. 11. *Ille nomen Dei sui in vanum assumit, qui in qualibet frivola re & in dolo iurans proximo suo, aliquando in causa non necessaria, vel in verbo otioso, nomen sanctum ejus in tali vanitate assumere non pavescit*.

3. Ex Catechis. Triden. *Nisi consideratio, ac diligens animadversio antecesserit, sane jusjurandum præceps ac temerarium erit; cujusmodi est illorum irreligiosa affirmatio, qui iu re levissima & inani, nulla ratione aut consilio, sed prava quadam consuetudine jurant. Id passim quotidie a venditoribus & emptoribus fieri videmus*.

3. *Rat.* Ea res vilis & vulgaris habetur, quæ usibus quibuslibet applicatur: Ergo nomen Dei vile & vulgare redditur, cum veris quidem, sed supervacaneis rebus adhibetur; & proinde peccat qui pro re vana attestanda, etiamsi vera, juramento utitur. Et si vestibus dignitatem quamdam præferentibus non

utamur, nisi in solemnioribus occasionibus; a fortiori decet nos sanctissimum Dei nomen nonnisi in urgentissimis casibus attestari, ut monet Theodoret. interrog. 41. in Exodum. Cum autem juramentum pro re vana, sed vera, non privetur fine principali, qui est confirmatio veritatis, juramentum vanum, sed verum censetur vulgo peccatum dumtaxat veniale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant saltem venialiter qui extra necessitatis casum jurant, etiamsi verum jurent, sive id fiat ex levitate, sive ex voluptate, sive ex consuetudine; quia temeratur Dei nomen, si promiscue in colloquiis nostris interseratur.

Consect. 2. Quando juraturi sumus, debemus non solum attendere, an res vera sit, sed insuper, an sit adeo insignis & necessaria, ut juramentum mereatur.

Consect. 3. Hæc est optima jurandi cautio, ut nunquam juremus, nisi vel in causa publica, vel cum Dei honor, aut utilitas proximi juramentum exigunt, uti factum vidimus a viris sanctis.... Sic Abraham & Isaac cum Abimelech publico nomine juramento fœdus ineunt. Gen. 21..... Sic Laban & Jacob, licet privati forte homines, juramento fœdus sanciunt. Gen. 31.....Sic Booz, licet vir privatus, promissum conjugium Ruth confirmat. Ruth. 3. .... Sic Abdias licet privatus, juramento asseverat quod vult Eliæ persuadere. 3. Reg. 18. In causis vero levibus non videmus viros pios juramenta usurpasse.

§. IV.

Quale peccatum sit jurare pro re illicita.

Prop. unica. Qui jurat pro re injusta & illicita facienda, peccat mortaliter, si res facienda sit peccatum mortale.

Prob. 1. Script. Exemplo Jezabel & Herodis: hæc jurando mortem Naboth, hic vero jurando mortem Joannis Baptistæ, graviter peccarunt; sed gravius deliquerunt nefandum juramentum exequendo.

2. Ex Concilio Illerdensi ann. 524. Can. 7. *Qui sacramento se obligavit, ut litigans cum quolibet ad pacem nullo modo redeat, pro perjurio uno anno a communione corporis & sanguinis Domini segregatus, reatum suum eleemosynis, & fletibus, & quantis potuerit jejuniis, absolvat; ad caritatem vero, quæ operit multitudinem peccatorum, celeriter venire festinet....* quæ omnia satis indicant juramentum illud esse peccatum mortale.

3. Ex D. Thom. 2.2. q. 98. art. 2. ad 2. *Ille, qui jurat se facturum aliquid illicitum, jurando incurrit perjurium propter defectum justitiæ: & si non impleat quod juravit, in hoc perjurium non incurrit; quia hoc non erat tale quid, quod sub juramento cadere posset.*

4. *Rat.* Qui de illicita re jurat, facit Deum fautorem & approbatorem illius, quod lege prohibuit: atque ita facit Deum sibi contradicentem; quia petit, ut Deus ipsum puniat, si faciat quod præcipit, vel si non faciat quod prohibuit, quod est Deo maxime injuriosum.

Præterea, qui sic jurat, aut habet propositum faciendi contra Dei præceptum, quod utique peccatum est, aut non habet: quod si ita est, jurando allegat Deum testem mendacii; quo nihil Deo indignius.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat mortaliter qui jurat se commissurum peccatum mortale, v.g. se commissurum blasphemiam, furtum, homicidium, &c. & novum peccatum committeret, si injustum juramentum exequeretur. *Juramentum enim*, inquit D. Thom. *non est servandum in eo casu, quo est peccatum, vel boni impeditivum; secundum enim sanctum Aug. utrumque horum vergit in deteriorem exitum.*

Consect. 2. Peccat mortaliter qui jurat se nunquam observaturum consilia Evangelica, se nunquam Religionem ingressurum, se nunquam Prælationem accepturum, etsi illud expediat ad Ecclesiæ utilitatem. *Si quis autem*, inquit D. Thom. *jurat se non facturum aliquod melius bonum, quod tamen facere non tenetur; peccat quidem jurando, in quantum ponit obicem Spiritui, qui est boni propositi inspirator; non tamen peccat juramentum servando, sed multo melius facit, si non servet* 2.2. q. 89. a. 7. ad 2.

Consect. 3. Videtur peccare mortaliter qui scienter jurat se facturum aliquid, quod cognoscit esse peccatum veniale; quia non levis videtur Deo irrogari injuria, si tantum nomen invocetur quasi in peccati patrocinium: & sicut semper est peccatum mortale confirmare aliquam *falsitatem* authoritate Divini testimonii; ita idem dicendum videtur, si quis se in *malo* authoritate Divini testimonii confirmet.

Consect. 4. Juramentum promissorium de re mala non est adimplendum; quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis .... *David*, inquit August. *juravit te-*

temere se occisurum Nabal, sed non implevit juramentum, majori pietate non servavit. Serm. de decollatione sanct. Joan.

ARTICULUS VI.

Quæ conditiones requirantur ex parte jurantis, ut licitum sit juramentum.

PRop. unica. Ut attestatio Divini Numinis veram juramenti rationem habeat, requiritur ex parte jurantis deliberata intentio jurandi.

Prob. 1. Script. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, in justitia, & in judicio*: in judicio, idest, cum discretione & deliberatione: ergo jurans debet habere intentionem jurandi.

2. Ex D. Thom. 2.2.q.79.a.3. in corp. ubi sic habet: *Juramentum non est bonum, nisi ei qui bene utitur juramento. Ad bonum autem usum juramenti duo requiruntur. Primo quidem, quod aliquis non leviter, sed ex necessaria causa, & discrete juret; & quantum ad hoc requiritur judicium, scilicet discretionis ex parte jurantis.* Judicium autem discretionis includit intentionem: ergo jurans debet habere intentionem deliberatam jurandi.

3. Juramentum est actus Religionis: ergo importat intentionem deliberatam.

4. A juramento judiciali excluduntur impuberes, cum pueri ante an. 14. non cogantur jurare. Concil. Illiberitanum an. 305. Ergo jura requirunt maturam deliberationem in his, qui jurant: ergo intentionem jurandi.

5. Damnata est sequens propositio: *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.* Censura Cleri Gallic. art. 12.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat peccato perjurii qui jurat exterius sine intentione jurandi, pro quacumque re jurat. 1. Quia magna est irreverentia in Deum, quod quis utatur testimonio primæ veritatis ad fallendum. 2. Quia talis modus jurandi simulate, est perniciosus & contrarius fini juramenti. 3. Quia si semel permitteretur dolosa illa juratio; prorsus everteretur fructus omnis juramenti, & securitas, quæ ex juramentis expectatur. Unde a summis Pontificibus & a Clero Gallic. a. 12. damnata est sequens propositio. *Qui jurandi intentionem non habet, licet falso juret non pejerat, etsi alio crimini teneatur, puta, mendacii alicujus.*

Sic qui interrogatus a legitimo judice simulat juramentum, bis peccat: primo, contra Religionem; quia irreligiose tractat rem sacram, scilicet, juramentum: secundo, contra obedientiam; quia non morem gerit legitimo superiori.

Sic qui ex conventione tenetur jurare super aliquo contractu qui initur, si simulate jurat, bis pariter peccat: primo, contra Religionem quam tractat irreligiose: secundo contra publicam fidem quam violat. Sic qui ultronee exterius jurat etiam pro veritate. Si sine *intentione interiori jurandi* exterius proferat verba juratoria, gravissime peccat; quia irreligiositas, quæ est in juramento illo simulato, abstrahit *per se* ab eo, an sit verum, vel falsum quod profertur, & censetur ex genere suo esse mortalis; quia semper est illusio divini nominis etiam quando reperitur in materia vera, semperque adversatur fini juramenti, continetque mendacium, quo decipitur ille cui fit juramentum: recipit enim iste simulatum juramentum cum credit sincerum accipere.

Consect. 2. Qui juramento promittit aliquid, quod dubitat se posse exequi, peccat mortaliter; quia exponit se periculo pejerandi: & si ibi interveniat jurandi intentio, non intervenit saltem intentio sincera exequendi quod juramento promittitur.

Consect. 3. Peccat mortaliter qui juramento promittit aliquid, quod sibi videtur impossibile dum promittit; quia tunc aut non habet intentionem jurandi, aut si habeat intentionem jurandi, scienter se exponit periculo pejerandi, & proinde ex utroque capite gravissime peccat. De quo ita D. Th. *Si est*, inquit, *talis res, quæ in ejus potestate non fuit, deest juramento discretionis judicium; nisi forte quod erat ei possibile quando juravit, reddatur ei impossibile per aliquem eventum, puta, cum aliquis jurat se pecuniam soluturum, quæ ei postmodum vi, vel furto subtrahitur; tunc enim videtur excusatus a faciendo quod juravit, licet teneatur facere quod in se est.* 2.2. q. 89. a. 7. in corp.

ARTICULUS VII.

De juramento promissorio.

JUramentum promissorium speciales habet difficultates, quas sequentibus paragraphis resolvemus.

§. I.

§. I.

Quæ sit obligatio adimplendi juramentum promissorium.

Prop. unica. Qui juramento promisit rem licitam, tenetur illam adimplere, nisi dispensetur.

Prob. 1. Scriptura. *Si in vacuum juraverit fratri suo, non justificabitur; replebitur enim retributione pessima domus ejus.* Eccl. 13. & rursus .... *Reddes autem Domino juramenta tua.* Matth. 5. Ergo tenemur adimplere id, quod juramento promittitur.

2. Ex D. Antonino. *Quando juramentum omni ex parte est licitum tam ex parte jurantis quam ex parte recipientis, & ex parte materiæ super qua præstatur, tunc absolutio non est impendenda, sed compellendus est jurans ad ejus observationem.... Immo, nulla apparente causa intrinseca, etiam Papa a tali juramento absolvere non potest.* 2. P. Tit. 10. cap. 6. §. 1.

3. *Rat.* Sicuti in juramento assertorio tenemur cavere a falsitate, ne faciamus Deum mendacem, & falsum testem: ita in juramento promissorio tenemur exequi id, quod promittimus, ut impediamus, ne Deus falsus testis, & sponsor infidelis habeatur, & rem juratam exequi, quoties id fieri potest absque peccato.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat quicumque promisit juramento rem licitam, eamque sciens & volens non exequitur; & peccatum eo gravius est, quo res promissa est majoris momenti; quia qui promittit, debet stare promissis, & debet impedire, ne juramentum promissorium privetur suo fine.

Consect. 2. Qui juramento promisit se facturum rem indifferentem, etsi forte non teneatur eam adimplere ex natura rei promissæ, tenetur eam exequi ex vi juramenti, ne Deus fiat falsus testis. *Si juramentum adhibeatur,* inquit D. Th. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 1. *propter reverentiam divini testimonii, quod invocatur, obligatur homo, ut faciat verum id, quod juravit secundum suam possibilitatem, nisi in deteriorem exitum vergat, ut dictum est.*

Sic qui juravit, se non bibiturum vinum, se non manducaturum carnes, &c. tenetur adimplere juramentum: quia res illa, etsi indifferens in se, ligat ratione juramenti.

Sic pariter qui non ex pravo motu, sed justa ex causa sibi subdito minitatus est pœnam v. g. pater filio, herus servo, magister discipulo, tenetur sub peccato adimplere juramentum, modo talis punitio non sit causatura aut scandalum, aut rixam, aut aliquod detrimentum ei, qui corrigitur.

Consect. 3. Qui juramento promisit rem illicitam vel in se, vel ratione circumstantiarum, non tenetur ex dictis adimplere juramentum. *Jurabis,* inquit Ezech. *in veritate & in justitia.* Ex D. Th. *Si vero, id, quod juratur, sit quidem possibile fieri, sed fieri non debeat vel quia est per se malum, vel quia est boni impeditivum; tunc juramento deest justitia; & ideo juramentum non est servandum in eo casu, quo est peccatum, vel boni impeditivum.* ibid. *Juramentum* enim, ut habet regula juris in 6. *non potest esse vinculum iniquitatis.*

Sic si quis juraverit se facturum aliquid, quod sit peccatum vel mortale, vel veniale, non tenetur exequi juramentum.... Item si juravit aliquid, quod impediat exercitium virtutis, non tenetur stare juramento. Sic qui juravit aliquid iratus, quo Deus possit offendi, servare juramentum non tenetur, v. g. si juraveris te non parciturum inimico, &c. *Magis te sic jurasse pœniteat, dum complere, quod juraveris, pudet.* Ferrandus Carthaginensis Diaconus ad Reginum comitem.

§. II.

De conditionibus requisitis, ut juramentum promissorium sit vere obligatorium.

Prop. unica. Ut juramentum promissorium obliget & coram Deo, & coram hominibus, debet sponte & scienter elici.

Prob. 1. Script. *Si quis virorum votum Deo voverit, aut se constrinxerit juramento, non faciet irritum votum suum, sed omne quod promisit implebit .... Sin autem, statim ut audierit contradixerit pater, vota & juramenta ejus irrita erunt.* Num. 30. Quo indicatur juramentum debere esse liberum, ut sit obligatorium.

2. Ex capite *Cum contingat,* extra *de jurejurando,* ubi dicitur: *Mulieres ipsæ servare debent hujusmodi juramenta sine vi & dolo, sed sponte præstita, cum in alterius præjudicium non redundent, nec observata vergant in dispendium salutis æternæ.* Ex quo recte colligitur a contrario: si hujusmodi juramenta vel vi, vel dolo extorta fuissent, ea non esse roboris ejusdem.

3. *Rat.* D. Thom. *In juramento, quod quis coactus facit, est duplex obligatio,* inquit sanct. Doctor. *Una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit, & talis obli-*

gatio tollitur per coactionem; quod ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per ejus nomen promisit, & talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ; quia magis debet damnum temporale sustinere, quam juramentum violare: potest tamen in judicio repetere quod solvit, vel Prælato denuntiare, non obstante quod contrarium juravit; quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum: esset enim contra justitiam publicam. 2. 2. q. 89. a. 7. ad. 3.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Juramentum violenter extortum ligat, non quidem ratione promissi facti proximo, sed ratione juramenti facti Deo; sed juramentum illud debet a superiore relaxari, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ad 3. ubi sic habet: *Romani Pontifices ab hujusmodi juramentis homines absolverunt, non quasi decernentes hujusmodi juramenta non esse obligatoria, sed quasi obligationem ex justa causa relaxantes.*

Consect. 2. Juramentum factum ex dolo, & ignorantia terminata ad substantiam rei, non ligat; ligat vero, si ignorantia terminatur solum ad circumstantias rei, quæ juramento promittitur; quia ignorantia, quoad substantiam facit involuntarium, minime vero ignorantia quoad circumstantias, ut patet exemplo juramenti, quod Josue & Principes Israelitarum præstiterunt Gabaonitis: error enim versabatur circa *accidentia*, scilicet, circa locorum distantiam; non vero circa *substantiam*, scilicet, quod essent Gentiles; ideo ait Josue: *Juravimus eis in nomine Domini Israel, & ideo non possumus eos contingere.* Et ita jurans se daturum annulum, quem putabat argenteum, qui tamen erat aureus, non tenetur juramento; quia error est circa substantiam: jurans e contra se daturum argentum Petro, quem putabat pauperem, tenetur dare, licet sit dives, modo pauperies non fuerit principale motivum promittendi; quia tunc error est circa accidentales circumstantias.

Consect. 3. Juramentum metu gravi extortum non ligat, si metus totaliter absorbeat usum rationis; quia quando metus absorbet usum rationis, tunc promissio non est libera, & proinde non potest vim obligatoriam inducere.

Consect. 4. Juramentum metu levi factum ligat; quia metus levis non tollit usum rationis, nec proinde libertatem.

Consect. 5. Juramentum metu etiam gravi factum ligat, modo metus non absorbeat usum rationis; quia quod ex metu facimus, voluntarie facimus: qui tamen ex metu jurarunt, possunt a superiore petere damni, si quod passi sint, reparationem. Totum hoc patet ex capite, *Debitores*. extra: *De jure jurando*, ubi dicitur: eos, *qui simplici promissione obstrinxerunt se ad usuras solvendas, non debent cogi ad solvendum, bene tamen si juraverint; sed eos interim posse, quas solverint usuras, coram judice repetere.*

§. III.

De modo secundum quem obliget juramentum promissorium.

Prop. unica. Juramentum promissorium obligat juxta intentionem rationalem jurantis promissum, & juxta sanum intellectum illius, qui idem promissum acceptat.

Prob. 1. Script. *Non perjurabis, reddes autem Domino juramenta tua.* Matth. 5. & de votis dicitur, *vota mea Domino reddam.* Ergo sicut votum obligat juxta intentionem rationalem voventis, ita & juramentum obligat juxta intentionem rationalem jurantis promissum.

2. Ex D. Thom. 2. 2. q. 89. a. 7. ad 4. *Si autem jurans dolum non adhibeat, obligatur secundum intentionem jurantis.* Et quæst. 98. a. 2. ad 4. sic habet: *Canonicus, qui jurat se servaturum statuta edita in aliquo Collegio, non tenetur ex juramento ad servandum futura, nisi intendat se obligare ab omnia statuta præterita & futura; tenetur tamen ea servare ex ipsa vi statutorum, quæ habent coactivam virtutem*: Ergo juramentum obligat juxta intentionem rationalem jurantis.

3. *Rat.* Juramentum & votum sunt quasi quædam lex, quam sibi quilibet privatus homo constituit: ergo sicuti lex ligat juxta intentionem rationalem Legislatoris, votum pariter & juramentum obligant juxta intentionem rationalem voventis & jurantis; cum autem juramentum promissorium cedat in bonum alterius, attendendus est sanus intellectus illius, qui acceptat promissum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Juramentum simulatum, quod fit absque intentione jurandi, non inducit *per se* obligationem; quia juramentum sine intentione jurandi non est juramen-

mentum, sed perjurium: deinde generaliter verba non habent vim inducendi obligationem nisi ratione consensus; consensus autem non reperitur ubi non est intentio.

Dixi, *per se*, quia in juramento simulato potest esse obligatio ex causis extrinsecis, v. g. ratione injustitiæ, quæ inde sequitur; puta, si quis ob tale juramentum damnum aliquod patiatur, ut si puella consenserit in petitionem adolescentis, qui dolose & sine intentione promisit & juravit se illam ducturum. 2. Ratione scandali, quod enasceretur, si jurans non adimpleret quod juramento promisisse creditur.

Consect. 2. Qui vere habet intentionem jurandi, quamvis intentionem habeat non se obligandi, tenetur tamen adimplere quod juravit; quia licet in hominis voluntate sit jurare vel non jurare, non est tamen in ejus voluntate aut potestate juramento præstito non obligari; naturali enim quadam necessitate sequitur obligatio ex juramento, & irrationalis est voluntas non obligandi se per juramentum; non enim potest esse vis validior obligans quam divina Religio: & sicut cum quis utitur juramento assertorio obligatur ad dicendum verum, & perjurus est si dicat falsum; ita cum quis utitur juramento promissorio, tenetur verum efficere quod jurando promisit: circa quod Aug. ait super illud, Domini est terra. *In dolo jurat qui aliter quam facturus est promittit, cum perjurium sit nequiter decipere credentem*: & super Psal. 51. *Quid est*, inquit, *lingua dolosa? ministra fallaciæ est lingua dolosa, aliud in corde habentium, aliud ore promentium.*

Consect. 3. Juramentum promissorium, quamvis absolute factum, importat quasdam conditiones rationaliter subintellectas; quia hæc est justa jurantis intentio.

Prima est, *Si potuero*, quia ad impossibile nemo tenetur. Hinc qui juravit se daturum pecunias, non ligatur juramento, si fiat pauper.

Secunda est, *Salvo Jure Superioris*. Hinc qui jurat se servaturum secreta ei commissa non tenetur juramento, si secreta commissa vergant vel in damnum commune Reipublicæ, vel in damnum privatum alicujus tertii, quod jurans teneatur impedire. Id constat ex cap. *venientes* de jure jurando, ubi dicitur, quod in juramento intelligitur jus superioris exceptum.

Tertia *Si res notabiliter mutatæ non sint*, ut patet ex D. Thom. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5. ubi dicitur, quod *ut homo teneatur facere quod promisit, requiritur quod omnia immutata permaneant*. Hinc sponsus post jurata sponsalia potest resilire, si ejus compars labatur in fornicationem, vel in gravem morbum; quia res non manet eadem. Hinc qui juravit se ad carcerem rediturum non prævisо mortis periculo, si postea prævideat, non tenetur; quia res non manet eadem.

Quarta. *Si res promissa non repugnet statui perfectionis*. cap. ex publico de convers. conjug. Hinc per sponsalia jurata non obstat quominus quispiam possit intrare in Religionem.

Consect. 4. Reus non est perjurii, qui ob justam legitimamque causam juramentum non implet; quia sicuti ob justam legitimamque causam dispensamur a lege, ita & a juramento promissorio.

Sic juxta Raymundum, lib. 1. de juramento & perjurio, non teneor servare fidem ei, qui fidem prior infringit: *Promisimus*, inquit, *& firmavimus nobis invicem fidem & pacem: fregisti mihi, non teneor postea servare*: additque: *nec tu ei, etiamsi promissum tuum juramento, vel fidei obligatione interposita conditione firmasses, aliquatenus teneris, si constat eum conditioni minime paruisse.*

Consect. 5. Cum juramentum promissorium cedit in solam Dei gloriam, potest sicut votum mutari in melius sola authoritate jurantis: in æquale, vel in minus bonum authoritate superioris; quia intentio Dei acceptantis juramentum promissorium hæc est, ut jurans possit semper ad statum perfectiorem tendere, & ut pariter rem juratam ex sola dispensatione possit licet omittere.

Sic jurasti te statum Clericalem amplexurum, potes authoritate propria juramentum mutare in melius, & amplecti statum religiosum: sed jurasti amplecti statum religiosum, non potes nisi ex dispensatione statum Clericalem amplecti; quia, ut supponitur, status religiosus est perfectior & tutior statu Clericali.

Consect. 4. Juramentum promissorium cedens in bonum promissarii, quando potest honeste impleri, nequit etiam in melius commutari, invito rationabiliter promissario; quia juramentum promissorium ligat juxta intentionem justam promittentis & promissarii.

Sic qui juravit servire alicui domino, non potest licite illud servitium prætermittere, ut ministret ægrotis in hospitio pauperum, quamvis hoc sit melius.

Sic qui juravit in aliqua Congregatione permansurum, ut munia illius Congrega-

tionis obeat, v. g. ut doceat pueros, uti fit apud Patres Oratorii, apud Patres Doctrinæ Christianæ, non potest licite ab illa Congregatione exire sine licentia, ut vacet missionibus, ut Vicariatum suscipiat, &c. quamvis istud sit forte melius.

§. IV.

Quomodo tollatur obligatio juramenti promissorii.

Obligatio juramenti promissorii cessat vel per authoritatem superioris dispensantis a juramento, vel irritantis juramentum, vel ob deformitatem, quæ accidit rei promissæ per juramentum, ut fuse diximus ubi de voto. Sed quia juramentum promissorium habet illud speciale, quod ejus obligatio cesset per relaxationem ejus, cui facta est promissio; ideo hic solum agemus de relaxatione juramenti.

Prop. unica. Obligatio juramenti promissorii cessat per relaxationem illius, cui facta est promissio.

Prob. 1. Script. Gen. 24. dicitur, quod Abraham mittens servum suum in Mesopotamiam ad quærendam uxorem Isaac, exegit ab illo juramentum, hanc tamen addens conditionem, v. 7. *Sin autem mulier noluerit sequi te, non teneberis juramento*: ergo juramentum promissorium ligat juxta intentionem promittentis & promissarii: ergo ejus obligatio solvi potest per eum, in cujus emolumentum factum est.

2. Ex Aug. Epist. alias 241. nunc 62. Quidam Clericus nomine Timotheus jurans se ab Episcopo non recessurum, non est perjurii reus, si ipso permittente ab eo recedat: ergo juramentum promissorium licite relaxatur per eum, in cujus gratiam factum est.

3. Ex D. Th. 2. 2. quæst. 79. art. 9. ad 2. *Homo potest aliquid alteri promittere sub juramento dupliciter. Uno modo, quando promittit aliquid pertinens ad utilitatem ipsius, puta, si sub juramento promittat se serviturum ei, vel pecuniam daturum, & a tali promissione potest absolvere ille, cui promissio facta est; intelligitur enim ei jam solvisse promissum, quando facit de eo secundum ejus voluntatem. Alio modo promittit aliquis alteri quod pertinet ad honorem Dei, vel utilitatem aliorum, puta, si aliquis sub juramento promittat alicui se ingressurum Religionem, vel aliquod opus pietatis facturum; & tunc ille, cui promittitur, non potest absolvere promittentem; quia promissio non est ei facta principaliter, sed Deo, nisi forte sit interposita conditio, ratione cujus possit, scilicet, si illi videtur, cui promittitur, vel aliquid tale.*

4. *Rat.* Juramentum promissorium est quasi debitum solvendum creditori: atqui debitum cessat hoc ipso quod remittitur a creditore: ergo & juramentum promissorium hoc ipso quod remittitur ab eo, in cujus gratiam factum est.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui jurat se daturum aliquid alteri, quantumvis illud sit excellens, aut necessarium, aut justum, eximitur a juramento hoc ipso quod promissarius relaxat quod promissum est. Sic sponsalia, etsi juramento firmata, solvuntur per remissionem partium contrahentium. Sic fœdera inter Principes inita, etsi juramento firmata, cessant per remissionem eorum, in quorum emolumentum cedebant.

Consect. 2. Qui juramento aliquo devovet se alicui Communitati, potest per eamdem Communitatem ab ea obligatione absolvi. Sic qui jurat se permansurum in aliqua Congregatione, eximitur a juramento, si eadem Congregatio ei remittit obligationem juramenti. Hoc tamen verum est, si Congregatio sit pure civilis & politica; quia juramenti promissorii obligatio cessat per relaxationem promissarii: sed hoc est falsum, si Congregatio sit Ecclesiastica, & præcipue si in ea eliciantur vota etiam simplicia; quia tunc ad dispensandum in votis, & relaxandum juramentum, requiritur causa legitima, ut ipsemet doceo ubi de dispensatione.

CAPUT III.

De Imprecatione.

ARTICULUS I.

Explicatur quid & quotuplex sit Imprecatio.

Imprecatio est actio, qua nobis, vel aliis malum precamur. Imprecatio est duplex: imprecatio iræ, & imprecatio juramenti.

Imprecatio iræ est actio, qua nobis vel aliis ex impetu iræ malum optamus.

Imprecatio juramenti est actio, qua nobis vel aliis malum optamus, si quod juramento vel asserimus, vel promittimus, non sit verum: talis actio solet vocari *juramentum execratorium*.

AR-

ARTICULUS II.

An imprecatio sit peccatum & quale.

PRop. unica. Qui sibi vel alteri ex motu iræ deliberato imprecatur ingens malum, mortaliter peccat; & si adsint qui audiant ejus imprecationem, peccat peccato scandali: peccat vero venialiter, si adsit vel levitas materiæ, vel indeliberatio.

Prob. 1. Script. *Nolite errare, fratres: neque fornicarii, neque MALEDICI, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* 1. ad Corinth. 6. v. g. Ergo maledictio est peccatum mortale.

Prob. 2. Ex D. Thom. *Maledictio, de qua loquimur, est, per quam pronuntiatur malum contra aliquem .... Velle autem, vel imperio movere ad malum alterius, secundum se repugnat caritati, qua diligimus proximum, volentes bonum ipsius; & ita secundum genus suum est peccatum mortale tanto gravius, quanto personam, cui maledicimus, magis amare, & revereri tenemur: unde dicitur* Lev. 20. Qui maledixerit patri suo, & matri, morte moriatur: 2. 2. q. 76. a. 3. in C.

3. *Rat.* Imprecatio est peccatum contra caritatem, qua jubemur & nos & proximum diligere; & ideo est peccatum mortale, nisi adsit indeliberatio, vel levitas materiæ, vel aliqua alia circumstantia, quæ efficiat, quod maledictio, quæ ex genere suo est peccatum mortale, fiat peccatum veniale. *Contingit tamen,* inquit D. Th. ibid. *verbum maledictionis prolatum, esse peccatum veniale, vel propter parvitatem mali, quod quis alteri maledicendo imprecatur, vel etiam propter affectum ejus, qui profert maledictionis verba, dum ex levi motu, vel ex ludo, aut ex subreptione aliqua talia verba profert; quia peccata verborum maxime ex affectu pensantur.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat mortaliter qui ex motu iræ deliberato precatur sibi ingens malum, v. g. erumpit in tales voces: moriar, suffocer, invadat me diabolus, detrudar in infernum, &c. quia maledictio contra seipsum est peccatum mortale.

Consect. 2. Peccat mortaliter qui motu iræ deliberato optat alteri ingens malum, v. g. erumpit in istas voces: pereat, evanescat, annihiletur, &c. quia maledictio contra alterum est ex suo genere peccatum mortale.

Consect. 3. Peccat mortaliter qui motu iræ deliberato rebus etiam irrationabilibus tum suis, tum alienis optat ingens malum, v. g. erumpit in tales voces: pereat omnino res illa, desinat, destruatur, &c. 1. Quia ira vehementer rationem perturbans est peccatum mortale. 2. Si res ad proximum pertineat, optat ei insigne detrimentum; si vero res ad maledicentem pertineat, pessime abutitur rebus suis; non enim ita est bonorum suorum dominus, ut pro libito possit ea perdere, vel dilapidare; si vero maledicat creaturis irrationalibus tum suis, tum alienis, sine pravo affectu, vanum est, otiosum, & proinde illicitum.

Dixi: Peccat mortaliter qui ex motu iræ deliberato precatur vel sibi, vel proximo, vel rebus irrationabilibus ingens malum.

Hoc durius videretur dictum, nisi supponerem, quod vehementes illi motus iræ rationem obtenebrant, quo in casu, ut expresse docet D. Th. peccatur mortaliter.

Consect. 4. Peccant mortaliter qui verba illa inordinata proferunt; si significationem verborum advertant, quamvis actualem & explicitam intentionem nocendi non habeant, sicut diximus de blasphemia; quia qui libere profert verba maledictionis, semper scandalum ingerit audientibus, & plerumque censetur velle ea, quæ verbis maledicis exprimuntur. *Non excusatur,* inquit Sanctus Antoninus, *quod ex subita ira hoc facit, vel ex more; sicuti non excusatur ab homicidio, & consequenter a pœna mortis, si quis ex impetu hoc ageret. Maledicentes ei disperibunt,* idest diversis modis peribunt, scilicet in præsenti & in futuro sæculo.

Consect. 5. Peccat mortaliter peccato maledicti, & peccato perjurii, qui sibi vel aliis precatur ingens malum, jurans mendaciter; quia maledictum est peccatum mortale, & quia perjurium est peccatum mortale: & ita bis peccant qui jurantes mendaciter in hæc verba prorumpunt: moriar, diabolus me possideat, &c. si verum non dixero.

Si tamen verum dicerent, & adessent omnes circumstantiæ requisitæ ad juramentum, non peccarent, modo abesset scandalum.

CAPUT IV.

De Adjuratione.

ARTICULUS UNICUS.

Quid sit Adjuratio, & quas conditiones habere debeat, ut sit licita.

ADjuratio est actio, qua aliquid nomine Dei vel petimus, vel jubemus. Et ita adju-

adjuratio vel orationem, vel jussionem, vel affinitatem cum juramento importat.

Prop. unica. Adjuratio, quatenus est similis juramento, debet habere conditiones juramenti; quatenus est oratio, debet habere dotes orationis; quatenus jussio, dotes jussionis.

Propositio patet ex dictis de oratione & juramento.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Sicut non licet jurare, nisi per Deum; ita non licet quemquam adjurare, nisi per Deum, vel per aliquid dicens ordinem ad Deum, v. g. per Christum, per Mariam, per Crucem, &c. Sic Paulus 1. ad Thessal. 5. v. 28. ait: *Adjuro vos per Dominum*. Sic Ecclesia ait: *Ecce lignum Crucis: fugite partes adversæ*: & rursus: *in nomine Domini discedite potestates tenebrarum, & omnes qui operamini iniquitatem*.

Sicuti non licet jurare, nisi in veritate, in justitia, & in judicio; ita non licet adjurare, nisi pro re, quæ sit vera, justa, & magni momenti. Sic non licet adjurare Dæmonem, ut curiosa dicat, ut virtutem plantarum doceat, ut thesauros occultos detegat. Christus, inquit Chrysost. dicens spiritui immundo obmutesce, & exi ab homine, salutiferum nobis dogma dedit, ne credamus Dæmonibus quantamcumque denuntient veritatem. Serm. 2. de Lazaro.

Sicuti non licet jurare, nisi serio, & cum debita intentione; ita nec etiam adjurare Dæmonem: unde non licet in exorcismis jocose compellare Dæmones, sed serio & in solam fidelium instructionem.

Consect. 2. Sicuti non licet orationem dirigere, nisi ad Deum, vel ad creaturas spirituales capaces beatitudinis Divinæ; ita non licet adjurationem deprecatoriam dirigere, nisi vel ad Deum, vel ad Sanctos, vel ad homines capaces beatitudinis; minime vero ad Dæmones, vel animas damnatas, cum quibus nullum debemus habere commercium: & proinde non licet Dæmones, vel damnatos adjurare deprecatorie, sed solum compulsive.

Consect. 3. Sicut jussa non dirigimus, nisi ad eos, qui nobis subjiciuntur; ita non possumus adjurationem imperativam dirigere, nisi ad eos, qui nobis subjiciuntur: & quia Dæmones nobis subjiciuntur devicti a Christo, licet eos exorcismis, quibus Ecclesia utitur, adjurare, secundum potestatem nobis traditam a Christo. Luc. 10: *Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici*.

TRACTATUS DECIMUS.

De tertio Præcepto.

Tertium Præceptum his verbis exprimitur: *Memento, ut diem Sabbati sanctifices*.

Finis hujus præcepti est, quod homo deputet aliquos dies ad vacandum rebus divinis: qui dies Deo dicati, festivi dicuntur.

Præceptum illud est affirmativum, & negativum; quatenus affirmativum, jubet, ut vacemus rebus Divinis certis diebus; quatenus negativum, vetat id, quod potest nos impedire, ne eo tempore rebus Divinis insistamus.

CAPUT I.

Præmittuntur quædam scitu necessaria ad clariorem hujus præcepti explicationem.

ARTICULUS I.

Quale sit præceptum de sanctificatione Festorum: an naturale, an positivum.

Prop. unica. Præceptum de sanctificatione Festorum est naturale & positivum. Naturale, quatenus jubet, ut deputemus aliquos dies cultui Divino. Positivum, quatenus tale tempus eligitur potius quam aliud, tale exercitium potius quam istud.

Prob. 1. Script. Præceptum de sanctificatione Festorum est naturale; quia ponitur in Decalogo, *Memento, ut diem Domini sanctifices*. Exod. 20. v. 8. Est positivum; quia Apostoli & Ecclesia loco Sabbati substituerunt diem Dominicam.

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 1. *Præceptum de sanctificatione Sabbati litteraliter intellectum est partim morale, partim autem cæremoniale*: Ergo pertinet ad jus naturale & positivum.

3. *Rat.* Ratio naturalis dictat, ut cuilibet rei necessariæ deputetur aliquod certum tempus: sic certum tempus corpori nutriendo & menti instituendæ eligimus: cum ergo nihil sit magis necessarium, quam exhibere Deo debitum cultum; Lex naturalis jubet, ut certo aliquos dies divino cultui consecremus. Et quia Lex naturalis non determinatur nisi per positivam, ad Legem positivam pertinet. 1. Seligere, quinam debeant esse dies festivi. 2. Quibus ritibus sint celebrandi.

Et ita ad observandum præceptum de sancti-

ctificatione festorum duo debemus attendere. 1. Jus naturale. 2. Jus positivum, examinando, quid jus utrumque præceptis affirmativis jubeat, quid vero præceptis negativis prohibeat; quia aliter haberi nequit distincta hujus præcepti notitia.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1 Sistendo intra jus naturale, homo sive vixerit sub Lege naturæ ab Adamo usque ad Moysem, sive sub Lege Mosaica a Moyse usque ad Christum, sive sub Lege Evangelica a Christo usque ad nos, tenetur ex præcepto affirmativo diebus festis animam & corpus Deo specialius quam aliis diebus consecrare. Mens debet actus fidei, spei, caritatis, & religionis elicere; quia Deus non aliter colitur, quam illis virtutibus: corpus vero debet applicari exterioribus exercitiis per prædictas virtutes imperatis. Ex præcepto vero negativo homo ita debet animam & corpus diebus festis dirigere, ut fugiat quidquid prædictos actus Religionis tam interiores, quam exteriores posset impedire.

Consect. 2. Si attendatur jus positivum, homo tenetur eos dies sacros habere, quos ut tales jus positivum determinat, & his ritibus vacare, quos Lex positiva jubet: ab his vero operibus abstinere, quos eadem Lex judicat observationi festorum contrarios; quia Lex naturalis determinatur per positivam.

Sic in Lege naturæ homo poterat observare istud præceptum, juxta liberam sui arbitrii electionem; quia tunc Lex naturalis determinabatur per arbitrium cujuslibet rectæ rationi conforme.

Sic in Lege Mosaica Judæus tenebatur observare istud præceptum, juxta determinationem Legis Mosaicæ; quia subjiciebatur huic Legi.

Sic in Lege Evangelica homo tenetur observare istud præceptum, juxta determinationem Legis Evangelicæ; quia Christianus subjicitur huic Legi.

ARTICULUS II.

De varia determinatione Legis naturalis circa observantiam Festorum.

PRop. 1. Quæ fuerit determinatio Legis naturalis circa sanctificationem Festorum a tempore Adami usque ad Moysem non constat, sed tamen talem determinationem pependisse a rationali arbitrio cujuslibet, vulgo tenetur.

Prop. 2. Determinatio Legis naturalis per Legem Mosaicam circa sanctificationem Festorum est hujusmodi.

1. Quoad dies Festivos.

Dies Festivi apud Judæos erant ... 1. Finis hebdomadæ seu dies Sabbati .... 2. Initium mensis lunaris seu dies Neomeniæ. Num. 28. v. 11. 3. Festum Paschæ seu dies septem Azymorum. Exod. 12. v. 4. 4. Festum Pentecostes seu dies primitiarum messis & fructuum. Exod. 23. v. 16. 5. Initium anni seu prima dies mensis Tysri, idest Septembris. Lev. 23. v. 24. 6. Dies veniæ & pœnitentiæ. Lev. 23. v. 27. 7. Festum tabernaculorum. Lev. 23. v. 34. Sunt & alii Festi dies apud Judæos, ut cum recolunt victoriam Judith, Machabæorum, & triumphum Esther contra Aman.

2. Quoad Ritus.

Ritus, quibus dies Festi celebrabantur apud Judæos, is erat, ut vacarent sacrificiis in Templo Jerusalem, & lectioni Scripturarum, & ut abstinerent ab omni opere servili.

Prop. 3. Determinatio Legis naturalis per Legem Evangelicam circa sanctificationem Festorum est diversa a Lege Mosaica: omne cæremoniale abolitum est per Christum; veritas enim est, cujus præsentia figuræ omnes evanescunt, corpus, cujus aspectu umbræ diffugiunt; & ita alia est determinatio festorum in Lege Evangelica quam in Lege Mosaica.

1. Quoad dies Festos.

Dies Festivi apud Christianos sunt 1. Dies Dominica. 2. Festivitates Christi. 3. Festivitates Mariæ Virginis. 4. Festivitates Sanctorum. Dies Dominica loco Sabbati colitur; uti enim Deus die Sabbati quievit ab opere Creationis, ita & Christus eo die quievit ab opere Redemptionis: die Dominica Christus resurrexit a mortuis, & misit Spiritum Sanctum in Discipulos: die Dominica Joannes vidit Apocalypsim. Apocal. 1. Eodem die sancti Apostoli collectas faciebant. 1. ad Cor. 16.

Alii festi dies aut ab Apostolis, aut a primis Ecclesiæ Pastoribus instituti sunt, ut passim docet Aug. D. Th. docet, Festa Legis Evangelicæ ita successisse festis Judæorum: festo Phase succedit festum Passionis Christi, & Resurrectionis: festo Pentecostes, in quo data fuit Lex vetus, succedit festum Pentecostes, in quo data fuit Lex spiritus vitæ: festo Neomeniæ succedit festum Beatæ Mariæ Virginis, in qua primo apparuit illuminatio Solis, idest Christi, per copiam gratiæ: festo tubarum succedunt festa Apostolorum: festo expiationis succedunt festa Martyrum & Confessorum: festo Tabernaculorum succedit festum con-

consecrationis Ecclesiæ: festo cœtus atque collectæ succedit festum Angelorum, vel etiam festum Omnium Sanctorum. 1. 2. q. 103. a. 3. ad 4.

2. Quoad Ritus.

Ritus, quibus dies festi celebrantur apud Christianos, sunt. 1. Quod fideles vacent piis operibus, v. g. auditioni Missæ, auditioni verbi Dei, Officiis Divinis, &c. 2. Quod abstineant ab opere servili, quod ut tale determinatur ab Ecclesia.

ARTICULUS III.

De gravitate peccati, quod committitur violando Festum.

PRop. unica. Sanctificatio festi obligat Christianos sub peccato mortali.

Prob. 1. Scriptura. *Memento, ut diem Sabbati sanctifices.* Exod. 20. v. 8. & Ezech. *Videte itaque, ut Sabbatum meum custodiatis;* quæ verba saltem non minus Christianos, quam Judæos respiciunt: Ergo sicuti tenebantur Judæi sub peccato mortali Sabbatum Judaicum custodire, ita & nos Sabbatum Christianum, ne sanctum illud præceptum infringentes puniamur pœnis spiritualibus, sicuti illi puniebantur pœnis corporalibus.

2. Authoritate summorum Pontificum & Cleri Gallicani, qui art. 6. damnarunt hanc propositionem: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

3. *Rat.* Præceptum naturale determinatum per legem positivam obligat sub mortali, quando materia est gravis: quia si quæ lex obliget sub mortali, maxime lex naturalis: præceptum autem observandi festa est præceptum naturale determinatum jam per legem Evangelicam: ergo obligat sub mortali.

4. Actus contrarius Religioni est peccatum mortale, & sacrilegium, si sit materia gravis: ergo cum violatio festi sit actus contrarius Religioni, erit peccatum mortale sacrilegii.

5. Ecclesia, ut pote Respublica bene ordinata, habet potestatem condendi leges obligantes sub mortali; cum de his, qui nolunt obedire Ecclesiæ, dicatur: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus:* Ergo cum Ecclesia determinat sanctificationem festorum, censetur obligare sub mortali; quia materia est gravis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quidquid jus naturale vetat, ut contrarium observationi festorum, debet censeri peccatum mortale.

Sic hæ occupationes, quæ ita mentem absorbent, ut impediant, ne diebus festis vacet, ut oportet, rebus divinis, debent censeri peccata mortalia sacrilegii. Talia sunt ea peccata, quæ toto die festo animum peccantis occupatum tenent; etenim peccatum mortale sanctitatem aufert, quæ festivis præcipue diebus debet *aut amissa reparari, aut accepta augeri*... Talia etiam sunt ea negotia, quæ omnino a sacris fidelem eo die avocant.

Consect. 2. Quidquid jus naturale jubet, ut per se necessarium ad observantiam festorum quæ in eo sita est, ut Deum tanquam supremum Dominum habeamus, si omnino omittatur, debet censeri peccatum mortale.

Sic cessatio ab omni actu interiori die festo debet censeri peccatum mortale; quia jus naturale jubet, ut die festo aliquo actu Deum colamus.

Consect. 3. Quidquid jus positivum jubet, ut absolute necessarium ad observantiam festi, si omnino omittatur, debet censeri peccatum mortale.

Sic cessatio ab omni cultu exteriori, v. g. cessatio ab operibus præscriptis ab Ecclesia sub mortali, debet censeri peccatum mortale.

Consect. 4. Quidquid jus positivum Ecclesiasticum vetat ut contrarium observationi festorum, debet censeri peccatum mortale.

Sic opera servilia, quæ ut talia judicantur ab Ecclesia, debent haberi ut peccata mortalia.

CAPUT II.

De variis hominum operibus quibus tum jure naturali, tum jure positivo sanctificatio festorum vel violatur, vel promovetur.

ARTICULUS I.

De variis operibus hominis.

OPus hominis est duplex: opus animæ, & opus corporis.

Opus animæ est actio consistens in contemplatione, aut ad illam pertinens. Talis est volitio, intellectio, imaginatio, sensatio: & hujusmodi actiones vocantur liberales, & non serviles: quia si quis homini serviat, servit ei secundum corpus, & non secundum mentem .... Actiones liberales continentur hoc carmine.

Lingua, tropus ratio, numerus, tonus, angulus, astra.

Opus

Opus corporis est illud, quod dependet maxime a membris externis.

Opus corporis est duplex: opus proprium servis, & opus commune servis & liberis.

Opus corporale servis proprium est illud, quod corpore exercetur, & ad artes mechanicas pertinet: vocatur servile, quia est servis proprium, etenim si quis serviat alteri homini, servit non secundum animam, sed secundum corpus. Opera autem servilia istis carminibus comprehendi possunt,

Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber,
Mercatura, forum, nec non transvectio mercis,
Pingere, piscari, venari, & radere barbas.

Opus corporale commune servis & dominis est illud, quod corpore exercetur, & ita communiter, ut æque fieri soleat a servis ac a dominis. Ejusmodi sunt ambulare, iter agere, &c.

ARTICULUS II.

De his, quæ jure naturali specialiter prohibentur diebus festis.

PRop. unica. Opera, per quæ servimus diabolo, nimirum peccata, & ea, quæ trahunt ad peccandum, semper prohibentur, sed specialiter diebus festis.

Prob. 1. Ex Script. Isaias loquens de Judæis in diebus festis peccatum committentibus, ait: *Iniqui sunt cœtus vestri: calendas vestras, & solemnitates vestra odivit anima mea: facta sunt mihi molesta: laboravi sustinens*. cap. 1. v. 13. & Malachias 2. v. 3. *Dispergam super vultum vestrum stercus solemmitatum vestrarum:* Ergo opera, per quæ servimus diabolo, specialiter prohibentur diebus festis.

2. Ex Concilio Forojuliensi an. 790. cap. 13. ubi loquens de festorum celebratione sic habet: *Omnibus mandamus Christianis abstinere primum omnium ab omni peccato:* Ergo censet Concilium peccata diebus festis specialiter prohiberi.

3. Ex D. Th. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. *Magis homo impeditur a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis sit corporale: ideo magis contra hoc præceptum agit qui peccat in die festo, quam qui aliud corporale opus licitum facit. Unde Aug. dicit in libro de decem chordis: Melius faceret Judæus in agro suo aliquid utile, quam si in theatro seditiosus existeret. Et melius feminæ eorum die sabbati lanam facerent, quam quod tota dio in Neomeniis impudice saltarent. Non autem qui peccat venialiter in Sabbato contra hoc præceptum facit; quia peccatum veniale non excludit sanctitatem.*

4. *Rat.* Homo debet semper peccatum fugere; quia peccatum murus est, quo a Deo disjungimur, juxta illud Isaiæ 59. v. 2. *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum:* Ergo debet præcipue peccata fugere diebus festis; quia tunc decet nos intimius conjungi Deo: unde ait Catechis. Trident. *Quo magis peccata a fidelibus vitanda sunt, quæ non solum animum a divinarum rerum studio avocant, sed nos a Dei amore prorsus sejungunt.*

Deinde, homo non debet die festo alteri homini servire: ergo a fortiori inimicis Dei, scilicet peccatis: quod utique facit peccando, juxta illud Joan. 4. *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* 8. v. 34. ideo dicit Aug. serm. 270. in die Pentecostes: *Ille vere observat Sabbatum qui non peccat.* Eo quod vere soli Deo serviat.

Demum, sicuti Deus, licet Dominus omnium, sibi aliqua consecrat; ita, licet Dominus omnium temporum, sibi aliquos dies consecrat: ergo sicuti specialis culpa est templum violare; ita specialis culpa est dies festos peccando transigere. Eo argumento utitur Canutus Rex ann. 1032. in suis legibus Ecclesiasticis a. 6. *Quamquam*, inquit, *nec ullo tempore danda est injustitiæ venia, diebus tamen festis atque a locis Deo consecratis maxime prohibenda est procul iniquitas.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Nunquam licet peccare, sed id vetitum est specialiter diebus festis; quia peccatum eo tempore est gravius. *Gravius peccat, qui peccat in festo, puta, furatur, fornicatur, quam qui in aliis diebus hoc facit*, inquit Synodus Lingonensis, relata a Bochello fol. 575.

Consect. 2. Circumstantia festi non solum semper aggravat peccatum; sed etiam aliquando efficit ut duplex committatur peccatum: quod contingit dupliciter, vel quia peccatum ita diu durat, ut nullam relinquat diei partem cultui divino applicandam, vel quia ita mentem absorbet, ut eam per integram diem cultui divino vacare impediat; tunc enim in utroque casu duplex præceptum infringitur, scilicet, 1. Præceptum sanctificationis festi, quæ omnino per totam diem omittitur. 2. Præceptum illud, quod per actum peccati violatur: de hoc ita loquitur Halensis 3. P. q. 32. de tertio præcepto art. 2. *Qui fornicatur*, inquit, *die*

die Dominico peccat duobus peccatis, secundum quod peccatum numeratur ratione reatus, *licet sit unus actus*, *sicut ille*, *qui deflorando interficit virginem*, *dupliciter peccat, uno actu interficiendo & stuprando ...... Similiter est hic*. Et Nicolaus de Lyra in c.20. Exodi super illud, sex diebus operaberis, ait: *Qui adulteratur illa die est transgressor duplicis præcepti*, scilicet mœchiæ, & diei Sabbati. Idem tenet Antoninus 1. p. tit. 9. c. 7. § 2.

Dixi, si peccatum vel per sui durationem, vel per sui malitiam nullam relinquat diei partem cultui divino insumendam; quia si peccatum relinquat tempus & audiendi Missam, & vacandi per aliquam partem diei cultui divino, tunc circumstantia festi aggravat quidem peccatum, sed non efficit ut duplex committatur peccatum; quia hoc præceptum affirmativum, *diem Sabbati sanctifices*, *obligat quidem ad semper*, *sed non pro semper*.

Consect. 3. Omni tempore vitanda sunt ea, quæ ducunt ad peccatum, sed præcipue diebus festis; quia tunc decet nos Deo esse magis addictos, & quia circumstantia festi semper aggravat peccatum, & aliquando efficit, ut duplex committatur peccatum.

Sic diebus festis abolenda est popinarum frequentatio, chorearum & ludorum theatralium exercitatio, & alia hujusmodi: unde Conc.3. Mediol. ann.1573. de festorum observatione, a. 1. ait: *Festis diebus*, *saltem horis*, *quibus divina celebrantur officia*, *interdicimus*, *ne saltationes*, *tripudia*, *choreæ ducantur*, *aut fiant: ne item comediæ*, *ludi scenici*, *vel theatrales*, *hastiludia*, *& alia cujusvis generis spectacula agantur*. Idem jubet Concil. Bituricense an.1583. tit. 6. can. 6.

Consect. 4. Quando circumstantia diei festi non notabiliter aggravat peccatum, tunc bonum est eam confiteri, sed id non est necessarium; quia circumstantiæ peccatorum aut nihil, aut parum aggravantes, non sunt confitendæ, ut dicemus ubi de confessione Sacramentali. De hac circumstantia festi Ludovicus Granatensis docet expresse, eam non esse confitendam. Ita in suo memoriali c. 7. §. 3. Idem docet Covarruv. lib. 4. resolut. cap. 19.

Consect. 5. Quando circumstantia diei festi notabiliter aggravat peccatum, vel efficit quod duplex peccatum committatur, tunc necessario est confitenda; quia de fide est, circumstantiam, quæ speciem mutat, esse confitendam; & probabilius simul, & tutius est, eas circumstantias confiteri, quæ peccatum notabiliter aggravant.

Consect. 6. In praxi bonum est in confessione explicare circumstantiam temporis sacri; quia hæc circumstantia semper aggravat peccatum. Ita author veræ & falsæ pœnitentiæ: *Consideret peccator*, *si peccatum commiserit in loco sacro ... Si in tempore orationi constituto*, *an in festivitate Sanctorum .... Omnis ista varietas confitenda est & deflenda*. Can. *consideret*.

Et D.Th. opusc.22. alias 64. art. 5. loquens de circumstantiis confitendis, ait, circumstantiam temporis esse confitendam; quia, inquit, *Gravius est caveri a Missa*, *vel otiari in die Dominico*, *vel in festo solemni*, *quam in die alio simplici & gravius est quodcumque peccatum in magna solemnitate, quam in alio tempore*. Et D. Bonav. opusc. confessionale cap. 2. ait: *Interrogandum esse pœnitentem de tempore quo peccatum perpetravit*, *utrum videlicet in tempore festivo*, *vel non festivo*.

ARTICULUS III.

De his quæ jure positivo prohibentur diebus festis.

PRop. 1. Licet opera servilia, quæ exercentur per artes mœchanicas, & per quæ servimus homini, non sint ex se mala, tamen sunt prohibita diebus festis, nisi sit causa justa, quæ excuset.

Prob. 1. Script. *Omne opus servile non facietis in eo*. Lev.23. v. 7. Opus autem mœchanicum est opus servile: ergo, &c.

2. Ex Concil.Conc.Narb.ann.1551.can.49. dies festos ita celebrari præcipit. *Parochi*, inquit, *suos omnes moneant sub excommunicationis pœna comminantes, ut dies festos colant cum maxima erga Deum sinceritate & Religione: a quacumque SERVILI actione*, *ebrietate*, *blasphemia*, *&c. abstineant*. Concilium vero Burdigal. ann. 1583. can. 6. postquam præmonuit calamitates, quibus premimur, a violatione festorum profluere: *Magistratus*, inquit, *adhortamur*, *ut quod in ipsis maxime situm est*, *sacros dies illos ac solemnes pie sancteque celebrari curent*: *tabernas aperiri*, *vecturas & opera quævis rustica exerceri prohibeant*.

3. Ex Greg. *Dominico die a labore terreno cessandum est*, *atque omnino orationibus insistendum*, *ut si quid negligentius per sex dies agitur*, *per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur*. Lib. 11. Epist. 30.

4. *Rat*. Destinavit sibi Deus dies festivos: ergo non licet eisdem diebus alteri servire, & proinde opus corporale & servile exercere; quippe per opus corporale & servile, & non per opus spirituale homo servit homini. Deinde opus corporale & servile, defatigando cor-

corpus, mentem a divino cultu amovet, ut ait Catech. Trident. Ergo decet nos vacare a servilibus die festo. Jam quæ sint opera servilia videamus. *Opera servilia sunt opera corporalia, quæ proprie pertinent ad servientes*, inquit D. Thom. 2.2. q. 122. art. 4. Sed ut hæc notitio distinctius appareat, sit

Prop. 2. Ad Ecclesiam pertinet determinare quænam sint opera, quæ habenda sunt ut *servilia* in lege Evangelica.

Prob. 1. Script. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælis*. Matth. 18. v. 18. Sed determinare, quænam sint opera servilia, est ligare conscientiam circa illa opera: Ergo cum ex textu præcitato pertineat ad Ecclesiam ligare, ad eamdem pertinere necesse est, determinare quænam sint opera servilia.

2. Ex D. Thom. ibidem a. 4. ad 4. *Observantia diei dominicæ in nova lege succedit observantiæ Sabbati, non ex vi præcepti legis, sed ex constitutione Ecclesiæ, & consuetudine populi Christiani*: Ergo cum ad Ecclesiam pertineat determinare festa, ad eam pariter pertinet determinare, quænam sint opera, quæ ut *servilia* habenda sunt, & sanctificationi festorum contraria.

3. Quando præceptum aliquod naturale, vel divinum est indeterminatum in Scriptura, ad Ecclesiam pertinet determinare modum, quo præceptum illud observandum sit: est enim regula infallibilis & quoad fidem, & quoad mores: atqui præceptum de sanctificatione festorum est indeterminatum in Evangelio: ergo ad Ecclesiam pertinet determinare, quomodo observandum sit, & quæ opera sint sanctificationi festorum contraria, quæ vero non. Et sicut Ecclesia determinat, quomodo & quando jejunandum, qui cibi diebus jejunii sint permissi, qui vero prohibiti; ita Ecclesia debet determinare, quinam dies sint festivi, & que opera diebus festis permissa, quæ vero prohibita. De quo fusius ubi de præceptis Ecclesiæ.

Consect. unicum. Ad cognoscendum, quænam sint opera servilia, non legem Mosaicam, sed praxim Ecclesiæ debemus consulere; & proinde multa opera debemus habere ut licita in lege Evangelii, quæ erant prohibita in Lege Moysis: cujus diversitatis hanc affert rationem D. Thom. ibidem: *Festorum observatio*, inquit, *in lege Evangelica non est singularis, sicut fuit observatio Sabbati in veteri lege: & ideo non est ita arcta prohibitio operandi in die Dominica, sicut in die Sabbati; sed quædam opera conceduntur in die Dominica, quæ in die Sabbati prohibebantur, sicut decoctio ciborum & alia hujusmodi. Et etiam in quibusdam operibus prohibitis facilius propter necessitatem dispensatur in nova, quam in veteri lege: quia figura pertinet ad protestationem veritatis, quam nec in modico præterire oportet: opera artem secundum se considerata immutari possunt pro loco & tempore*. Item opera, quæ servilia habebantur apud Judæos, possunt permitti ab Ecclesia.

Prop. 2. Juxta præsentem Ecclesiæ praxim servilia censentur. 1. Opera mechanica. 2. Opera forensia & nundinalia. 3. Opera ad artes mechanicas accedentia.

Prob. 1. Ex variis Concil. Provinc. Concil. Arelatense 6. ann. 813. Can. 16. jubet *a rurali & servili opere cessari penitus* diebus Dominicis, & vetat eisdem diebus *publica mercata*, causarumque *disceptationes* exerceri: Concil. Parisiense ann. 829. Can. 50. *Mercatus, placita, & ruralia quæque opera* interdicit.

2. Authoritate Pii V. Constit. quæ incipit, *Cum primum*. *Fideles*, inquit, *diebus festis*: 1. *Ab omni illicito & servili opere abstineant*. 2. *Mercatus non fiant*. 3. *Profanæ negotiationes & judiciorum strepitus conquiescant*.

3. Ex Codice Justiniano titul. 12. de feriis, *Omnes judices, urbanæque plebes, & cunctarum artium officia venerabili Solis die quiescant*.

Hinc patet ex præsenti Ecclesiæ praxi, & determinatione, diebus festivis prohiberi. 1. Opera mechanica. 2. Opera forensia, & nundinalia. 3. Opera ad mechanicas artes aut pertinentia, vel accedentia: quæ singula, ut sigillatim & distincte appareant, quædam more solito subjiciemus Consectaria, ab eruditis quidem ex probationibus allatis jam præintellecta; sed quæ rudioribus, quibus non ita obviæ sunt, non erunt forte inutilia.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant hi omnes, qui diebus festivis exercent opera mechanica isto carmine contenta:

Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber:

Sunt enim opera, quæ ab Ecclesia judicantur ut servilia: sunt quippe ejus naturæ, ut per ea homo alteri homini proprie serviat. Unde peccant

1. *Rus*. Idest, qui vacat agrorum culturæ, v. g. arat, seminat, colligit fructus. Ita Capitulare Caroli Magni vel potius Episcopi cura Caroli Magni congregati lib. primo cap. 75. *Statuimus, secundum quod in lege Dominus præcepit, ut opera servilia diebus Dominicis non agantur.... Nec viri ruralia exerceant opera, id-*

idest, nec vineam colendo, nec in campis arando, nec in metendo, vel fœnum secando.

2 *Nemus*. Qui vacat nemorum plantationi, v.g. vineas, arbores plantat aut ordinat. De quo idem Capitulare ait: *nec sæpem ponendo, nec in silvis stirpando* occupentur.

3. *Arma*. Qui vacat armis fabricandis; quia arma fabricare opus servile est. Item qui extra necessitatem diebus festis incumbit bellorum exercitio. De quo ita D. Th. 2. 2. q. 40. a. 4. in C. *Pro tuitione Reipublicæ fidelium licitum est justa bella exercere diebus festis, si tamen hoc necessitas exposcat. Hoc enim esset tentare Deum, si quis immunente tali necessitate vellet a bello abstinere. Sed necessitate cessante non est licitum bellare in diebus festis*. Idem habet Nicolaus ad consulta Bulgarorum cap. 34. ubi sic habet: *Die Dominico, vel cæteris festis diebus quando necessitas urget, liceat ambulare, vel ad bellandum procedere*.

4. *Rates*. Qui vacat navibus struendis, onerandis, exonerandisve; naves enim struere non minus est opus servile quam struere domos: hoc autem prohibetur lib. 1. Cap. Caroli magni cap. 75. his verbis: *nec in petris laborare, nec domos struere* diebus festis liceat.

5. *Vulnera*. Qui extra necessitatam vacat exercitio Chirurgiæ aut Pharmacopolæ, v.g. Anatomiæ incumbit, unguenta parat, &c. quia hæc opera sunt servilia & mechanica, ut innuit Aug. lib. 1. de musica cap. 4. ubi ait, quod hoc vocabulo Chirurgia *satis significatur operaria quædam in manibus medendi consuetudo*. Si opus illud sit mechanicum, non potest diebus festis nisi propter necessitatem permitti.

6. *Lana*. Qui vacat lanificio, v. g. tondet oves, lanam lavat. De quo idem Capitulare ait: *Item feminæ opera textrilia non faciant, nec capulent vestitus, nec consuant, vel acupile faciant, nec lanam carpere, nec linum batuere, nec in publico vestimenta lavare, nec vervices tondere habeant licitum*. Idem dic de filo & rebus sericis.

7. *Faber*. Qui vacat rebus fabrilibus sive circa petras poliendas, sive circa ligna, sive circa metalla. De quo ita Concilium Meldense ann. 945. can. 47. ubi octo dies Paschales inter festivos recensens, ut tunc moris erat, ait: *Dies quoque octo sacrosanctæ Paschalis festivitatis omnibus Christianis feriatos esse decernimus ab omni opere rurali, carpentario, gynæceo, cæmentario, pistorio, venatorio, forensi, mercatorio, audientiali, ac sacramentis exigendis; quatenus eisdem diebus tanto licentius, quanto liberius, omnibus Christianis sanctæ Resurrectionis laudibus, & sacrosanctæ prædicationi jugiter insistere liceat; quod si quis temerare præsumpserit, excommunicetur*.

Consect. 2. Peccant qui vacant operibus isto carmine contentis.

Mercatura, forum, nec non tranvectio mercis: quia hæc opera judicantur ut servilia ab Ecclesia.

Mercatura. Mercatus alii sunt minus solemnes, qui recurrunt sæpius in eadem hebdomada; alii vero magis solemnes, qui solum recurrunt ter quaterve in eodem anno, vocanturque nundinæ.

Mercatus minus solemnes, qui sæpius in eadem hebdomada recurrunt, non sunt liciti diebus festis, ut cavetur multis Conciliis. Synodus Romana sub Eugenio II. ann. 826. Can. 30. ita loquitur: *Constat omnes omnino observare, ut die Dominico nullas audeant operationes mercationesque peragere, præter in cibariis rebus pro itinerantibus, ita ut libere possint ac debite in eo secundum possibilitatem omnes ad Ecclesiam concurrere*.

Constitutio vero Riculfi ann. 889. cap. 18. sic habet. *Mercationes vero, quæ divinis & humanis legibus probibitæ sunt, & nunc denuo diebus Dominicis a quibusdam exercentur, modis omnibus inhibemus, & vobis inhibendas omni studio canonica auctoritate decernimus*. Et Concilium Grateleanum ann. 928. Cap. 6. sic jubet: *Die autem Dominico nemo mercaturam facito, quod si quis egerit, & ipsa mercede, & triginta præterea solidis mulctetur*.

Demum Concilium Mediolanense I. ann. 1565. de festorum dierum cultu determinat: *ne quid* diebus festis *vendatur aut ematur, præter id quod ad victum illius diei, vel ad ægrorum curationem necessarium sit*. Concilium vero Narbonense 1555. Can. 49. istæc præcipit: *Nihil mercatores publice vendant: officinæ eorum apertæ non sint præsertim diebus Dominicis & beatæ gloriosæque Virginis Mariæ, &c.*

Mercatus vero magis solemnes, qui apud nos vocantur nundinæ, strictius videntur prohiberi. De his solemnibus mercimoniis videtur loqui Carolus Magnus cap. 1. a. 18. *De mercatis ut in die Dominico non agantur*. Et Concil. pariter Turonense III. an. 813. *Itemque interdicatur ne mercata, & placita usquam fiant die Dominica, qua oportet omnes Christianos a servili opere in laude Dei & gratiarum actione usque ad vesperam perseverare*. Can. 40.

Et Concil. Moguntinum ann. 1540. de moribus Can. 98. ita loquitur: *Magnus abusus est*, quod scilicet diebus festis mercatus fiant. *Cuius improbe hominum cupiditati modum ponere volentes, serio probibemus, ne in posterum in locis nostræ Provinciæ, diebus Dominicis, aut præcipuis*

Ecclesiæ festivitatibus, nisi forte earum rerum, quæ ad usum quotidiani victus necessariæ sunt, exerceantur. Postea vero & excommunicationis pœnam magistratibus talem corruptelam permittentibus infligit. Concilium Mediolanense I. ann. 1565. ait: *Ne fiant nundinæ, sed quæ festo die fieri consueverant in antecedentem, vel subsequentem diem, qui festus non sit, transferantur.*

Concilium vero Copriniacum ann. circiter 1255. Can. 26. omnibus frequentantibus mercata & nundinas excommunicationem minitatur: sic enim habet: *Item denuntientur excommunicati omnes illi, qui diebus Dominicis, & solemnitatibus frequentant mercata & nundinas.* Idem vetant sub pœnis temporalibus Edicta Regia, scilicet Aurelianense art. 23. & Blesense art. 28. Et merito quidem; recta enim ratio suadet, quod Diabolus his nundinis non solum avertit populum a cultu Dei, sed insuper excitat ad dolum & fallacias, quæ solent misceri in contractibus, & ad ludos, & ludicra sensim adducit.

2. *Forum.* Peccant qui actiones forenses exercent diebus festis; quia actiones forenses diebus festibus prohibentur jure civili & Ecclesiastico: neque ullatenus licet eas sine causa exercere, juxta illud Justiniani: *Omnes judices die Solis quiescant.* Rem vero plenius determinant Leo & Antemius. Cod. lib. 3. de feriis lege fin. *Respirent a controversiis litigantes.* Concilium Matisconense Can. 1. ann. 585. *Custodite diem Dominicam, nullus vestrum litium fomitibus vacet, nullus causarum actiones exerceat.*

Idem jubet Concil. Moguntiacum ann. 813. Can. 37. vetans expresse, *ut mercatus* in diebus Dominicis non sit, *nec placitum, ubi aliquis ad pœnam vel ad mortem judicatur.* Idem habet Concilium Turonense eodem ann. Can. 40. *Interdicatur,* inquit, *ne mercata & placita usquam fiant die Dominica.* Et Conc. Erpfordiense ann. 932. c. 2. rem expressius sic definit; *Placita sæcularia Dominicis, vel aliis festis diebus, sed etiam in quibus legitima jejunia celebrantur secundum canonicam institutionem, minime fieri volumus.* Idem definiunt Edicta Regia, quibus curiis determinantur dies feriales. Id demum cavetur cap. *Conquestus est nobis,* de feriis, ubi hæc leguntur: *Debet judicialis strepitus diebus conquiescere feriatis, qui ob reverentiam Dei noscuntur esse statuti.*

1. Hinc patet, quod non licet Judici diebus festis ferre sententiam, testes audire, &c. *Nulla quemquam,* inquiunt Leo & Antemius, *urgeat admonitio, nulla fidei jussionis flagitetur exactio, taceat apparitio, advocatio delitescat, sit ille dies a cognitionibus alienus, præconis horrida vox quiescat.* C. leg. fin. de feriis.

2. Hinc patet, quod non licet etiam tabellionibus diem festum clientibus assignare, aut decreta judicum exequi. *A strepitu judiciali ita convenit abstinere, ut consentientibus etiam partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit, diebus festis promulgari.* Cap. *Conquestus est nobis,* de feriis.

3. Non licet Notariis instrumenta scribere diebus festis. Conc. Mediol. III. *Ne contractus ulli, cujusvis generis sint, neve ullæ rerum exactiones fiant, nisi cum jure nominatim permissum, &c.* Idem habet Con. Bituricense ann. 1584. tit. 6. Can. 4. *Dominico ergo die cessent sæcularia opera; sit sacrum institutum, cessent lictores, sileat præconis tuba .... Contractus, Notariorum instrumenta.*

4. Non licet Procuratoribus acta transcribere; quia hæc omnia actiones forenses sunt.

Licet tamen Advocatis Judices instruere, legibus studere, & clientium lites examinare; quia hæ actiones sunt liberales: peccarent tamen, si ita immergerentur die festo negotiis sæcularibus, ut nihil ad salutem æternam pertinens illis diebus festis peragerent.

Dixi, quod placita forensia non possunt diebus festis licite sine causa exerceri; nam si sit causa, hæc omnia possunt licite fieri diebus festis.

Sic judicibus ruralibus licet lites judicare: quia homines rusticani non possunt commode accedere, nisi die festo.

Sic potest reus damnari morte die festo, si timeatur, quod ex dilatione reus abibit impunitus. Leg. 10. C. de feriis: *Nullum tempus existiment excipiendum, ne differatur sceleratorum proditio consiliorum, quæ per latronum tormenta quærenda est.*

Sic Notarius potest testamenta ægroti accipere die festo, si timeatur, quod ad aliud tempus non possint differri: potest & consensum matrimonialem scribere. *Cessent,* inquit Concil. Bituricen. 1584. Titulo 6. Can. 4. *Notariorum instrumenta, nisi quæ ex necessitate testamentorum, aut matrimoniorum causa differri non possunt.*

Nec non transvectio mercis. Peccat qui citra causam vacat transvehendis mercibus, vino, frumento, oleo; peccat, quia est opus servile. Id prohibet Jerem. cap. 17. v. 21. his verbis; *Nolite portare pondera in die Sabbati.* Id pariter vetat Concil. Rothomag. an. 1581. de cultu enim divino agens, ait: *Vetamus vecturas atque omnia alia opera servilia fieri .... In Pronao pro excommunicatis denuntient qui post ad-*

monitionem ausi fuerint vecturas non necessarias exercere. Et Cap. Caroli Magni l. 1. c. 75. determinat quæ vecturæ censeantur necessariæ. *Tria carraria opera licet fieri in die Dominico, id est hostilia carra, vel victualia, etsi forte necesse fuerit corpus cujuslibet duci ad sepulcrum.* Et Conc. Coyanense ann. 1550. de eadem re ita loquitur: *Christiani Dominica die non exerceant, nec festentur itinera, nisi orationis causa, aut sepeliendi, aut visitandi ægros, aut pro Regis secreto, aut pro Saracenorum impetu.* Et cum adest necessitas, hæc cautela adhibenda est: *Si necessitas fuerit navigandi, sive itinerandi, licentia datur, ita dumtaxat, ut neque Missa, neque orationes prætermittantur,* inquit Theodulphus Episcopus Aurelianensis, cap. 24.

Si tamen sine fraude incepisses iter ante diem festum, potes prosequi, modo audias Missam; quia videris excusari a peccato ob damnum temporale, quod sequeretur ex itinere interrupto.

Consect. 3. Peccant qui diebus festis vacant operibus isto carmine contentis.

Pingere, piscari, venari, & radere barbas.

Hæc enim opera judicantur ut servilia.

1. Non licet diebus festis pingere, venari, aut piscari; quia hæc opera censentur servilia, quando exercentur non recreationis causa, sed ex officio & motivo lucri. Nec licet etiam recreationis causa tempore Officii propter scandalum; nec venatio clamorosa, vel pro brevi tempore excusanda est. Ita videtur determinasse Concil. Meldense ann. 845. Can. 77. ubi postquam jussit octo dies Paschales tamquam festivos esse habendos, uti tunc mos erat, statim a quibus operibus vacare oporteat diebus festis statuit dicens: Dies festos omnibus Christianis feriatos esse decernimus, ab omni opere rurali, &c. PICTORIO, VENATORIO ... Quod si quis temerarie præsumpserit, excommunicetur: Ergo illicitum est piscari, aut venari diebus festis. PISCATIONEM vero illicitam esse festis diebus satis aperte declarat Alexander 3. cap. *Licet.* de feriis; eam enim tantum permittit *ingruente necessitate,* & ea lege, *ut post factam capturam piscium, Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus congruam faciant portionem.*

2. Non licet radere diebus festis; quia radere est opus servile prohibitum. Ita Joannes XXII. Epist. ad Philip. 5. *Te dissimulare non decet, ut exerceantur judicia die Dominico, & radendis ac tondendis barbis atque capitibus intendatur; cum dies illa divino cultui specialiter dedicata talibus profanari non debent.* Ita apud Natalem S. Carolus Borromæus in suo Concilio Mediol. 3. *Tonsores inter opifices serviles annumerat.*

Et Synodus Andegaven. ann. 1282. relata a Bochello fol. 578. *Præcipimus & mandamus, ne fideles dictis diebus barbas radant, vel barbitonsorium officium exerceant ..... Non obstante logo temporis abusu, qui non usus censendus est, immo verius corruptela.* Idem Concil. Senonense ann. 1429. cap. 25. *Illum abusum penitus reprobantes, quo mareschalli & barbitonsores in supra dictis festivitatibus credunt sibi licitum sua ministeria citra necessitatem exercere.*

ARTICULUS IV.

De causis excusantibus a peccato eos, qui vacant operibus servilibus, diebus festis.

P*Rop. unica*: Licet diebus festis vacare operibus servilibus ad vitandum grave damnum vel sibi, vel proximo, vel Reipublicæ obventurum: damnum, inquam, vel in anima, vel in corpore, vel in rebus fortunæ. (*a*)

Prob. 1. Script. Christus, interrogantibus Pharisæis, si licet Sabbatis curare, respondet: *Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & si ceciderit hæc Sabbatis in foveam, nonne tenebit & levabit eam? quanto magis melior est homo ove? itaque licet Sabbatis benefacere.* Matth. 12. v. 11.

Sic fecerunt sancti; nam Elias die Sabbato fugit a facie Jezabel ad conservandam vitam. 3. Reg. cap. 19. Machabæi pugnarunt die Sabbati contra irruentes hostes. Discipuli collegerunt spicas die Sabbati, Matth. 12. v. 1. & Christus ipse die Sabbati solebat corporaliter sanare, & Discipulos suos excusavit contra Pharisæos, qui eos culpaverant, quod transeuntes per sata die Sabbati, esurientes vellerent spicas & manducarent.

2. Ex Conciliis. Quoties Concilia loquuntur de operibus servilibus diebus festis prohibitis, toties ea permittunt ob ingentem necessitatem, modo ex natura sua mala non sint: de quo ita expresse loquitur Synodus Lingonensis relata a Bochello fol. 579. *In festis licite pos-*

(*a*) Hoc est verum; sed in Consectariis omisi voces illas, *grave, certum, & præsens*: ideo debent semper subintelligi. De gravitate damni & de egestate, ob quam permitto serviliter die festo operari, judicare debet vel prudens Curatus, vel discretus Confessarius, & peti debet licentia a Pastore.

possunt fieri ea, quæ pertinent ad provisionem necessariorum vitæ, vel sanitatem hominum, puta, vendere carnes, panem, vinum, curare infirmos, vitare periculum mortis vel corporis læsionis, vel adversus magnum periculum, vel damnum rerum occurrens, puta, incendium & his similia: dum tamen talia fiant pro tali necessitate, quod non potest alio modo succurri vitæ, sanitati, aut aliis periculis imminentibus, & quod propter prædicta non omittitur Missa, vel Divinum Officium quantum fieri potest, & non fiant prædicta principaliter pro cupiditate, sed pro subveniendo necessitati occurrenti.

4. Ex D. Th. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. *Opus corporale, quod ordinatur ad salutem corporalem alterius, non est contra observantiam Sabbati. Unde dicitur Joannis septimo: mihi indignamini, quia totum hominem salvum feci in Sabbato? Similiter etiam opus corporale, quod ordinatur ad imminens damnum rei exterioris vitandum, non violat Sabbatum. Unde dicit Dominus*, Matth. 12. *Quis erit ex vobis homo qui habeat unam ovem, & si ceciderit Sabbato in foveam, nonne tenebit, & levabit eam?*

3. *Rat.* Præceptum de observatione Sabbati, quatenus jubet abstinentiam servilium, est juris positivi: ergo non censetur obligare in illis circumstantiis, in quibus, si observaretur, forte induceretur violatio Juris naturalis; lex enim naturalis fortius ligat, quam positiva.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Licet diebus festis serviliter operari ad evitandum damnum spirituale tum pro se, tum pro proximo, v. g. pugnare, aggeres ædificare &c. ad evitandum, ne hostes fidei prævaleant ... pro conservatione Reipublicæ licitum est justa bella exercere. Sic Machabæi non polluerunt Sabbatum pugnantes ad sui defensionem die Sabbati. 1. Mach. 2. Sic juxta Sylvestrum V. *Dominica* imminente bello fieri possunt omnia opera tum ad defensionem, tum etiam ad aggressionem necessaria, si aliud tempus non suppetat, v. g. possunt fabricari arma, mænia extrui, valles fodi, aggeres elevari &c. hoc enim esset, inquit D. Thom. tentare Deum, si quis imminente bello vellet ab his abstinere, quæ ad bellandum sunt diebus festis necessario peragenda.

Consect. 2. Licitum est ea agere, quæ conducunt ad manifestandam innocentiam hominis injuste accusati, juxta illud: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*. Prov. 24. 11.

Consect. 3. Licet diebus festis ad evitandum damnum temporale, tum sibi, tum proximo obventurum, sive in corpore, sive in anima, serviliter operari.

Sic ad vitandum damnum corporale, urgente morbo, possunt fieri remedia ad sanitatem corporalem necessaria.

Sic ad vitandum damnum animæ, puta, otiositatem, vel aliquod aliud peccatum, inquit Sylvester V. *Dominica* post suas devotiones occupantur hoc fine domicellę in aliquo opere, quod non ad lucrum, sed ad caritatem erga pauperes exercendam inserviat.

Dixi: Licitum esse operari serviliter ad vitandum otium; modo id fiat post Missam auditam, & Divinum Officium, & in subsidium pauperum &c. Ita docet Sylvester. Periculosa est illa sententia, nisi limitetur ad casum, in quo urgeat necessitas pauperum; non enim opus servile exerceri debet in die festo ad vitandum peccatum; sed alia media assumi debent, v. g. oratio, lectio libri spiritualis, frequentatio Ecclesiarum, &c.

Consect. 4. Licet festis diebus serviliter operari ad evitandum damnum tum pro se, tum pro proximo in bonis fortunæ: & ita agricolæ possunt colligere fructus, cum timetur grando, inundatio, aut alia jactura fructuum ex alio quocumque capite eventura ... *De hoc* ita Conc. Tolet. ann. 1473. c. 7. *Diebus*, inquit, *Dominicis & festivis ab omni servili opere fideles quiescere jubemus: nec liceat cuiquam rusticalia seu artificialia opera exercere, aut agros colere, NISI URGENTE NECESSITATE, vel evidenti pietatis causa, & hoc de licentia sui Sacerdotis.*

Quod dixi de agricolis, idem proportionaliter dicendum de aliis artificibus mechanicis, v. g. licet extendere lanam, ut siccetur. Ita D. Anton.

Consect. 5. Licet die festo persequi opus, quod semel inceptum non potest interrumpi, v. g. conflare ferrum, vitrum, coquere calcem, lateres; quia hæc interrumpi non possunt.

Sic licet pariter laniis, pincernis præparare victualia in festis, ut sequenti die vendantur, si non possunt prius præparari, vel ante preparata conservari: ita D. Antoninus. Synod. Buseoducensis in Belgio tit. 12. c. 2. *Non permittantur Molitorum, Coquorum, Laniorum, Pistorum operæ, nisi ob notabilem necessitatem:* ita citatur a Vvanespem.

Sic licet inceptum iter Naucleris, Mulionibus, Rhedariis, Tabellariis perficere; quia interrumpere non possunt, nisi difficulter. Unde Concilium Narbonense ann. 589. can. 4.

die Dominico operas fieri vetat, & boves jungi, excepto, si immutando necessitas incuberit. Capitulare Caroli Magni lib. 1. c. 75. sic habet: *Tria carraria opera licet fieri in die Dominico, hostilia carra*, idest, quæ sunt necessaria ad bellum, *vel victualia*, quæ sunt necessaria alendis populis, *vel si forte necessum fuerit corpus cujuslibet duci ad sepulcrum*, ut jam dictum est.

Consect. 6. Egestas vel in eo, qui laborat, vel in eo pro quo laboratur, excusat a peccato, quando exercetur opus servile diebus festis; bonum tamen esset dispensationem ab Episcopo petere. Ita Antoninus, p. 11. tit. 9. cap. 7. §. 5. *Quia*, inquit, *observare festa non est in tanta arctitudine, ut in veteri testamento, & erit bona cautela, ut hoc fiat cum dispensatione Episcopi*. De hoc Concil. Narbon. an. 1609. c. 9. *Si aliqua*, inquit, *urgeat necessitas, ratione cujus in diebus festivis servile aliquod opus fieri oporteat, consulatur Episcopus vel ejus in spiritualibus Vicarius, qui re diligenter inspecta, quæ congrua fuerint decernat*.

1. Licitum est cuilibet corporaliter operari diebus festis pro sustentanda familia, si sine labore illo sustentari nequeat.

2. Licitum est tonsoribus radere die festo, quando vel ipsi sunt pauperes, vel radunt eos, qui commode diebus aliis radi non possunt: ita Dominus de Saintebeuve citans istum locum D. Th. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. a nobis laudatum, in quo sanctus Doctor permittit opera servilia, quando conducunt vel ad salutem animæ, vel etiam ad vitandum damnum rei exterioris.

3. Licitum est diebus festis exiguas merces in Pagis vendere, quas rustici non alio tempore commode possunt emere. Id licitum esse respondit Nicolaus V. ann. 1447. interrogatus a Transilvanis: *An pauperibus villanis & oppidanis licitum sit vendere die Dominico, vel festo alicujus Sancti, panes, pyra, poma, & alia legumina &c.* Respondet: *cogente necessitate, non tamen affectata seu procurata, licitum est præmissa exercere*.

Consect. 7. Licet diebus festis apprehendere occasionem, qua omissa sequeretur ingens damnum; præceptum enim de observatione festorum non ligat, ut diximus, ubi periculum est damni temporalis, si modo non leve sit. *Neque*, inquit Catechis. Trident. *earum rerum opera hac lege prohiberi existimandum est, quarum jactura facienda sit, si die festo, prætermittantur*. Unde 1. Licitum est piscari halices, tunnos diebus festis, dando aliquid Ecclesiæ & pauperibus; quia hæc piscatio non potest commode differri: ita cap. *Licet* de feriis: *Liceat....si balecia terræ se inclinaverint, necessitate ingruente eorum captioni intendere*.

2. Licet molere frumentum in molendinis, quando timetur, ne deficiant aquæ, vel ventus non perflet. Antonin.

3. Licet flante flento prospero iter navibus incipere.

4. Licet instaurare fontes, reficere pontes, & vias publicas diebus festis, quando alii dies non sufficiunt.

5. Licitum videtur exercere milites ad pugnam, acies dirigere, hostes adoriri; quia hæc omnia ad publicum bonum spectant: semper enim videtur adesse necessitas, nocetque Reipublicæ milites esse imparatos & inermes.

Consect. 8. Quando non constat, an opera sint servilia, nec ne, attendenda est loci consuetudo a Prælatis tolerata: ita docet Gersonius. *De operibus*, inquit, *servilibus exercendis diebus Dominicis & festivis, plus & frequenter determinat consuetudo loci, & personarum, a Prælatis tolerata, quam alia lex scripta*. Et ratio hujus est; quia, ut inquit idem Gersonius, *observatio* Sabbati quoad temporis circumstantias, & modi, locive pro maxima parte relicta est determinationi Prælatorum, quæ cognoscitur tum ex eorum institutis, tum ex consuetudinibus per eos legitime toleratis: consuetudo vero exercendi opera servilia diebus festis tunc maxime dicenda est corruptela, quando totaliter a servitio Dei, & a cultu festorum, & maxime ab auditione Missæ revocarent, & quando fieret magis ex cupiditate, quam ex pia necessitate. Ita Ger. de Præc. Decal.

Sic si opus aliquod corporale exerceatur scientibus, videntibus, & non contradicentibus Prælatis, opus illud, etsi aliunde corporale, non videtur prohibitum, sed ab Ecclesia permissum; vel quia Ecclesia judicat opus illud esse necessarium, vel non multum removere a divino cultu.

Sic licitum est radere, piscari, venari, ubi Episcopi non prohibent illud specialiter, & licet videntes, non contradicunt.

Consect. 9. Quando non constat de necessitate operis servilis in die festo exercendi, consulendus est Magistratus civilis, ut declaret necessitatem, & rogandus Superior Ecclesiasticus, ut dispensationem concedat; quia ad Magistratum politicum videtur pertinere declarare necessitatem, utpote invigilantem necessitatibus Reipublicæ; & ad Prælatum Ecclesiasticum pertinet conce-

cede-

cedere, vel denegare dispensationem, utpote occupatum legi examinandæ.

Sic videmus, quod Constantinus magnus lege 3. C. de feriis declaravit: *Agricolas posse die Dominico suas operas exercere*; quia opus rurale tunc temporis erat maxime necessarium. *Quoniam*, inquit, *frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur; ne occasione momenti pereat commoditas cælesti provisione concessa*. Hanc licentiam restrinxit Leo Constitut. 54. & prohibuit. *Ne agricolæ, neque quipiam alii in illo die illicitum opus aggrediantur. Si enim Judæi, qui umbram quandam, atque figuram observabant, tantopere Sabbati diem venerabantur, ut ab omni prorsus opere abstinerent; quomodo qui gratiæ lucem, ipsamque veritatem colunt, eum diem, qui a Domino honore ditatus est, nosque ab exitii dedecore liberavit, non venerari par est?*

ARTICULUS V.

De his quæ præcipiuntur diebus festis vi juris naturalis.

PRop. unica. Fideles tenentur ex præcepto naturali, non solum abstinere ab opere impediente sanctificationem, sed etiam vacare rebus sacris.

Prob. 1. Script. Exodi 20. 8. *Memento, ut diem Sabbati sanctifices*. Hæc est pars præcepti affirmativi: ergo importat aliquod exercitium, juxta illud: *Vacate & videte, quoniam ego sum Dominus*, idest, vacate a servili opere, & videte per orationem, & per alia pietatis opera, quod Deum tanquam Dominum vestrum veneremini; tunc enim diem Sabbati plene & perfecte celebramus, cum pietatis & religionis officia Deo præstamus. Cathec. Trid.

2. Ex Conc. Trid. ad sanctificandum Sabbatum debemus Deum imitari, qui Sabbato non otiatur, sed magis nostræ saluti invigilat. Faciamus ergo uti præcipit Tr. post Apostolum. *Obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones; Deus enim die Dominico lucem condidit, resurrexit a mortuis, Spiritum sanctum in Discipulos infudit*. Sess. 2. decret. de modo vivendi in Concil.

3. Ex Catechismo Triden. Christianorum Sabbatum debet esse sanctum; quia debet divinis actionibus & sanctis operum officiis esse consecratum: debet esse delicatum; quia virtutis exercitium Dei & piorum hominum sunt deliciæ: ergo oportet Festis diebus pietatis operibus maxime insistere.

4. *Rat.* Sabbatum est signum inter Deum & hominem, signum religionis hominis erga Deum, signum liberationis a servitute peccati, signum futuræ quietis in cælo: quæ omnia innuunt hominem debere eo die præcipue vacare spiritualibus exercitiis, ut monet serm. 280. inter opera Aug. tom. 5. *Observemus diem Dominicam*, inquit, *fratres, & sanctificemus illam .... videamus ne otium nostrum vanum sit; sed a vespera diei Sabbati usque ad vesperam diei Dominici*, uti tunc mos erat, *sequestrati a rurali opere & ab omni negotio, soli Divino cultui vacemus ... Veniat ergo, cuicumque possibile sit, ad vespertinam atque nocturnam celebrationem, & oret ibi in conventu Ecclesiæ pro peccatis Deum. Qui vero hoc non possit, saltem in domo sua oret; in die vero nullus se a sacra Missarum celebratione separet, &c.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Hortandi sunt Populi, ut diebus Festis conterantur, & confiteantur peccata, ut a pondere peccatorum, quibus opprimuntur, liberentur: quod videtur innuere Jeremias his verbis: *Nolite portare pondera in die Sabbati*. cap. 7. v. 21. etsi enim literaliter loquatur de ponderibus non ferendis, spiritualiter tamen de peccatis potest intelligi.

Consect. 2. Hortandi sunt fideles omnes, etiam hi, qui vel ex morbo, vel ex aliis causis non possunt Missæ & divinis Officiis interesse, ut interius eliciant actus fidei, spei, caritatis, & religionis, & actus virtutum moralium, quantum in ipsis est, ut sic tempus Deo consecratum sancte transigant: *dantes, scilicet, diei honorem & reverentiam*. Aug. Serm. de tempore 251.

Consect. 3. Hortandi sunt fideles, ut imitentur Sabbatismum Dei; quod utique fit, si feriemur a terrenis, & vacemus spiritualibus, si quiescamus in Deo, ut Deus operetur in nobis: de quo ita Aug. *Spirituale Sabbatum observant illi, qui ita se terrenis operibus accommodant, ut tam lectioni, quam orationi, & si non semper, perfrequenter insistant, secundum illud Apostoli*: attendite lectioni, & doctrinæ, sine intermissione orate; *qui enim tales sunt, quotidie spirituale Sabbatum colunt*. Epist. 130. cap. 7.

Consect. 4. Hortandi sunt fideles, ut imitentur Christum, sese Deo pro nobis sacrificantem; quod utique fit, sacrificium tum mentis, tum corporis Deo offerendo: de quo ita Aug. *Sacrificium est omne opus, quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad il-*

lum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. De civ. Dei lib. 10. c. 6. *Neque enim*, ut ait idem Aug. *utiliter vivitur in hoc tempore, nisi ad comparandum meritum, quo in æternitate vivatur*. Ep. 13. c. 7.

Consect. 5. Hortandi sunt fideles, ut quantum in ipsis est, die Festo iis vacent, quæ interiorem & exteriorem illum cultum promovere possunt: qualia sunt legere, & audire verbum Dei, recipere Sacramenta, & alia hujusmodi. Ita docet Paulus ad Timoth. 4. v. 13. *Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ*. Primos fideles die festo divinis Sacramentis recipiendis occupari, testis est Scriptura Act. 4. v. 7. *Una autem die Sabbati, cum convenissemus ad frangendum panem*.

Consect. 6. Monendi sunt Pastores, sui muneris esse, semper instare orationi, & ministerio verbi: Act. 6. sed proprie diebus Festis, ut jubet Conc. Moguntin. an. 813. in quo sic habetur: *Si fortasse Episcopus non fuerit in domo sua, aut infirmus est, aut aliqua causa exigente non valuerit, nunquam tamen desit diebus Dominicis aut Festivitatibus qui verbum Dei prædicet, juxta quod intelligere vulgus valet*.

Consect. 7. Monendi sunt populi, non liberum, sed necessarium esse audire præcipue diebus festis Pastoris sui exhortationes. Si enim, ut dicit Greg. *Pastoris est docere, exhortari, & corripere plebem*, plebis est Pastorem hortantem audire; & ut ait Prosper l. 1. vitæ contemplativæ, *Pastores debent sancte vivere propter exemplum, & docere propter suæ administrationis officium*; subditi vero debent & audire docentes, & imitari bene viventes.

ARTICULUS VI.

De Operibus servilibus jure naturali imperatis die festivo, utpote inservientibus ad sanctificationem Festorum.

PRop. unica. Opus servile & mechanicum, sed immediate ordinatum ad cultum Dei, si non possit fieri nisi die festivo, non removet ab observatione Festi, quin immo conducit; & ita est his, quibus ex officio incumbit, imperatum.

Prob. 1. Script. *Sacerdotes in templo Sabbatum violant*, idest, videntur violare, *& sine crimine sunt*. Matth. 12. quia opera illa corporalia, nimirum immolare victimas, arcam deferre, &c. ad cultum Dei ordinabantur.

2. Ex Catechis. Trid. de 3. præc. a. 32. *Ea opera non vetantur, quæ ad cultum Dei attinent, etiamsi servilia sint, ut Altaria instruere, Templa alicujus Festi diei causa ornare, & reliqua hujusmodi*.

3. *Rat.* Talis actio, utpote exterior, desumit suam moralitatem ex fine: cum ergo finis immediatus sit aliquid pertinens ad cultum Dei; illa actio, nedum est prohibita, sed potius imperata.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Licet die festo iter agere, ut possis adesse sacrificio Missæ, verbi divini prædicationi, uti fecerunt Apostoli, quia a monte Oliveti reversi sunt Jerusalem die festo.

Consect. 2. Licet pulsare campanas, circumferre cruces, & imagines in processionibus, uti instrumentis musicis; quia illæ actiones ordinantur ad cultum Dei. Sic non legimus prohibitum Judæis arcam circumferre diebus festis.

Dixi: modo actiones illæ corporales non possint commode in aliud tempus differri. Quia si commode possint differri, debent omitti, & in aliud tempus transferri; cessat enim ratio, propter quam permittuntur in illis diebus. Sic Maria Magdalene, & Maria Jacobi, & Salome expectarunt donec transiisset Sabbatum, ut postea emerent aromata, & venientes ungerent Jesum. Marc. 16. v. 1.

De his quæ permittuntur diebus festis.

Prop. unica. Opera spiritualia, immo corporalia, quæ sunt communia servis & dominis, permittuntur, modo ea opera tam spiritualia, quam corporalia non ita mentem abstrahant, ut eam rebus divinis vacare omnino impediant.

Prob. 1. Script. Deus diebus festis non vetat nisi opus servile, juxta illud Lev. 23. v. 7. *Omne opus servile non facietis in eo*, idest Sabbato: atqui opus mentis & opus corporale commune servis & dominis non sunt opus servile, ut patet: ergo opus mentis & opus commune servis & dominis non prohibentur diebus festis.

2. Ex Conciliis. Quoties Concilia loquuntur de operibus vetitis, toties recensent vel opera servilia, vel peccata; nunquam vero opera spiritualia, aut corporalia communia servis & dominis: ergo isthæc opera non prohibentur diebus festis.

3. Ex D. Th. 2. 2. q. 122. a. 4. ad 3. *Nullius*, inquit, *spiritualis actus exercitium est contra observantiam Sabbati, puta, si quis doceat verbo, vel scripto; unde Num. 28.* dicit Glossa, *quod fabri, & hujusmodi artifices otiantur*

tur in die Sabbati; Lector autem divinæ legis, vel Doctor ab opere suo non desinit; nec tamen contaminatur Sabbatum, sicut Sacerdotes in templo Sabbatum violant & sine crimine sunt. Opera corporalia, inquit ibid. *in quantum sunt communia servis & liberis, servilia non dicuntur:* ergo isthæc opera sunt licita diebus festis.

4. *Rat.* Illa opera permittuntur diebus festis, quæ nec jure naturali, nec jure positivo prohibentur, ut patet: atqui prædicta opera nec jure naturali, nec jure positivo prohibentur; quia jus naturale vetat solum ea opera, quæ mentem a cultu divino abstrahunt; jus vero positivum vetat solum opera servilia: ergo prædicta opera permittuntur diebus festis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Opera spiritualia, quæ isto carmine exprimuntur: *Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra*, non prohibentur diebus festis, & ita licet Grammatico, Rethori, Philosopho, Mathematico, Musico, &c. studere diebus festis; quia studium illud non est opus servile. Item licet eis conceptus suos in chartis scribere; quia hæc scriptio est potius operis mentalis executio, quam opus servile. Item licet Mathematico numeros transcribere, Musico tonos Musicales delineare, Architecto ædificiorum exemplaria exarare; quia isthæc omnia sunt magis ingenii quam corporis operationes, ideoque loco studii censentur, ut ait Soto lib. 2. de Justitia & Jure, qu. 4. a. 4. Sed cavendum semper, ne cultus divinus omittatur: maledictum enim studium propter quod relinquitur officium.

Consect. 2. Illa opera corporalia sunt licita, quæ absolute possunt esse communia servis & liberis, v. g. venatio, piscatio per breve tempus & recreationis causa; quia hoc exercitium commune est dominis & servis: itineratio sive pedibus, sive jumento, sive vehiculo, sive remigio fiat; quia iter agere commune est omnibus. Item ciborum coctio, cubilis compositio, corporis proprii exornatio, quia licet quidam coquos habeant & vestitores, tamen proprie servus non dicitur qui sibi parat cibos, & seipsum vestit, aut aliquid ad nitorem proprii corporis facit. Ideo Concil. III. Aurelian. ann. 538. prædicta omnia opera declarat esse licita diebus festis: ita enim habet Can 2. *Quia persuasum est*, inquit, *populo, die Dominico agi cum caballis, aut bobus, aut vehiculis itinera non debere, neque ullam rem ad victum præparare, vel ad nitorem, hominis pertinentem ullatenus exercere, quæ res ad Judaicam magis quam ad Christianam observantiam pertinere probatur; statuimus, ut die Dominico quod ante fieri licuit liceat, de opere autem rurali censuimus abstinendum.* Cavendum semper, ne ea opera servis & dominis communia, ea impediant exercitia, quæ per Ecclesiam præcipiuntur; dicitur enim: *Observa diem Sabbati, ut sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus.* Deut. 5. Quæ autem sint ea exercitia, quæ Ecclesia jubet, dicemus explicando præcepta Ecclesiæ.

TRACTATUS UNDECIMUS.

De quarto Decalogi præcepto.

CAPUT I.

Quisnam sit finis quarti præcepti: quos respiciat: quæ merces observantibus illud præceptum destinetur: quæ vero pœna illius infractoribus reservetur.

ARTICULUS I.

De fine quarti Præcepti.

Quartum Præceptum Decalogi his verbis exprimitur: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Exod. 20. v. 12. Finis hujus præcepti est, ut conservetur ordo politicus, qui est ordo sancitus a Deo in officiis mutuis superiorum & inferiorum. Superiores sunt omnes, quos Deus aliis regendis & defendendis præfecit: inferiores sunt hi, quos Deus regendos & defendendos aliis subjecit. Superiores in Decalogo vocantur patres: inferiores vocantur filii. Quænam sint mutua superiorum, & inferiorum officia, hic explicandum ait.

ARTICULUS II.

Quosnam quartum Præceptum respiciat.

Prop. 1. Tenemur sub peccato honorare parentes, & eos qui loco parentum sunt.

Prob. 1. Script. *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Exod. 20. v. 12. Ergo tenemur honorare parentes, & eos qui loco parentum sunt.

2. Ex libro de duodecim abusionum gradibus inter opera Aug. *Quatuor modis per*

Scripturas divinas patres vocantur, hoc est, natura, gente, admonitione, & ætate: & his omnibus, inquit idem liber, *Obedientia præbenda erit*, exemplo Christi, qui obediens fuit usque ad mortem.

3. *Rat.* Parentes, & qui loco parentum sunt, quodammodo vices Dei gerunt, cum suo modo nos producant, conservent, & nobis provideant: ergo sunt specialiter honorandi, utpote gerentes vices Dei: & sicuti amor erga proximum, quem videmus, est signum amoris erga Deum, quem non videmus; ita honor erga parentes, quos cernimus, est signum honoris erga Deum, quem non cernimus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Tenemur parentes carnales honorare; quia illi vere sunt parentes, qui nos genuerunt, & proinde merentur specialem observantiam, juxta illud: *Qui timet Dominum, honorat parentes, & quasi Dominis serviet his qui se genuerunt*. Ecclesiastici 3. v. 8. Unde ait Aug. lib. de decem chordis cap. 6. *Quisquis autem suis parentibus non defert honorem, quibus parere poterit?* indicans nemini obedientem fore qui parentibus, a quibus vitam accepit, inobediens fuerit.

Consect. 2. Tenemur honorare Ecclesiæ Pastores; quia sunt parentes spirituales, juxta illud: *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui*. 1. ad Corinth. 4. v. 15. Sanctam illam subjectionem his verbis præcipit Ignatius Epist. 1. ad Smyrnenses: *Laici Diaconis subjiciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, ut ipse* Christus *dum viveret Patri subjiciebatur*.

Consect. 3. Tenemur honorare Reges, Principes, Magistratus, politicos Dominos, &c. quia sunt quasi patres. Sic Naaman a famulis pater vocabatur: *Pater, & si rem grandem dixisset tibi Propheta, certe facere debueras*. 4. Reg. cap. 5. v. 13. Quod cum a gentilibus fuerit factum; a fortiori debet a Christianis fieri, quibus dicitur a Paulo scribente ad Titum cap. 3. 1. *Admone illos*, idest fideles, *Principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire*; & rursus ad Rom. cap. 13. v. 7. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*; *cui timorem, timorem; cui honorem, honorem*.

Consect. 4. Tenemur Magistros & Pædagogos quamcumque artem edoceant tanquam parentes honorare; quia vices parentum agunt: nam Elias & Eliseus a suis Discipulis Patres vocabantur, juxta illud: *Pater mi, pater mi, currus Israel & auriga ejus*. 4. Reg. cap. 2. v. 12.

Consect. 5. Tenemur senes tanquam parentes honorare; quia ratione ætatis quasi loco parentum sunt, juxta illud: *Coram cano capite consurge, & honora personam senis*. Lev. 19. v. 32. & Eccl. 8. v. 7. *Ne spernas hominem in senectute sua*.

Consect. 6. Demum debemus eos omnes venerari, qui nobis aliquo titulo superiores sunt, ut monet Catechismus Trid. par. 3. de 4. Decal. præcept. his verbis: *Præter eos, qui nos genuerunt, multi præterea sunt quos parentum loco colere debemus, vel potestatis, vel utilitatis, vel præstantis alicujus muneris, & officii nomine*. Tales sunt v. g. Tutores, Curatores, Pædagogi, &c.

Prop. 2. Hi, qui superiores sunt debent eos, qui sunt sibi inferiores, tanquam filios habere.

Prob. 1. Scriptura. Paulus ad Ephes. 6. v. 4. alloquens & parentes carnales, & eos qui sunt nobis loco parentum, ait: *Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros; sed educate illos in disciplina & correctione Domini*; indicans superiorum munus esse, ut sibi subditis dominentur non tyrannice, sed suaviter, & adinstar patrum educationem sanctam, & disciplinam salutarem communicent, & nunquam correctionem nisi in Domino exerceant.

2. Ex lib. de duodecim abusionum gradibus, qui inter Augustinianos ponitur, tom. 6. ubi sic habetur cap. 6. *Tria necessaria hos qui dominantur, habere oportet, terrorem scilicet, ordinationem, & amorem*: terrorem, inquam, quo suis inferioribus dominentur: ordinationem, qua suos dirigant inferiores: & amorem, quo eos sibi tanquam filios devinciant: ergo superiores debent suos inferiores tanquam filios habere.

3. *Rat.* Hoc præceptum, *honora patrem tuum & matrem tuam*, obligat inferiores, ut superiores tanquam parentes venerentur: ergo & præcipit, ut superiores inferiores suos loco filiorum habeant; in eo enim sita est hujus præcepti vis, ut inferiores erga superiores filialem exerceant reverentiam, superiores vero erga sibi subditos paternum amorem concipiant.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Superiores omnes quales sunt. 1. Parentes carnales. 2. Pastores. 3. Reges, Principes, Magistratus, Domini. 4. Pædagogi. 5. Senes. 6. Tutores, &c. debent

sibi subditos loco filiorum habere; cum enim ex Scriptura vocentur Patres eorum, qui eis subjiciuntur, consequens est, ut eos tanquam filios habeant.

Consect. 2. Prædicti superiores & inferiores eadem sibi mutuo debent, quæ sibi debent parentes & filii; quia juxta Scripturam, superiores vocantur patres, inferiores vero nuncupantur filii. Quæ autem sint illa, in subsequentibus capitibus demonstrabimus. Sed prius sit

ARTICULUS III.

Quæ merces observantibus illud præceptum destinetur; quæ vero pœna illius infractoribus reservetur.

PRop. unica. Filiis obedientibus multiplex præparatur merces a Domino; filiis vero inobedientibus multiplex punitio destinatur.

Prob. hac inductione desumpta ex Scriptura.

1. Filiis obedientibus benedictio destinatur, juxta illud: *Honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio a Domino*. Eccli. 3. v. 18. inobedientibus vero maledictio reservatur, juxta illud: *Maledictus a Deo qui exasperat matrem*. Eccl. 3. v. 18.

2. Filiis obedientibus vita longior promittitur his verbis: *Qui honorat patrem suum, vita vivet longiore*. Eccli. 3. v. 7 inobedientibus vero mors præceps & accelerata præparatur: *Qui maledicit patri aut matri*, inquit Sapiens, *extinguetur lucerna ejus in mediis tenebris*. Prov. 20. v. 20.

3. Filiis obedientibus nascetur proles obediens. *Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis*, inquit Scriptura Eccl. 3. v. 6 inobedientibus vero proles innobediens suscitabitur, juxta illud Christi: *Eadem mensura qua mensi fueritis remetietur vobis*.

4. Filiis obedientibus gloria & honor promittitur, juxta illud: *Gloria enim hominis ex honore patris sui*. Eccl. 3. v. 13. inobedientes vero pessima fama inficiet, juxta illud: *Quam malæ famæ est qui derelinquit patrem*. Eccl. 3. v. 8.

5. Filiis obedientibus reservantur divitiæ, ut præmonet Scriptura his verbis: *Sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam*. Eccl. 3. v 5. filiis vero inobedientibus paupertas, ut testatur eadem Scriptura his verbis: *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominiosus est, & infelix*. Prov. 29. v. 26.

Monit. Licet sint multi filii inobedientes, quales fuerunt Esau, Judas &c. qui vitam istam temporalem & faustam habuerunt, & ad longissimos annos produxerunt: & econtra, licet fuerint filii parentibus obsequentissimi, quos mors accelerata absumpsit; non tamen sequitur veracem non esse Deum in promissis. In omnibus quippe promissionibus terrestribus intelligitur latere supernæ felicitatis promissio. *Pietas enim*, inquit Paulus ad Timotheum 4. vers. 8. *promissionem habet vitæ, quæ nunc est, & futuræ*; sed eo discrimine, quod felicitas æterna *absolute* promittatur; felicitas vero temporalis *conditione* solum, scilicet, si ita saluti nostræ congruat: unde si filii obedientes diu non vivant in hoc sæculo, vivunt in æternum in futuro Rapiuntur, ut dicit Scriptura, *ne malitia mutet intellectum eorum*: rapiuntur, *ne videant mala populi sui*: demum vita temporalis contrahitur, ut citius æterna obtineatur.

CAPUT II.

De mutuis filiorum & parentum carnalium officiis.

ARTICULUS I.

Quid debeant filii parentibus suis carnalibus.

PRop. unica. Filii debent parentibus carnalibus amorem, reverentiam, obedientiam, & subsidium.

Prob 1. Scriptura. *Honora patrem tuum & matrem tuam*.

Huic autem honori hæc omnia conjuncta sunt, inquit Catechismus Trid. *amor, observantia, obedientia, & cultus*. Ergo filii debent parentibus carnalibus amorem, reverentiam & subsidium. Et quidem expressius Scriptura illud idem officium inculcat in diversis locis. 1. Debemus amorem non qualemcumque, sed cum reverentia & timore conjunctum, juxta illud Lev. 19. v. 3. *Unusquisque patrem suum & matrem suam timeat*. 2. Debemus obedientiam, juxta illud Pauli ad Eph. 6. v. 1. *Filii obedite parentibus vestris in Domino; hoc enim justum est*. 3. Debemus parentibus nostris subsidium, juxta illud Eccli. 3. v. 15. *Eleemosyna patris*, idest subsidium patri exhibitum, *non erit in oblivione*. Demum illa omnia officia istis verbis videtur expressisse Ecclesiast. 3. v. 9. *In opere, & sermone, & omni patientia honora patrem tuum, ut superveniat tibi benedictio*. Primo in *opere*, scilicet, opera

quæ pater injungit, exequendo pro ejus familiæque sustentatione. Secundo in *sermone*, scilicet, patrem honorifice alloquendo, afflictum consolando, &c. Tertio in *patientia*, scilicet, tolerando patienter quæcumque a patre vel duro, vel difficili, vel moroso eveniunt.

2. Ex sermone 276. inter opera August. Tom. 5. *Monente nos Domino per Prophetam*, inquit ille Auctor, *parentibus nostris & honorem semper*, *& amorem* debemus *impendere*: *& si forte evenerit*, *ut aliqua paupertate laborent*, *necessitates eorum*, *secundum quod possumus*, debemus *sublevare*.

3. *Rat.* Amor debetur parentibus ex gratitudine ob vitam acceptam ab illis: Reverentia, ob dignitatem, quam habent utpote vices Dei gerentes: Obedientia, ob authoritatem, quam a Deo acceperunt: Subsidium, ex justitia; sumus enim parentum nostrorum possessio: & ideo sicut terra domino suo fructificat; ita filius debet patri servire & indigenti succurrere.

Dixi, non tantum exterius, sed etiam interius; quia damnatæ sunt sequentes propositiones ab Innoc. XI. & a Clero Gallic. art. 5. *Non tenemur proximum diligere actu interno & formali*.

Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

Consectaria hujus Doctrinæ.

§. I.

Amor specialis, *& internus debetur parentibus*.

Consect. 1. Peccant graviter qui interius non amant parentes suos, qui numquam eis optant bona spiritualia, vel si eis optent temporalia, non ea optant in ordine ad æternam salutem; quia amare generatim est velle bonum; amare vero ex caritate est velle bonum in ordine ad beatitudinem: de quo ita Aug. serm. 344. de amore Dei: *Ama uxorem*, *ama filios*, *ama parentes &c. secundum Deum*, *ut consulas eis ad Deum colendum tecum*; *cui junctus cum fueris*, *nullam separationem timebis*. *Ideo non debes illos plus Deo diligere*; *quos omnino male diligis*, *si neglexeris tecum ad Deum ducere*.

Consect. 2. Peccant graviter qui interius odio habent parentes suos, qui eis optant mala, v. g. morbos, ut liberius vivant, mortem, ut hereditatem celerius consequantur. *Hereditas*, inquit Scriptura, *ad quam festinatur in principio*, *in novissimo benedictione carebit*. Prov. 2. v. 21. indicans perversum illud desiderium punitum iri. Ideo sequentes propositiones damnatæ sunt ab Innoc. XI. & a Clero Gallic. art. 5. & 7. *Licitum est absolute desiderio cupere mortem patris*; *non quidem*, *ut malum patris*, *sed ut bonum cupientis*; *quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas*.

Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, *propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas*.

Consect. 3. Peccant graviter qui dant exterius signa latentis odii erga parentes, v.g. eos aspere habent, torvis aspiciunt oculis, duris loquuntur vocibus, minantur, percutiunt, mutilant occidunt. *Qui maledixerit patri suo*, *aut matri*, inquit Scriptura, *morte morietur*. Lev. 2. v. 9. Et ne tantum crimen impunitum maneat, en quid Deus parentibus præcipiat: *Si genuerit homo filium contumacem & protervum*, *qui non audiat patris aut matris imperium*, *& coercitus obedire contempserit*, *apprehendent eum*, *& ducent ad Seniores civitatis illius*, *& ad portam judicii*, *dicentque ad eos*: *filius noster iste protervus est*, *contumax est*, *monita nostra audire contemnit*, *comessationibus vacat*, *& luxuriæ atque conviviis*: *lapidibus eum obruet populus civitatis*, *& morietur*, *ut auferatis malum de medio vestri*, *& universus Israel audiens pertimescat*. Deut. 21. v. 18.

§. II.

Reverentia specialis interna & externa debetur parentibus.

Consect. 1. Graviter peccant qui interius non honorant parentes: v.g. non satis alte sentiunt de illis vel ob ignobilitatem, vel ob tarditatem ingenii, vel ob senectutem; quia defectus illi non eripiunt dignitatem patris, juxta illud: *Fili*, *suscipe senectam patris tui*, *& non contristes eum in vita illius*: *etsi deficeret sensu*, *veniam da*, *& ne spernas eum in virtute tua*. Eccli. 3. v. 14.

Consect. 2. Peccant graviter qui interius spernunt parentes, & intra semetipsos deprimunt vel ob defectus, vel ob quamcumque aliam causam. *Ne glorieris*, inquit Scriptura, *in contumelia patris tui*: *non enim est tibi gloria ejus confusio*. Eccli. 3. v. 12.

Consect. 3. Peccant graviter qui in certis circumstantiis non honorifice tractant parentes. Contrarium fecit Joseph honorifice recipiens Jacob: & Salomon matri assurgens, & ad dexteram solii sui ei Thronum

num statuens. De Joseph sic loquitur Scriptura: *Juncto Joseph curru suo ascendit obviam patri suo ad eumdem locum, vidensque eum, irruit super collum ejus, & inter amplexus flevit.* Gen. 46. v. 19. De Salomone vero sic habetur: *Surrexit Rex in occursum ejus, adoravit eam, & sedit super Thronum suum: positusque est Thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus.* 3. Reg. cap. 2. v. 19.

§. III.

Obedientia specialis interna & externa debetur parentibus.

Consect. 1. Peccant graviter filii, qui non obediunt parentibus circa ea, quæ pertinent ad gubernationem domus, & ea quæ spectant ad salutem, & bonos mores; quia, ut ait D. Thom. quodlib. 2. q. 5. a. 10. *Pater est in domo, sicut Rex in regno: unde sicuti subditi tenentur obedire Regi in his, quæ pertinent ad gubernium regni; ita filii, & alii domestici tenentur obedire patrifamilias. 1. in ordine ad regimen domus. 2. in ordine ad bonos mores.* Ideo ait Scriptura Prov. 1. v. 8. *Audi, fili mi, disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo*, id est, ut coroneris.

Consect. 2. Peccant graviter filii, qui moniti a parentibus, non emendant vitia, non exercent actus virtutum, quos parentes juste præcipiunt; quia ea omnia spectant ad bonos mores, & ducunt ad salutem. *Filii obedite*, inquit Paulus, *parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est*. ad Eph. 6. v. 1. Sic paruit Isaac Abrahæ vincienti, & volenti eum Domino immolare.

Sic Rechabitæ vino in perpetuum abstinuerunt, ut servarent præceptum patris.

Sic Christus ipse fuit Patri æterno obediens usque ad mortem; Mariæ vero & Joseph fideliter morem gessit, juxta illud: *Et erat subditus illis.*

Consect. 3. Peccant graviter qui parentes sanctos non imitantur in his, quæ ad salutem sunt necessaria. *Si*, inquit Scriptura, *filii estis Abrahæ, opera Abrahæ facite*. Joan. 8. v. 39. *Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos*. Isa. 51. v. 2. Insignis est historia Rechabitarum exemplum patris imitantium.

Consect. 4. Peccant graviter qui sine causa nubunt contra voluntatem patris: quia nubere est aliquid pertinens maxime ad gubernium domus: ideoque maledictus fuit Esau, quia duxit uxorem contra voluntatem parentum; & benedictus e contra Jacob, quia in hoc obsecutus est parentibus. Ideo multiplici Regum edicto cautum est, ne filiifamilias invitis parentibus matrimonium ineant: quod si contra fecerint, eorum matrimonia quoad effectus civiles invalida habebuntur, ut dicetur ubi de matrimonio. *Nec enim*, inquit Tert. *in terris filii sine consensu patrum rite & jure nubunt*. lib. 2. ad uxorem cap. 9.

Monit. 1. Dixi, sine causa; nam si pater irrationabiliter vellet in tali materia liberorum cogere voluntatem, graviter peccaret, & filii non tenerentur obedire.

1. Parentes peccant; quia non debent irrationabiliter filiorum cogere voluntatem, quando agitur de matrimonio, aut religione: unde Rebeccæ parentes dicebant: *Vocemus puellam & quæramus ipsius voluntatem*. Genes. 24. v. 57 Et de filiabus Salphaad dicitur: *Nubant quibus volunt, tantum ut suæ Tribus hominibus*. Num. ult. v. 6. Et Paul. 1. ad Corinth. 7. v. 39. ait, loquens de vidua: *Cui vult nubat, tantum in Domino*.

2. Filii non tenentur in hoc casu parentibus obedire. Ita docet Clemens 3. c. *cum virum* de regularib. ubi loquens de filia, *quæ in ætate nubili noscitur constituta*, sic expresse definit: *Nunc enim quia liberum habet arbitrium in electione propositi* status tum religiosi, tum matrimonialis, *sequi parentum non cogitur voluntatem*. Et D. Th. 2. 2. q. 104. a. 5. in corp. *In his, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo; quia omnes homines natura sunt pares, puta, in his quæ pertinent ad corporis sustentationem & prolis generationem: unde non tenentur nec servi dominis, nec filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi.*

Monit. 2. Filii non peccant, licet non obediant parentibus præcipientibus aliquid vel contra Dei mandata, vel contra Consilia Evangelica; melius est enim *obedire Deo magis quam hominibus*. Act. 5. 2. Et Bernar. Epist. 3. *Sola causa, qua non licet obedire parentibus, Deus ipse est, cum dicit: qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus*. Et Greg. Hom. 37. in Evang. *Parentes, quos in via Dei adversarios patimur, odiendo & fugiendo nesciamus*. Aug. quomodo honorandi sint parentes, paucis complexus est. *Honorandus est*, inquit *pater, sed obediendum est Deo; amandus est generator, sed præponendus est Creator*. Serm. 100. de verbis Evangelii Luc.

§. IV.

§. IV.

Filii debent parentibus subsidium speciale tum in corpore, tum in anima.

Confect. 1. Peccant filii, qui parentibus egenis non dant subsidium; quia tenentur ex justitia eis, a quibus vitam acceperunt, succurrere de quo Scriptura ait: *Eleemosyna enim patris non erit in oblivione*. Eccli. 3. v. 15. Et Ambros. lib. 8. in Evang. Luc. *O fili, quantum tibi servis judicium, si non pascas parentem: illi debes quod habes, cui debes quod es*. Et August. serm. de decem plagis cap. 4. *Caninum est parentes non agnoscere; nihil tam caninum, quam cum illos qui genuerunt, prœterimus. Merito ergo & catuli canum caci nascuntur*.

Consect. 2. Peccant qui deserunt parentes egenos, ut ingrediantur religionem, si parentes nutrire valeant; quia magis ligat præceptum naturale succurrendi parentibus, quam Consilium Evangelicum ingrediendi religionem. Ita D. Th. *Parentibus in necessitate existentibus, ita quod eis commode aliter quam per obsequium filiorum subveniri non possit, non licet filiis, prætermisso parentum obsequio, religionem intrare*. 2. 2. q. 189. a. 6. in C. Idem Conc. Gangrense cap. 16. *Si qui, inquit, filii parentes, maxime fideles, deseruerint occasione cultus Dei, boc justum judicantes esse, & non potius debitum honorem parentibus reddiderint, ut hoc ipsum in eis venerentur quod fideles sunt, anathema sint*.

Consect. 3. Religiosis professis non licet passim monasterio egredi, ut parentibus egenis opitulentur, sed distinctione opus est.

Si patre vel matre existente in extrema necessitate, scienter monasterium acceptet professionem Novitii, monasterium tunc tenetur parentes egenos nutrire; tunc enim est loco heredis & filii; heredes autem etiam extranei tenentur præstare alimenta. Leg. *Si quis a liberis*.

Si monasterium necessitatem parentis ignoraverit, filius potest e monasterio egredi, & ministrare parenti egeno; quia obligatio ministrandi parentibus egenis non potest tolli per ingressum in religionem. Et si parentes juxta leges antiquas possint vendere liberos, ut sibi in extrema necessitate succurrant; a fortiori possunt eos a Religione extrahere, modo evidens periculum damnationis filiorum e tali egressu non sequatur.

Si pater vel mater post professionem filii, a quo adjuvari possunt, labantur in extremam necessitatem, filius religiosus non potest subvenire parentibus egenis, contradicente Prælato, quia jam est ei per votum obligatus, per votum, inquam, fortius ligans, quam præceptum de honorandis parentibus; quia observatio voti est præceptum primæ Tabulæ, honor parentum est secundæ Tabulæ: primum est negativum, secundum est affirmativum. Deinde semel Deo dicata non possunt contra Dei voluntatem usurpari: & sicut si filius dispensasset bona pauperibus, patre non indigente, non posset ea repetere: ita non potest oblatam Deo voluntatem per votum, contradicente Prælato, retrahere; potest tamen & debet patri exhibere ea ministeria, quæ exhiberi possunt sine detrimento regularis observantiæ, v. g. orare Deum pro illo, eum consolari: ita docet D. Th. *Secus autem est de illo, qui jam religionem intravit; quia cum jam sit mortuus mundo per professionem, solutus est a lege, qua in mundanis obsequiis parentibus tenebatur; in aliis autem spiritualibus, puta, orationibus, & hujusmodi, eis tenetur servire*. Quodl. 10. q. 5. a. 1.

Consect. 4. Peccant filii heredes, qui non exequuntur testamenta & legata patris; quia unam & eamdem personam cum patre quoad hoc constituunt. *Qui oblationes defunctorum aut negant Ecclesiis, aut cum difficultate reddunt, tamquam egentium necatores excommunicantur*, inquit Conc. Carthagin. 4. Can. 95. Crimen falsi committit, & pœnæ legis Corneliæ de falsis subjacet quicumque testamentum celat, occultat, retinet, vel impedit, ne ad executionem perducatur, præcipue quoad legata pia.

Consect. 5. Peccant filii, qui parentibus ægrotantibus non curant adhiberi Sacramenta, vetant ab eis fieri restitutiones, ad quas ex conscientia tenentur, & qui post eorum mortem pro eis non orant; quia subsidium filiorum erga parentes magis debet spiritualia quam temporalia respicere; ille enim, juxta Aug. de civit. Dei lib. 21. cap. 26. ædificium aureum, argenteum, gemmeum, deputabitur, *qui patrem, matrem, filios, filias, secundum Christum dilexerit, & ad ejus regnum obtinendum eique cohærendum illis consulat, vel hoc in eis diligat quod membra sunt Christi*.

ARTICULUS II.

Quid parentes filiis debeant quoad corpus.

PRop. unica. Parentes tenentur providere filiis victum & vestitum, & congruentem hereditatem.

Prob.

*Prob.*1. Scriptura. *Nec enim debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.* 2. ad Corinth. cap. 12. v. 14. Ergo tenentur filiis necessaria providere.

2. Ex Chrysost. qui explicans prædictum textum Apost. ait: *Parentes quidem filiis suis thesaurizare lex naturæ præcipit*: Ergo parentes tenentur jure naturæ eis providere cuncta necessaria, v. g. victum, vestitum, &c.

3. *Rat.* Qui dat esse, tenetur dare consequentia ad esse, ut dicunt, idest, qui vitam dat, debet ea, quæ ad conservandam vitam requiruntur, ministrare: ergo parentes tenentur filiis cuncta necessaria ministrare. Adde, quod parentes sunt filiis loco Dei: ergo sicuti Deus creaturis providet necessaria; ita & parentes debent filiis suis providere necessaria.

Consectaria hujus Doctrinæ.

§. I.

Parentes debent filiis victum:

Consect. 1. Peccant graviter parentes, qui sine causa filios suos publice exponunt, ut ab aliis nutriantur; quia, si possunt, debent eos nutrire. *Si quis*, inquit Concilium Gangrense can. 15. *liberos suos relinquit, nec eos nutrit, & quod ad se pertinet, non ad pietatem divini cultus informat, sed per occasionem continentiæ, idest, parsimoniæ, negligit; anathema sit.* Plerum; enim, ut monet Gregor. Pastoral. 2. P. c. 9. vitia virtutes se esse mentiuntur, nam sub parsimoniæ nomine sæpe se tenacia palliat.

Consect. 2. Peccant graviter parentes, qui filios suos ita negligenter nutriunt, ut vel parum curent de eorum vita, vel valetudine: eo tendit istud, quod dicit Christus: *Quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei?* Matth. 7. v. 9. indicans, nullum esse parentem, etiam malum, qui filiis suis victum & vestitum non soleat tribuere; ideoque gravissime peccant qui tali desunt muneri.

Consect. 3. Peccant graviter parentes, ex quorum negligentia contingit, ut filii vel suffocentur in lecto, vel alio quovis casu pereant; quia non provident filiis, ut debent: contra crudelem hanc incuriam parentibus imponitur publica pœnitentia in pluribus Diœcesibus.

Consect 4. Peccant graviter parentes, qui ad secundas nuptias properantes, filiorum e primo toro susceptorum curam negligunt, in hoc enim sunt brutis ipsis nequiores; nam, ut ait Ambros. lib. 6. in Hexamer. c. 4. *Natura hoc bestiis infudit, ut catulos proprios ament, fetus suos diligant.*

Consect. 5. Peccant matres, quæ sine causa non lactant pueros; quia non provident filiis, ut debent; nocet enim multum infantibus nutriri diverso lacte ab eo, quo in utero nutriti sunt. Quæ ab hoc officio se dispensant, dimidiatæ matres etiam a Gentilibus vocantur. Hoc nocet non solum corpori, sed animæ; quia minuit amorem inter matrem & filios: mutuus quippe amor matrum & filiorum est longe constantior, si filii nutriantur a matribus. Ad hanc curam maxime excitat exemplum Saræ, Rebeccæ, Annæ, & beatissimæ Virginis. Sara licet femina princeps & nonagenaria, tamen filium Isaac lactavit: Rebecca filium Jacob: Anna filium Samuelem: & Virgo Christum lactavit, de qua proinde canit Ecclesia: *Sola Virgo lactabat, ubere de cælo pleno*: eo facit illud Thren. 43. *Lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos; filia autem populi mei crudelis, ut struthio.*

Consect. 6. Peccant graviter matres, quæ, si filium lactare nequeant, non quærunt sedulo nutricem corpore sanam, & moribus non depravatam, quæ lacte suo proli non noceat, & vitia cum lacte non infundat.

§. II.

Parentes debent filiis vestitum.

Consect. 1. Peccant parentes, qui filios suos juxta conditionis statum non vestiunt, sed vel superbius ornant, vel vilius induunt; utrumque enim malum est. De nimio ornatu sic loquitur Chrysost. in Epist. ad Coloss. c. 4. Hom. 10. *Per se magnum malum est nimius ornamentorum appetitus, & desiderium, etiam si nullum aliud inde enasceretur, sed citra periculum id liceret habere; nam ad inanem gloriam fastumque parat & instruit.* Reipsa si superbus ille vestium ornatus malo vacaret, Scriptura non diceret, quod dives, qui in inferno torquetur, induebatur purpura & bysso. Si laceris autem, aut squallidis vestibus aliquando ex avaritia parentes vestiant filios, vitiosum: vituperandus enim est & defectus, & excessus in vestibus, & Christiana modestia observanda: vestiendum est corpus, non ornandum, tutandum est ab injuria tempestatum; minime vero vanitati & libidini exponendum: quod utique semper evenit quoties superbius quam par est adornatur.

§. III.

§. III.

Parentes debent filiis congruam hereditatem.

Consect. 1. Peccant graviter parentes, qui filiis congruam non provident hereditatem, qui filiis vel filiabus denegant legitimam dotem vel ut nubant in Domino, vel ut ingrediantur Religionem, si ad eam divinitus vocentur, vel ut Sacros Ordines suscipiant, si ad statum Clericalem divina gratia eos invitat; quia hæc omnia ad paternam curam pertinent. *Debetur namque liberis*, ait Basilius in Psal. 7. *a parentibus secundum naturalis amoris affectum sustentandæ vitæ providentia, sive proventus. Parentum enim est colligere, sive thesaurum recondere liberis, ut præter hoc, quod illos genuerunt ad vitam, etiam vivendi subsidia subministrent.* Apud paganos puniebantur parentes, qui liberos aliquam artem non docuerant: ob id a fortiori punientur Christiani a Domino.

Consect. 2. Peccant parentes, qui in dividenda hereditate non sequuntur id quod justa lege & æqua consuetudine præscriptum est; quia iniqua illa bonorum portio seminarium est rixarum & litium, *Jungat ergo*, inquit Amb. lib. de Joseph Patriar. cap. 2. *liberos æqualis gratia, quos junxit æqualis natura. Lucrum pietas nescit pecuniæ, in quo pietatis dispendium est. Quid miraris, si propter fundum aut domum oriuntur inter fratres jurgia, quando propter tunicam inter Jacob sancti filios exarsit invidia?* Sic Josaphat primogenito regnum dedit, munera vero aliis filiis *Deditque eis*, inquit Scriptura, *pater suus multa munera argenti, & auri, & pensitationes, cum civitatibus munitissimis in Juda: Regnum autem tradidit Joram, eo quod esset primogenitus*. 2. Paral. 21. 3.

Consect. 3. Peccant parentes, qui filios suos sine causa privant hereditate debita; secus, si cum causa id faciant. Exemplum paternæ illius sollicitudinis habemus in Abrahamo. Gen. 25. v. 5. *Deditque Abraham cuncta, quæ possidebat, Isaac, filiis autem concubinarum largitus est munera, & separavit eos ab Isaac filio suo.*

Causa justa exheredandi filios juxta Juristas est paterni tori violatio, machinatio paternæ necis, animus insigniter erga patrem ingratus, v. g. oblivio patris detenti in carcere, ignominia toti familiæ illata.

ARTICULUS III.

Quid parentes filiis debeant quoad animam.

PRop. unica. Parentes tenentur providere filiis 1. Instructionem. 2. Correctionem. 3. Bonum exemplum. 4. Demum ea omnia, quæ filios ad cælestem Patriam possunt perducere.

Prob. 1. Script. Parentes debent primo filiis suis doctrinam, juxta illud Deut. 11. v. 18. *Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis vestris.... docete filios vestros, ut illa meditentur.* Secundo debent filiis suis correctionem, juxta illud Paul. ad Eph. 6. v. 4. *Educate filios in disciplina, & correctione Domini.* 3. Debent filiis bonum exemplum: quippe sicuti Pastoribus dictum est, *vos estis lux mundi*; ita Patribusfamilias dictum est, *vos estis lux familiæ*. 4. Demum debent eis procurare media ad salutem æternam necessaria quantum in ipsis est; quia Patrifamilias, sicuti & pastori, dictum est Exech. 33. v. 8. *Speculatorem dedi te domui Israel.... Si ovis tibi commissa* tua culpa pereat, *sanguinem ejus de manu tua requiram.*

2. Ex Aug. in Psal. 50. in fine. Idem parentes debent filiis suis quoad animam, quod Episcopi debent ovibus suis. *Quomodo*, inquit, *ad nos pertinet in Ecclesia loqui vobis, sic ad vos pertinet in domibus vestris agere, ut bonam rationem reddatis de his qui vobis sunt subditi*: atqui Episcopi debent ovibus suis instructionem, correctionem, bonum exemplum, & sollicitudinem, ut patet: ergo & eadem debent parentes filiis.

3. Parentes non minus debent vitam spiritualem filiorum curare quam vitam corporalem, immo magis; quia ideo sanctum matrimonium contraxerunt, ut filios Cælo gignerent potius quam Mundo; atqui vita spiritualis non aliter conservatur in filiis quam per instructionem, correctionem, bonum exemplum, & sanctam parentum sollicitudinem: ergo isthæc omnia debent parentes filiis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

§. I.

Parentes debent filiis doctrinam.

Consect. 1. Peccant graviter parentes, qui negligunt media, quibus filiis sancta educatio adhi-

adhiberi debet, & potest; qui, v. g. statim ac nati sunt, non curant conferri eis Baptismum, sed propter sæculares vanitates differunt tantum Sacramentum: quod ne faciant, Ecclesia legibus sanctissimis sub gravibus pœnis præscripsit, ne ultra octo dies differatur: & Pœnitentiale Rom. c. 31. ait: *Cujus parvulus sine Baptismo per negligentiam moritur, tres annos pœniteat, unum in pane & aqua.*

Consect. 2. Peccant parentes, qui in primo rationis usu non instruunt filios de his, quæ sunt ad salutem necessaria, v. g. de Doctrina Christiana, de præceptis Dei, & Ecclesiæ: exemplo Tobiæ, qui *cum factus esset vir, accepit uxorem Annam de Tribu sua, genuitque ex ea filium, nomen suum imponens ei, quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.* Tob. 1. v. 9. Exemplo Job, qui sancte educatus est; ait enim de se: *Ab infantia mea mecum crevit miseratio.* Job 31. v. 18.

Consect. 3. Debent parentes per seipsos, quantum fieri potest, filios suos instruere; quia hæc cura pertinet ad patrem: uti enim matres, quantum fieri potest, debent per se, & non per nutrices lactare filios; ita parentes debent, quantum fieri potest, erudire filios suos: *Erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ.* Prov. c. 29. v. 17. Et Deut. 11. v. 19. omnibus parentibus præcipitur: *Docete filios vestros.* Exemplum habemus in Davide sic erudiente filium: *Tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris tui, & servito ei corde perfecto, & animo voluntario.* 1. Paralip. 28. v. 9.

Consect. 4. Quando parentes non possunt per seipsos erudire filios, debent providere eis Pædagogos ad tantum munus idoneos, litteratos, & præcipue bonis moribus instructos; quia si non exigua cura eligendæ sunt nutrices alendis infantium corporibus destinatæ, a fortiori Pædagogi instituendis animis occupandi. Hoc egregie docuit magnus Theodosius. Arsenium virum, eo tempore eruditionis & eloquentiæ nomine florentissimum accersivit Roma, ut filios suos Honorium & Arcadium Imperii successores omnibus optimis artibus atque disciplinis erudiret. Unde merito Cyprianus filios a parentibus male instructos contra eosdem parentes sic quærentes inducit: *Nos nihil fecimus .... perdidit nos aliena perfidia. Parentes sensimus parricidas.* lib. de lapsis.

Consect. 5. Necessarium est eos, qui instituendis filiis occupantur, nec mitiores esse, nec sæviores, nec nimis familiares cum illis, nec pariter nimis difficiles. Hanc regulam videtur statuisse Ecclesiast. cap. 30. v. 9. *Lacta filium, & paventem te faciet: lude cum eo, & contristabit te*, idest, si mollius agas cum illo, efficiet ut tibi, & illi male metuas: *non corrideas illi, ne doleas, & in novissimo obstupescant dentes tui. Non des illi potestatem in juventute, & ne despicias cogitatus illius. Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus, dum infans est, ne forte induret, & non cedat tibi, & erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudine illius offendas.*

Consect. 6. Necessarium est, ut hi, qui instituendis filiis præponuntur, eis sæpius inculcent monita, quæ Tobias moriturus dedit filio suo. Tob. 4. v. 6. *Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum: & cave ne aliquando peccato consentias, & prætermittas precepta Domini Dei nostri. Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini: quomodo potueris, ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude; præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis. Quoniam eleemosyna ab omni peccato & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Quicumque tibi operatus fuerit, statim ei mercedem restitue, & merces mercenarii tui apud te omnino non remaneat. Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Panem tuum cum esurientibus & egenis comede, & de vestimentis tuis nudos tege. Panem tuum & vinum tuum super sepulturam justi constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus. Consilium semper a sapiente perquire: omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Monet postea ipsum de talento, quod Gabelo dederat; deinde sic concludit: *Noli timere, fili mi: pauperem vitam quidem gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.*

§. II.

Parentes debent filiis suis correctionem.

Consect. 1. Peccant parentes, qui filios vi-

vitiosos non emendant, & corrigunt: ita monet Script. *Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.* Prov. c. 13. v. 24. *Stultitia colligata est in collo pueri, & virga disciplinæ fugabit eam.* Prov. cap. 22. v. 15. *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo die.* Eccli. 3. v. 1. Semperque in animo habeant justam, quam Deus contra Heli. exercuit punitionem. lib. 1. Reg. cap. 2. quippe, ut ait Chrysost. quia non omnia, quæ fuerant agenda, ut ea resecarentur vitia, molitus est, & ipse una cum illis periit; etenim, ut monet Theodoretus q. 7. ad hunc locum, *oportebat, cum post primam & secundam monitionem perseverassent in nequitia, eos a templi ambitu expellere, &c.* Unde in Scriptura 1. Reg. 3. v. 13. conqueritur Deus de Heli: *Eo quod noverat indigne agere filios suos, & non corripuerit eos.* Quare in pœnam omissæ severæ correctionis cecidit de sella retrorsum juxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est. 1. Reg. c. 4. v. 10. Cecidit de sella, inquit Greg. quia cathedra magisterii nimia erga filios lenitate indignus factus est: cecidit juxta ostium tabernaculi, in quo filios suos sacrilegia committere permiserat: & ita, inquit Sanctus Doctor, *ibi occidit, ubi deliquit.*

Consect. 2. Peccant pariter parentes, qui dum corripiunt filios, modum Christianæ correctionis excedunt, semper torvis inspiciunt oculis, diris imprecationibus insectantur, tyrannos potius se exhibent quam parentes. In eo, inquit Aug. serm. 52. de temp. belluis ipsis ferociores; nulla enim bestia est, quæ non filiis suis blande murmuret, & cum terreat homines, parvulos fovet. *Fremit leo in sylvis, ut nemo transeat; intrat in speluncam ubi habet filios suos, omnem rabiem feritatis deponit.* Hi vero parentes statim ac domum subeunt, iratos animos suscipiunt. Eos ita commonet Paulus ad Colos. 3. v. 21. *Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Correctio paterna non ab ira, sed a caritate procedat oportet. Caritas autem, inquit Bernar. Epist. ad Fulcon. *Cum te arguit mitis est, cum blanditur simplex est, pie solet sævire sine dolo mulcere, patienter novit irasci, humiliter indignari.* Duriores illos filiorum correctores ita instruit Greg. Past. part. 3. admonit. 14. *Nonnumquam qui inter flagellorum duritiem remanent incorrecti, dulci sunt admonitione mulcendi: nam plerumque quos cruciamenta non corrigunt, ab iniquis actibus lenia blandimenta compescunt; quia & ægros, quos fortis pigmentorum potio curare non valuit, ad salutem pristinam tepens aqua revocavit; & nonnulla vulnera, quæ curari incisione nequeunt, fomentis olei sanantur; & durus adamas incisionem ferri minime recipit, sed leni hircorum sanguine mollescit.*

§. III.

Parentes debent filiis bonum exemplum.

Consect. 1. Peccant parentes, qui filiis sunt scandalo. Christus enim omnibus, sed præcipue parentibus dicit: *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Matt. c. 8. v. 6. Quo circa idem omnibus parentibus dixerim quod dicit Hier. scribens ad Lætam: *Nihil in te & in patre suo videat filia vestra, quod si fecerit peccet. Mementote vos parentes virginis, magis eam exemplis doceri posse quam voce.* Quippe, ut ait Cypr. lib. de duplici martyr. *Efficacius est vitæ, quam linguæ testimonium: habent & opera suam linguam, habent suam facundiam tacente lingua.* Filii ergo longe promptius factis parentum credunt, quam verbis; sunt enim instar mollissimæ ceræ, in qua altissime imprimuntur parentum imagines; sunt & instar speculi, non enim alios exhibent colores, quam eos qui eis a parentibus imprimuntur; ut enim umbræ figuras corporum, ita filii parentum mores imitantur; ac veluti simiæ, quæcumque in iis bona, aut mala vident, in se exprimunt. Quid enim, inquit Aug. in Psal. 136. sub fine: *Facturus est adhuc infans, anima tenera, nisi ut quod eos, idest parentes, viderit agere, hoc sequatur?* Scire ergo patres debent, inquit Greg. part. 3. Pastor. admon. 5: *Quia, si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.*

Consect. 2. Peccant parentes, qui filios ab exercitio pietatis avertunt, quocumque pacto id faciant, sive verbo, sive exemplo, sive negligentia. Sic peccant parentes, qui in colloquiis suis, aut cum filiis, aut coram filiis, ita languide de rebus divinis loquuntur, ita vero ardenter de rebus mundanis, ut in filiorum animis sæculi amorem accendant, nunquam vero divinam caritatem inspirent. Coram filiis divites hujus sæculi magnifice extollunt, pauperes vero parvi faciunt: raro, immo nunquam, filiorum animis illud Christi infigunt: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum Cælorum.* Coram filiis eos homines laudant, qui prompte, qui fortiter acceptas ulciscuntur injurias; & nunquam illud Christi expromunt: *Beati mites, quoniam ipsi*

ipsi possidebunt terram. Coram filiis eos dolent, quos vel mundus spernit, vel infortunia premunt, vel morbi male afficiunt; nunquam vero teneros infantium animos ista imbuunt veritate; *Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur*. Filios ad artes liberales, ad scientias, ad armorum exercitium adhortantur & accendunt spe divitiarum & honorum: temporalia commoda, quæ præstantes in hujusmodi exercitiis viros comitari solent, sæpissime recensent; nunquam vero filiorum animis inculcant unam salutis æternæ famem esse necessariam, juxta illud Christi: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*. Si quid rudes pueri, & adhuc teneri infantes contra sæculi urbanitatem, contra mundanum decorem forte peccaverint, statim ira excandescunt parentes; si quid vero contra cultum Dei, contra caritatem proximi fecerint, nihil curant, immo si iis prave factis aliquid appareat industriæ, vel solertiæ, laudant, blandiuntur; & ita, uti dicit Chrysostomus, materiam vitiorum omnium docent, & in filiorum animis accendunt concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ.

Sic peccant parentes, qui coram filiis texunt suæ anteactæ vitæ, etiam vitiosæ, historiam, aut laudant prave facta, in quibus deberent erubescere; & tot habent imitatores vitiorum, quot habent filios auditores: quippe, ut optime ait Leo serm. de jejun. *validiora sunt exempla quam verba, & plenius docetur opere quam voce*.

Sic peccant parentes, qui de salute filiorum parum solliciti, ea solum curant quæ ad corpus pertinent: hinc ait Chrysost. lib. 3. adversus vituperatores vitæ monasticæ: *Nulla alia ratione perversi ut fiant filii contingit, nisi quod eorum patres circa vitæ præsentis commoda æquo plus incumbunt; & fere dixerim, insaniunt; cum enim illa solummodo inquirunt, nihilque illis præferendum censent, & suam pariter & liberorum animam negligere coguntur*.

§. IV.

Parentes debent filiis quasi Episcopalem sollicitudinem.

Consect. 1. Peccant parentes, qui filios suos non separant quam diligentissime ab improborum consortio; quia nihil est quod magis puerorum educationi noceat. *Non adhæsit mihi cor pravum*, inquit David, quare? *declinantem a me malignum non cognoscebam: superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam*, Psal. 100. v. 4. Et rursus *fili mi, si te lactaverint peccatores, ne acquiescas eis, prohibe pedem tuum a semitis eorum; pedes enim illorum ad malum currunt*. ibid. v. 15.

Consect. 2. Peccant parentes, qui quam diligentissime non invigilant filiarum pudicitiæ. *Filiæ tibi sunt*, inquit Scriptura, *serva corpus earum, & ne ostendas hilarem faciem tuam ad illas*. Eccli. c. 7. v. 26. Et c. 42. v. 9. *Filia patri abscondita est, vigilia, & sollicitudo ejus aufert somnum.... nequando polluatur in virginitate sua, & in paternis suis gravida inveniatur.... Super filiam luxuriosam confirma custodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis, a detractione in Civitate, & abjectione plebis, & confundat te in multitudine populi*. Et Hieron. epist. 70. ad Lætam: *Sollicita provides, ne filia percutiatur a vipera: cur non eadem cura provideas, ne feriatur a malleo universæ terræ, ne bibat de aureo calice Babylonis, ne egrediatur cum Dina, & velit videre filias alienæ regionis, ne ludat pedibus, ne trahat tunicas.... cito violas & lilium & crocum pestilens aura corrumpit. Nusquam absque te procedat in publicum, Basilicas Martyrum & Ecclesias sine matre non adeat; nullus ei juvenis & cincinnatus arrideat.... ne transversum quidem unguem a matre discedat*.

Consect. 3. Peccant parentes, qui filiis suis non prohibent quam diligentissime usum earum rerum, quæ ad vitium sensim incitant: talia sunt cantilenæ sæculares, libri amatorii, saltationes & theatra: & quia hæc omnia ad luxuriam impellunt, ita loquitur Trullana Synodus an. 692. can. 52. *Omnino prohibet hæc sancta Synodus eos qui dicuntur mimos, & eorum spectacula, deinde venationem quoque, spectationes, atque in scena saltationes fieri*; & proinde periculosissimum est adolescentibus his comædiis interesse.

Consect. 4. Peccant parentes, qui cum agitur de eligendo statu pro filiis, ducti rationibus omnino temporalibus eos vel ad statum religiosum, vel ad statum clericalem invitos detrudunt, modo minis, modo blanditiis fraudulentis, modo occulta, modo aperta vi. Quam culpanda sit hæc parentum coactio, dicemus ubi de vocatione, quando agemus de variis hominum statibus. Id unum sufficiat, scilicet, quod dicit Trident. sess. 25. cap. 18. *Anathemati sancta subjicit Synodus omnes.... si quocumque modo coegerint aliquam virginem vel viduam ad ingrediendum monasterium*.

Consect. 5. Peccant parentes, qui filios suos vel a statu Clericali, vel a statu Monachali avertunt, *Simili quoque anathemati* Synodus Trid.

Trid. *subjicit eos qui sanctam Virginem, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine causa impedierint*. sess. 25. c. 18. & can. *statuimus*, dicitur: *si vero in fortiori ætate adolescentula, vel adolescens servire Deo elegerit, non est potestas parentibus probibendi*. Unde Chrysost. eos parentes, qui filios a sancto proposito sese consecrandi Deo nituntur avertere, sic insectatur lib. 3. cont. impugnatores vitæ Monasticæ. *Eos* inquit, *Patres parricidis ipsis immaniores sceleratioresque dixerim: illi enim corpus ab anima separant; isti animam & corpus æternis ignibus tradunt .... neque suorum tantum peccatorum pœnas dabunt, sed & eorum quæ filii peccarint, si in sæculo remanserint*. Unde sæpius contingit, ut in pœnam temporalem parentes multa patiantur ab iisdem filiis, quos a statu Clericali vel Religioso averterunt.

§. V.

Quinam munus parentum vere Christianorum impleant.

Consect. unicum. Hi officio Christianorum parentum vere satisfaciunt.

1. Qui filios suos Legem Domini edocent exemplo Tobiæ, de quo scriptum est: *Filium genuit.. quem ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato*.

2. Qui bonum exemplum filiis præbent: v. g. qui coram filiis, & una cum filiis vespere & mane preces Deo effundunt, qui Ecclesias cum filiis frequentant, qui divinis instructionibus & sacris officiis intersunt; exemplo Mariæ & Joseph, qui una cum Christo Templum ibant. Item illi, qui teneram illam ætatem moribus informandis aptissimam sancte instituunt, memores illius: *Fili, a juventute tua excipe doctrinam, & usque ad canos invenies sapientiam*: Eccl. c. 6. v. 18. & rursus: *Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea*. Prov. 22. vers. 6. *Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient*. Job c. 20. v. 11. Ideo faciendum putant quod jubet Eccles. 13. v. 81. *Equus indomitus evadit durus, & filius remissus evadit præceps ... curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus dum infans est, ne forte induret, & non cedat tibi*. Quippe, ut ait Jerem. Thren. cap. 3. v. 27. *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua*.

CAPUT III.

De Curatoribus & Tutoribus erga pupillos & minores, & vice versa.

Tutor est ille, qui datur impuberibus..: 1.. Ut tutetur eorum personam, & provideat eorum educationi & instructioni. 2. Ut curet eorum bona. Potest dari invitis pupillis. Curator est ille, qui datur minoribus post annos expletos pubertatis usque ad annum vigesimumquintum, ut provideat. 1. Eorum bonis. 2. Eorum personæ & educationi.

ARTICULUS UNICUS.

De his quæ sibi mutuo debent Tutores & pupilli.

P*Rop. unica*. Tutores & Curatores eadem debet pupillis & minoribus, quæ parentes filiis; & viceversa pupilli & minores eadem debent tutoribus & curatoribus, quæ filii debent parentibus, excepto hoc, quod Tutor non debet nutrire & vestire pupillos & minores propriis expensis, sed solum ex bonis pertinentibus ad pupillos & minores: pupilli pariter vel minores non tenentur ex justitia dare subsidium Curatoribus & Tutoribus, sed solum ex caritate.

Ista conclusio probatur iisdem rationibus, quibus duæ superiores probatæ sunt: ratio utriusque est; quia Tutores & Curatores gerunt vices parentum relative ad pupillos & minores.

De his agetur uberius, ubi de contractibus.

CAPUT IV.

De servis erga dominos; & de dominis erga servos.

ARTICULUS I.

Quid famuli debeant heris suis.

P*Rop. unica*. Famuli debent heris suis amorem, obedientiam, reverentiam, & fidelitatem eo ferme modo, quo filii parentibus.

Prob. 1. Scriptura. Debent 1. Amorem, juxta illud: *Cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus*. Ad Eph. cap. 6. v. 7.

2. Obe-

2. Obedientiam, juxta illud: *Servi OBEDITE dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Ad Eph. c. 6. v. 5.

3. Debent reverentiam, juxta illud 1 ad Timoth. c. 6. v. 1. *Quicumque sunt sub jugo servi dominos suos omni HONORE dignos arbitrentur.*

4. Fidelitatem, juxta illud Pauli ad Titum c. 2. v. 9. doceas, *servos Dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus FIDEM bonam ostendentes:* Ergo servi debent dominis amorem, obedientiam, reverentiam, & fidelitatem.

2. Ex Sermone 117. inter opera Aug. in append. Tom. 5. alias de tem. 7. ubi sic habetur: *Sermo mihi ad vos, servi, quicumque dominos carnales habetis .... Obedite dominis vestris, diligite ex corde, non ad oculum servientes, sed ministerium ex amore facientes; quia & illos Deus constituit ut vobis dominentur, & vos ut serviatis. Bene servite propter Deum, quia de bono servitio mercedem habebitis:* Ergo ex illo auctore servi debent dominis amorem, obedientiam, reverentiam, & fidelitatem.

3. *Rat.* Servi Christiani debent heros tamquam parentes intueri; heri enim in Scriptura in parentum numero collocantur: Ergo servi debent heris suis. 1. Amorem ut parentibus. 2. Obedientiam ut dominis. 3. Reverentiam ut superioribus. 4. Fidelitatem ut his, qui eos ad suam quasi familiam adscripserunt.

Consectaria bujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant famuli, qui dominis etiam discolis duris, & asperis, caritatis affectu non serviunt, quique interius odium contra illos, aut exterius manifestant; quia non observant primum & præcipuum quod debent heris suis officium. Audiant illud Aug. de lib. 1. de moribus Eccles. Cath. cap. 30. *Tu dominis servos,* inquit, *non tam conditionis necessitate, quam officii delectatione doces adhærere.* Attendant ad exemplum famuli Abrahæ, qui Domino serviebat, ductus non spe lucri, sed amore erga dominum, ut patet ex eo ardore, quo Isaac uxorem accersivit. Gen. c. 44.

Consect. 2. Peccant famuli, qui heris suis in his, quæ non sunt prohibita, prompte non obediunt, quia non observant secundum quod debent heris suis officium. *Servi*, inquit Paul. ad Colos. c. 3. v. 22. *obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes; sed in simplicicitate cordis, timentes Deum.* Attendant ad servos David, qui in rebellione Absalonis, cum omnes deficerent a Rege, ei fideliter adhæserunt, & mandata etsi difficillima exequebantur. *Dixeruntque*, inquit Scriptura 2. Reg. c. 15. v. 15. *servi Regis ad eum: omnia quæcumque præceperit Dominus noster Rex, libenter exequemur servi tui.*

Sic graviter peccant servi, qui non obediunt in his quæ spectant commodum temporale dominorum suorum; quia ob eum finem operas suas dominis suis locaverunt: sed longe gravius peccant famuli, cum obedientiam renuunt in his, quæ spectant suam salutem æternam, v. g. cum domini præcipiunt servis ut observent mandata Dei & Ecclesiæ; quia tunc inobedientia cum propriæ salutis negligentia conjungitur.

Monit. Peccant famuli, qui morem gerunt dominis aliquid contra legem Dei, vel Ecclesiæ præcipientibus; oportet enim semper Deo potius obedire quam hominibus. Sic peccaverunt servi Saulis, qui indicarunt ei mulierem Pythonissam 1. Reg. c. 28. Sic peccarunt etiam servi Davidis, qui uxorem Uriæ ad Regem adduxerunt, ut eam carnaliter cognosceret. 2. Reg. 11. Sic peccarunt quoque servi Absalonis, qui eo jubente Ammonem in convivio interfecerunt. Ita pariter peccant servi omnes, qui vel odio, vel libidini &c. dominorum suorum famulantur: satius quippe est ab his heris recedere, quam cum salutis tum suæ, tum dominorum periculo eis obtemperare. Unde damnata est sequens propositio a summo Pontifice, & a Clero Gallic. art. 14. *Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandum virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando; non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta, ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Hæc enim propositio, inquiunt Patres Gallicani, scandalosa est, perniciosa, verbis Dominicis & Apostolicis aperte contraria, & hæretica. *Quam enim dabit homo commutationem pro anima sua? Digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus.*

Consect. 3. Peccant graviter servi, qui commissa ab heris suis secreta sine causa aperiunt, qui quæcumque geruntur in familia extraneis patefaciunt, & ea quæ silere oporteret, imprudenter divulgant. Attendant ad exemplum Chusai, qui licet esset a consiliis Absalonis rebellantis contra Davidem, tamen

tamen secreta sibi a Davide commissa non prodidit, sed ea prudenter tacuit; jus enim naturale postulat, ut servi sint arcanorum sibi ab heris commissorum observantissimi: ipsi enim pagani hoc pessimum in servis vitium esse agnoverunt. Unde Terentius servum secreti sibi commissi non tenacem sic inducit loquentem; *Plenus rimarum sum, hac, & illac perfluo*. Et Scriptura omnes secreti naturalis proditores sic vituperat: *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici commissum.* Prov. 11. v. 13. A fortiori gravius peccat qui heri sui revelat arcanum; *quia amicis* secretum debemus ex legibus amicitiæ, heris vero nostris ex legibus æquitatis & justitiæ.

Consect. 4. Peccant famuli, qui quando habent heros aut nimium faciles, aut non satis severos, debitam eis non impendunt reverentiam, v. g. heros, qui sunt aut Sacerdotes, aut Religiosi, aut pii, non ut par est venerantur. Nam verum est quod vulgari dicitur proverbio: *Miles habet servum, Clericus, monachusque sodalem*. Tunc, inquam, servi debitam non impendendo reverentiam tanto gravius peccasit, quanto mitius in eos agitur. Unde ait Paul. 1. ad Tim. 6. v. 2. *Qui autem fideles habent Dominos, non contemnant, quia fratres sunt*, id est, quia dominorum auctoritate non utuntur; *sed magis serviant, quia fratres sunt & dilecti*; id est, quia suaviter erga servos se gerunt. Forte hic textus hanc potest pati expositionem. *Si enim*, inquit Hieron. *serviebant infidelibus timore odioso; quanto magis servire debent fidelibus, quorum caritatis participes esse merentur?* in caput 6. 1. Epist. ad Timot. Attendant ad exemplum Agar, quam reprehendit Angelus, eo quod dominæ Sarai facili & blandienti non morem gesserit, eamque remittit ad Sarai, ut ei etiam severius agenti se subjiciat.

Consect. 5. Peccant graviter famuli, qui res sibi a dominis commissas non satis fideliter custodiunt: tenentur enim ex justitia rem domesticam dominorum suorum non secus ac propriam conservare. Attendant semper ad exemplum Jacob, qui fidelissime servivit Laban socero suo. Gen. c. 29. Attendant pariter ad exemplum Joseph, qui fidelissime credita sibi a Putiphare administrabat. Attendant Ethai servum Davidis. *Vivit Dominus*, inquit, *& vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocumque loco fueris, Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, ibi erit servus tuus*. 2. Reg. c. 15. v. 22.

Consect. 6. Peccant graviter famuli, si permittant grave damnum inferri heris suis, & tenentur ad restitutionem. Eo tendit dictum illud Christi: *Quis putas est fidelis servus & prudens? ... Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum*: indicans eum gravissime puniendum qui secus fecerit. Matth. c. 24. v. 45.

Consect. 7. Peccant graviter famuli, si non laborent juxta conventionem, & tenentur ad restitutionem. Item si heros suos deserant ante condictum tempus; quare ita servos commonet Paulus: *Servi obedite per omnia Dominis carnalibus, non ad oculum servientes*. ad Col. c. 3. v. 22.

ARTICULUS II.

Quid debeant heri servis suis.

PRop. *unica*. Domini idem debent servis quoad animam & quoad corpus, quod parentes liberis, excepto quod domini non debent providere hæreditatem servis, sed solum solvere pactam mercedem.

Prob. 1. Scriptura. *Si quis suorum & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* 1. ad Timoth. cap. 6. v. 6. Ergo eadem domini debent servis quoad corpus, & quoad animam, quod parentes filiis; cum Paulus filiorum curam cum cura erga famulos conjungat; immo asserat, quod heri, qui servos negligerent, forent infideli deteriores; siquidem infidelis *etsi aliquos despicit propinquos, tamen nequaquam aspernatur*, inquit Chrysost. Homil. 14. in cap. 5. 1. Epist. ad Timoth.

2. Ex Aug. Qui optime funguntur patrisfamilias officio, eadem impendunt famulis quæ parentes filiis. *Qui autem*, inquit lib. 19. de Civit. c. 16. *veri patresfamilias sunt, omnibus in familia sua, tamquam filiis ad colendum & promerendum Deum consulunt, desiderantes atque optantes venire ad cæleslem domum:* Ergo domini idem debent servis quoad corpus & animam, quod parentes filiis.

3. *Rat.* Domini sunt servorum suorum patres, ut agnovit Centurio, qui loquens de servo suo ajebat: *Puer meus jacet in domo paraliticus & male torquetur*. Matth. c. 8. Ergo domini eadem debent servis quoad corpus & animam, quod parentes liberis. Dixi, quod domini non debent servis hæreditatem procurare; quia loco hæreditatis tenentur solum justam famulatus mercedem rependere, juxta illud Pauli ad Colossen. c. 4. v. 1. *Domini, quod justum est & æquum, servis præstate, scientes quod & vos Dominum habetis in cælo*.

Con-

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant heri, qui non habent Christianam caritatem erga famulos. *Servus sensatus sit tibi*, inquit Scriptura, *dilectus quasi anima tua*. Eccli. c. 7. v. 23. Et Aug. lib. 19. de Civ. cap. 14. docens quales debeant esse domini erga servos, tales eos depingit. *Neque*, inquit, *dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia.*

Consect. 2. Peccant heri. 1. qui Christianam instructionem non procurant famulis. *Qui misericordiam habet*, inquit Scriptura, *docet, & erudit quasi Pastor gregem suum*. Eccli. c. 18. v. 13. 2. Qui negligunt eos convenienti exercitio occupare, ne otiosi sint. *Mitte illum*, id est servum tuum, *in operationem, ne vacet; multam enim malitiam docuit otiositas*. Eccli. c. 33. v. 3. Qui permittunt eos aut prava loqui, aut obscœnum aliquid agere: *Peccant* enim *non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. Officium illud ad patremfamilias pertinere expresse docet Concil. Mediolan. de his, quæ pertinent ad matrem. *Curet paterfamilias, ut nemo quisquam de familia sua sit qui Christianæ fidei rudimentis non sit instructus, sive filii filiæque sint, sive servi & ancillæ, sive alii in famulatu... Nec patiatur in familia sua esse quemquam qui blasphemus sit, perjurus, qui item corruptis moribus utatur, &c.*

Consect. 3. Peccant heri, qui impediunt, ne famuli diebus Festis Missam audiunt, vel dies Festos sanctificent: sic enim Scriptura servos ab omni labore eximit die Festo. *Non facies*, inquit, *omne opus in eo tu, & filius tuus, & filia tua, servus tuus, & ancilla tua*. Exod. c. 20. v. 10.

Consect 4. Peccant heri, qui justam servis mercem subripiunt, juxta illud: *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane*. Lev. c. 9. v. 13. *Domini, quod justum est & æquum, servis præstate, scientes quod & vos Dominum habetis in cælo*. ad Coloss. c. 4. v. 1.

Consect. 5. Peccant domini, qui servos suos gravibus injuriis afficiunt. Sic dominos Paulus admonet: *Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia illorum, & vester Dominus est in cælis: & personarum acceptio non est apud eum*. ad Eph. c. 6. v. 9.

Consect. 6. Peccant domini, qui servos sine causa ante statutum terminum e domo ejiciunt, & tenentur damnum emergens resarcire: ita jubet Scriptura. *Non lædas*, ait, *servum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam suam*. Eccli. c. 7. v. 21.

CAPUT V.

De mutuis conjugatorum Officiis.

MAritus & Uxor in aliquo sunt æquales, in aliquo inæquales: pares sunt in mutuo corporum dominio, in mutua animarum unione: dispares in familiæ regimine, ut docet Aug. lib. 21. contra Faustum c. 21. *Cum in cæteris actibus mulier viro debeat servitutem, hujus unius rei, qua sexus utriusque carnali sorte discernitur, & carnali commixtione conseritur, similem in se habeant potestatem, vir in uxorem, & uxor in virum*. Ideo agemus primo de his, in quibus vir & uxor sunt inæquales: postea agemus de his, in quibus sunt æquales.

§. I.

De his, in quibus maritus & uxor sunt inæquales.

ARTICULUS I.

De Officio uxoris erga virum.

PRop. *unica*. In his, quæ spectant mutuum convictum & regimen rei domesticæ, uxor tenetur subesse viro suo, eique obedire.

Prob. 1. Scriptura. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ*. ad Eph. c. 5. v. 22. Et apud Tobiam: *Et apprehendentes parentes filiam suam osculati sunt eam, & dimiserunt ire: monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere.*

2. Ex Chrysostom. Homil. 10. in Epist. ad Colos. *Diligere quidem*, inquit, *virorum est, illarum*, id est uxorum, *cedere: hoc quoque a natura sic comparatum est, ut vir quidem diligat, mulier autem obediat*. Sed id pressius determinat Aug. lib. 22. contra Faust. c. 21. *Quis enim nescit*, inquit, *uxorem marito tamquam domino debere servire?* servitute, quæ dominium supponat, non despoticum, sed civile, non tyrannicum, sed suave, ut ipsemet explicat Aug.

3. *Rat.* Maritus caput est uxoris: ergo debet uxorem diligere & ei præesse, & uxor debet subesse, juxta illud: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur*. Genes. 3. v. 16.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat uxor, quæ in mutuo convictu, mutuisque colloquiis, marito subesse renuit, eique dominari affectat: quæ etiam verbis imperiosis rixaque affectata maritum ad iram provocat, ad juramenta, ad blasphemias, imprecationesve concitat; id enim est contra obsequium quod marito debet. Unde Paulus ad Eph. c. 5. v. 33. sic uxores commonet: *Uxor autem timeat virum suum*. Et Aug. lib. 50. Homiliarum veter. edit. ait: *In omnibus ancillæ estote virorum vestrorum subditæ ad obsequium: nulla sit in vobis protervia, nulla superbia, non contumeliosa cervix, non aliqua inobedientia; prorsus tamquam ancillæ servite*: quod debet semper intelligi ea servitute, quæ excludat despoticum dominium.

Consect. 2. Peccat uxor, quæ neglecta omni erga maritum reverentia eum etiam vitiosum durius tractat, aut intempestive admonet; semper enim firmum stare debet illud Petri: *Mulieres subditæ sint viris suis*. 1. Pet. 31. 1. Si quando ergo uxores maritorum vitia carpere velint, gerant se erga sponsos suos ad instar Abigail; hæc enim non dure, nec intempestive virum suum ebrium vel iratum arguebat; sed quoties opportuna occurrebat occasio, gerens se, ut se gessit Monica erga Patricium maritum suum. *Hæc*, teste Aug. lib. 9. confes. cap. 9. *noverat non resistere irato viro, non tantum facto, sed ne verbo quidem; jam vero refractum & quietum, cum opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si forte ille inconsideratus commotus fuerat*. Atque ita factum est, ut maritum Patricium patiens Monica Deo lucrata fuerit, ut ait Aug. ibid.

Consect. 3. Peccat graviter uxor, si spreto viro sibi imperium vindicet; quia uxoris est subesse. *Mulieres*, inquit Paulus, *subditæ estote viris sicut oportet in Domino* ad Colos. 3. v. 18. Et in libro Esther non improbatur generalis hæc constitutio: *Cunctæ uxores tam majorum, quam minorum deferant maritis honorem*.

Consect. 4. Peccat uxor, si se ingerat in administrationem domus sine justa causa, qualis esset, si maritus prodigus bona familiæ dilapidaret; quia mulier non est caput viri, sed e contra, vir caput est mulieris.

Consect. 5. Peccat graviter uxor, si quid notabile expendat contra viri voluntatem, & justam consuetudinem mulierum ejusdem status vel in ludos, vel in delicias, immo in eleemosynas, nisi hæc fierent ex bonis paraphernalibus, si habeat; quia uxor non est domina bonorum familiæ. *Nihil ergo de tua veste*, inquit Aug. *nihil de suo auro, vel argento, vel quacumque pecunia, aut rebus ullis terrenis suis sine arbitrio mariti facere debuisti*. Epist. ad Ecdiciam 262. & ibidem non licet uxori dicere: *facio quod volo de meo, cum & ipsa non sit sua, sed capitis sui, hoc est viri sui*.

Consect. 6. Peccat graviter uxor, si ex quodam amore independentiæ sine ulla causa nolit sequi virum domicilium mutantem; decet enim uxorem a marito non divelli, sicuti decet membrum capiti adhærere. Exemplum egregium hujus adhæsionis est Sara, quæ Abraham peregrinantem semper comitata est.

ARTICULUS II.

De officiis mariti erga uxorem.

PRop. unica. Maritus debet uxorem, non ut servam, sed ut sociam habere in mutuo convictu, immo in his, quæ ad regimen familiæ pertinent.

Prob. 1. ex Scriptura. Petrus Apostolus Epist. 1. c. 3. v. 7. sic viros alloquitur: *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes HONOREM, tamquam cohæredibus gratiæ, vitæ, ut non impediantur orationes vestræ*: Ergo mariti debent uxoribus honorem aliquem impendere: ergo non debent eas habere ut servas sive in mutuo convictu, sive in domus regimine.

2. Chrysost. in c. 3. Epist. ad Ephes. homil. 2. ubi sic habet: *Vitæ autem sociam, liberorum matrem, & quæ est causa & occasio omnis lætitiæ, non oportet metu, & minis ligare, sed dilectione & affectione; quænam enim est conjunctio, quando uxor exhorrescit maritum? quanam autem voluptate fruetur ipse maritus cum uxore habitans tamquam cum ancilla, & non tamquam cum libera?* unde ibidem alloquens maritum, sic eum præmonet: *Exige timorem qui convenit liberæ, non tamquam ab ancilla, est enim corpus tuum; nam si hoc feceris, te ipsum probro afficis, tuum corpus afficiens ignominia*: ergo maritus debet uxorem suam, non ut ancillam, sed ut sociam habere.

3. *Rat.* Ita debent se gerere viri erga uxores, sicut Christus erga Ecclesiam; & uxores erga viros, sicuti Ecclesia erga Christum; quia, ut docet Aug. lib. de continentia c. 9. in unione Christi cum Ecclesia vir, & uxor

uxor quales secum esse debeant præceptum accipiunt & exemplum: atqui Christus Ecclesiam non habet ut servam, sed diligit ut liberam: ergo & mariti uxores suas, non ut servas, sed ut socias habere debent.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat maritus, si verbis contumeliosis, vel infamatoriis afficiat uxorem. *Viri, diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas*, ait Paulus ad Colos. c.3.v.19. *Vis*, inquit Chrysostomus ibidem, *tibi obedire uxorem, sicut Christo Ecclesiam? ipse quoque ejus curam gere, sicut Christus Ecclesiæ... Quomodo Christus eam, quæ ipsum aversabatur oderatque, & despicatui habebat, ac conspuebat, & per lasciviam ei insultabat, magna sua cura suis subjecit pedibus, non minis, nec contumeliis, neque metu, neque ullo alio hujusmodi: ita tu quoque te gere in tuam uxorem, etiamsi eam videris despicientem, &c.*

Consect. 2. Peccat maritus, si uxorem tamquam servam habeat; non enim dominus est uxoris, sed solum caput. *Tu viros conjugibus*, inquit Aug. *non ad illudendum imbecilliorem sexum, sed sinceris amoris legibus præficis*. lib. 1. de Morib. Eccles. c.30. *Quia vero nec domina, nec ancilla*, inquit Aug. *parabatur, sed socia, non de capite, nec de pedibus, sed de latere erat producenda*. Epist. 99.

Consect. 3. Peccat maritus, si sine gravi causa uxorem a domus regimine omnino removeat, si negotiorum familiæ omnem ei notitiam, quasi foret extranea, penitus eripiat; maritus enim debet uxorem ut sociam, non ut extraneam in rebus domesticis habere, nisi sibi certo constaret uxorem rem familiarem dilapidare potius quam augere: nihil enim est quod magis noceat rebus domesticis, quam vel minima inter virum & uxorem dissensio: quippe, ut ait Chrysost. in cap. 5. Epist. ad Eph. Hom. 22. *Si hi*, id est conjugati, *in concordia sint, & recte aluntur filii, modestique sunt famuli, & ordinem non deserunt, & bonorum odore fruuntur vicini amicique & cognati; sin autem contra, confunduntur omnia: & quomodo cum duces exercitus inter se pacem agunt, omnia suam servant consequentiam, & si rursus illi turbentur, sursum & deorsum aguntur omnia; ita & nunc quoque se habent res in familia*, quando conjugati dissentiunt.

Consect. 4. Peccat maritus, si ex negligentia regimen domus & curam omnem rei familiaris abjiciat; quia vir caput est mulieris, & ita ejus est providere familiæ: de quo ita Catec. Trid. part. 2. titul. de matrimonii Sacramento: *Decet virum in alicujus rei honestæ studio semper occupatum esse, tum ut suppeditet quæ ad familiam sustendandam necessaria sunt, tum ne inerti otio torpescat, a quo vitia fere omnia fluxerunt.*

§. II.

De his, in quibus conjugati sunt sibi æqualiter debitores.

Non loquimur hic de usu matrimonii, quia de hoc agemus ubi de luxurie.

ARTICULUS I.

De subsidio, quod sibi mutuo debent conjugati, ut societatem conjugalem foveant.

PRop. *unica*. Conjugati debent sibi mutuo ea subsidia, quæ individuam vitæ societatem, quam inierunt, fovere possunt.

Prob. 1. Scriptura. Conjugati sunt ad minus æque uniti ac membra ejusdem corporis, juxta illud Gen. 2. v.24. *Erunt duo in carne una*: atqui membra ejusdem corporis ea sibi subsidia conferunt, quæ consistentiam corporis fovere possunt: ergo & conjugati debent sibi mutuo ea conferre subsidia, quæ individuam societatem, quam inierunt, fovere possunt.

2. *Rat.* Matrimonium est maris & fœminæ legitima conjunctio, individuam vitæ societatem retinens: atqui individua, seu inseparabilis illa societas stare non potest, nisi conjugati mutuo sibi necessaria subsidia conferant, ut patet: ergo conjugati debent sibi mutuo ea subsidia conferre, quæ societatem, quam inierunt, fovere possunt.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Conjugati debent mutuos tum animi, tum corporis defectus patienter sustinere; dicitur quippe omnibus, sed præcipue conjugatis: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, ad Galat. 6. Sic *prudentissima* Abigail, ut loquitur Scriptura, Nabal virum suum, *durum, pessimum, & malitiosum*, patienter sustinebat. Sic Elcana Annam, licet sterilem, patienter sustinebat, tristemque consolabatur, dicens: *Anna cur fles? & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum? numquid non ego melior tibi sum, quam decem filii?* Unde Sanctus Greg. p.3. admon.27. ait: *Admonendi sunt conjuges, ut ea, in quibus sibi aliquando displi-*

displicent, & patientes invicem tolerent, & exhortantes invicem salvent.

Consect. 2. Conjugati in morbis, aliisque corporis infirmitatibus debent sibi mutuo ministerium; hoc enim exigit amor conjugalis: ideo vituperatur in Scriptura uxor Job, quæ maritum a planta pedis usque ad verticem pessimo vulnero percussum affligebat potius quam sublevabat. Job cap. 2.

Consect. 3. Conjugati debent comparti necessitatem patienti, pro ut possunt, succurrere, sive bonis fortunæ si habeant, sive opera manuum si laborare possunt. Unde laudatur in Scriptura uxor Tobiæ, quæ opera manuum suarum marito indigenti opitulabatur: *Anna vero uxor ejus ibat ad opus textrinum quotidie, & de labore manuum suam victum, quem consequi poterat, deferebat*: in hoc laudanda; vituperanda vero in eo quod sponso suo spem, quam habebat in Deo, exprobrabat. Unde Aug. lib. 5. Homil. Homil. 49. veteris editionis, uxorem sic commonet: *Aurum tuum vendit maritus pro necessitate sua, ferto femina, noli litigare, noli contradicere, contemptus auri tui dilectio est viri tui. Si villam tuam pro necessitate sua vendat, quæ est tua, non enim potest esse ejus quæ non sit tua, si est caritas in te, quæ debet esse in uxore, ferto patienter: & si dubitat, tu offer, contemne omnia propter amorem viri tui.* Quod Augustinus dicit de uxore erga virum, idem dicendum de viro erga uxorem.

Consect. 4. Conjugati debent sibi mutuo & in prosperis gaudium, & in adversis solatium: debent simul & in afflictione contristari, & in lætitia congaudere; comparantur enim ad invicem sicut membra unius & ejusdem corporis. Ut autem non sit *Schisma in corpore*, inquit Paulus 1. ad Corinth. 12. v. 25. *in idipsum pro invicem sollicita sunt membra: & siquid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.*

ARTICULUS II.

De subsidio, quod sibi debent conjugati in ordine ad salutem æternam.

PRop. unica. Conjugati debent sibi mutuo ea subsidia, quæ ad æternam utriusque salutem sunt necessaria.

Prob. 1. Scriptura. Is est finis præcipuus matrimonii, ut conjugati sese mutuo adjuvent in ordine ad salutem æternam consequendam, juxta illud Pauli 1. ad Corinth. 7. v. 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*: Ergo conjugati debent sibi mutuo ea subsidia, quæ ad æternam utriusque salutem sunt necessaria.

2. *Rat.* Matrimonium in lege Evangelica est non solum contractus civilis, sed etiam verum Sacramentum: Ergo obligat conjugatos ut non solum sibi ea subsidia conferant, quæ societatem civilem fovere possunt; sed etiam ea, quæ ad æternam salutem inservire possunt.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Conjugati debent sibi amorem sanctum & pudicum, qualis reperitur inter Christum & Ecclesitm, ut monet Paulus ad Ephes. 5. v. 22. *Viri diligite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ: ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid ejusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.* Idem officium incumbit uxoribus: ergo conjugati debent eo amore mutuo se diligere, quo possint sine macula, sine ruga coram Deo se sistere. Tales erant Zacharias & Elisabeth, de quibus dicitur: *Erant autem justi ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela.* Luc. 1. v. 6.

Consect. 2. Conjugati debent sibi mutuo admonitionem & instructionem circa ea, quæ pertinent ad salutem æternam: & quidem vir utpote caput uxoris debet instruere mulierem, & aliquando uxor debet instruere virum. Sic Tobias uxorem Annam commonebat his verbis: *Tunc hortatus est Virginem Tobias, dixitque ei: Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie & cras, & secundum cras; quia his tribus noctibus Deo jungimur. Tertia autem transacta nocte in nostro erimus conjugio, filii sanctorum sumus, non possumus ita conjungi, sicut gentes quæ ignorant Deum.* Tob. 8. v. 4. Sic Abigail virum Nabal interdum admonebat, & Monica virum suum Patricium.

Consect. 4. Conjugati debent sese mutuis exemplis ad pietatem inflammare, v.g. simul orare, simul Sacramenta frequentare, &c. Id docet Chrysost. Hom. 20. in Epist. ad Ephes. *Sint preces vobis communes*, inquit, *unusquisque eat ad Ecclesiam, & eorum quæ illic dicuntur, & leguntur & maritus ab uxore partem domi exigat, & illa a marito.*

Consect. 4. Conjugati ita debent sancte conversari, ut eorum exemplo cæteri tum fideles, tum infideles sanctitatem addiscant:

ita docet Petrus 1. cap. *Similiter*, inquit, *& mulieres subditæ sint viris suis; ut & si qui non credunt verbo, per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore castam conversationem vestram*.

CAPUT VI.

De mutuo Pastorum oviumque officio.

ARTICULUS I.

De officio ovium erga Pastores.

PRop. unica. Pastoribus debemus amorem, reverentiam, obedientiam, & subsidium.

Prob. 1. Scriptura. Debemus primo amorem Pastoribus nostris, juxta illud Pauli: *Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præsunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantius in CHARITATE. Propter opus illorum pacem habete cum eis*. 1. ad Thess. c. 5. v. 12. Secundo reverentiam eis debemus, juxta illud: *Honora Deum ex tota anima tua, & HONORIFICA Sacerdotes*, Eccles. c. 7. v. 33. Tertio debemus ei subsidium, juxta illud: *Honorifica Sacerdotes & propurga te cum brachiis, da illis partem PRIMITIARUM, sicut mandatum est tibi*. Eccles. c. 7. v. 33. Et juxta illud Pauli: *Quis militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? .... Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus*. Quarto eisdem debemus obedientiam, juxta illud: *Qui autem superbierit, nolens OBEDIRE Sacerdotis imperio, morietur homo ille*. Deut. 17. v. 12. Et juxta illud Pauli: *OBEDITE præpositis vestris & subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. ad Heb. c. 13. v. 17. Ergo Pastoribus debemus amorem, reverentiam, obedientiam, & subsidium.

2. Ex lib. 2. Constitut. Apostolic. qui liber, licet verus non sit fœtus Apostolorum, gravis est tamen authoritatis: sic ergo habetur c. 20. *At vero bonum Pastorem Laicus honoret, diligat, metuat ut patrem, ut Dominum, ut herum, ut Dei Pontificem, ut magistrum pietatis: qui enim odit eum, Christum odit, & qui ei non obtemperat, non obtemperat Christo, & qui Christum non recipit, non recipit Patrem ejus*. Qui enim vos odit, me odit, & qui vos spernit, me spernit, & qui me spernit, spernit eum qui misit me.

3. Ex Conc. Carisiacensi an. 858. c. 7. *Rectores ac Pastores Ecclesiarum, ut Patres, & Christi Vicarios colite, sicut sancta Scriptura præcipit, dicens*: Sacerdotes Dei sanctifica, & Magnati humilia caput tuum: *eorumque Spiritualia consilia obaudite, iterum dicente scriptura* .... Labia Sacerdotis custodient scientiam.

4. *Rat.* Pastores sunt spirituales patres fidelium, juxta illud: *In Christo per Evangelium ego vos genui*: Ergo eadem eis debemus officia, quæ parentibus carnalibus: ergo debemus ei amorem, reverentiam, obedientiam & subsidium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant fideles, qui interius non amant Pastores suos spirituales, & qui in circumstantiis debitis non dant signa externa amoris erga illos: quocirca Paulus reprehendit Galatas, quod amor ille, quo eum deperibant, paululum tepesceret. *Ubi ergo*, inquit, *beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri potuisset, oculos vestros eruissetis & dedissetis mihi: ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens?* ad Galat. 4. v. 15.

Peccant gravius qui interius odio habent Pastores suos, aut qui exterius proferunt signa latentis odii; illud enim odium non tam in Pastores quam in ipsum Deum refunditur, ut monet Greg. Regis. lib. 12. Indic. 7. Epist. 7. *Cum in præpositos delinquimus, ejus ordinationi, qui eos nobis prætulit, obviamus. Unde Moyses, dum contra se & Aaron conqueri populum cognovisset, ait: nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Deum.*

Consect. 2. Peccant fideles, qui pastoribus debitam non exhibent reverentiam, v. g. non alte sentiunt de illis, non eos alloquuntur verbis honorificis; quippe, ut ait Chrysost. Homil. 17. in Matth. *Sacerdotes Christi Vicarii sunt: qui honorat Sacerdotes Christi, Christum honorat*. Et lib. 3. de dignitate Sacerdotali ait: *Per ipsos* Sacerdotes *Christum induimus: per ipsos Dei Filio conjungimur: per ipsos membra beati ipsius capitis efficimur. Quomodo ergo nobis isti non solum reverendi magis quam Reges, aut judices, sed etiam nobis magis erunt honorabiles, quam parentes?* Exemplum habemus tremendum de iis, qui non honorant Sacerdotes, in pueris illis, qui Prophetam quasi calvum irridebant; egressi enim duo ursi de saltu laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros, qui Prophetam verbis injuriosis irriserant. Unde Aug. serm. 102. de verbis Evangel. Luc ait:

Videte ne spernatis nos, ne ad illum perveniat injuria quam nobis feceritis. Si enim non timetis nos, illum timete qui dixit: Qui vos spernit, me spernit.

Consect. 3. Peccant fideles, qui pastoribus non obediunt in his, quæ salutem nostram spectant: dicitur enim Matth. cap. 23. v. 2. *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate & facite, secundum opera vero eorum nolite facere.* Legitur insuper in Epist. quæ tribuitur Clementi: *Quicumque Episcopis non obediunt, indubitanter rei & reprobi existunt.* Et Aug. serm. 147. de verbis Evangelii Joannis, alias 62. de verbis Domini, ait: *Pertineat ergo ad nos* Episcopos *cura, ad vos* fideles *obedientia; ad nos vigilantia pastoralis, ad vos humilitas gregis.*

Consect. 4. Peccant fideles, qui debitum non conferunt Pastoribus suis subsidium, v. g. decimas, oblationes &c. scriptum est enim in lege Moysi: *Non alligabis os bovi trituranti; ita & Dominus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* 1. ad Corint. c. 9. v. 9. Et rursus: *Qui bene præsunt Presbyteri duplici bonore digni habeantur; maxime qui laborant in verbo & doctrina.* Unde ait Chrysost. in epist. 1. ad Tim. c. 15. hom. 15. *Oportet Doctoribus necessarium victum affatim ministrari, ne deficiant, atque solvantur; ne minimis occupati, magnis seipsos atque alios privent, ut spiritualia operentur.* Sunt enim, ut dicit Christus, operarii in vinea Domini operantes, quibus propterea denarius diurnus libenter impendendus est.

ARTICULUS II.

De officio Pastorum erga oves suas.

PRop. unica. Pastores debent ovibus suis amorem, bonum exemplum, instructionem, & Sacramentorum administrationem.

Prob. 1. Scriptura. Primo Pastores debent ovibus suis amorem, juxta illud Pauli ad Corint. 2. c. 6. v. 11. *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii: cor nostrum dilatatum est: non angustiamini in vobis,* ut est amor noster, qui in vos omnes diffusus est, juxta illud Joan. Epis. 3. v. 1. *Senior Gajo carissimo, quem ego diligo in veritate.* Secundo bonum exemplum, juxta illud Pauli: *EXEMPLUM esto fidelium, in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate.* 1. ad Tim. c. 14. v. 1. Ita se gessit caput omnium Pastorum Christus, de quo dicitur: *Cœpit Jesus facere & docere.* Et rursus: *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Joan. c. 13. v. 15. Tertio instructionem debent Pastores ovibus suis, juxta illud Pauli ad Tim. 4. v. 2. *ARGUE, OBSECRA, INCREPA in omni patientia, & doctrina.* Et rursus: *Attende tibi, & doctrinæ: insta in istis. Hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.* ibid. v. 16. Hoc docuit nos Christus, qui vicos & pagos evangelizando peragravit. Quarto Pastores debent ovibus suis cum doctrina conjunctam Sacramentorum administrationem, juxta illud Matth. 28 v. 19. *Euntes DOCETE omnes gentes BAPTIZANTES eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti,* id est, docete, Baptismum & alia Sacramenta conferte. Ergo Pastores debent fidelibus amorem, instructionem, bonum exemplum, & Sacramentorum administrationem.

2. Ex lib. 2. Constitut. Apostolic. c. 20. ubi sic habetur: *Similiter Episcopus tamquam filios diligat laicos, prosequentes eos studio caritatis, & fovens tamquam ova ad acquirendos pullos, aut tamquam pullos, sinu eos complectens ad acquirendum gallinas: omnes monens, omnes increpans acerbe quicumque increpatione acerba indigent, sed non feriens; premens ut revereantur, non ut evertantur; monens ut convertat, increpans ut corrigat, &c.* ergo.

3. Ex Concilio Coloniensi primo ann. 1536. part. 5. c. 1. ubi explicans illud dictum Petro, *Pasce agnos meos,* sic loquitur. *Id fecerimus si gregem Christi post Cristum unice diligamus, atque eumdem tam verbi doctrina, quam operis exemplo pascamus, divinorumque Sacramentorum dispensatione tueamur defendamusque.*

4. *Rat.* Pastores sunt Patres spirituales fidelium, Duces, Doctores & Nutritii: ut Patres debent amorem filiis, ut Doctores instructionem, ut Duces bonum exemplum, ut Nutritii pabulum Sacramentorum. Ideo ait S. Carolus in oratione habita in Concilio primo Mediolanensi ann. 1565. *Hoc munus Pastoris, hoc Ducis officium, hæ gubernatoris partes sunt, ut gregi, militibus, navi potissimum prospiciant: nam in subditorum salute præfecti incolumitas continetur.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant Pastores qui oves suas in ordine ad salutem æternam non diligunt: quod officium ita explicat Aug. serm. 296. in natali Apost. Petri & Pauli, alias de diversis. 108. ubi sic interpretatur hæc verba: *Pasce* oves

oves meas. Commendo tibi oves meas, inquit: *quas oves? Quas emi Sanguine meo. Mortuus sum pro eis. Amas me? Morere pro eis.... Det nobis Deus vires sic amandi vos, ut possimus mori pro vobis aut effectu, aut affectu*. Et Leo VII. epist. 2. ad Gerardum Laurealensem Archiepiscopum, sic Pastoris amorem erga oves describit: *Si Pastores ovium Solis ardorem, geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt: & ne qua ex eis aut errando pereat, aut ferinis laniata morsibus rapiatur, oculis semper vigilantibus circumspectant: quanto sudore, quantaque cura debeamus esse pervigiles nos, qui Pastores animarum dicimur, attendamus*.

Consect. 2. Peccant Pastores, qui ovibus suis non prælucent bono exemplo. Pastor enim, ut habetur Matth. c. 5. *est sal terræ, & lux mundi ut luceat omnibus qui in domo sunt*: Ergo debet bono suo exemplo fidelibus prælucere. Ideo Aug. in Psalm. 39. explicans illud: *videbunt justi & timebunt*, ait. *In Ecclesia iste ordo est, alii præcedunt, alii sequuntur: & qui præcedunt, exemplo se præbent sequentibus: & qui sequuntur, imitantur præcedentes .... Ergo qui jam directos gressus habent in petra*, idest Pastores, *forma sint fidelibus*, instar Pauli, qui dicebat: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*.

Consect. 3. Peccant Pastores, qui non instruunt plebem sibi commissam juxta regulas ab Ecclesia præscriptas: de quibus speciatim, ubi de statu Clericorum. Sed generatim omnibus Pastoribus in persona Isaiæ dicitur: *Quasi tuba exalta vocem tuam*. Pastores enim, qui tacent, iram Dei incurrunt, ut fatetur Isaias: *Væ mihi, quia tacui*. Isai. c. 60. Quippe teste Basilio in regul. brevi. reg. 48. *Cui docendi munus commissum est, si annuntiare negligat, perinde ut homicida judicatur*. Terribile quidem, & tamen verum, quod ait Prosper lib. 1. vitæ contemplativæ c. 20. *Ille autem, cui dispensatio verbi commissa est, etiam si sancte vivat, & tamen perdite viventes arguere erubescat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit; & quid ei proderit non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato?*

Consect. 4. Peccant Pastores, qui fidelibus quoties opus est, Sacramenta non administrant: Episcopi, v. g. qui Confirmationem non administrant: Parochi, qui non administrant Pœnitentiam & Eucharistiam: qui non visitant infirmos, nec eos consolantur. Conc. Narb. de Parochis agens, sic habet: *Invigilent Parochi super gregem, & parati semper sint, ne per illorum negligentiam aut parvuli sine Baptismo, aut adulti sine Sacramentis Pœnitentiæ, Communionis, & Extremæ Unctionis moriantur*.

CAPUT VII.

Quæ sit mutua obligatio Pædagogorum, & discipulorum.

ARTICULUS I.

De officio discipulorum erga Pædagogos.

PRop. unica. Discipuli eadem debent Pædagogis quæ filii Parentibus, scilicet, amorem, obedientiam, reverentiam, & subsidium honorarium præscriptum. Probatur eisdem rationibus, & authoritatibus, quibus superior propositio probata est.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant discipuli quoties Pædagogis suis tum privatis, tum publicis non exhibent amorem, obedientiam, reverentiam interius & exterius; quia eadem fere debent Pædagogis quæ patribus: quod adeo verum est, ut istud nec ipsis paganis fuerit incognitum; sic enim Quintilianus instruit Pædagogum, eique qualem animum habere debeat erga discipulos præscribit, lib. 2. *Sumat igitur ante omnia parentis erga discipulos animum, ac succedere se in eorum locum, a quibus liberi traduntur, existimet*. Et pari ratione discipuli animum filiorum erga Pædagogum suum concipiant.

Consect. 2. Peccant parentes, qui puerorum suorum Pædagogis tum privatis, tum publicis debitum non conferunt honorarium: dignus est enim operarius mercede sua. Honorarium religiosissime impendendum esse denotant privilegia ab Imperatoribus Pædagogis publicis concessa. Cod. Theodos. lib. 3. tit. 3. leg. 16. *Grammaticos, Oratores, atque Philosophiæ Præceptores, nec non etiam Medicos, præter hæc quæ retro latarum sanctionum auctoritate consecuti sunt privilegia immunitatesque, frui hac prærogativa præcipimus, ut nulla municipali, nulla Curialium collatione, nulla senatoria, vel glebali descriptione vexentur: seu indepta administratione, seu accepta testimoniali meruerint missionem, sint ab omni functione omnibusque muneribus publicis immunes: nec eorum domus ubicumque positæ, militem, seu judicem suscipiant hospitandum. Quæ omnia filiis etiam eorum & conjugibus illibata præcipimus custodiri, ita ut nec ad militiam liberi memoratorum trahantur inviti. Hæc autem & professoribus memoratis eorumque liberis deferenda mandamus*. Ergo, ut sequamur mentem

tem Imperatorum, justum stipendium Pædagogis impendendum est.

*Consect.*3. Culpandi sunt maxime parentes, qui in eo, quo par est, honore non habent (præcipue coram pueris) Pædagogos tum privatos, tum publicos. Ex illo enim Pædagogorum contemptu fit, ut pueri magistros suos parvi faciant, monita eorum aspernentur, & ea, quæ ab ipsis edocentur, oscitanter addiscant. Diversa omnino fuit Antiquorum erga Pædagogos filiorum suorum reverentia: Philippus Macedo vetuit, ne coram Aristotele præceptore Alexander discipulus sederet, ut modestius & docilius magistri documenta susciperet. Theodosius magnus jussit, ut ejus filii Arcadius & Honorius Imperatoris insignia deponerent, quandiu eis lectio ab Arcenio præceptore fieret: & quidem merito; quia, ut bene notat Aristoteles, Deo, parentibus, magistris nunquam satis magna reverentia exhiberi potest; cujus pulchra est illa sententia: *Qui interrogat: an Deus, parentes, & magistri colendi sunt? pœna indiget, instructione non indiget.*

ARTICULUS II.

De officio Pædagogorum erga discipulos.

PRop. *unica.* Pædagogi sive privati, sive publici, idest sive hi, qui publice in scholis docent, sive hi, qui in domibus privatim instruunt pueros, duobus debent præcipue insistere, scilicet, moribus efformandis, & scientiis edocendis.

Prob. 1. Ex Scriptura. Paulus scribens ad Tim. epist. 2. c. 2. v. 15. sic eum instruit, & in ejus persona omnes Episcopos, cunctosque præceptores, qui sunt quasi domestici Episcopi. *Sollicite*, inquit, *cura te ipsum probabilem exhibere*, idest, exhibe te probum, seu probatum Deo: *Operarium inconfusibilem*, cui non sint pudori pravi mores, vel ignorantia: *Recte tractantem*, seu *secantem*, *verbum veritatis*, idest, qui instar nutricis cibum animarum, scilicet verbum Dei, in particulas secet, ut commodius glutiatur. Ergo præceptores duobus debent præcipue insistere, scilicet, moribus efformandis, & scientiis edocendis.

2. Ex statutis Facultatis Parisiensis art. 1. *Ad docendam & regendam juventutem, magistros probatæ vitæ, & doctrinæ recipiant, qui suo munere recte fungi noverint: quorum mores inprimis spectandi, ut pueri ab his & litteras simul discant, & bonis moribus imbuantur.* Ergo præceptores & moribus efformandis, & scientiis edocendis debent insistere.

3. *Rat.* Duo præcipue mala a peccato originali oriuntur. Primum est proclivitas ad peccandum: secundum est ignorantia: ergo Pædagogi duobus his malis medeantur necessum est; oportet ergo, ut proclivitatem peccandi a malo inflectant, bonos mores inspirando, & ignorantiam expellant, mentem bonis artibus instituendo.

§. I.

De his, quæ informandis puerorum moribus inservire possunt.

*Consect.*1. Oportet ut Pædagogi sint ipsimet optimis moribus imbuti, quia alias probitatem pueris inspirare non possunt. Scriptura enim loquens de Episcopo Epist. 1. ad Timoth. cap. 3. v. 2. ait: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse*: Ergo & Pædagogum, qui est quasi Episcopus, idest speculator. Unde dicitur Cod. Justi. lib. 10. tit. 52. l. 7. *Magistros studiorum, Doctoresque excellere oportet moribus primum, deinde facundia.* Et Concil. Burdig. an. 1624. ait: *Ne quis hujusmodi Præceptorum, quod non raro accidit, sit vinosus, blasphemus, maledicus, scurra, aut aliquo vitio ita inquinatus, quod inde tenera juventus semina vitiorum exsugere queat.*

Consect. 2. Oportet ut Pædagogi discipulis suis bono exemplo præluceant; quia alias virtutem ipsis inspirare non possunt: ait enim Paulus scribens ad Timoth. 1. 4. vers. 12. *Exemplum esto fidelium*: Ergo pari ratione idem Pædagogis dici potest. Unde Aug. loquens de omnibus, qui prælucere debent exemplo, ait: *Quantiscumque exemplum malæ conversationis, etiam si non illud illi sequantur, præbuerunt, pro tantis se malis rationem noverint reddituros.* Et ipse Quintilianus, licet paganus, id necessarium in præceptore agnovit; ait enim lib. 2. cap. 1. *Ipse nec habeat vitia, nec ferat*, & cap. 2. *Magistrorum primum inspici mores oportebit.*

*Consect.*3. Oportet ut Pædagogi in omnibus probitatem prius inspirent pueris, quam scientiam; probitas quippe via est ad scientiam. Dicit enim Scriptura Sap. cap. 1. vers. 4. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*: & c. 4. v. 12. *Fascinatio nugacitatis obscurat bona*, illudendo scilicet, & impediendo ne verum a falso secernamus. Unde Concil. Burdig. an. 1583. c. 8. ait: *Omnes autem præceptores, sive publici, sive privati Catechismum, sive Doctrinam Christianam ea forma dumtaxat, quæ ab Ordinario loci præscribitur, juventutem docere, lectiones prævia oratione incipere, itemq; finire,*

& singulis Dominicis & festis solemnibus discipulos ad Ecclesiam pro officiis Divinis, & concionibus verbi Dei audiendis, deducere teneantur.

Consect. 4. Oportet ut Pædagogi severius puniant peccata contra mores, quam contra scientiam, ostendentes scilicet scientias sæculares fallaces esse, tædio & indignatione plenas, juxta illud Ecclef. c.1. v.17. *Dedique cor meum, ut scirem prudentiam atque doctrinam, erroresque & stultitiam, & agnovi quod in his quoque esset labor & afflictio spiritus; eo quod in multa sapientia multa sit indignatio; & qui addit scientiam addit laborem.* Ostendat pueris, quod unum sit maxime necessarium, scilicet, probitas, juxta illud Ecclef. c.12. v.13. *Finem loquendi pariter omnes audiamus, Deum time, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo.* Unde queritur Aug. lib. Confes. c.18. quod Pædagogi severius punirent solœcismos quam vitia, magisque vituperarent pronuntiationem contra Grammaticam, quam contra divinas leges prævaricationem.

Consect. 5. Oportet ut Pædagogi ita auctores profanos discipulis explicent, ut maxime caveant ab his locis, quæ vel fidei obesse possunt, vel moribus. Si enim *corrumpunt bonos mores colloquia mala*, ut dicit Scriptura; quanto magis nocebit attenta & sæpius repetita lascivi, aut irreligiosi auctoris lectio? Id prohibet Concil. Turon. an. 1581. c.3. ubi sic habetur: *Prohibet Synodus, ne libri ad lasciviam & luxum provocantes legantur, aut retineantur sub anathematis pœna.* Et Concil. Burdig. an. 1583. ait: *A scholis Christianorum libri non solum impii, verum etiam impuri longe arceantur.* Ipsemet Quintil. lib. 1. c. 8. quantum ea lectio noceret pueris agnovit; ait enim: *Non auctores modo, sed etiam partes operis elegeris: nam & Græci licenter multa; & Horatium in quibusdam nolumus interpretari.* Quantum id sibi nocuerit fatetur Aug. Confes. lib.1. c. 16. & 17.

Immo si quid in Auctoribus profanis aut pie dictum, aut sapienter excogitatum inveniatur, illud omne prudentes Pædagogi in Deum verum, qui est Pater luminum, refundendum esse, puerorum animis inculcent: sæpius fundamentum illud Religionis nostræ stabiliant, scilicet, quod homo corruptus longe proclivior sit ad errorem, quam ad veritatem, etiam in rebus naturalibus, & quod in supernaturalibus omnino cæcutiat. *Divini muneris est*, inquit Concil. Arauf. can. 9. *cum recte cogitamus, & pedes nostros a falsitate & injustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur.*

Consect. 6. Si Pueros vel cantu, vel declamationibus exerceant Pædagogi, curent, ut pueri ea canant, ea recitent quæ pietatem inspirent, non impietatem, probitatem, non libidinem. Eas sæculi vanitates sic despicit Propheta: *Narraverunt mihi iniqui fabulationes; sed non ut lex tua.* Et Aug. deflet 1. Confess. cap. 17. ingenium suum occupatum fuisse fabulis Paganorum, Authorum profanorum scriptis diutius, quam par erat, fuisse detentum. *Nonne*, inquit, *ecce illa omnia fumus & ventus? Ita ne aliud non erat ubi exerceretur ingenium, & lingua mea? Laudes tuæ, Domine, laudes tuæ per Scripturas tuas suspenderent palmitem cordis mei, & non raperetur per inania nugarum, turpis præda voluptatis?*

Consect. 7. Oportet demum ut Pædagogi a discipulis, quantum poterunt, amoveant ea omnia, quæ mores labefactare possunt: commercium, v. g. cum famulis vulgo vitiosis interdicant, omnem cum aliis pueris petulantibus societatem penitus dissolvant; quia nihil est quod magis probitati noceat, quam malorum societas, ut dicitur Prov. c.4. v.14. *Nec delecteris in semitis impiorum, nec tibi placeat malorum vita, fuge ab ea, nec transeas per illam, declina, & desere eam.*

Consect. 8. Præceptores illum dumtaxat permittant discipulis suis sensuum externorum usum, qui vel tutando corpori, vel scientiis acquirendis, vel moribus informandis inservire queat. 1. Moneant discipulum, ut cor ab omni pravo affectu temperet: *Omni custodia serva cor tuum*, inquit Sapiens Prov. c.4. v.23. *quia ex ipso vita procedit.* 2. *Auditum* discipuli permittant quidem vel musicis concentibus demulceri, vel utilibus narrationibus & instrui & delectari; sed nihil sinant coram discipulo enarrari, quod vel turpe sit, vel malignum. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*, inquit Paulus; & rursus: *Fornicatio nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos.* Et Sapien Prov. c.4. v.24. *Remove a te os pravum & detrahentia labia sint procul a te.* 3. *Visum* discipuli ita occupent, ut discat contemptari cælorum ornatum, terræ divitem proventum, fontium scatebras, fluminum lapsus, maria vasta, animantium varias species; & hæc omnia, ut serviant usibus hominum, tantum ut homo serviat Conditori suo. Picturis statuisve non impediat pasci discipulorum oculos; sed ea cautela, ut nihil turpe videant, nihil obscœnum. *Oculi tui recta videant*, inquit Sapiens Prov. c. 4. v. 25. David vero ita Deum precatur: *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* 4. Ita invigilent *odoratui*

ratui discipulorum, ut eos odores ultro concedant, qui cerebro possunt esse robori, minime eos, qui libidini queant esse incitamento; odorum enim molles amatores non erunt impuniti, inquit Isaias cap.3.v.24. *Et erit pro suavi odore fœtor*. 5. *Gustum* ita moderentur, ut cibos tantum permittant ad vitam sustentandam, non ad fovendam intemperantiam. *Optimum enim est*, inquit Paulus, *gratia stabilire cor, non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis*. ad Hebr.13. v.9.6. *Tactum* ita refrænent, ut sciant discipuli, nefas esse extra necessitatem aliquas partes tum sui, tum aliorum tangere.

§. II.

De his, quæ necessaria sunt Pædagogis, ut pueros scientiam edoceant.

Consect. 1. Oportet ut Pædagogi ea optime calleant, quæ pueros docturi sunt; alias ea discipulos docere non possent. Deinde, ut optime ait Th.1.2. q.76.a.2. in *C.Singuli* tenentur ea scire, *quæ ad eorum statum vel officium spectant*: Ergo Pædagogi tenentur ea optime nosse, circa quæ discipulos instituere satagunt. Ideo Codice Theod.lib.3. tit.3. leg.5. *Cavetur ut quisque docere vult, non repente, nec temere prosiliat ad hoc munus, sed judicio ordinis probatus decretum Curialium mereatur, Optimatum conspirante consensu*: & quidem merito; si enim naucleri munus nemo suscipiat nisi eam artem didicerit; quanto potiori jure artem dirigendi pueros debet prius didicisse, qui eam exercere voluerit?

Consect. 2. Oportet ut Pædagogi probe norint puerorum ingenium; ut enim non omnis fert omnia tellus, ita non ad omnes artes idonea est omnis puerorum mens. Legantur quæ de dignoscendis ingeniis scripsit Joannes Huartus Hispanus Medicus, aut quicumque alius, qui mentis humanæ dignoscendæ præcepta tradiderit. Postea vero diligenter incumbendum, ut dignoscatur, qualis sit puer, qui instituendus nobis committitur; apparebit enim alius iracundior, alius lenior, alius præfractior, alius benignior, alius tenacior, alius simplicior, alius fucacior & callidior: hic statim summe vigilandum, ut quod est virtutis provehatur, quod vitii corrigatur. Habet teneram ac quovis flexilem virgulam Pædagogus, habet ceram mollissimam, habet udam argillam; agat ergo, ut bonus plastes. Teneram virgulam in virtutem inflectat, ceræ mollissimæ virtutis characteres imprimat, & udam argillam in vas honorificum efformet; & ut diligens agricola conatur primo fundum quem culturus est, dignoscere, postea exsiccat limosa, rigat arentia, liberat opaca, æquat aspera, exsecat frutices, extirpat radices, invehit lætamen, macerat glebas, postea vero injicit semen in novale; idem faciat Pædagogus in commisso sibi fundo.

Consect. 3. Oportet ut Pædagogi recta cum methodo ea tractent, quæ docturi sunt; nihil enim est quod magis ab studio deterreat, quam indigesta documentorum farrago. Qui vitium illud fugere voluerit, legat quæ scripsit Dominus de *Fleury* in eo opere, quod scribitur: *Traitè du choix des etudes*: consulat eos, qui artem docendi profitentur.

Consect. 4. Oportet ut Pædagogi ita studium suave & dulce discipulis suis efficiant, ut nihil in eo asperum, nihil amarum discipuli inveniant. *Amet*, inquit Hieronymus ad Gaudentium, *quod cogitur discere; ut non opus sit, sed delectatio; non necessitas, sed voluntas*. Et epist. ad Lætam: *Non objurganda est* virgo *si tardior sit; sed laudibus excitandum est ingenium, ut & vicisse gaudeat, & victa doleat: cavendum imprimis ne oderit studium*.

Et Quintil. lib. 1. c. 1. sic Pædagogum puerorum instruit: *Id inprimis cavere oportebit, ne studia, qui amare nondum potest, oderit, & amaritudinem semel perceptam etiam ultra rudes annos reformidet*.

Legantur quæ instituendis pueris scripsit Erasmus; non enim hujus loci est ea omnia percurrere, quæ ad institutionem puerorum necessaria esse possunt.

Consect. 5. Oportet ut Pædagogi in docendo severitatem omnem, salva tamen præceptoria dignitate, procul amoveant. Dicam hic quod dicit Gersonius de audiendis Confessionibus parvulorum, in opere de parvulis ad Christum trahendis. *Quid proderit*, inquit, *instructio, dum pueri nec libenter audient, nec dictis credent, nec imperatis obedient? Quare majestatem oportet omnem exuere, & pro parvulis parvulum se facere, seclusis tamen vitiis, & projecta longe omnis impudicitiæ nota. Adde quod naturam esse contumacem testatur Seneca: magis ducitur quam trahitur. Habet præterea hoc proprium generosa indoles . . . . ut blanditiis quam terroribus magis capiatur deflectaturque*. Et inferius id probat exemplo Pauli & Christi. Paulus quippe 1. ad Thessal. cap. 2.vers.7. *Facti sumus parvuli in medio vestrum, tanquam si nutrix foveat filios suos*. Et Christus Matth. cap. 11. vers.28. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis*, & vers. 29. *discite a me quia mitis sum & humilis corde*.

Con-

Consect. 6. Pædagogi, quantum puerorum ætas patitur, prius debent discipulorum mentem efformare quam vocem, prius intelligentiam dirigere quam linguam: cum enim non loquamur, nisi ut mentis cogitata promamus aliis, debitus ordo postulat, ut prius artem cogitandi, quam loquendi doceamur; ideo prudens Pædagogus, dum aliquid proponit discipulis, ostendat primo, quo pacto debeant rem propositam apprehendere, de ea judicare, circa eam discurrere, & quo pacto possint apprehensiones, judicia & discursus certa methodo ordinare: postea vero demonstret, quo pacto de his, quæ jam mente assecuti sunt, cum aliis poterint colloqui. Artem autem cogitandi & loquendi discet Pædagogus si istos libros legat. *L'arte de penser. L'arte de parler. La grammaire raisonnèe &c.* Quid vero de rebus sentire debeat, non aliunde potest certo addiscere, quam ex Scriptura sacra, ex traditione, &c. Est enim Deus verax, omnis homo vero mendax.

Consect. 7. Sciant Pædagogi, sui muneris esse discipulorum mentibus erga sacros Codices profundam inspirare reverentiam: quod quidem facient, si identidem inculcent discipulis, nullum priscæ vetustatis extare monumentum, in quo gravior, augustior, atque sublimior eluceat vel doctrina, vel eloquentia, quam in sacris Bibliis. Hic liber est, inquient, quem scripsit, non fabulosus Homerus, non credulus Plato, non incredulus Aristoteles, non verbosus Cicero, non demum homo mendacio obnoxius; sed Deus ipse, & falli & fallere nescius. Liber est, inquient, ex quo hauritur quod ad aures dicunt Confessarii, quod publice prædicant Concionatores. quod in bonum Reipublicæ statuunt Magistratus & Reges, quod demum in bonum Ecclesiæ ordinant Episcopi, constituunt Papæ, & decernunt Concilia. Liber est, inquient, quem Scriptores Canonici, Patriarchæ, Prophetæ, Apostoli, immo & ipse Christus, divinitus inspirati a Deo acceperunt, tradiderunt que hominibus: quique continua totius Ecclesiæ tum vigilia, tum cura, ad nos illibatus pervenit. Post ultimam totius Orbis conflagrationem, Cælorum immutationem, elementorum dissolutionem, sacri illi Codices remanebunt integri, aperientur illi Libri, & sermo, quem continent, judicabit nos in novissimo die.

Comparabunt identidem prudentes Præceptores sacra Biblia cum Scriptoribus profanis. Hic liber est, inquient, Ægyptiis sapientibus, verbi gratia, Mercurio Trimegistro multo antiquior: Græcis Philosophis Homero; Socrate, Platone, Aristotele longe vetustior: Latinis authoribus Plauto, Terentio, Cicerone multis sæculis annosior: ex quo eductum est quidquid habent Antiqui facundiæ, deliciarum Poetæ, veritatis Historici, sapientiæ Philosophi, Legislatores æquitatis: & identidem illud exemplis demonstrabunt, Quid verbi gratia sublimius, dicentes, quid excelsius vel cogitari, vel dici potuit, quam illud, quo Moyses initio Genesis prosecutus est nascentis naturæ, atque ipsius humani generis exordium: *Fiat lux, & facta est lux?* Id omnes stupuerunt & admirati sunt Rethores facundissimi, ex quorum numero Longinus Græcus ille, qui tam nasute authorum solet scripta distringere, ob illum quem præ se ferunt hæc verba sublimitatis splendorem, ac stuporis imaginem, exclamando, dixit: Judæorum Legislator sui numinis virtutem pro dignitate cognovit & pro dignitate expressit. Quid clarius & eloquentius simul occurrere legentibus potest, quam historia Joseph a fratribus agniti? *Joseph*, inquit sacer Historicus, Genes. 47. *non se poterat ultra cohibere multis coram adstantibus .... Elevavitque vocem suam cum fletu ...... Ego sum*, ait, *Joseph: adhuc pater meus vivit? Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti. Ad quos ille clementer: Accedite*, inquit. *Et cum accessissent prope: Ego sum*, ait, *frater vester, quem vendidistis.* Ostendent Pædagogi suis discipulis, tot tam varios affectus paucioribus verbis non potuisse includi, puta, signa pietatis Joseph erga parentem, amoris erga fratres, & stuporis simul & gaudii in fratribus, qui fratrem vendiderant. Quid pariter eloquentius, quid concitius simul & sublimius ista phrasi, qua impii exaltatio & repentina illius disturbatio describitur: *Vidi impium superexaltatum & elevatum super cedros Libani; transivi & ecce non erat.* Infinita alia sese offerent exempla in libro Job, Prophetarum, &c.

Exhibeant Pædagogi discipulis suis dulciorem nullibi inveniri poesim quam in sacris paginis. Ubi Eclogæ magis nativæ, quam in Canticis Canticorum, ubi describitur sacer & pudicus omnino inter Christum & Ecclesiam amor. Ubi carmen generosius, quam canticum Moysis, ubi describitur sepultus in Mari Rubro Pharaonis Exercitus, & per medias undas sicco transiens vestigio Hebræus populus. *Stetit*, inquit, *unda fluens, congregatæ sunt abyssi in medio Mari. Dixit inimicus: persequar & comprehendam, dividam spolia, implebitur anima mea, evaginabo gladium, interficiet eos manus mea. Flavit*

vit spiritus tuus, & operuit eos mare; submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Ubi carmen lugubrius, quam apud Jeremiam Civitatis sanctæ, civiumque suorum calamitatem flebilibus modis ob oculos ponentem? *Quomodo sedet*, inquit, *sola civitas plena olim populo .... omnes ejus portæ destructæ, Sacerdotes ejus gementes, virgines ejus squalidæ .... defecerunt præ lacrymis oculi mei, effusum est in terra jecur meum. O vos omnes qui transitis, videte, si est dolor sicut dolor meus.* Ubi demum Poeta suavior, quam David, sive plena alacritatis oratione Deum laudet, sive in summis suis angustiis auxilium a Deo imploret, sive Christum personet ab inferis resurgentem, sive futura, tum de Christo, tum de Ecclesia prophetando, præsagiat.

Ostendant Pædagogi discipulis nec antiquiorem, nec veriorem, nec magis stupentem alibi reperiri historiam, quam in sacris Libris. Hic nascentis describitur Mundi exordium, hic cunctarum nationum primordia jaciuntur. Indicent, non ibi legi fabulosas Amazonas, sed prudentes in domibus suis Saram & Abigail, fortem in bello Deboram, fidentem in desperatis rebus Esther, & generosam Judith uno ictu debellantem integras Holophernis copias. Dicant discipulis suis Præceptores, narrari in Bibliis non dubios Herculis labores, sed certissima & fortissima gesta Sampsonis: non Phætontem e Solis curru decidentem, sed Josue Solem & Lunam in medio cursu sistentem. Hic describi non Apollinem oblique respondentem vel Giasso in Medos, vel Pyrrho in Romanos expeditionem paranti; sed Deum aperte, perspicue, & infallibiliter respondentem vel Moysi ad Pharaonem, vel Samueli in Amalecitas, vel Josue in Chananæos proficiscenti.

Discipulis suis certo asserant Præceptores, non alibi quam in Bibliis solidam inveniri Philosophiam. Non hic nascitur Mundus, quo nihil ordinatius, ex temerario atomorum concursu, ut voluit Epicurus; sed summa Dei potentia e nihilo educitur, & summa ejusdem sapientia gubernatur. *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Non hic homo vel ex maris spuma, vel ex elementorum pugna, ut quidam somniarunt, originem trahit; sed corpus, utpote terrestre, ex limo formatur; anima vero utpote mens cogitans a Deo, qui spiritus est, immediate oritur. *Formavit igitur*, inquit Scriptura, *Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem.* Gen. 2. v. 7. Proponitur hic adorandus Deus, non latro ut Mercurius, non scurra ut Momus, non vorator filiorum ut Saturnus, non luxuriosus ut Jupiter, non vinosus ut Bacchus; sed proponitur Deus, quem venereris ut Dominum, quem diligas ut patrem, cui fidas ut Redemptori, quem sequaris ut exemplar, & ad quem tamquam ad veræ beatitudinis fontem incessanter tendas.

Ostendant demum Præceptores discipulis nullibi æquiores leges constitui, quam in sacris Bibliis: Ideo legant ipsis libros legales tum veteris, tum novi Testamenti, libros sapientiales, & ostendant nihil simile reperiri in libris Paganorum. Et ut hic paucis multa complectar, ostendant pueris, quomodo describat Job Dei potentiam cap. 26. hominum miseriam cap. 14. Leviathan fortitudinem cap. 40. & 41.

Ut autem Pædagogus ad manum habeat exempla sacræ Eloquentiæ, quæ suis discipulis proponat, indicabo hic aliqua.

Exordium habes desumptum ex parte personæ ad quam sermo dirigitur. Act. 26. v. 2. Exordium habes in qualibet Epist. quam scribit Paulus, præcipue in ea, quam scribit ad Philemonem.

Narrationem simplicem habes in servo Abrahæ petente Rebeccam a parentibus in uxorem Isaac. Gen. cap. 24. Narrationem affectibus plenam habes in historia Joseph, cum venditur a fratribus, cum detruditur in carcerem, cum liberatur a carcere, cum agnoscit fratres & agnoscitur a fratribus. Gen. c. 38. usque ad c. 46. Narrationem stupentibus prodigiis plenam habes Exodi a c. 7. usque ad cap. 12. ubi describuntur plagæ contra Ægyptum.

Descriptiones habes in Bibliis, cunctis numeris absolutas.

Templum describitur lib. 3. Reg. cap. 6. & Palatium Salomonis, cap. 7. Dei magnitudo describitur apud Job c. 12. ar. v. 3. usque ad 25. & cap. 4. & apud Jerem. cap. 32. vers. 17. Psal. 88. v. 7. Dei cognitio describitur Psal. 38. v. 1. & Eccli. c. 16. v. 16. Miseria hominis describitur exacte apud Job c. 10. Vanitas idolorum in Psal. 133. v. 4. Sap. 15. v. 7. & v. 15. Constructio idoli ironice describitur Sap. cap. 13. v. 11. Isai. c. 44. v. 12. Jerem. c. 10. v. 3. Vanitas filiarum Sion in ignominiam vertenda quasi ob oculos ponitur apud Isaiam c. 3. v. 17.

Figuræ ita sunt in Scriptura frequentes, ut supervacaneum sit eas indicare; ubique enim occurrunt.

Antithesim habes, Isai. c. 3. vers. 18. *Erit pro suavi odore fætor.* 1. ad Corinth. cap. 4. v. 13. Maledicimur & benedicimus &c.

Apo-

Apostrophen habes, 2. Reg. c. 1. v. 21. *Montes Gelboe*. apud Isai. 1. *Audite Cæli quæ loquor &c.* apud Matth. *Stulti & tardi corde ad credendum &c.*

Exclamationes habes ad Rom. c. 7. v. 24. *Infelix ego homo, quis me liberavit de corpore mortis hujus?*

Imprecationem habes in Psalm. 68. *Fiat mensa eorum in laqueum.*

Repetitionem habes apud Nahum cap. 1. v. 2. *Ulciscens Dominus, ulciscens Dominus, & habens furorem, ulciscens Dominus in hostes suos.*

Interrogationem habes ad Rom. 3. v. 27. *Ubi est ergo gloriatio tua? exclusa est &c.*

Communicationem habes apud Michæam. c. 7. v. 3. *Popule meus quid feci tibi? &c.*

Enumerationem habes ad Rom. 12. v. 1. *Qui exhortatur in exhortando.*

Quadrationem habes ad Rom. 8. v. 30. *Quos prædestinavit, hos & vocavit: quos vocavit, hos, & justificavit, &c.*

Suspensionem habes apud Joan. cap. 4. v. 10. *Mulier si scires donum Dei.*

Interrogationem habes ad Corinth. 2. c. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? &c.*

Optationem habes apud Jer. 9. *Quis dabit capiti meo fontem lacrymarum?*

Ironiam habes Gen. 3. *Ecce Adam, quasi unus ex nobis factus est.* Et 3. Reg. c. 18. ubi Propheta sic irridet Sacerdotes Belial: *Clamate voce majore &c.* Et apud Joan. 3. *Tu es Magister in Israel, & hæc ignoras?*

Obsecrationem habes ad Rom. 10. *Obsecro vos fratres per misericordiam Dei.*

Exhortationem habes apud Isaiam 1. v. 16. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, &c.*

Admirationem habes apud Isaiam 14. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer? &c.*

Tot sententias habes, quot sunt phrases in Libris sapientialibus.

Si discipuli capaces sint solidioris ratiocinii, bonum erit interdum eis proponere explicationem analyticam alicujus epistolæ.

§. III.

Monitum utile Pædagogis.

Unum est quod eos Pædagogos, qui vel ob indocilitatem, aut levitatem puerorum, vel ob ingratum aliquando erga eos parentum animum, tædium in docendis pueris concipiunt, præmonitos velim. Sciant, institutione puerorum nihil esse vel Deo acceptius, vel Ecclesiæ utilius, vel etiam coram sensatis hominibus gloriosius.

1. Nihil eo exercitio potest esse Deus acceptius: vult enim Deus Religionem suam omnibus hominibus explicari, juxta illud, *Docete omnes gentes*; sed vult præcipue eam parvulis diligenter exponi. Increata enim Sapientia sic habet Prov. c. 1. v. 20. *Sapientia foris prædicat.... usque quo parvuli diligitis infantiam? ..., convertimini ad correctionem meam.* Et c. 8. v. 5. *Intelligite parvuli astutiam & insipientes animadvertite.* Et Christus Sapientia incarnata, Matth. cap. 19. v. 14. ait: *Sinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere; talium enim est regnum Cælorum.* Et Marc. c. 10. v. 13. sic habetur: *Discipuli autem comminabantur offerentibus; quod cum vidisset Jesus, indigne tulit & complexans* eos parvulos, *& imponens manus super illos, benedicebat eos.* Quæ verba, inquit Gersonius, *si cum suo pondere sententiarum consideremus, ingentem prorsus acerbæ, mordacisque invectionis materiam habebimus in eos, qui parvulorum salutem & accessum ad Christum præpediunt*, & puerorum institutionem, quasi Deo parum acceptam, dedignantur.

2. Nihil eo exercitio Ecclesiæ utilius, ut notat idem Gersonius ibidem, ubi asserit: *Reparationem morum Ecclesiasticorum inchoandam esse a parvulis; quia enim*, inquit, *pueri minus corrupti, minusque tenaciter infecti sunt, capaciores inveniuntur doctrinarum salubrium .... apti sunt ad accipienda bonorum studiorum exordia, quando nondum falsas opiniones altius imbiberunt, quando nondum radicitus hærent perniciosæ adinventiones in eis. Vires sunt recentes pro liquoribus optimis. Novellæ præterea plantationes, quæ sequuntur, leviter quo ducentis manus deflexerit, ... Pueri sic vere instituti esse quoque poterunt aliorum Doctores, instructoresque commodissimi maxime domesticorum.* Unde patet, institutione puerorum nihil esse Ecclesiæ utilius.

3. Nihil eo exercitio coram sensatis hominibus potest esse gloriosus: quod quidem invictissime probat Gersonius his verbis: *O piissime Jesu, quis ultro post te verecundabitur esse humilis ad parvulos! quis tumescens & elatus de sua vel magnitudine, vel scientia parvitatem deinceps parvulorum, ignorantiam, vel imbecillitatem audebit aspernari? quando tu, qui es Deus benedictus in sæcula, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, usque ad castissimos parvulorum amplexus beata brachia mansuetus inclinas, atque circumligas? Procul ergo, procul ex hinc omnis elatio, seorsim sit indignabunda quælibet parvulorum effugatio.* Perhonorificum ergo arbitremur pueros instituere, etsi sint male sensati quidam homi-

homines, qui munus illud frigidis lacessant dicteriis,& arroganti supercilio aspernentur. Sed in tam arduo exercitio sufficiat Christiano Pædagogo apud Deum approbatio: quo quidem sicut nihil est difficilius, juxta illud Hieron. dial.adver.Lucif. *Difficile est Deo tantum judice esse contentum;* ita nihil jucundius quam apud Deum approbari, juxta illud Pauli 1.ad Corint. 4. v. 3. *Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die.* Et juxta illud Davidis: *Maledicent illi, & tu benedices.* Psal.108.v.28.

§. IV.

Quæ monita dare possint Pædagogi parentibus.

Multa sunt, quæ Pædagogi tum privati, tum publici per seipsos impedire non possunt; qualia sunt, verbi gratia, victus delicatior, vestitus mollior, aut luxuriosior, nimia fratrum sororumque societas, periculosa plurium puerorum jam pubescentium in eodem lecto cubatio, & alia hujusmodi, quæ penes Pædagogum non est semper dirigere, sed ejus solum est prudenter parentes commonere. Quod ut præstet facilius, subjiciam hic quædam præcepta de nutriendis & educandis liberis e diversis auctoribus excerpta, quæ prudens Pædagogus poterit suo loco & tempore proponere.

In primo septennio, idest, ab ortu usque ad septimum annum, infantes nutriendi sunt primo lacte, deinde cibo molli, qui facile digeri valeat: quod innuit Paulus 1. ad Cor. 3. *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* Vino omnino abstineant infantes dum lactantur; vinum enim admixtum lacti corruptionem ingenerat. Corpus ea ætate magis assuefieri debet frigori quam calori, ut robustus infans evadat: cujus rei signum est, quod populi frigidæ regionis sunt robustiores, ut patet ex Germanis, & Anglis .... Infantes ablactati temperatis motibus sunt assuefaciendi; sicuti enim frigus temperatum nativum calorem concentrat, ita motus temperatus eundem calorem acuit, & humores noxios fugat. Ubi infantium notitia vim suam exerere incipit, recreandi sunt ludis, cantibus: cavendum maxime ne quid triste vel audiant, vel videant; alias redduntur toto tempore vitæ formidolosi. Cohibendi sunt a ploratu vociferativo; per ploratus enim & ejulatus emittuntur spiritus & debilitatur corpus: nec minis, nec verberibus prohibendi sunt a ploratu, sed blanditiis quantum potest fieri.

Prima illa ętate, cum nondum ratio munus suum exerceat, ducaturque infans magis sensibus, quam mente, occupandus est infans picturis videndis, characteribus inspiciendis, exiguisque computationibus numerandis.

In secundo septennio ab anno septimo usq; ad decimum quartum, cum corpus est robustius, & ratio paulo vegetior, sic & nutriri & educari possunt infantes. Primo, quoad corpus, nutriendi sunt cibo crassiori potius quam molli; quia cibus mollior reddit puerorum ingenium iners & stupidum, corpus vero debile & flaccidum. Cibus ita debet esse temperatus, ut nec copia sepeliatur ingenii vigor, nec inopia corpus reddatur infirmum. Vino abstineant, aut si concedatur usus vini, non nisi lymphato utantur; vinum enim, juxta Scripturam, multum potatum & iras concitat, & ruinas multas facit, & a studiis mentem amovet.

Exercendum est corpus ea in ætate cursu, ludo pilari, ut robustiores evadant pueri.

Quoad mentem, debent post elapsum septimum annum facilioribus rebus addiscendis applicari, verbi gratia, characteres dignoscant legendo, efforment scribendo. Postea vero in his exerceantur, quibus in publicis scholis exercentur juvenes. Utrum utilius sit domi, an in scholis erudiatur adolescens, vide Quintilianum lib. 1. cap. 2. eruditionem publicam domesticæ & umbratili præferentem.

Decimo quarto anno usque ad vigesimum primum, corpus nutriendum est cibis adhuc solidioribus: exercendum est cursu, venatione, palestra ut robustius fiat; animus vero difficilioribus disciplinis est instituendus.

Dicant identidem Pædagogi parentibus, nihil esse quod pueris magis noceat, quam victus ætati puerili parum conveniens, tum quoad qualitatem, tum quoad quantitatem.

Exponant Pędagogi parentibus, nihil magis officere puerorum corpori & menti quam vestitus, qui vel mollitiem in carne ingeneret, vel superbiam in animo foveat. *Qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt,* inquit Christus: & proinde longe distant a via, quæ ducit ad vitam: & qui superbe vestiuntur, eam subibunt pœnam, quam patitur dives in inferno sepultus, qui induebatur purpura & bysso.

Non abscondant patribus, quam periculosa sit fratrum societas, si sit aliquis inter illos vitiosus, aut parum docilis. Dicant jussu Dei separatum esse Ismaelem ab Isaco, eo quod ille cum isto lasciviret, inquit versio Tigur. Ostendant, longe periculosiorem esse inter germanos diversi sexus familiaritatem; cujus rei exemplum est Ammonis & Thamar incestuosum commercium.

Non

Non fileant patribus, quam timenda pubescentium puerorum, etiam ejusdem sexus, eodem lecto cubatio; hinc sequi vulgo infanda illa crimina, quæ Paulus enumerat Epist. ad Rom. cap. 1. quæque cælestem ignem in sceleratas urbes invexerunt.

CAPUT VIII.

De mutua obligatione inter supremos Dominos & subditos.

SUpremi Domini sunt illi, qui non agnoscunt superiorem temporalem. Tales sunt Reges, Imperatores, &c.

Subditi sunt hi, qui potestatibus supremis subjiciuntur.

ARTICULUS I.

De debito subditorum erga Reges.

PRop. unica. Subditi debent Regibus amorem, reverentiam, obedientiam, subsidium temporale & spirituale.

Prob. 1. Script. Subditi debent Regibus 1. Amorem, juxta illud: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. ad Rom. 13. v. 9. Ergo a fortiori debent Regem diligere, qui nobiscum tot modis conjungitur: est enim pater, Dominus, Legislator, defensor, &c.

2. Debent honorem, juxta illud: *Deum timete, Regem honorificate*. 1. Pet. c. 2. v. 17.

3. Debent obedientiam. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, inquit Paulus ad Romanos c. 13. v. 1.

4. Subditi debent Regibus subsidium temporale, ut docet idem Apostolus: *Cui tributum, tributum*. ad Romanos c. 13. v. 7.

5. Debent subsidium spirituale, juxta illud: *Orate pro invicem ut salvemini*. Jacob 5. v. 16. Si enim aliis subsidia spiritualia debeamus, a fortiori Regibus, qui nobis tot titulis uniuntur.

2. Ex Tertull. ad Scapulam c. 2. Edit. Pamel. *Christianus*, inquit, *nullius est hostis, nedum Imperatoris, quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut & ipsum diligat, & revereatur, & honoret, & salvum velit ..... Colimus ergo & Imperatorem sic, quomodo & licet nobis, & ipsi expedit, ut hominem Deo secundum. Et quidquid est a Deo consecutum, & solo Deo minorem, hoc & ipse volet. Sic enim omnibus major est, dum solo vero Deo minor est*. Ergo ex Tertul. debemus Regi amorem, reverentiam, &c.

3. *Rat.* Reges sunt parentes, sunt domini, sunt Legislatores, sunt boni publici defensores, ut patet ex titulis, quibus Scriptura eos insigniri vult: ergo quatenus parentes merentur amorem, quatenus domini merentur reverentiam, quatenus Legislatores obedientiam, quatenus defensores boni publici, subsidium & temporale & spirituale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant qui contra Regem internum fovent odium, aut signa dant externa odii contra ipsum: uti fecit Semei contra David insultans ipsi, dum fugeret a facie Absalon.

Debent ergo populi ob amorem Regi debitum,

1. Optare Regi suo benedictionem, uti fecit Jacob Pharaoni. Gen. c. 47. v. 7. Introductus enim coram Rege: *Benedixit illi.... Et benedicto Rege abiit*: uti fecit Daniel Nabuchodonosor, dicens: *Rex, in æternum vive*. Dan. c. 6. v. 21. uti fecit universus populus Sauli, dicens: *Vivat Rex*.

2. Debent Regem periclitantem tueri, uti fecit Abisai erga David. *Præsidioque fuit*, inquit Scriptura, *Abisai filius Sarviæ, & percussum Philisthæum interfecit*, qui processerat, ut occideret David.

3. Debent Regi etiam in rebus non prosperis immobiliter adhærere: uti fecit Cusai in rebellione Absalonis.

4. Debent insidias, si quas norint contra Regem parari, statim prodere: uti fecit Mardochæus. Esther. c. 2.

Consect. 2. Peccant populi, qui justas Principum leges infringunt. *Subjecti igitur estote*, inquit Petrus 1. c. 2. v. 13. *omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti*. Et Hilarius in Psal. 13. approbat, quod præcepta Regis cum honore, ac religione & relegantur, & audiantur.

Debent ergo subditi alacri animo Regis jussa perficere: uti fecit omnis populus erga Josue, dicens: *Omnia, quæ præcipisti nobis, faciemus: & quocumque miseris, ibimus. Sicut obedivimus in cunctis Moysi, ita obediemus & tibi*: Josue c. 1. v. 16. uti fecit exercitus Saulis, qui alacri animo votum de non edendo (nisi post relatam victoriam) fideliter observavit.

Consect. 3. Peccant qui Principibus debitam denegant reverentiam, juxta illud Rom. cap. 13. vers. 7. *Cui honorem, honorem*. Quod officium ita semper cordi habuerunt Christiani, ut ipsi Episcopi Imperatores etiam paganos sanctissimos nuncuparent; quia, ut ait Tertullianus, *Secundi erant a Deo*.

Debent ergo populi, cum sese occasio of-

offert, externis gestibus Regi, & his qui sunt a Rege, suam declarare reverentiam, uti fecerunt filii Jacob erga fratrem Joseph. Gen. 50. *Proni adorantes in terra dixerunt Joseph: servi tui sumus:* uti fecit Bersabee erga Davidem. *Inclinavit se Bersabee & adoravit Regem*. 3. R. c. 1. v. 16.

Consect. 4. Peccant populi, qui Principibus denegant sumptus temporales ad regimen Reipublicæ necessarios, v. gr. tributum, vectigal, census, decimas, demum quæ Regi debentur pro diversa politiæ ratione, juxta illud: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo*. Matth. c. 22. vers. 21. De quo sic legitur in appendice operum Amb. in hæc verba, *cui tributum. Primum ea, quæ sunt potestati Regiæ debita, exsolvi jubet Paulus; quia major in his causa, aut necessitas est.*

Peccant ergo subditi, qui non impendunt ea, quæ Rex exigit vel religionis amplificandæ causa, vel Reipublicæ defendendæ gratia. Id fieri oportere docuerunt Judæi suo exemplo, pendentes Salomoni quæ fuerunt necessaria & pro ædificando templo, & pro struendis munitissimis civitatibus. 3. Reg c. 9.

Consect. 5. Peccant populi, qui Regibus spiritualia subsidia non conferunt, v. g. qui non orant specialiter pro illis; hæc enim fuit continua praxis Christianorum, ut constat ex Paul. 1. ad Timot. c. 2. v. 1. *Obsecro igitur, primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus*, ut patet ex Tertul. Apol. c. 30. *Precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, quæcumque hominis & Cæsaris vota sunt.*

Debent ergo specialiter orare pro Regibus, & quidem ut diversas à Deo pro Rege consequantur gratias.

1. Ut Rex veram Religionem defendat, Dei gloriam & hominum salutem, quantum est in se, promoveat: uti fecerunt Josue, David, Ezechias, &c. pugnando pro sola causa Domini.

2. Ut aboleat falsas sectas, & ritus omnes veræ Religioni adversantes; uti fecit Asa, *Qui abstulit effeminatos de terra, purgavitque omnes sordes idolorum, quæ fecerunt patres ejus*. 3. Reg. c. 15. v. 12. uti fecit Jehu delens progeniem impii Achab, & omnes Sacerdotes Baal: uti fecit Ezechias, qui dissipavit idola & confregit serpentem æreum, qui Judæis erat occasio idololatriæ. 4. Reg. c. 18. v. 4.

3. Ut sublatis & deletis falsis ritibus curet sinceram doctrinam tradi, & propagari: uti fecit Josaphat, qui misit Doctores legis per universam Judæam. 2. Paralip. c. 17. uti fecit Nabuchodonosor, qui gloriam veri Dei prædicavit & blasphemari prohibuit. *Placuit ergo mihi*, inquit, *prædicare signa ejus quæ magna sunt*. Dan. c. 3. v. 100.

4. Ut omnibus subditis pietatis exemplo præluceat: uti fecit David, qui non curans irrisiones uxoris suæ, lætatus est & exultavit coram arca Domini. 2. Reg. c. 6. v. 16. uti fecit Rex Ninivitarum, qui primus in sacco & cinere pœnitentiam amplexus est. Jonas c. 3. v. 6.

5. Ut in omnibus sive in bello, sive in pace Dominum consulat, & purum hauriat de sacro fonte consilium; uti fecerunt pii Reges. Josue Eleazarum consulebat. Num. c. 27. v. 20. David nihil agebat inconsulto Domino. 2. Reg. c. 2. Josaphat, Achab, Edon, Eliseum Prophetam accersierunt: lib. 4. Reg. c. 3. & Ezechias Isaiam, ut eum audirent: 4. Reg. cap. 19. Sedecias Jeremiam consuluit. Jerem. c. 38. v. 14.

6. Ut viros pios ac bonos, & ad regimen idoneos præfectos ordinet, ac constituat: ut fecit Moyses ex consilio Jetro. *Qui providit de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus erat veritas, & qui oderant avaritiam, & constituit ex eis Tribunos, &c.* Exodi c. 18. v. 21.

ARTICULUS II.

De officio Regum.

PRop. unica. Qualis debeat esse Rex tum erga Deum, tum erga seipsum, tum erga populum, habetur Sap. c. 6. cujus hæc sunt verba: *Audite ergo Reges, & intelligite: discite Judices finium terræ, præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est a Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur; quoniam cum essetis ministri regni illius non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende & cito apparebit vobis; quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam; quoniam pusillum & magnum*

ipse

ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam & non excidatis, &c. Alia passim reperiuntur in Scriptura Sacra, ad quam remittimus eum, qui Regis voluerit cognoscere officium.

TRACTATUS DUODECIMUS.

De quinto Decalogi præcepto.

CAPUT I.

Quid prohibeatur jubeaturve illo præcepto: Non occides.

ARTICULUS I.

De fine hujus præcepti, & quibus actionibus violetur.

QUintum præceptum Decalogi ita habet: *Non occides.* Exod. 20. v. 13. & Exod. 21. v. 12. *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur.* Et Gen. 9. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Cui respondet illud Christi apud Matth. *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Finis hujus præcepti est conservatio vitæ corporalis tum nostræ, tum aliorum: præcipiuntur igitur omnia, quæ ad incolumitatem vitæ nostræ, & aliorum pertinent; contra vero prohibentur omnia, quæ ad illicitam destructionem vitæ, tum nostræ, tum aliorum vergere possunt directe, vel indirecte.

Destructionem autem corporis tum nostri, tum proximi, causare possunt illicita percussio, mutilatio, & occisio directa, vel indirecta, ut loquuntur.

Percussio, mutilatio, occisio est directa, quando fit per actionem ad hoc directe ordinatam, v.g. cum quis fuste percutit, gladio mutilat, veneno occidit.

Percussio, mutilatio, occisio est indirecta, quando aliquid omittitur, ad cujus omissionem sequitur percussio, mutilatio, occisio.

Directa percussio, mutilatio, occisio hominis, potest esse illicita tripliciter.

1. Ex parte agentis, defectu auctoritatis: v.g. si ille, qui agit, auctoritatem non habeat supra eum, qui vel percutitur, vel mutilatur, vel occiditur.

2. Ex parte patientis, defectu reatus: scilicet, si ille, qui percutitur, mutilatur, occiditur, sit innocens; numquam enim licet innocenti nocere.

3. Ex parte modi defectu debiti ordinis: scilicet, si illi, qui habent auctoritatem publicam, vel propriam ut Rex, vel delegatam ut judex, miles, carnifex, &c. non servent debitum ordinem juris contra reum.

Indirecta percussio, mutilatio, occisio potest esse illicita dupliciter.

1. Ex immoderata actione: ut cum ex actione aliunde licita sequitur mors præter intentionem agentis, ex eo quod actio sit excedens: v.g. ex defensione immoderata sequitur mors aggressoris, ex immoderata medicina sequitur mors ægroti.

2. Ex culpabili negligentia: ut cum omittitur id, quod quis & potest, & debet facere; ad quam omissionem, præter intentionem omittentis, sequitur vel occisio, vel mutilatio, vel percussio illicita hominis: quæ omnia magis patebunt ex mox dicendis.

ARTICULUS II.

Quinam sunt illi, qui peccant peccato homicidii, vel pertinente ad homicidium.

PRop. unica. Peccat peccato homicidii vel pertinente ad homicidium, quicumque privata auctoritate nocet, vel nocere cupit proximo in bonis corporis... Peccato ex suo genere mortali, si adsit gravitas materiæ, & plena deliberatio.

Prob. 1. Script. *Non vosmetipsos defendentes carissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus.* Ad Rom. 12. v. 19. Ergo peccat quicumque nocere cupit proximo in bonis corporis; & cum hoc ad homicidium sensim disponat, homicidii reus censendus est.

2. Ex August. can. *homicidium* 28. de pœnitent. dist. 1. ubi sic habetur: *Homicidium lege vetitum putabatur non aliud esse, nisi corporis peremptio; aperuit ergo Dominus, omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidii genere deputari.* Ergo homicidii reus coram Deo censendus est quicumque nocere cupit proximo in bonis corporis.

3. *Rat.* Quicumque nocere cupit proximo in bonis corporis agit 1. contra illud, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* 2. Agit contra caritatem, quæ jubet primo, ut Deum super omnia diligamus, nos deinde & proximum propter Deum; quod utique non facimus, si vitæ corporalis tum nostræ, tum proximi destructionem moliamur. 3. Agit contra justitiam, quæ jubet, ut cunctis benefaciamus, nemini vero noceamus. 4. Qui ul-

ultionis ardet desiderio, non vult sibi ignosci, & propriæ condemnationi vertit istud orationis dominicæ: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*. 5. Qui non parcit inimicis non imitatur Deum qui *Solem suum oriri facit super bonos & malos*: non imitatur Christum, qui pro crucifigentibus oravit: non imitatur Sanctos, Job, Joseph, Stephanum, Paulum, &c. qui lubenter inimicis suis pepercerunt. Ergo peccat, &c. cum hæc prava cordis dispositio ad homicidium inclinet, homicidii reus coram Deo censendus est.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat peccato pertinente ad homicidium, qui interius contra proximum odium concipit & fovet; quia odium sensim disponit ad homicidium, juxta illud: *Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est*. Jo. 1. c. 3. v. 15. quia, ut ait Hier. Epist. 36. *Cum homicidium exordio sæpe nascatur, quicumque odit, etiam si nec dum gladio percusserit, animo tamen homicida est*.

Consect. 2. Ejusdem criminis reus est qui exterius irascendo, verbis & nutibus internum odium manifestat; quia ira est dispositio ad homicidium: ita docet Christus: *Audistis, quia dictum est antiquis: non occides... Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit Concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis*. Matth. 5. v. 22.

Consect. 3. Peccato pertinente ad homicidium inquinatur qui acceptam injuriam motivo odii ulciscitur; quia sic se excitat ad injustam proximi læsionem: illud idem docet Christus: *Audistis, quia dictum est: oculum pro oculo, dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo*. Matth. 5. v. 38. & Paulus: *Nulli malum pro malo reddentes*. ad Rom. 12. 17. Et rursus Scriptura clamat: *Qui vindicari vult, a Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit*. Eccles. 28. v. 1.

Consect. 4. Peccat contra istud præceptum, *non occides*, qui proximum injuste percutit: percussio enim viam parat ad homicidium: de hac læsione sic loquitur Deus: *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur*. Exod. 21. v. 12.

Consect. 5. Homicidii proprie reus est qui proximum privata auctoritate interficit: quod peccatum his verbis prohibet Deus: *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius; ad imaginem quippe Dei factus est homo*. Gen. 9. v. 6. Quod peccatum ita exhorret Deus, ut homicidæ etiam involuntarii in lege Mosaica exilio plecterentur, & ad civitates refugii se recipere cogerentur; in lege vero Ecclesiastica publicæ pœnitentiæ per septem annos addicerentur. Hoc innuit Trid. sess. 14. de reform. c. 7. jubens, ut qui id fecerit, ad sacros Ordines sine dispensatione non promoveatur.

CAPUT II.

De injusta læsione corporali proximo illata.

ARTICULUS I.

De his qui peccant peccato homicidii, vel reducto ad homicidium, causando directe vel percussionem, vel mutilationem, vel occisionem corporalem.

PRop. unica. Peccant peccato homicidii, vel pertinente ad homicidium, quicumque corpus proximi injuste lædunt: injuste ... Vel ex defectu authoritatis, quando scilicet, qui agit non habet auctoritatem publicam... Vel ex defectu reatus, quando scilicet, qui patitur est innocens... Vel ex defectu debiti modi, quando scilicet in læsione contra reum non servatur ordo debitus.

Prob. 1. Ex Script. Ut excludatur læsio facta authoritate privata, dicitur: *Vindicta mihi, & ego retribuam*. Ut excludatur omnis læsio contra innocentem, dicitur: *Insontem & justum non occides*. Exod. 23. Ut excludatur immoderata læsio contra reum, dicitur: *Quod justum est, juste exequeris*. Deut. 16. Ergo peccant qui quocumque modo injuste lædunt corpus proximi.

2. Ex Aug. *Qui sine publica administratione maleficum occiderit, velut homicida judicabitur*. Lib. 1. de civ. Dei c. 26. Ergo peccat qui injuste proximum corporaliter lædit.

3. *Rat.* Ut aliqua actio sit licita, debet esse bona ex objecto & ex circumstantiis; quia bonum ex integra causa: ergo ut læsio corporalis inflicta proximo sit licita, debet fieri 1. Contra reum & non contra innocentem; quia innocens non meretur pœnam. 2. Debet fieri authoritate Principis, cujus est gladium portare in vindictam malorum. 3. Debet fieri servato ordine juris; quia quod fit contra ordinem juris injustum est.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. In homicidium positive influunt qui privata authoritate occidunt, mutilant, vulnerant alium hominem, quan-

quantumvis infimæ sortis; quia omni privato homini dicitur: *Non occides*. Ideo Aug. ait Epist. ad Publicolam de occidendis hominibus: *Ne ab eis quisquam occidatur mihi placet consilium, nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur; ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis*. Ideo damnata est hæc propositio a Papa, & a Clero Gallicano art. 27. *Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam*.

Consect. 2. Ad homicidium positive influunt qui tyrannum quemlibet privata auctoritate occidunt; quia subditis dictum est: *Deum timete, Regem honorificate*. Et Conc. Constantiense sess. 15. damnat hanc propositionem tanquam erroneam, hæreticam, & scandalosam: *Quilibet tyrannus potest & debet licite & meritorie occidi per quemcumque vassallum suum vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias, & adulationes, non obstante quocumque præstito juramento, seu confœderatione factis cum eo, non expectata sententia, vel mandato judicis cujuscumque*.

Consect. 3. Ad homicidium pariter positive censentur influere quicumque malitiose vel in se, vel in altero procurant abortum; quia, ut optime ait Tertul. Apolog. 1. c. 9. *Homicidii festinatio est prohibere nasciturum; nec refert natam qui eripiat animam, an nascentem disturbet*. Et Basilius ad Amphil. can. 8. *Itaque & quæ abortum cientia præbent medicamenta, sunt homicidæ; sicut & quæ fœtum necantia venena accipiunt*. Et ita peccant peccato homicidii, 1. Qui conceptum fœtum abigunt, ne virgo deflorata infamiam contrahat. Hanc enim propositionem damnavit summus Pontifex, & Clerus Gallicanus art. 7. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur*. 2. Medici, qui mulieri prægnanti potionem ad procurandum abortum præbent, etiamsi saluti corporali matris aliter subveniri non possit; quia satius est pereat corpus matris, quam quod salus æterna pueri periclitetur. 3. Quicumque dant proximam occasionem abortui: quod ita explicat Antoninus: *Si mulier gravida præter intentionem abortetur, si commisisset ibi notabilem negligentiam, puta, quia nimis saltavit, vel nimis inordinate laboravit, vel propter innatas lascivias, non esset absque peccato mortali. Idem in viro vel alio percutiente eam, unde abortus sequitur*. 4. Qui prægnantibus venam præcipue pedis, inconsulto Medico, aperiunt, unde solet sequi abortus.

Consect. 4. In peccatum ad homicidium pertinens positive influunt parentes, aut alii, qui juvenes etiam consentientes castrant, ut sint utiles cantui: ita fuse D. Th. 2. 2. q. 65. a. 1. in corp. Membrum licite præcidi non potest nisi in duobus casibus, inquit, 1. Authoritate judicis in facinorosum hominem puniendum. 2. Consilio Medici, quod aliter saluti totius corporis subvenire non potest. Non licet membrum sibi mutilare ad vincendas tentationes carnis: ergo a fortiori non licebit ob temporale lucrum.

Consect. 5. In peccatum ad homicidium pertinens positive influunt qui non sibi subditos verberant; immo qui verberant sibi subditos, si modum correctionis excedant: ita docet D. Th. *Verberare aliquem non licet, nisi habenti potestatem aliquam super illum qui verberatur; & quia filius subditur potestati patris, & servus potestati domini, licite potest pater verberare filium, & dominus servum causa correctionis & disciplinæ*. Unde Prov. 15. scriptum est: *Qui parcit virgæ, odit filium suum*: & Eccles. 33. v. 28. *Servo malevolo tortura & compedes*. Audiant tamen utrique verba Pauli. *Patres: Nolite ad iracundiam provocare filios vestros ... Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas: scientes quia & illorum & vester Dominus est in cælis*: ad Eph. 6. v. 9.

Consect. 6. Speciem quandam homicidii positive censentur committere privati, qui contra ordinem juris proximum diu in carcere detinent; quia illud solum pertinet ad judices: de quo ita D. Th. *Detinere hominem ad horam ab aliquo opere illicito statim perpetrando cuilibet licet, sicuti cum aliquis detinet aliquem, ne se præcipitet, vel ne alium feriat: sed simpliciter aliquem includere, vel ligare, ad eum solum pertinet, qui habet disponere universaliter de actibus, & vita alterius; quia per hoc impeditur non solum a malis faciendis, sed etiam a bonis agendis*: 2. 2. q. 65. a. 1. ad 3.

Consect. 7. Ad homicidium positive concurrunt privati omnes, qui contra ordinem justitiæ ad cædes, injuriasque se accingunt mediis ad homicidium tendentibus; quales sunt conjurata armorum gestatio, gladii eductio. Hoc ita determinat D. Th. 2. 2. q. 40. art. 1. in c. *Non pertinet ad personam privatam bellum movere, quia potest jus suum in judicio superioris prosequi; similiter etiam, quia convocare multitudinem, quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad privatam personam*.

Consect. 8. Homicidium dicuntur positive committere judices omnes, qui aliquid attentant contra homines, quantumvis reos, non servato ordine juris; quia inique

que agit Judex hoc ipso quod ordinem juris violat. De quo infra ubi de homicidio per Judicem commisso.

Consect. 9. Homicidium dicuntur positive committere omnes, qui ita cooperantur homicidio, ut ex eorum actione sequatur homicidium: v.g. qui jubent, uti fecit David, qui jussit Uriam occidi: qui consulunt, uti Caiphas, qui suasit Christi mortem: qui consentiunt, ut Paulus, qui erat consentiens morti Stephani: qui hortantur ad mortem inferendam, uti fecit Jesabel, quæ Achab ad occisionem Naboth hortata est, uti fecit & filia Herodiadis, quæ petiit caput Joan. Baptistæ.

ARTICULUS II.

De his, qui peccant peccato homicidii, vel reducto ad homicidium, causando indirecte, ut dicunt, vel percussionem, vel mutilationem, vel occisionem corporalem.

PRop. 1. Peccant peccato homicidii, vel pertinente ad homicidium, quicumque præter intentionem, vel ex illicita actione, vel ex culpabili negligentia, in causa sunt, ut sequatur homicidium, aut læsio aliqua corporalis contra proximum.

Prob. 1. Ex Script. *Non occides*: quæ vox generaliter sumpta vetat omnem læsionem injustam proximi, sive directe, sive indirecte, ut dicunt, causatam.

2. Ex D. Th. Homicidium casuale imputatur ad culpam dupliciter: *cum quis non vitat quod vitare debebat, homicidium incurrit: alio modo, quando non adhibet debitam sollicitudinem*: 2. 2. q. 64. a. 8. in corp

3. *Rat.* Toties voluntarium indirecte commissum imputatur ad culpam, quoties vacatur rei illicitæ, vel non adhibetur debita diligentia; quia tunc effectus censetur voluntarius in causa: Ergo in duobus illis casibus, læsio corporalis proximi, vel occisio illius imputabitur ad culpam.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Toties læsio corporalis, mutilatio, occisio &c. imputabitur ad culpam, quoties actio ex qua sequitur, etiam contra intentionem agentis, est illicita quoad substantiam; agens enim tunc debet sibi imputare quod sequitur ex illa. Sic si quis percusserit mulierem prægnantem, & abortus sequatur ex tali percussione, percutiens erit reus homicidii; quia vacat rei illicitæ.

Sic, si quis dederit gladium furioso, aut ebrio, & furiosus, aut ebrius eo gladio occidant hominem, qui dedit gladium reus erit homicidii; quia vacabat rei secundum se illicitæ.

Consect. 2. Toties læsio corporalis, mutilatio, occisio &c. imputabitur ad culpam, quoties actio, ex qua sequitur etiam contra intentionem agentis, est illicita quoad modum; agens enim tunc debet sibi imputare quod sequitur ex illa.

Sic immoderata defensio sui, aut amicorum, aut rerum, illicitam reddit injusti aggressoris occisionem, aut læsionem corporalem; quia defensio illa est illicita ex modo.

Sic immoderata venatio, incauta sagittæ immissio, incauta equitatio, imprudens equorum calcitrantium relaxatio, imprudens animalium malignantium, & quorumcumque lædere valentium emissio, culpabilem reddit aut læsionem, aut occisionem proximi; quia actio est illicita ex modo.

Sic oppressio infantium in lecto parentum dormientium contra vetitum Ecclesiæ, imputatur ad culpam; quia actio est illicita ex modo: nam etsi licitum sit ponere infantes in lecto propter frigus arcendum, non tamen cum obstat Ecclesiæ vetitum; quia non sunt facienda mala, ut evitetur aliud malum.

Consect. 3. Toties læsio corporalis, mutilatio, occisio &c. imputantur ad culpam, quoties omissio, ex qua sequitur læsio, est culpabilis ob negligentiam; tunc enim omittens debet sibi imputare id quod sequitur ex ejus omissione. Ut autem omissio sit culpabilis, tria debent concurrere, inquit Cajetanus, *posse, debere, & non facere*. 1. Oportet ut omittens possit non omittere; etenim ad impossibile nemo tenetur: Deus enim, inquit Tridentinum, *impossibilia non jubet*.

2. Oportet ut omittens ex præcepto, & non solum ex consilio, teneatur agere; etenim ex Paulo: *Ubi non est lex, ibi non est prævaricatio*.

3. Oportet ut qui ligatur lege, omittat quod præceptum est; quia ubi non est prævaricatio legis, ibi non est peccatum.

Nota ex dicendis ubi de restitutione, quod si omittens peccet contra justitiam, negligens id, ad quod ex officio tenetur, obligabitur ad restitutionem; si vero peccet præcise contra aliam virtutem diversam a justitia, non obligabitur ad restitutionem, sed solum ad pœnitentiam.

Sic mors naturalis imputatur ad culpam ei, qui denegat eleemosynam pauperi in extremis constituto. *Si non pavisti*, inquit Ambr. *occidisti*: & hic peccat contra caritatem; quia ex caritate tenetur dare elee-

eleemosynam, & proinde non obligatur ad restitutionem.

Sic mors violenta, sed manifesta, imputatur ad culpam ei, qui proximum injuste lacessitum non tuetur contra aggressorem. *Qui enim*, ait Ambr. *non repellit a proximo injuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit*: Lib. 1. de officiis c. 36. hic autem peccat contra solam caritatem; quia ex caritate solum tenemur proximo periclitanti pro virili opitulari, & proinde non obligatur ad restitutionem.

Sic mors violenta, aut percussio occulte imminens ex injusto proposito aut consilio iniquorum, imputatur ad culpam ei, qui injustum illud consilium novit, & non impedit vel manifestando, vel obstando; quia non obstat, cum obstare tenetur; non revelat, cum tenetur revelare: & hoc peccat contra caritatem, si solum ex caritate teneatur vel obstare ne fiat illud malum, vel revelare postquam factum est.

Confect. 4. Omnes, quibus ex officio incumbit tueri vitam hominum, & non tuentur, peccant contra justitiam.

1. Peccant; quia ex eorum negligentia culpabili sequitur, ut supponitur, mors, aut mutilatio hominum.

2. Peccant contra justitiam; quia, ut supponitur, tenentur ex officio vitam aliorum tueri. Unde omnes, qui hic subjiciuntur, & peccant non tuendo vitam aliorum, & tenentur ad restituenda damna, quæ ex eorum negligentia oriuntur.

1. Principes, & Magistratus, qui homicidas, latrones, & grassatores comprehendi, in vincula conjici, & secundum leges puniri non curant; quia malos puniri jubet Deus. *Noli quærere*, inquit, *fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates*: Eccles 8. v. 6. & rursus: *Auferes malum de medio tui*: Deut. 13. v. 5. Judicibus illis mollibus dici potest quod dictum fuit Achab 3. Regum cap. 20. vers. 42. *Hæc dicit Dominus*; *quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus*.

2. Testes, qui adversus illos maleficos justum ferre testimonium recusant; quia testari veritatem præcipit Deus. *Si peccaverit anima, & audierit vocem jurantis, testisque fuerit, quod aut ipse vidit, aut conscius est, nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam*: Lev. 5. v. 1. quia, ut ait Aug. lib. 19. de Civ. Dei. *Pertinet ad innocentis officium, non solum nemini malum inferre, verum etiam cohibere a peccato, vel punire peccatum, ut vel ipse, qui plectitur, corrigatur experimento, aut alii terreantur exemplo*.

3. Judices qui damnationem, & occisionem innocentium non impediunt cum possunt, vel injuste damnatos ad mortem non liberant si possit, juxta illud: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*: *& qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses*: Prov. 14. v. 11. Ideo judex, quamvis solus esset, debet injuste aliorum sententiæ, quantum potest, adversari; sic enim judicem præmonet Deus: *Non sequeris turbam ad faciendum malum*: *nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies*: Exod. 23.

4. Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, si ægroti sibi commissi eorum negligentia, vel imperitia moriantur: ita S. Anton. P. 3. tit. c. 11. *Ubi negligentia notabili in curis suis nocent infirmis, semper peccant mortaliter, facientes contra illud*: Non occides. *Non excusantur ex hoc, quod illud non intendant*; *quia voluntarie dant operam, unde hoc sequitur*: *immo etiamsi sequatur sanitas, non excusantur a peccato*; *quia exponunt se periculo peccati mortalis*.

Prop. 2. Non peccant peccato homicidii, vel pertinente ad homicidium, quicumque vacant rei licitæ, & debitam adhibent diligentiam, licet ex tali actione, præter illorum intentionem, sequatur homicidium.

Prob. 1. Ex Script. *Si homicidium factum fuerit fortuito, & absque odio ... liberabitur innocens de ultoris manu*: Num. 35. v. 22.

2 Ex D. T. Th. *Si quis det operam rei licitæ, & debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum*: 2. 2. q. 64. a. 8. in corp.

3. *Rat.* Nemo jure suo utens alteri censetur injuriam facere: ergo in illis circumstantiis homicidium non potest imputari ad culpam.

Confectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. Milites in bello justo possunt occidere innocentes cum hostibus permixtos, quando non possunt innocentes ab hostibus discernere; quia vacant rei licitæ, & debitam, ut supponitur, adhibuerunt diligentiam ad separandos innocentes ab hostibus.

Confect. 2. Lacessitus injuste, potest juxta aliquos authores occidere infantem, quo injustus aggressor se tanquam clypeo præmunit, quando non est alia via evadendi ictus injusti aggressoris; quia, ut supponitur, omnem adhibet diligentiam, ne lædatur infans.

Confect. 3. Mater prægnans periculose ægrotans, quando timetur mors & matris & prolis, potest sumere potionem ordinatam ad sanandam matrem, & expulsivam fœ-

tus nondum animati; quia res est licita, ad quam per accidens solum sequitur expulsio fœtus nondum animati; si tamen fœtus sit animatus, via licita debet conservari, ut baptizetur.

Consect. 4. Respublica passura ab injusto Tyranno integram deletionem, nisi deserat tutelam innocentis, quem tyrannus injuste postulat, ut morti tradatur, potest omittere tutelam illius innocentis; quia talis omissio non est illicita: non enim jubetur defensio privati innocentis cum certo periculo omnium civium Reipublicæ.

Conf. 5. Judex, qui omnibus tentatis non potest eum dimittere quem scit privata scientia innocentem, qui tamen secundum testimonia allegata & probata publice habetur nocens, potest illum innocentem damnare morte; quia ut persona publica vacat rei licitæ, debitamque adhibet diligentiam: ita D. Th. 2. 2. q. 64. a. 6. ad 3. Quomodo in eo casu debeat judex se gerere, vide infra.

CAPUT III.

De occisione, & mutilatione sui ipsius tum positiva, tum negativa, ut dicunt.

ARTICULUS I.

An licita sit directa sui ipsius occisio, vel proprii membri mutilatio.

PRop. unica. Peccat peccato homicidii, vel pertinente ad homicidium, qui actione positiva, vel negativa intendit suiipsius occisionem, vel mutilationem, faciendo aliquod prohibitum, vel omittendo aliquod imperatum, ad quod necessario sequatur vel occisio, vel mutilatio.

Prob. 1. Script. Qui ita se gerit, agit contra illud: *Non occides*. Ergo peccat peccato vel homicidii, vel ad homicidium pertinente.

2. Ex Aug. *Quisquis hominem, vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine tenebitur*: lib. 1. de civ. Dei cap. 21.

3. *Rat.* Qui proprio nocet corpori, diversimode peccat. 1. Agit contra inclinationem naturalem; res enim quælibet amat sui ipsius conservationem. 2. Agit contra justitiam; homo enim non est vitæ suæ dominus, sed tantum custos; ideo non potest pro libito eam prodigere, sed debet eam conservare. 3. Qui nocet proprio corpori, nocet Reipublicæ, cujus est membrum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Sui ipsius cædis rei sunt qui per actionem positivam seipsos occidunt pugione, veneno, inedia, quocumque motivo illud faciant: ita docet Aug. *Hoc dicimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus: neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, vel ut fugiendo molestias temporales, uti fecit Achitophel*: 2. Reg. 18. *& Saul, & Razias, ne incidat in perpetuas: neminem propter aliena peccata, uti fecit nupta impetita a Diocletiano, quæ seipsam occidit, ut copiam sui corporis Diocletiano eriperet, ne hoc ipso incipiat habere peccatum gravissimum proprium, quem non polluebat alienum: neminem propter sua peccata præterita, uti fecit Judas, propter quod magis hac vita opus est, ut possit pœnitendo sanari: neminem velut desiderio vitæ melioris, quæ post mortem speratur, uti fecit Cleombrotus; quia reum suæ mortis melior post mortem vita non suscipit*: lib. 1. de civ. Dei c. 26. Ideo jussu Ecclesiæ privantur sepultura Ecclesiastica qui seipsos occidunt. Samson vero, & alii Sancti, qui dicuntur seipsos occidisse, id fecerunt ducti speciali inspiratione; unde in eo mirandi potius, quam imitandi, ut ait Aug. ibidem. Unde etiam non excusantur infirmi, qui respuunt medicamina vulgaria, quando spes salutis adest.

Consect. 2. Sui ipsius mutilationis rei sunt qui seipsos mutilant, v. g. amputant manus, pedes, &c. non enim licet mutilare se, nisi quando abscissio membri est ad salutem totius corporis necessaria, ut dicit D. Th. his verbis 2. 2. q. 65. artic. 1. in cor. *Mutilare autem non est licitum alicui privatæ personæ, etiam volente illo, cujus est membrum; quia per hoc fit injuria Communitati, cujus est ipse homo, & omnes partes ejus. Si vero membrum propter putredinem sit totius corporis corruptivum, tunc licitum est de voluntate ejus, cujus est membrum, præscindere propter salutem totius corporis; quia unicuique commissa est cura propriæ salutis.*

Consect. 3. Sui ipsius mutilationis rei sunt qui seipsos castrant ad vitandam incontinentiam: de quo ita D. Th. 2. 2. q. 65. a. 1. ad 3. *Saluti spirituali semper potest aliter subveniri, quam per membri præcisionem; quia peccatum subjacet voluntati.* Sancti autem Patres abscissionem illam reprobant; quia, ut ait Chrysostom. concupiscentia non fit per eam mansuetior, sed ardentior. Et Basil. *Juvat esse castos, & non infirmos.* Improbatumque semper fuit ab Ecclesia factum Origenis se ipsum castrantis indiscreto amore castitatis.

Et Canon primus Nicænus a Clero rejicit qui seipsos absciderunt ; admittit solum eos, qui vel inviti a barbaris, vel ad vitandum morbum a Medicis abscissi sunt.

Consect. 4. Cujusdam quasi mutilationis & occisionis rei sunt qui passionibus se reddunt impotentes ad generationem ; quia privare se hac via exercitio potentiæ generativæ, est quædam occisio & mutilatio : de quo ita Cæsarius Arelat. *Mulier autem quæcumque fecerit hoc, per quod jam non possit concipere, quantoscumque poterat parere, tantorum homicidiorum se ream esse cognoscat.*

Consect. 5. Sui ipsius cædis rei sunt qui per crapulam, ebrietatem, libidinem, aliasque passiones vitam sibi vel minuunt, vel eripiunt : quos ita præmonet Script. *In multis escis erit infirmitas... propter crapulam multi obierunt : qui autem abstinens est, adjiciet vitam:* Eccl. 37. v. 33.

Consect. 6. Præmaturæ sui ipsius cædis rei etiam sunt qui nimia abstinentia, longioribus vigiliis ex indiscreto zelo sibi vel mortem accelerant, vel valetudinem minuunt ; quia debilitandum est corpus, ne rebellet ; sed non destruendum, ne pereat : cuilibet enim dictum est : *Noli destruere opus Dei*. Ideo ait D. Th. quol. 5. a. 18. *Vigiliæ, jejunia, carnis maceratio, adhibenda sunt cum quadam censura rationis : ut scilicet concupiscentia devitetur, & natura non extinguatur, secundum illud ad Romanos :* Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, *& postea subdit*, rationabile obsequium vestrum. *Si vero aliquis in tantum virtutem naturæ debilitet per jejunia, & vigilias, & alia hujusmodi, quod non sufficiat debita opera exequi, puta, Prædicator prædicare, Doctor docere, cantor cantare, & sic de aliis, absque dubio peccat : sicut etiam peccaret vir, qui nimia abstinentia se impotentem redderet ad debitum uxori reddendum.*

Consect. 7. Sui ipsius cædis rei etiam sunt, 1. Qui se exponunt probabili mortis periculo : quales sunt illi, qui exercent hastiludium, torneamentum, taurorum agitationes. Hastiludium fit, cum armati equites duo contra incedunt. Torneamentum, cum milites ad virium ostentationem inter se concurrunt. Taurorum agitatio est, cum homines contra tauros decertant. Illa ut plurimum fiunt cum probabili mortis periculo : prohibentur Jure Canonico sub gravibus pœnis : & qui in tali exercitio moriuntur, licet pœniteant, privantur Ecclesiastica sepultura. Ita enim legitur cap. *Felicis*, de torneamentis. *Si quis eorum ibi mortuus fuerit, quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepultura*, si accessit animo pugnandi ; minime vero si accessit alia causa, puta, ut debita sibi exigeret, ut explicat caput *Ad audientiam*, ibid.

ARTICULUS II.

De indirecta occisione sui ipsius, & proprii membri mutilatione.

Certum est, illicitum esse intendere directe sui ipsius mutilationem, vel occisionem : sed videamus an licitum sit, immo aliquando necessarium, sui ipsius occisionem, vel mutilationem permittere.

Prop. 1. Homo potest, nedum citra peccatum, immo laudabiliter exercere aliquos virtutis actus, ex quibus prævidet secuturam sui ipsius mortem, aut mutilationem vel ex causis naturalibus, vel ex causis liberis.

Prob. 1. Scriptura. Licet Paulus videret imminere sibi vincula, immo mortem, si adiret Jerusalem, ait : *Nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consummem cursum meum :* Act. 20. v. 24. Ergo licet vitam exponere in laudabili virtutis exercitio.

2. Ex D. Th. *Ad fortitudinem pertinet, quod aliquis ab alio mortem pati non refugiat propter bonum virtutis, & ut vitet peccatum :* 2. 2. q. 64. a. 5. Patet hoc ex Eleazaro, qui dedit se, ut liberaret populum suum, & acquireret sibi nomen æternum, quando scilicet ab Elephante oppressus, suo sepultus est sub triumpho.

3. *Rat.* Quilibet potest citra peccatum, immo maxima cum laude, virtutem exercere, licet per accidens ex tali exercitio sequatur mors, aut mutilatio ; quia quilibet potest uti jure suo, & quia præsens vita temporalis parvi facienda est, ut obtineatur futura vita in æternum duratura.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ut homo exerceat caritatem, potest se sequentibus periculis prudenter exponere, licet ex his ejus occisio, aut mutilatio prævideatur forte futura : v. g. Medicus potest tempore pestis pestiferos curare. Privatus quilibet potest eisdem ægrotis servire. Sacerdos potest eisdem Sacramenta ministrare. Concionator potest infidelibus fidem prædicare, etiam cum vitæ dispendio. Quilibet homo potest flammis se exponere, ut baptizet puerum sine baptismo moriturum ;

quia

quin in his omnibus casibus caritas exercetur: quæ, ut ait Apost. *non quærit quæ sua sunt*. Item homo privatus, nec Reip. nec familiæ suæ necessarius, ab ipso aggressore lacessitus, potest sui ipsius occisionem permittere, si probabiliter putet se esse in statu gratiæ, potius quam occidere aggressorem, ut sic vitam suam Deo offerat, & impio aggressori tempus pœnitendi non adimat. Item mater prægnans, periculosissime ægrotans, si spes affulgeat conservandi prolem, ut baptizetur, potest sui ipsius occisionem corporalem permittere, ut æterna salus ipsi proli nascituræ procuretur.

Consect. 2. Homo reus, ex amore justitiæ potest vel se judici offerre, vel detentus in carcere in eo permanere, cum etiam offert se occasio exeundi, etsi prævideat hinc secuturam ejus mortem; quia virtutem exercet qui non refugit mortem, quam suis sceleribus promeruit.

Consect. 3. Homo ex amore temperantiæ potest se temperare a cibis delicatioribus ad tuendum corpus infirmum necessariis, modo utatur communibus: & ita fecerunt plures Sancti. Carthusianus potest abstinere ab esu carnium, licet judicio Medicorum judicentur ad vitam conservandam necessariæ: primus enim exerceret virtutem temperantiæ: secundus vero mavult perdere vitam quam obedientiam.

Consect. 4. Ex amore castitatis potest homo omnino a matrimonio abstinere, etsi ad sanitatem corporalem conduceret. Ita fecerunt plures Sancti, qui vitam brevi perituram parvi fecerunt, ut castitatem conservarent. Item & ex pudore rationali potest virgo non permittere inspectionem membrorum genitalium Chirurgo, licet forte esset necessaria ad curationem; sed in hoc sequendum judicium prudentis Confessarii.

Consect 5. Potest quis ex amore pœnitentiæ, aut majoris perfectionis causa, religiosum statum, aut austerum vitæ genus amplecti, quamvis sciat vitam ipsius inde fore breviandam: ideo enim nedum vituperantur, immo laudantur antiqui pœnitentes, de quibus loquitur Climacus, licet stupendis pœnitentiis corpus affligerent; quia virtutis motivo ducebantur.

Consect. 6. Potest religiosus ex amore paupertatis negligere remedia, quæ sine ingenti pecunia haberi non possunt, modo utatur communibus, quamvis hæc ingentis pretii remedia sanitatem essent allatura; quia id præstat amore veræ virtutis. Item paterfamilias, qui non est Reipublicæ necessarius, potest ea remedia negligere, quæ habere non potest nisi familiam ad extremam paupertatem redigendo; quia agit tunc motivo virtutis, scilicet ex amore erga familiam.

Prop. 2. Homo non potest agere, aut omittere aliquid, ex quo etiam præter intentionem agentis prævidetur secutura occisio, aut mutilatio, si talis actio, aut omissio non conjungatur cum veræ virtutis exercitio.

Prob. 1. Script. Ad solum Deum pertinet judicium mortis & vitæ. *Ego occidam, & ego vivere faciam:* Deut. 32. Ergo homo non potest extra veræ virtutis exercitium vitam suam vel positive, vel negative, ut dicunt, exponere.

2. Ex D. Th. *Quod aliquis sibi ipsi inferat mortem, ut vitet mala pœnalia, habet quidem quamdam speciem fortitudinis... non tamen est vera fortitudo, sed magis mollities animi, non valentis mala pœnalia sustinere:* 2. 2. q. 64. a. 5. ad 5. Idem docet Aug. de civit. Dei lib. 1. c. 13. Ergo non licet extra veræ virtutis exercitium aliquid moliri quod mortem inferat.

3. *Rat.* Homo nullum jus habet agendi contra propriam vitam, aut illius curam omittendi, in his casibus, in quibus non vera, sed falsa virtus exercetur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Homo ad ostentandam falsam constantiam non potest mortem sibi consciscere vel ferro, vel veneno, vel præceps ruendo in aquam, in ignem, vel ultro exponendo se ferocibus bestiis, aut furiosis hominibus, aut ignem in pulverem tormentarium immittendo, ex quo sine ulla evasionis spe ruitura sit aut arx, in qua ipse est cum aliis, aut comburenda navis, in qua ille vehitur cum aliis; quia ibi furor est, non constantia.

Consect. 2. Homo etiam juste damnatus, aut morte, aut inedia non potest aut sibi mortem inferre, aut oblatum cibum non sumere; quia non prudens, sed imprudens esset hæc obedientia: ita D. Th. *Nullus ita condemnatur, quod ipse sibi inferat mortem, sed quod ipse mortem patiatur; & ideo non tenetur facere id, unde mors sequatur... sicut etiam si aliquis condemnatus sit, ut fame pereat, non peccat, si cibum sibi occulte ministratum sumat; quia non sumere, esset seipsum occidere:* 2. 2. q. 69. a. 4. ad 2.

Consect. 3. Homo non potest ad experiendam virtutem theriacæ toxicum epotare; quia experimentum illud circa aliquod brutum

tum & prudentius, & tutius potest fieri; & experimentum illud factum circa homines, insania est & non prudentia.

Consect. 4. Nullum est motivum, quo liceat personæ vel privatæ, vel publicæ se ipsam interficere, puta v. g. ne occidatur ab hostibus, vel ne cadat in eorum manus, vel ut vitet captivitatem, aut ignominiam; quia, ut ait Poeta etiam Ethnicus:

Dic, rogo, num furor est, ne moriare, mori?

ARTICULUS III.

Quandonam ex præcepto permittenda est sui ipsius occisio.

PRop. Toties permittenda est ex præcepto sui ipsius occisio, quoties illud exigit bonum universale vel Religionis, vel Reipublicæ.

Prob. 1. Script. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; sed potius timete eum, qui potest animam perdere in gehennam.*

Idest, lubenter mortem corporis potius patimini quam damnationem animæ subeatis. *Quia qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*

2. Quando violatio legis conjungitur cum dispendio boni universalis vel Religionis, vel Reipublicæ, tunc oportet legem observare, etiam cum propriæ vitæ dispendio; quia satius est bonum particulare perire, quam universale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quoties causa Religionis postulat, ut vitam nostram offeramus, debemus sponte pati nos occidi. Ita fecerunt illi, de quibus Paulus loquitur: *Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt, &c.* ad Hebr. 11. v. 37. *Non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem*. Ita fecerunt omnes Martyres.

Consect. 2. Quoties bonum publicum postulat, ut vitam nostram offeramus, tenemur eam offerre: ita fecit Eleazarus, cum pro patria gloriosam mortem oppetiit: ita fecit & Samson, cum Philistheos una cum semetipso, concutiendo columnam, oppressit: Jud. 16.

Sic milites debent pro salute totius Reipublicæ periculosas stationes tueri, etiam cum vitæ dispendio.

Sic, si bonum Reipublicæ postulet, debent, etiamsi spes salvandi seipsos non affulgeat, turres pulvere tormentario eruere, naves, quibus vehuntur, inflammare, ut impediant, ne aut arces, aut naves hostibus serviant.

Consect. 3. Damnatus juste a judice, debet sustineri patienter, & non renitendo, quidquid judex præscripserit; quia bonum universale exigit, ut malefici puniantur. *Aliquis*, inquit, D. Th. *damnatur ad mortem dupliciter. Uno modo juste, & sic non licet condemnato se defendere. unde relinquitur, quod ex parte ejus sit bellum injustum, unde indubitanter peccat. Alio modo injuste, & tali judicio licet resistere, sicuti latronibus*: 2.2. q 62. a. 4.

Consect. 4. Juxta multos, si quis etiam innocens postuletur injuste a Tyranno minitante totius Reipublicæ excidium, nisi tradatur innocens; tunc qui petitur, debet permittere se tradi, immo offerre se: satius enim est, ut privatus homo, licet innocens, pereat, quam tota Respublica destruatur; tunc enim esset maxime nocens, si pro totius Reipublicæ conservatione nollet vitam suam exponere: exemplo enim Jonæ debet dicere: *Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare a vobis; scio enim ego quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos*: Jonas cap. 1. v. 12.

ARTICULUS IV.

Quandonam ex præcepto tenemur mutilationem in nobis permittere.

PRop. Toties debemus mutilationem, id est membri abscissionem, permittere, quoties id exigit aut ordo justitiæ, aut bonum universale Reipublicæ, vel Religionis.

Prob. 1. Script. *Oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede:* Exod. 21. v. 24. Ergo judex potest aliquando damnare reum pœna mutilationis: ergo tunc reus debet huic pœnæ se subjicere.

2. Ex D. Th. *Sicut per publicam potestatem aliquis licite privatur totaliter vita propter aliquas majores culpas, ita etiam privatur membro propter aliquas culpas minores*: 2.2. q. 65. a. 1. in corp.

3. *Rat.* Homo juste damnatus debet mortem subire: ergo & mutilationem. Homo pariter tenetur mortem pati, cum id exigit bonum universale Reipublicæ, aut Religionis: ergo & mutilationem.

Con-

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Homo tenetur toties pati mutilationem in suo corpore, quoties authoritate judicis ea pœna damnatur, sive damnetur juste a legitimo judice in pœnam alicujus delicti, sive injuste a Tyranno in odium Religionis; quia in primo casu id exigit ordo justitiæ, in secundo bonum Religionis.

Consect. 2. Homo debet pati mutilationem in suo corpore, quoties hæc judicio prudentum existimatur absolute necessaria ad totius corporis conservationem; quia homo non ita est dominus vitæ, ut possit citra peccatum permittere totum corpus per membrum putridum corrumpi.

CAPUT IV.

De occisione, mutilatione, & percussione factis authoritate publica.

ARTICULUS I.

De occisione facta expresso Dei jussu.

PRop. Occisio hominis facta jussu Dei non est peccatum.

Prob. 1. Script. *Ego occidam, ego vivere faciam:* Ergo cum Deus sit Dominus vitæ nostræ, potest pro libito occidere, vel conservare hominem.

2. Ex Aug. lib. 1. de civ. Dei cap. 21. *Nequaquam contra hoc præceptum egerunt, quo dictum est,* non occides, *qui Deo authore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis, secundum ejus leges, hoc est, justissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt.*

3. *Rat.* Quia cum Deus vitæ ac necis omnium dominus sit, potest morti addicere quos libuerit: & hoc vel præcise ratione supremæ authoritatis, quam habet supra omnia, vel in pœnam peccati vel originalis, vel actualis. Ideo Abraham paratus filium suum occidere, nedum vituperatur, quin immo laudatur a Deo. *Nunc*, inquit Angelus, *cognosco, quod timeas Dominum.* Ideo etiam laudatur Tribus Levi, quod Judæos fornicantes jussu Dei occiderat. *Consecrastis manus vestras hodie Domino, unusquisque in filio, & in fratre suo, ut detur vobis benedictio*: Exod. 32. Sic Moyses ex inspiratione Dei licite occidit Ægyptium, & Phinees filium Zambri: Num. 25. Samuel Agag, Elias Sacerdotes Baal.

Monit. Hæc propositio inservit ad excusandos eos, qui jussu Dei occiderunt. Sed nulli potest esse regula operandi; quia post stabilitam, ut jam est, Christi Religionem, privatæ revelationes, contrariæ expresso Dei præcepto, censeri debent illusiones.

ARTICULUS II.

De occisione facta authoritate judicis.

PRop. Judex non intrusus, sed legitimus, potest & debet, non motivo vindictæ, sed amore justitiæ, damnare justo supplicio, non innocentem, sed reum accusatum, & convictum.

Prob. 1. Script. Qui enim dixit privato homini: *Non occides*, dixit judici: *Maleficos non patieris vivere*: Exod. 22. *Est enim minister Dei, vindex in iram ei, qui malum agit*, ut docet Paulus ad Rom. 13. 4. Ergo debet malos juxta mandatum Dei punire.

2. Ex Aug. epist. ad Macedonium 153. alias 54. *Si non liceat judici malefactores occidere, frustra instituta sunt potestas Regis, jus gladii, cognitores, ungulæ carnificis, arma militis, disciplina dominantis, severitas etiam boni patris. Habent ista omnia modos suos, causas, rationes, utilitates. Hæc cum timentur, & coercentur mali, & quietius inter malos vivunt boni.*

3. *Rat.* Magistratus debent imitari Davidem, qui de seipso ait: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, ut disperderem de civitate Dei omnes operantes iniquitatem*: Psal. 100.

4. Bonum commune, nimirum tranquillitas Reipublicæ, debet longe præponderare vitæ nocentium: & ita bonum est, ut per mortem abscindantur, qui nos conturbant, & tanquam membra pestifera a judicibus, quasi totidem prudentibus Medicis, recenseantur, ut patet ex multis sanctorum virorum exemplis.... Moyses jussit Judæos idololatras occidi: Exod. 22. & Principes Judæorum cum feminis Madianitis fornicatos patibulo suspendit. Phinees Sacerdos virum cum scorto Madianitide commixtum interfecit, zeloque suo Sacerdotium familiæ suæ in perpetuum promeritus est. Quibus exemplis patet, bonum esse occidi maleficos, ut mali formidine pœnæ a peccato deterreantur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. De judice intruso. Judex intrusus peccat, qui hominem quantumvis reum damnat; quia non servat ordinem juris: etenim injustum est, quod aliquis judicetur ab eo,

eo, qui publicam authoritatem non habet: ita Concil. Later. sub Innoc. III. can. 44. & D. Thom. dicit: Peccat, *quando homo judicat in his, in quibus non habet authoritatem; & sic dicitur judicium usurpatum*. 2. 2. q. 60. a. 2. in C.

Consect. 2. De judice legitimo reum absolvente. Peccat judex etiam legitimus, qui vel flexus precibus, vel territus minis, vel corruptus muneribus, non damnat hominem reum; teneturque restituere damna omnia, quae ex impunito scelere nascentur: ita docere videtur Script. 3. Reg. cap. 20. *Haec dicit Dominus, quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus*.

Consect. 3. De judice, qui non agit amore justitiae. Peccaret judex etiam legitimus, qui hominem reum damnaret, ut irae vel propriae, vel alienae serviret, vel ut pecuniam facilius obtineret: ita docet D. Th. *Ad hoc autem, quod judicium sit actus justitiae, tria requiruntur. 1. Quod procedat ex inclinatione justitiae, &c. quando autem est contra rectitudinem justitiae, dicitur judicium perversum vel injustum*. 2. 2. q. 60. art. 2. in C.

Consect. 4. De judice, qui damnat innocentem. Peccat judex legitimus, qui innocentem damnat; quia, quatenus homo, habet jus universale ad vitam, & quatenus innocens, habet jus speciale; quia vir probus bonum Reipublicae promovet. Quomodo vero debeat se gerere judex, & carnifex erga innocentem falso accusatum, accipe a D. Thom. 2. 2. q. 64. art. 6. ad 3. *Dicendum, quod judex, si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes, ut inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit: si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere judicandum. Si autem nec hoc potest, non peccat, secundum allegata ferens sententiam; quia ipse non occidit innocentem, sed illi, qui eum asserunt nocentem. Minister autem judicis condemnantis innocentem, si sententia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire; alias excusarentur carnifices, qui Martyres occiderunt: si vero non contineat manifestam injustitiam, non peccat praeceptum exequendo; quia ipse non habet discutere superioris sententiam, nec ipse occidit innocentem, sed judex, cui ministerium exhibet*.

Consect. 5. De judice, qui damnat reum ante legitimam accusationem. Peccaret judex etiam legitimus, qui hominem, etsi reum, damnaret ante legitimam accusationem, quia non servaret ordinem juris: ita D. Thom. 2. 2. q. 6. art. 3. in C. *Judex est interpres justitiae: homines enim*, ait Phil. *ad judicem confugiunt, sicut ad quamdam justitiam animatam. Justitia autem non est ad seipsum, sed ad alterum: & ideo oportet, quod judex inter aliquos duos dijudicet, quod quidem fit, cum unus est actor, & alius reus: & ideo in criminibus non potest aliquem judicio condemnare, nisi habeat accusatorem, ut dicitur* Act. 25.

Nota tamen, ut addit D. Thom. ibidem ad 2. *Quod evidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris, ut dicitur* cap. *Evidentia*, de accusatoribus. Ideo licite aliquando rei in flagranti crimine suspenduntur, & bannitos aliquando ex jussu Principis licet cuilibet privato occidere; quia notorium facti vices supplet accusatoris, testium, & juridicae condemnationis.

Consect. 6. De judice reum damnante ante convictionem juridicam. Peccaret judex, qui hominem, etsi reum, condemnaret ante juridicam criminis objecti convictionem; quia non servaret ordinem juris: ita jubet Script. Paralipom. 19. 6. *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite*. Eo spectat etiam inquit D. Thom. illud Pauli Act. 25. *Non est consuetudo Romanis damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, praesentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina, quae ei objiciuntur*. 2. 2. q. 67. art. 3. in C. Hinc docet Cajetan. *V. homicidium*, reos esse homicidii eos, qui, nullo servato juris ordine, jussu Principis aut Magnatis aliquem secreto occiderent vel gladio, vel veneno, etiamsi esset laesae majestatis reus: quia, inquit, hoc jubere non potest Rex absque scientia publica; scientia autem publica non est nisi tripliciter, scilicet vel ex propria confessione judiciali, vel ex notorio facto, vel ex probatione judiciali. Si tamen processus judicialis occasio esset rebellioni, tunc reus posset sine illo processu licite occidi.

CAPUT V.

De percussione, mutilatione, & occisione factis authoritate privata.

ARTICULUS I.

An & quando liceat privata authoritate pro defendenda vita iniquum aggressorem occidere.

PRop. unica. Homo privatus, cui injuste infertur violentia ad mortem usque, si non sit alia via conservandi propriam vitam, potest in actuali conflictu, secluso affectu vindictæ, cum moderamine inculpatæ tutelæ, iniquum aggressorem occidere, non intendendo mortem aggressoris, sed sui defensionem.

Prob. 1. Scriptura Exod. cap. 22. v. 2. *Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.* Ubi notant Interpretes, quod eo textu non destruitur, sed astruitur lex illa hominibus naturaliter insita, qua licitum credimus vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ.

2. Ex Cyril. lib. 1. in Joannem c. 35. ubi satis aperte indicat, quibuscumque hominibus licitum esse vitæ aggressorem interimere; sic enim habet: *At unde nam Petro gladius? Respondebimus vero, cum juxta legem vim vi repellere liceret, ferro quoque uti per legem licuisse. Quid enim ferro quispiam invadat immerentes? quomodo ulcisci poterunt injuriam ferro destituti?* Ergo licet ferro uti contra injustum aggressorem: ergo & eum occidere, si mortem nostram moliatur.

3. Ex jure civili lib. 1. tit. 1 ff. l. 3. *Jure hoc venit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur.* Et in l. 3. cap. ad legem Corn. de Sic. Gordianus dicit: *Si quis percussorem ad se venientem gladio repulerit, non ut homicida tenetur; quia defensor propriæ salutis in nullo peccasse videtur.* Et l. 2. idem ait: *Si quis aggressorem vel quemcumque alium in dubio vitæ discrimine constitutus occiderit, nullum ob id factum calumniam metuere debet.*

4. Ex jure Canon. ubi sic loquitur Innocen. III. cap. *Significasti*, extra de homicidio: *Vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittunt; modo tamen fiat cum moderamine inculpatæ tutelę, & non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam.* Tunc enim Respublica censetur privato contulisse authoritatem occidendi iniquum invasorem. Ergo licet occidere iniquum invasorem, servato moderamine inculpatæ tutelæ.

5. Ex Catechismo Trid. *Si quis*, inquit, *defendendæ salutis suæ causa, omni adhibita cautione, alterum interemerit, hac lege, Non occides, non teneri satis apparet.*

6. Ex Catechismo Concilii Coloniensis de 5. Decalogi præcepto, ubi sic habetur: *Vertunt etiam quidam in quæstionem, num lex civilis, quæ homini privato vim repellere concedit, pugnet cum Evangelio. Nos putamus non pugnare, sed licere capitis periculum intentantis exitio depellere; si tamen certa mors intenditur, nec est allud effugium. Nam cum eo casu certo quodam ordine & modo, quem lex præscribit, magistratus vim vi depellere concedat, videbitur invadens hoc ordine & modo occisus, magis ipsius magistratus quam privata auctoritate occisus..... Oportet autem, ut omnis affectus lædendi invasorem penitus absit.*

7. *Rat.* Actio defendentis se, etiam occidendo aggressorem, ex nullo capite est mala. 1. Non est mala ex fine; quia, ut supponimus, non intendit occidere aggressorem, sed propriam vitam conservare, quo nihil æquius: peccaret quippe mortaliter, si mortem inimici intenderet, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 7. *Illicitum est, quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat, nisi ei, qui habet publicam authoritatem.* 2. Non est mala ex morte aggressoris; quia mors aggressoris contingit vel contra, vel præter intentionem defendentis, ex sola malitia aggressoris irruentis in arma defendentis se. 3. Non est mala ex circumstantiis; quia defensio fit moderate. Tunc vero servatur moderamen inculpatæ tutelæ, cum vim similem simili vi repellimus, arma armis, fustes fustibus, pugnos pugnis opponentes, ut ait Bartolus. Præterea nihil magis quieti & humanæ paci adversaretur, quam si scelerati possent quoslibet absque ulla resistentia occidere: Ergo licet injustum aggressorem, servatis prædictis circumstantiis, occidere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Contra eos, qui licitum putant occidere quemcumque injustum aggressorem, etiamsi non inferat violentiam vitæ nostræ. Non licet occidere eum, qui non infert veram violentiam vitæ nostræ, v. g. eum, qui minatur solum, eum, qui leviter percutit, &c. quia in his omnibus casibus non infertur violentia vitæ nostræ: lex enim Civilis & Canonica non excusant occisionem aggressoris, nisi

nisi cum violentia infertur usque ad mortem. *Si metu mortis quis occiderit*, inquit Ulpianus L. 5. ff. ad legem Aquiliam. *Si tamen certa nostri mors intenditur, nec aliud est effugium*, inquit Catechis. Colon.

Consect. 2. Contra eos, qui putant licitum esse occidere injustum accusatorem, falsos testes, &c. Non licet occidere falsum accusatorem, falsos testes, iniquos judices nobis mortem machinantes; quia talis violentia non ita urget, ut aliter quam per mortem aggressoris vitari nequeat, v.g. fuga, & appellatione ad superiores judices, firma in Deum protectorem innocentiæ fiducia. Ideo damnata est hæc propositio ab Alexandro VII. & a Clero Gallicano art. 7. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, aut etiam iniquum judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via innocens damnum evitare non potest*.

Consect. 3. Contra eos, qui licitum putant occidere justos aggressores. Non licet occidere eos, qui juste vim inferunt, v. g. ministros justitiæ, qui nituntur hominem vel accusatum, vel damnatum detrudere in carcerem, aut pœnas determinatas infligere: *qui* enim, inquit Paulus, *resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Ideo damnata est a Clero Gallicano a.7. sequens propositio. *Ubi est scripta expressa permissio a Deo, ut Reges & Respublicæ possint interficere reos? an est in Scriptura? an in traditione? est ne fidei articulus? Si solo lumine naturali eo ducimur, patere ut ex eodem lumine naturali judicemus, quid cuique privato liceat in occidendo aggressore non solum vitæ, verum etiam honoris, & rei*.

Consect. 4. Contra eos, qui licitum putant occidere eos, qui mortem nostram machinantur. Non licet occidere eos, qui non sunt accincti ad occidendum, sed solum mortem nostram meditantur; quia nondum infertur nobis violentia. Ideo damnatæ sunt a summo Pontifice, & a Clero Gallic. a. 7. seq. propositiones. *Quando quis decrevit te occidere, & hoc alicui manifestaverit, sed nondum cœpit id exequi, potes eum prævenire, occidendo, si aliter non potes effugere: ut si maritus pugionem habeat sub cervicali ad occidendum noctu conjugem: si quis venenum tibi propinandum paraverit: si Rex unus adversus alium classem adornavit: si arma quidem necdum paravit, sed tantum habet decretum firmum & efficax te occidendi, quod tibi vel revelatione divina, vel manifestatione confidenter amicis facta innotescat, potes prævenire; quia per istud decretum, etsi pure internum, sufficienter censetur aggressor*.

Quod adeo rectæ rationi adversatur, ut Pagani ipsi id defensionis genus damnaverint. Insignis est apud Gellium hæc sententia. *Hominum autem vita, non tam iniquis, neque tam indomitis necessitatibus circumscripta est, ut idcirco prior injuriam facere debeas, quam nisi feceris pati possis*. Et apud Ciceronem citatum a Quintil. lib. 5. de refutatione hæc leguntur: *Quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum jure potuerit occidere, a quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur?* ita apud Grotium lib. 2. de jure belli & pacis cap. 1. num. 5.

Consect. 5. Contra eos, qui volunt licitum esse occidere injustum aggressorem, non solum in actuali aggressione, sed etiam post aggressionem. Non licere occidere eum, qui olim voluit nos occidere, sed jam non aggreditur; quia hæc actio non esset defensio, sed vindicta a Christo damnata.

Item non licet repercutere eum, qui nos percussit, & jam cessat a percussione; quia hæc actio non esset defensio, sed injusta vindicta.

Consect. 6. Contra eos, qui volunt licitum esse occidere aggressorem, cum vitæ nostræ possumus aliter consulere, v.g. per fugam, &c. Non licet occidere aggressorem, si aliter possis conservare vitam, v.g. fugiendo, eludendo ictus, debilitando invasorem, vulnerando, ligando; quia non licet occidere, nisi cum alia non suppetit via. *Si aliquis*, inquit D. Th. *ad defendendam propriam vitam utatur majori violentia, quam oporteat, erit illicitum; si vero moderate violentiam repellat, erit licita defensio*. 2. 2. q. 64. a. 7.

Consect. 7. Contra eos, qui volunt illicitum esse occidere injustum aggressorem, servato etiam moderamine inculpatæ tutelæ. Licet occidere injustum aggressorem, qui nititur nos occidere; quia, ut ait D. Th. *non est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandum occisionem alterius; quia potius tenetur vitæ suæ providere, quam alienæ*. D. Thom. 2. 2. q. 64. a. 7. in C.

Verum cum sint plurima, inquiunt Patres Concilii Coloniensis, *ad observandum hunc ordinem & modum*, inculpatæ tutelæ.... *idcirco nos homini Christiano suaserimus, ut in ea angustia ante omnia Dei auxilium imploret, quod sæpe propinquius est quam credimus, quando legimus & draconem, ejus cujus fuerat olim alumnus, clamore excitatum accurrisse, & a latronibus liberasse; quod si interim Deo visum non sit invaso præsens afferre præsidium, & ma-*

& malitis occidi quam occidere; certe existimamus talem Christiani hominis officio functum, nimirum Christi Domini sui exemplum secutum esse. Quamvis interim secus facientem, ordineque & modo legitimo se defendentem non damnemus. Neque enim Evangelium tollit jus naturale, nec legis naturalis ordinationem, sed tantum format affectus ac animum, quem Christus vult ab omnis vindictæ cupiditate alienissimum esse: Ergo non est contra legem Evangelicam occidere invasorem, modo absit omnis animus vindictæ; & hoc est quod intendit August. Epist. ad Publicol. ut notat D. Thom.

Consect. 8. Contra eos, qui nolunt licitum esse occidere furem, qui actu & vitam & bona temporalia tentat eripere. Licet occidere furem, qui vitæ simulque rerum nostrarum actuali aggressione injusta direptionem molitur; quia in his circumstantiis instat periculum vitæ. Ita Fagnanus cap. *Interfecisti*, de homicidio. Hoc autem, inquit, debet intelligi in casu, in quo suberat periculum rerum & personæ simul.

Consect. 9. Liceat ne furem occidere in dubio, an vitam simul & bona temporalia intendat eripere. Licet occidere furem, cum prudenter dubitatur, accedat ne vel animo solum furandi, vel animo occidendi. Talis est fur nocturnus, vel fur diurnus, qui se telo, aut aliis armis mortiferis defendit; quia tunc vita nostra periclitatur: Ita videtur docere cap. *Interfecisti*, de homicidio .... *Interfecisti furem, aut latronem, ubi comprehendi poterat absque occisione, per quadraginta dies non intres in Ecclesiam, &c. Si autem sine odii meditatione te tuaque liberando interfecisti .... si aliquid jejunare volueris, bonum est tibi*. Ergo supponit licitum esse occidere furem, ut & te & tua defendas, id est, ut tuearis vitam simul & bona.

Consect. 10. Liceat ne injustum aggressorem proximi occidere. Licet occidere invasorem, qui proximum nostrum injuste nititur occidere; quia jus habemus conservandi vitam proximi: ideo ait Script. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem*. Et Moyses, inquit Ambros. *cum vidisset Hebræum ab Ægyptio injuriam patientem, defendit, ita ut Ægyptium prosterneret, atque in arena absconderet*. lib. 1. offi. cap. 36. Quod exemplum proponit sanctus Doctor, non mirandum solum, sed etiam imitandum; dicit enim ibidem: *Non in inferenda, sed in depellenda injuria lex virtutis est*: Ergo si lex sit virtutis, factum illud imitari possumus.

Nota tamen, quod qui alium occidit, etiam defendendo se cum moderamine inculpatæ tutelæ; si Laicus, debet subjici pœnitentiæ; si Clericus, arcendus est ab altaris ministerio, donec a summo Pontifice dispensetur; quia cum incertum sit, utrum legitimum defensionis modum excesserit, ideo Laico vel ad exemplum, vel ad cautelam imponenda est pœnitentia, & Clericus ab altari est arcendus; quia homicidium illud eget dispensatione. Trid. sess. 14. de refor. cap. 7.

Et in collectione Isaaci Episcopi Lingonensis sic habetur c. 13. *Si quis quiete gradiens per viam, aut si etiam in domo sua fuerit; aut in platea civitatis, aut in villa subito ab alio sit superventus, aut litis commotione, volens se defendere, non habens contra illum ante odium, interfecerit hominem, septem annis secundum Canonicam institutionem pœniteat: tres vero communione privetur: quatuor autem in communione orationum & oblationum susceptus in Sacerdotis pendeat arbitrio, utrum dignus sit corpus Christi accipere, aut usque ad plenitudinem pœnitentiæ ab eo separari: abstinentia ciborum in providentia Sacerdotis erit, secundum possibilitatem pœnitentis, & devotionem & affectum*. Quamvis autem hæc severitas non sit litteraliter observanda, est tamen pœnitenti proponenda, ut videat quantum Ecclesia homicidium voluntarium horreat, quæ ita rigide involuntarium puniebat.

Monit. Nota, quod juxta leges humanas licitum est, cum non alia suppetat via, occidere violentum pudicitiæ aggressorem; quia non tantum communi æstimatione, sed etiam lege divina, pudicitia vita præstantior est: ita docet Aug. lib. 1. de lib. Arb. c. 1.

Cicero probat juste Marium occisum esse a milite, quem volebat corrumpere: & Greg. Turonensis lib. 9. Hist. cap. 27. historiam refert cujusdam puellæ, quæ velut altera Judith aggressorem pudicitiæ occidit. Res ad Regem delata est. Rex non modo vitam donavit, sed præceptionem tribui jussit. Sed non puto id licitum coram Deo; quia juxta Aug. ibid. *Pudicitia cum in animo sit, a violento stupratore eripi nec ipsa potest .... Legem non reprehendo, quæ tales permittit interfici; sed quo pacto istos defendam, qui interficiunt, non invenio.*

ARTICULUS II.

An & quando liceat privata auctoritate pro defendendis bonis fortunæ iniquum aggressorem occidere.

PRop. 1. Peccant peccato homicidii, qui secluso omni periculo propriæ vitæ

tæ furem inermem occidunt pro conservandis dumtaxat bonis fortunæ, quando bona illa sunt levis momenti, nec sunt ad vitæ, vel status conservationem absolute necessaria.

Prob. 1. Script. *Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum.* Ecclef. 29. v. 13. Ergo debemus bona temporalia potius perdere, quam vitam proximo eripere. Et Joannis 1. c. 3. v. 16. *Christus animam suam pro nobis posuit; & nos debemus pro fratribus animas ponere:* a fortiori res exigui momenti perdere, potius quam eos pro conservandis rebus tam caducis occidere.

2. Ex Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 5. *Quomodo apud divinam providentiam a peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* Ideo ista propositio damnata est. *Regulariter possum occidere furem pro conservatione unius aurei.* Cler. Gal. Art. 7.

3. *Rat.* Bonum temporale, quod aufertur per furem, non potest comparari cum vita proximi, cujus mors interdum cum damnatione æterna conjungitur: ergo satius est nos perdere bonum illud temporale, quam furem occidere; nam si debeamus esse in ea animi præparatione, ut volenti tunicam tollere, debeamus dimittere pallium, Matth. 5. a fortiori debemus vitam proximi bonis exigui momenti præferre.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Rei sunt homicidii Laici, qui sunt parati ad occidendum quemcumque bonorum temporalium invasorem, eo quod bona temporalia, vita & sanguis hominum appellantur.

Consect. 2. Rei quoque homicidii sunt a fortiori Clerici, qui vellent armis bona temporalia tueri; quia, ut ait Alexander III. cap. *Suscepimus*, extra de homicidio. *Expedit potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus rebus & transitoriis tam acriter in alios exardescere.*

Consect. 3. Reus est homicidii Religiosus, qui armis ea, quæ possidet in communi, vellet defendere; quia si id non liceat Clericis, neque Laicis, a fortiori Religiosis; nam in dicto capite *Suscepimus*, ab altaris ministerio arcetur frater, qui fures eosdem fugere nitentes occiderat, ne ab ipsis occideretur. Ubi glossa ait: Ex hoc §. colligitur aperte non licere Clericis, vel Religiosis occidere latrones pro rebus conservandis.

Consect. 4. Rei essent homicidii qui vellent nedum res proprias, sed etiam res proximi tueri cum dispendio vitæ furis subripientis; quia si occidere non liceat pro suis bonis temporalibus: ergo neque pro bonis temporalibus proximi.

Prop. 2. Peccant peccato homicidii, qui res, quas nondum possidet, sed ad quas jus tantum habet, vellet defendere cum dispendio vitæ proximi, qualiscumque valoris sint res illæ.

Prob. 1. Iisdem authoritatibus, quibus superior conclusio.

2. Si res actu possessas non liceat tanta vi tueri, a fortiori res, quas nondum possidemus. Ideo damnatæ sunt sequentes propositiones ab Innocentio XI. & a Clero Gallican. a. 7. *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ea, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus. Licitum est tam hæredi, quam legatario, contra injuste impedientem, vel ne hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere defensione occisiva, sicut & jus habenti in cathedram vel præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem.*

Prop. 3. Raros admodum puto esse casus in praxi, immo ferre nullos, in quibus liceat hominem occidere pro conservandis solis bonis temporalibus, etiamsi sint ingentis valoris.

Prob. 1. Scriptura. Exod. c. 22. v. 2. *Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto Sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipse morietur.* Ex quo loco concludit Aug. quod liceat nocturnum furem occidere, minime vero diurnum, nisi iste armis vitam nostram impetat. Nocturnum vero furem tantum licite occidi posse; quia vim infert suffodiendo domum, & incertum est, veniat ne vel ad furandum solum, vel ad occidendum: ergo ex Scriptura, juxta explicationem Aug. non est licitum furem occidere, nisi quando vel apertam vim infert vitæ nostræ, armis adoriendo & defendendo se, vel quando incertum est, an veniat ad occidendum: Ergo in praxi numquam licet occidere furem, qui præcise fur est, & non sicarius, raptor fortunæ, & non aggressor vitæ. Hactenus lex Mosaica. Quid jubeat lex Evangelica videamus.

Christus jubet deseri tunicam & pallium his verbis: *Qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Matth. 5. v. 4. Paulus vero vult damnum aliquod injustum tolerari potius quam litigare, quæ incruenta est contentio: ergo

& Christus & Paulus volunt res istas temporales deseri potius quam interfici a nobis hominem ad Dei effigiem efformatum, & ex eodem nobiscum sanguine ortum.

2. Ex D. Raymundo lib. 2. tit. 1. §. 3. de homicidio, ubi ostendit, furem licite occidi non posse nisi ad liberandum se suaque, his verbis: *Qui percutit necessitate, est ne homicida? ... Distingue, quia aut illa necessitas fuit evitabilis, poterat enim evadere absque occisione, & tunc est reus homicidii, & tamquam pro mortali debet agere pœnitentiam: aut fuit inevitabilis, quia occidit hominem sine odii meditatione, immo cum dolore animi* ET SE ET SUA *liberando, cum aliter non posset evadere, dicitur non peccare, nec adstringitur ad pœnitentiam nisi ad cautelam, & propter ambiguum duplicitatis, quia scilicet potest timere ne in aliquo excesserit; interiorem tamen pœnitentiam debet semper habere, & quasi suis peccatis ascribere, quia in tantam potuit venire necessitatem; bonarum enim mentium est ibi culpam agnoscere ubi culpa non est.*

3. Ex Alexand. Alensi, 3. part. q. 34. art. 2. §. 2. in fine, ubi sic habet: *Ad ultimum vero argumentum dicendum, quod in necessitate pro tuendis temporalibus, quamvis concedatur lege humana interficere furem, non tamen lege divina, quæ distinguit inter diurnum furem & nocturnum; nocturnus vero, quia non potest discerni utrum causa furandi, vel occidendi venerit, permittitur occidi a quolibet; diurnus vero non.*

4. Ex Alexandro Papa III. c. *Suscepimus* de homicidio, ubi sic habet: *Verum quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quam pro conservandis vilibus rebus & transitoriis, tam acriter in alios exardescere, abstineat humiliter ab altaris ministerio: & uterque*, scilicet, & ille qui ligaverat, & ille qui interfecerat latrones nocturnos, qui volebant ipsi vestes eripere; *uterque, inquam, peccatum suum ad arbitrium tuum studeat expiare*. Et ne quis existimaret forte voces istas, *expediebat*, *studeat*, importare merum consilium, non rigidum præceptum, ideo Glossa addit ibidem: *Pro amissione rerum temporalium nullus debet homicidium incurrere.*

5. Ex Innocen. Papa IV. in C. *Si vero*, de sententia excommunicationis, ubi sic habet. *Si hic timore ne occidatur, alium occidat, non incidit in Canonem, licet sit irregularis: sed si pro REBUS occideret, secus; quia tunc excederet modum*: Ergo qui pro conservandis rebus suis occidit, incidit in excommunicationem: ergo peccat mortaliter; quia excommunicatio sine peccato mortali non incurritur.

6. Ex Doctoribus Canonicis in C. *Interfecisti*, de homicidio voluntario, ubi passim advertunt, non excusari ab homicidio eum, qui præcise pro rebus suis defendendis occiderit; quia textus habet TE TUAQUE LIBERANDO, Panormitanus enim sic habet: *Singulariter textus ibi, Te tuaque liberando: quod tunc quis excusatur ab occisione furis etiam nocturni, quando fecit ut liberaret se & sua: ergo pro rebus tantum liberandis, non licet occidere furem etiam nocturnum: nam ista ponuntur hic copulative; non sufficit ergo altera pars.* Fagnanus eumdem textum sic habet: *Hæc verba*, TE TUAQUE, *accipienda sunt conjunctive, ita ut pro salvandis rebus tantum non liceat occidere.*

7. Ex Doctoribus Juris civilis, qui passim homicidium prohibent pro defendendis solis rebus, permittunt vero pro defendenda vita; sic enim habetur lib. ff. 48. tit. 8. l. 9. *Furem nocturnum si quis occiderit, ita demum impune feret, si parcere ei sine periculo suo non potuit.* Quam legem sic interpretatur Cujacius ad l. 3. de just. & jure. *Nominatim*, inquit, *ea lege ait, furem nocturnum non posse occidi: nisi extremo vitæ periculo, id est, cum quis eum servare non potest quin perdat se.* Et ibidem: *Licet repellere eum, qui venit feriendi, non occidendi causa, quod ex genere tali cognoscitur*; SED NON LICET OCCIDERE. *Et eodem modo licet repellere eum, qui venit eripiendæ possessionis gratia*; SED NON LICET OCCIDERE.

8. Ex Clero Gallicano art. 7. ubi damnatur sequens propositio: *Non solum vitam, sed etiam bona temporalia, quorum jactura esset damnum gravissimum, licitum est defensione occisiva defendere .... Fatemur rarius esse licitum Ecclesiasticis .... Si tamen aliquando futurum contingat tale malum, id est, gravissimum damnum, etiam ipsis licitum erit bona ista cum occisione furis defendere.*

Rat. Non licet occidere nisi cum moderamine inculpatæ tutelæ; atqui qui occidit pro conservandis tantum bonis temporalibus, non servat moderamen inculpatæ tutelæ, quia pro solo bono temporali aufert vitam quibuscumque bonis temporalibus præstantiorem: ergo, &c.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Rei sunt homicidii qui occidunt furem vel nocturnum, vel diurnum, cum capi potest, & detineri; quia tunc

non

non est periculum vitæ, immo neque rerum.

Consect. 2. Rei sunt homicidii qui occidunt furem fugientem cum rebus ablatis, etsi nulla affulgeat spes recuperandi res ablatas; quia tunc vita erepta proximo ad nihil inservit bonis temporalibus aut conservandis, aut recuperandis.

Consect. 3. Rei sunt quoque homicidii qui occidunt furem cum rebus ablatis fugientem. Tunc quidem dubium est, an per mortem furis res ablatæ possint recuperari; sed in tali dubio stare debemus potius pro conservanda vita, quam pro conservandis bonis.

Monit. Nota tamen, quod juxta graves auctores occidere liceat injustum bonorum nostrorum raptorem, quando illa bona talia sunt, ut ex ipsis vitæ, statusve conservatio & sustentatio pendeat, & quando servatur moderamen inculpatæ tutelæ.

Sed non video quo pacto hæc cohæreant. 1. Cum lege naturali, quæ horrorem sanctum inspirat contra eos omnes, qui privata authoritate humanum sanguinem effundunt. 2. Cum lege civili, quæ licet homicidium pro defendenda propria vita, non sine certis conditionibus permittat, numquam vero pro defendendis solis bonis temporalibus licitam habet hominum cædem. 3. Cum lege divina Mosaica, quæ jubet, ut homines non modo ut homines nobis similes inspiciamus, sed tamquam veras Dei, quem colimus, imagines, adeoque cædem hominis sine jussu, aut permissu divino perempti, non ut homicidium modo, sed ut sacrilegium deputemus. 4. Cum lege divina Evangelica, quæ jubet, ut caduca istius mundi bona, non modo tueamur cum periculo vitæ proximi; sed etiam ea ultro deseramus, si aliter quam cum contentione & animi amaritudine defendi nequeant. Demum cum lege Ecclesiæ; casta enim illa divini Filii sponsa, ex quo Deus pro hominibus factus est homo, tanti habet hominum vitam, ut homicidium quo perimitur, uti maximum in Deum scelus, maximis semper pœnis affecerit, ut cerni potest apud Basilium, Gregorium Nicænum, & in summorum Pontificum decretis.

ARTICULUS III.

An & quando liceat privata auctoritate pro defendendo honore iniquum honoris nostri aggressorem occidere.

PEccant peccato homicidii, qui pro defendendo honore hominem occidunt.

Prob. 1. Scriptura dicit generaliter: *Non occides*, exceptis his, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, inquit Aug. lib. 1. de civit. Dei cap. 21. Eadem Scriptura dicit: *Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos: orate pro persequentibus & calumniantibus vos:* Matth. 5. *Ego autem dico vobis non resistere malo, &c.* Quæ certe nullatenus possunt concordare cum ea vindicandi se libidine, qua vitam proximis pro futili honore eripimus.

2. Ex Hieron. contra Rufi. lib. 3. *Magis accusari volo, quam accusare, & pati injuriam, quam facere, sciens præceptum ab Apostolo: non vosmetipsos ulciscentes, carissimi, sed date locum iræ; scriptum est enim: mihi vindicta, & ego retribuam:* Ergo si Hieronymus injustis calumniis lacessitus illicitum credidit accusare accusatorem, a fortiori credidit illicitum eum occidere.

3. *Rat.* Nullus est casus, in quo qui lædit honorem, talem vim inferat, ut liceat eum per vim mortem inferentem repellere; exceditur enim moderamen inculpatæ tutelæ, si vitam eripiamus, dum vita non impetitur.

Adde, quod honor potest aliter defendi, quam per occisionem inhonorantis; nam juxta Script. non vitio, sed virtute vera gloria obtinetur. *Gloriam sapientes possidebunt: stultorum exaltatio ignominia*. Prov. 3. v. 5. *Posside sapientiam ... & glorificaberis ab ea*. Prov. 4. Demum juxta Paulum ad Rom. 2. v. 10. *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum*.

Demum per occisionem inhonorantis non recuperatur honor, nisi forte apud carnales & mundanos, qui nesciunt, in quo verus honor consistat, apud quos satius est vituperari, quam laudari, juxta illud Pauli: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die*. Et juxta illud Aug. *Qui laudari vult ab hominibus vituperante te, non defendetur ab hominibus te judicante, nec eripietur damnante te*. lib. 10. Confes. cap. 36.

6. Ex propositionibus damnatis & a summis Pontificibus, & a Clero Gallicano. 1. *Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minitantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis viris prædicta crimina impingere, nisi occidatur.*

Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicen-

ctum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Non licet occidere eum, qui te verbis contumeliosis afficeret, qui tibi contumeliose diceret, Mentiris.

Consect. 2. Non licet occidere eum, qui vel verum crimen tuum occultum panderet, vel falsum tibi imponeret.

Consect. 3. Non licet neque in se, neque in alio abortum procurare sive ante fœtus animationem, sive post, ad vitandam infamiam. De restitutione ob homicidium dicemus ubi de restitutione.

Consect. 4. Videtur non licitum esse occidere violentum stupratorem; quia pudicitia, utpote virtus mentis, potest etiam violato corpore integra permanere; & quia honor pudicitiæ ex violenta oppressione apud eruditos homines non eripitur, sed intemeratus manet.

CAPUT VI.

De Duello.

ARTICULUS UNICUS.

Quid sit, & an licitum sit duellum.

Duellum, ut vox sonat, est pugna duorum; sed ex usu duellum est pugna duorum, vel plurium.

Duellum aliud fit authoritate publica, aliud authoritate privata. Duellum authoritate publica est pugna duorum, vel plurium inita authoritate Regis, vel Reipublicæ jus habentis bellum gerere: tale fuit duellum inter David & Goliath. Duellum authoritate privata est pugna inter privatas personas ex condicto inita, altera indicante, altera acceptante.

Duellum authoritate privata aliud est initum sine armis, aliud cum armis.

Duellum initum sine armis est quidem peccatum; quia nulli licet privata authoritate pugnare, sed illud duellum non subjicitur excommunicationi.

Duellum initum cum armis est peccatum mortale, & excommunicationi subjectum, & de hoc duello hic agitur.

Prop. 1. Duellum privata authoritate initum, est de se peccatum mortale, & excommunicationi subjicit. 1. Duellantes, 2. Patrinos. 3. Inspectores. 4. Suadentes. 5. Principes non prohibentes.

Prob. 1. Scriptura dicit generaliter, *Non occides*, quo loco omnino interdicitur quidquid vel ad propriam, vel ad proximi necem potest conducere, uti facit duellum.

2. Ex Triden. sess. 25. cap. 19. *Detestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur* .... Et ibidem prædicti omnes excommunicantur, & morientes in actuali conflictu sepultura privantur; quæ omnia probant duellum esse peccatum mortale.

3. In duello semper adest intentio occidendi, aut graviter vulnerandi; quæ intentio est de se peccatum mortale: ergo & duellum.

4. Quia sequens propositio damnata est ab Alexand. VII. prop. 2. „ Vir equestris ad „ duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. “

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Illicitum est duellum initum ulciscendæ injuriæ causa; quia privatus homo, quantumvis injuste lacessitus, non debet sumere vindictam, sed eam coram superiore exigere: *Vindicta mihi & ego retribuam*, scilicet per me, vel per magistratus.

Consect. 2. Illicitum est duellum initum propulsandæ calumniæ causa; quia aliæ sunt viæ, quibus calumnia repelli potest.

Consect. 3. Illicitum est duellum initum vel ad ostendendas vires, vel declarandam suam in armis tractandis industriam, vel ad terminandam litem sive civilem, sive capitalem. Sunt enim alia adminicula, quibus & vires, & in armis solertia declarari potest: & suppetunt aliæ rationes, quibus lites, qualescumque sint, terminari valeant.

Consect. 4. Illicitum est duellum initum ad declarandam veritatem; quia hac in re continetur aperta tentatio Dei, ut respondit Nicolaus 1. Can. *Monomachiam*.

Consect. 5. Illicitum est duellum, quo milites in bello hostes ad singulare certamen provocant, si id faciant vel sine jussu Regis, vel cum id faciunt permissu Ducum, si privatas simulates causæ publicæ intermisceant; quia non licet in bello occidere, nisi secundum justa præscripta Imperatoris.

Ad dissuadendum a duello juvat afferre verba Hieron. Osorii Episcopi Silvensis, lib.

lib. 4. de gloria. *Duellantes non fortes, sed furiosi, non honesti, sed ignavi, non illustres & ampli, sed humiles & obscuri æstimandi sunt. Quid enim habet turbulentum illud dissidium? Cum sit illud ipsum, quod impuris, & bestiis immanioribus concedi potest; sed vesanam illam mundani honoris libidinem uno verbo Scriptura extinguit*: Dilexerunt gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.

CAPUT VII.

De Bello.

ARTICULUS I.

Quid sit, & an licitum sit bellum.

Bellum est certamen initum inter personas, nullum agnoscentes superiorem temporalem: qualis est Imperator, Rex, Princeps, Respublica.

Bellum potest considerari prout indicitur ab Imperatore, a Rege, a Principe, & pro ut exercetur a ducibus, & militibus: & examinari potest utrum bellum ex se licitum, vel illicitum sit.

Prop. unica. Bellum non est illicitum nec in Rege qui indicit, nec in ducibus vel militibus qui illud exercent; sed potest esse sanctum, si fiat cum debitis circumstantiis.

Prob. 2. Script. Deus nedum permisit, sed etiam jussit Judæis bellum contra hostes suos gerere; ideoque sæpius se Dominum exercituum nuncupat. Abraham jussu Dei bellum gessit, & Loth ab hostibus liberavit. Moyses, Josue, Gedeon bella gesserunt. De quibus Paulus ita loquitur: *Sancti per fidem vicerunt regna, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum*, ad Hebr. 11. Et Joannes Baptista prædicans non præcipit militibus belli exercitium abjicere, sed solum ait: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris*. Matth. 2. Ergo bellum non est illicitum ex se.

2. Ex Basilio, Can. 13. *Cædes in bellis factas Patres pro cædibus non reputant*. Et Aug. Epist. ad Marcellin. *Christiana disciplina, quibus proprium stipendium sufficere debere præcipit, militare utique non prohibuit.*

3. *Rat*. Supremi Principes, quales sunt Reges & Respublicæ, nullum habentes temporalem judicem, non possunt jus suum coram aliquo sibi superiore prosequi: ergo restat, ut jus suum armis & bello dirimant; & quia non possunt per semetipsos bellum gerere: ergo debent uti ducibus & militibus: ergo bellum ex se non est illicitum nec in eo qui indicit, nec in eo qui exercet:

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quicumque nullum agnoscit superiorem temporalem, qualis est Imperator, Rex, Princeps, quædam Respublicæ v. g. Venetorum, Genuensium, &c. licite potest bellum gerere, ut sibi jus debitum exigat, cum illud nequeat coram sibi superiore prosequi; non enim, inquit Paulus ad Rom. 13. *sine causa gladium portant*. Sicuti enim gladio justitiæ tuentur licite Rempublicam contra interiores perturbatores, dum malefactores puniunt; ita etiam gladio bellico licite eam tuentur ab exterioribus hostibus. Unde principibus dicitur Psal. 81. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate*. Ideo Aug. contra Faustum lib. 22. cap. 75. dicit: *Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli authoritas atque consilium penes Principes sint*: Ergo qui nullum agnoscit superiorem, habet jus bellum indicendi.

Consect. 2. Privatus quilibet, cui ex statu suo non interdicitur armorum exercitium, potest licite sub suo Principe bellum exercere, modo bellum injustitiam manifestam non contineat: est enim minister Regis bello jura sibi debita exigentis. Immo in dubio, an bellum sit justum, potest licite subditus sub suo Principe bellare, ut docet Aug. lib. contra Faustum cap. 74. & 75. *Ergo vir justus, si forte sub Rege homine etiam sacrilego militet, recte potest illo jubente bellare, si vice pacis ordinem servans, quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est; vel, utrum sit, certum non est: ita ut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo serviendi*. Excusatur enim subditus in bello, de quo nescit, an sit justum, ratione obedientiæ: sicut etiam excusatur minister judicis occidens damnatum per sententiam, si non contineat errorem manifestum.

Sic subditi in dubio, an bellum sit justum, nec ne, non tenentur examinare jura sui Principis; sed tenentur obedire.

Sic etiam milites mercenarii, qui sub continuis stipendiis Regis alicujus degunt, tam pacis quam belli tempore non tenentur pariter examinare jus belli; quia tamquam subditi habendi sunt. Alii vero conducti milites, qui audito belli nomine locant se, tenentur examinare justitiam belli, ne exponant se periculo cooperandi actioni injustæ.

Constat ergo ex dictis, quod in eo, qui bel-

bellum indicit, debeat esse legitima authoritas, in eo qui exequitur, rationalis obedientia: sed plura adhuc requiruntur, de quibus modo.

ARTICULUS II.

Quæ causæ requirantur in eo, qui bellum indicit.

PRop. *unica*. Toties qui habent authoritatem supremam possunt bellum indicere, quoties eis denegatur quod eis ex jure debitum est.

Prob. 1. Script. *Si civitas, in quam ex jure bellare poteris, fœdus inire noluerit, & cœperit contra te bellum, oppugnabis eam*. Deut. c.10. v.12. Ergo quoties hostes denegant quod ab eis jure exigitur, possunt Principes in eos juste bella gerere.

2. Ex Aug. *Bella justa definiri solent, quæ ulciscuntur injurias. Si qua gens, vel civitas, quæ bello petenda est, vel vindicare neglexerit quod a suis improbe factum est, vel reddere quod per injuriam ablatum est*. lib. 6. quæst. in Josue q. x. & habetur Can. *Dominus noster*.

3. *Rat.* Sicuti homo privatus potest jure coram judice litigare, cum ei denegatur quod ei debitum est; ita & Princeps bellum potest gerere, cum ei denegatur quod debitum est.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Licitum est bellum gerere ob ulciscendam injuriam injuste illatam; quia injuriarum ultio est actus justitiæ vindicativæ. Tale fuit bellum omnium Tribuum contra Tribum Beniamin, eo quod Tribus Beniamin renuisset debitis pœnis afficere incolas Gabaa, qui uxorem Levitæ violenter oppresserant, & nefanda libidine occiderant. Jud. cap. 19.

Consect. 2. Bellare licet ad recuperanda jura debita vel Regi, vel Reipublicæ; nihil enim æquius quam ut quilibet exigat quod ei debitum est. Tale fuit bellum initum a Judæis, ut terram sibi promissam a Deo ingrederentur.

Consect. 3. Licitum potest esse bellum ob ulciscendam injuriam Legatis injuste illatam; Rex enim offenditur cum ejus Legati injuriose tractantur. Tale fuit bellum initum contra Ammonitas, qui Legatos David injuriose exceperant, radendo scilicet dimidiam partem barbæ, & præscindendo vestes eorum medias usque ad nates. lib. 2. Reh c. 10.

Consect. 4. Justum est bellum initum ob reprimendam seditionem; justum enim est rebellantes puniri. Tale fuit bellum David contra Absalonem, 2. Reg. cap. 18.

Consect. 5. Permittitur bellum ob negatum injuste tributum, promissa quippe tributa etiam hostibus solvenda sunt. Tale fuit bellum Salmanasar contra Oseam. 4. Reg. cap. 17.

Consect. 4. Legitimum est bellum susceptum ob defensionem fœderatorum; debemus enim ex justitia fœderatos populos contra eorum hostes tueri. Tale fuit bellum susceptum a Josue pro Gabaonitis. Jos. x.

Consect. 7. Juste suscipitur bellum contra eos, qui transitum denegant copiis, quando ex illo transitu nullum timetur detrimentum; quia tunc denegatur injuriose innoxius transitus. Tale fuit bellum susceptum jussu Domini contra Amalec, qui funditus deletus est, eo quod restitisset Israeli cum ascenderet de Ægypto. 1. Reg. 15.

ARTICULUS III.

Quæ requirantur, ut bellum sit licitum.

PRop. *unica*. Ut bellum sit licitum, debet esse justum non modo ex causa, sed etiam ex circumstantiis.

Prob. 1. Script. Abraham, Moyses, Josue, David, multa bella gesserunt, sed semper vel ad obediendum Deo, vel ad recuperandam terram sibi a Deo promissam, vel ad defendendos socios, vel repellendas injurias publicas, & alia hujusmodi: Ergo signum est, bellum non censeri justum apud Deum, nisi fiat ex justa causa, & legitimis circumstantiis vestiatur.

2. Ex D.Raymundo lib. 2. de raptoribus §. 17. ubi sic habet: *Nota, quod quinque exiguntur ad hoc ut bellum sit justum, scilicet persona, res, causa, animus, & authoritas*. Persona, *ut sit sæcularis, cui licet fundere sanguinem, non autem Ecclesiastica, cui est prohibitum*. Res, *ut sit pro rebus repetendis & pro defensione patriæ*. Causa, *si propter necessitatem pugnetur, ut per pugnam pax acquiratur*. Animus, *ut non fiat prpter odium, vel ultionem, vel cupiditatem, sed propter pietatem, justitiam, & obedientiam*. Authoritas, *ut sit authoritate Ecclesiæ, præsertim cum pugnatur pro fide, vel authoritate Principis*, cum pugnatur pro rebus temporalibus; tunc enim sufficit sola authoritas Principis. *Si aliquid istorum defuerit, bellum dicitur injustum:* Ergo bellum debet esse justum ex causa, & ex circumstantiis.

3. *Rat.* Bonum morale ex integra causa exurgit: ergo, ut bellum sit licitum

debet

debet esse justum, non tantum ex causa, sed etiam ex circumstantiis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Bellum est injustum ex *persona*, quoties Clerici extra inevitabilem necessitatem coguntur arma movere, vel ipsi sponte arma suscipiunt, ut patet Caus.23. q.8. Petro enim & simul omni Clerico dictum est: *Converte gladium tuum in vaginam: omnis enim qui gladium acceperit, gladio peribit.* Matth. 26. ut enim optime monet Amb. Can. Pila. *Dolor, fletus, lacryma munimenta sunt Sacerdotis.* In necessitate tamen potest Clericus pro salute tum sua, tum populi bellum gerere.

Consect. 2. Bellum est injustum ex *rebus*, si suscipiatur, non pro jure suo conservando, sed pro usurpando alieno: ita habetur c.23.q. 2. *Justum est bellum, quod ex edicto geritur de rebus repetendis, aut propulsandorum hostium causa.* Et Ambros. lib.1. de officiis cap. 27. *Fortitudo, quæ vel in bello tuetur a barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel a latronibus socios, plena justitiæ est,*

Consect. 3. Bellum est injustum ex *causa*, quando fit extra necessitatem & sine pacis desiderio: de quo ita Aug. Epist. ad Bonif. 207. quem ad sancte bellandum his verbis instituit: *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus a necessitate, & conservet in pace: Non enim pax quæritur, ut bellum excitetur, sed bellum geritur, ut pax acquiratur.*

Consect. 4. Bellum est injustum ex *animo*, quando fit alio motivo quam justitiæ: de quo ita Aug. contra Faustum lib.22. cap.74. & 75. *Quid culpatur in bello? An, quia moriuntur quandoque morituri, ut dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est, non Religiosorum. Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua alia similia, hæc sunt quæ in bellis jure culpantur.*

Consect. 5. Injustum est bellum ex defectu *authoritatis*, quando scilicet privati homines bellum inter se gerunt; possunt enim jus suum coram superiore persequi; & quia ad eos non pertinet convocare multitudinem, quæ ab bellum necessaria est: ita D. Thom. 2.2. q.40. a.1.

Consect. 6. Injustum est etiam bellum ex variis *circumstantiis*.

1. Ex personis: ut si Rex cogat ad bellum personas non sibi subditas.

2. Ex loco: ut si bellum fiat in terris populorum innocentium, qui nullam causam bello dederunt: de quo ita Aug. „ Inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos sibi non molestos sola Regni cupiditate conterere, & subdere, quid aliud est quam grande latrocinium nominandum? " lib.4. de civ.

3. Ex tempore: ut si bellum fiat diebus festis circa necessitatem: de quo ita D. Th. 2.2. q.40. a.6. *Pro tuitione Reipublicæ fidelium licitum est justa bella exercere diebus festis, si tamen hoc necessitas exposcat: hoc enim esset tentare Deum, si quis imminentes tali necessitate vellet a bello abstinere; sed necessitate cessante, non est licitum bellare diebus festis.*

4. Ex mediis jure belli prohibitis: v. g. si non modo occultentur insidiæ, sed etiam fœdera non serventur, & jura gentium pervertantur; fides enim, quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur, inquit Aug. Epist. ad Bonif. 207.

5. Ex pertinacia: ut si oblatæ satisfactiones repudientur; siquidem, ut optime monet Cajet. sicuti privati homines litigantes non possunt recusare oblatam satisfactionem, ita nec Principes bellum inter se gerentes: circa quod ita monet Aug. ad Bonifacium Epist. 207. *Esto ergo etiam bellando pacificus, ut eos quos expugnas, ad pacis utilitatem vincendo perducas.*

6. Ex stragibus excedentibus: ut si parta jam victoria occidantur indiscriminatim & rei & innocentes, etiam cum nullum subest periculum rebellionis: tunc enim parcendum est multitudini, & ad summum sæviendum in capita. Ideo Ambr. Theodosio Imperatori ingressum Ecclesiæ interdixit, quia in bello absque periculo rebellionis integram gentem deleverat. Innocentes autem sunt in duplici differentia; alii sunt innocentes ex jure naturæ, ut pueri, senes, mulieres, demum omnes, qui nec manu, nec consilio bello gerendo possunt cooperari; alii ex præsumptione, ut rustici, Clerici, Religiosi, qui ex eorum statu præsumuntur bello non cooperari: æquitas postulat, ut hi omnes eximantur a cæde, nisi certo sciatur eos ad bellum concurrisse, vel timeatur futurum ut concurrant: quod confirmat Aug. Epist. ad Bonifac. 207. *Itaque hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas. Sicut rebellanti, & resistenti violentia redditur; ita victo vel capto misericordia jam debetur, maxime in quo pacis perturbatio non timetur.*

CAPUT VIII.

De spirituali homicidio, seu de scandalo.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex scandalum.

Scandalum est dictum, vel factum, vel omissum, minus rectum, præbens alicui occasionem peccandi & ruinæ spiritualis. Quippe sicut in via corporali obex, cui impingimus, & præbens occasionem lapsus, dicitur scandalum; ita in via spirituali actio minus recta, præbens occasionem ruinæ, dicitur scandalum: ex quo patet, quod peccata mere interna non possunt habere rationem scandali: patet etiam, quod actio minus recta, habens speciem mali, potest esse scandalum. Ideo dicit Paulus 1. Thess. c.5. v.22. *Ab omni specie mali abstinete vos*. Sed ut actio minus recta sit scandalum, non est necesse, quod sit publica coram omnibus facta; sed sufficit, quod sit externa coram aliquibus facta.

Scandalum aliud est activum, aliud passivum. Activum est actio minus recta, qua inducimus proximum ad peccandum: talis est injusta rapina facta coram proximo.

Passivum est occasio, quam quis sumit ex actione alterius: tale est peccatum, in quod labitur persona scandalum patiens.

Activum scandalum aliud est per se, aliud per accidens.

Scandalum activum per se est, ut loquitur D. Thom. 2. 2. q. 43. a. 1. ad 4. quando aliquis suo inordinato dicto vel facto intendit alium trahere ad peccandum, scilicet, intentione vel expressa, vel interpretativa... Expressa, ut quando quis sollicitat alium ad peccatum.... Interpretativa, ut quando facit aliquid, quod potest per se trahere ad peccatum, v. g. furatur, mœchatur, & blasphemat coram proximo.

Scandalum activum per accidens est, quando non intenditur ruina proximi, sed tantum quæritur delectatio in dicto, vel facto minus recto: v. g. cum quis facit aliquid, quod vel est malum, vel habet speciem mali, quærens non ruinam proximi, sed delectationem, quam reperit in eo, quod operatur.

ARTICULUS II.

Quale peccatum sit scandalum, & quibus in casibus interveniat scandalum.

Prop. unica. Scandalum activum est peccatum mortale, tanto gravius, quanto gravius est peccatum, in quod cadunt scandalizati.

Prob. 1. Scriptura. *Væ mundo a scandalis*, Matth. 18. v.7. Maledictio autem non datur, nisi peccato mortali.

Prob. 2. Ex D. Thom. *Si vero scandalum activum sit per se, puta, cum intendit inducere alium ad peccandum; si quidem intendat inducere ad peccandum mortaliter, est peccatum mortale; & similiter si intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati venialis, est peccatum veniale*. 2.2. q.43. a.4.

3. Ex D. Bernard. *Num tibi videtur graviorem Christus sustinere persecutionem, ab eo qui suggestione mala, exemplo pernicioso, scandali occasione pervertit animas, quas redemit, quam a Judæo, qui sanguinem illum fudit?* Serm. 1. in convers. Pauli: Ergo cum scandalum sit in aliquo majus peccatum, quam actio crucifigentium Christum, scandalum debet esse peccatum mortale.

4. *Rat.*) Prima ratio. Per scandalum datur fratri occasio ruinæ; cum tamen fratris salutem debeamus maxime curare: ergo, &c.

Secunda Ratio. Peccat mortaliter qui omittit correctionem fraternam in certis casibus: ergo a fortiori peccat mortaliter qui est fratri occasio peccandi mortaliter.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Omnis actio, vel omissio minus recta, quæ vere est, vel probabiliter censetur esse occasio ruinæ proximi, est peccatum scandali, etiam si agens non expresse intendat illam ruinam, modo intendat interpretative; quia talis actio, vel omissio habet omnia requisita ad scandalum: ita D.Th. 2. 2. q. 43. a.1. ad 4. *Dictum vel factum alterius potest esse alteri causa peccandi uno modo per se, alio modo per accidens: per se quidem, quando aliquis suo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccatum inducere, vel etiam si ipse hoc non intendat, & ipsum factum est tale, quod de sui ratione habet quod sit inductivum ad peccatum, puta, cum aliquis publice facit peccatum, vel quod habet similitudinem peccati*.

Sic juxta S. Antoninum: *Si mulier sciens certe, vel probabiliter dubitans aliquem trahi ad concupiscentiam sui extra matrimonium, nihil hoc curans, se videndam exponeret, ut laudaretur de pulchritudine, mortale esset. Secus autem, si hoc non æstimaret, vel non posset commode dimittere ea loca, in quibus videtur ab his, qui contra ejus voluntatem eam concupiscunt*...

Sic juxta eumdem Sanctum, *peccat mortaliter*

liter ille, qui habet nimiam familiaritatem cum aliqua persona suspecta, & sentit homines scandalizari, nefaria judicando & loquendo, nec vult dimittere, non curans quod alii scandalizentur.

Sic juxta eumdem, peccaret mortaliter qui *verba proferret luxuriosa vel blasphematoria*, juxta illud Eccli. 23. v. 8. *Superbus & maledicus scandalizabitur in illis*. Quibus omnibus optime convenit illud Pauli 1. Cor. 10. v. 32. *Sine offensione estote Judæis & Gentibus, & Ecclesiæ Dei*.

Consect. 2. Facere coram aliis aliquid, quod non est malum, sed habet tantum speciem mali, est peccatum scandali. Quod si urgeat necessitas rem talem faciendi, debent adstantes præmoneri de bonitate rei faciendæ, & de motivo propter quod fit, *quia omnia licent, sed non omnia expediunt*. Sic quamvis licitum esset edere Idolothyta, *Videte tamen*, inquiebat Paulus 1. Cor. 8. v. 9. *ne forte hæc licentia vera offendiculum fiat infirmis*. Et D. Thom. 2. 2. q. 43. *Activum scandalum semper peccatum est in eo, qui scandalizat; quia vel ipsum opus, quod facit, est peccatum, vel etiam, si habet speciem peccati, dimittendum est sempre propter proximi caritatem, ex qua unusquisq; tenetur saluti proximi providere*. Sic manducans carnes dies prohibita, etiam cum licentia, palam id faciens, peccat, si non præmoneat adstantes, ut non scandalizentur, juxta illud Pauli 1. Cor. 8. vers. 13. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum*.

Consect. 3. Peccant peccato scandali qui absque necessitate utuntur vestibus alterius sexus, juxta illud Deut. 22. v. 5. *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea: abominabilis enim apud Deum est qui facit hoc*. Et Ambros. Epist. 69. ad Irenæum dicit, quod illud peccatum abhorret natura: *Cur mentiris feminam, vel tu femina virum? suis unumquemque sexum induit natura indumentis. Mendacium & in verbo turpe est, & in habitu*. Et D. Thom. 2. 2. q. 169. a. 2. ad 3. ait: *Cultus exterior debet competere conditioni personæ secundum communem consuetudinem; & ideo de se vitiosum est, quod mulier utatur veste virili, aut e converso, & hoc præcipue, quia hoc potest esse causa lasciviæ, & hoc specialiter prohibetur in lege. Deut. 22. Quia gentiles tali mutatione habitus utebantur ad idololatriæ superstitionem. Potest tamen quandoque id fieri sine peccato propter aliquam necessitatem, vel causa se occultandi ab hostibus, propter defectum alterius vestimenti, vel propter aliquid hujusmodi*.

Consect. 4. Rei scandali sunt qui larvati incedunt, etiamsi non utantur veste alterius sexus. Illud colligitur ex istis Joannis Chrysost. verbis hom. 38. in Matth. *Quis est ille theatralium hominum adeo magnus sonitus? quis tantus tumultus? qui Diabolici clamores? quis vestitus Satanicus? Alius cum adolescens sit, comam pone reductam habet, & naturam aspectu, vestitu, cæterisque hujusmodi effeminando ad teneriusculæ imaginem puellæ deducere contendit: alius e contra cum sit senex, novacula pilos, & pudorem omnem abrasus, cinctus assistens ad dicendum & faciendum omnia paratus est*.

Consect. 5. Peccant peccato scandali mulieres, quæ ornant se ea intentione, ut alios ad amorem excitent; quia ex prava sua intentione sunt aliis occasio peccandi, juxta illud Script. Prov. 7. v. 10. *Ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio præparata ad capiendas animas*. Quod peccatum quam grave sit, docet Petrus his verbis: *Quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus*. 1. Pet. 3. v. 3. Et Paulus: *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, non intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa*. 1. Tim. 2. v. 9. Et Chrysost. *Si qua vero mulier ideo ornatur & comitur, ut in se oculos omnium irritet; etiamsi nullum pulchritudine sua potuerit vulnerare, dabit tamen extrema supplicia. Paravit quippe virus, temperavit venenum, porrexit poculum; etiamsi nullus, qui biberet, inventus est*. Hom. 17. in Matth. Docet idem Tertulianus lib. de cultu feminarum c. 2. *Christianæ pudicæ*, inquit, *appetitionem sui, non tantum appetendam, sed etiam execrandam vobis sciatis. Primo quod non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter scimus invitatorem libidinis. Quid igitur excitas in te malum istud? quid invitas? cujus te profiteris extraneam? Tum quod tentationibus viam aperire non debemus, quæ non numquam instando peccatum perficiunt, certe vel spiritum scandalo permovent*.

Consect. 6. Peccant peccato scandali mulieres, quæ collum, pectus, brachiave nudant, & ita compositæ in publicum prodeunt; hujusmodi enim nuditate præbent viris occasionem peccandi. Ideo ait Tertul. lib. de velandis Virg. cap. 16. *Oro te, sive mater, sive soror, sive filia virgo ... Vela caput. Si mater, propter filios; si soror, propter fratres; si filia, propter patres. Omnes in te ætates periclitantur: Indue armaturam pudoris, circumduc vallum verecundiæ, murum sexui tuo strue,*

quin

quin nec tuos emittat oculos, nec admittat alienos. Et Clemens Alex. lib. 2. Pædag. cap. 2. *Neque vero permittendum est mulieribus, ut coram viris appareant aliquid corporis denudantes, ne ambo prolabantur; hi quidem, ut qui ad videndum incitentur; illæ vero, ut quæ in se virorum intuitum attrahant*. Unde plures Synodi jubent tales mulieres privari absolutione sacramentali, donec resipuerint.

Consect. 7. Peccant peccato scandali mulieres, quæ fucis vultum adulterant, capillos tingunt, &c. quia per hoc sunt occasio peccandi aliis; &, ut diserte probat Tertull. Diabolum imitantur, cujus est se transfigurare in diversas formas: de quo ita ait D. Thom. 2. 2. q. 169. a. 2. *Mulierum fucatio est quædam species fictionis; quæ non potest esse sine pecato. Non semper tamen talis fucatio est cum peccato mortali; sed solum quando fit propter lasciviam, vel in Dei contemptum, in quibus casibus loquitur Sanct. Cyprian. Sciendum tamen, quod aliud est fingere pulchritudinem non habitam, & aliud occultare turpitudinem ex aliqua causa provenientem, puta, ægritudine, vel aliquo hujusmodi; hoc enim est licitum*. 1. Cor. c. 12. *Quia secundum Apost. quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circumdamus: fucari autem pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia est; qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi*, ait Aug. Epist. 245. alias 73. Etenim, ut optime ait Cyprian. tract. 2 de disciplina & habitu Virginum, *manus Deo inferunt, quando id, quod ille formavit, reformare & transfigurare contendant, nescientes, quia opus Dei est omne quod nascitur, Diaboli quodcumque mutatur* .... & ibidem ait: *Ornamentorum ac vestium insignia, & lenocinia fucorum, non nisi prostitutis & impudicis fœminis congruunt, & nullarum fert pretiosior cultus quam quarum pudor vilis est. Sic in Scripturis Sanctis .... describitur civitas meretrix compta pulchrius, & ornata, & cum ornamentis suis, ac propter ipsa potius ornamenta peritura*.

Consect. 8. Peccant peccato scandali mulieres alienos capillos ad ornandum caput sine causa adhibentes; quia mutuata illa capillatura est aliis occasio peccandi. Ideo dicit Apostolus: *Non intortis crinibus*. Timot. c. 2. v. 9. Et D. Petrus: *Quarum non sit extrinsecus capillatura*. 1. Pet. cap. 3. v. 3. Ex Clem. Alex. alienorum capillorum appositiones sunt omnino rejiciendæ. lib. 3. Pædagogi. c. 2.

Consect. 9. Peccant peccato scandali viri, qui tum in corporis cultu, tum in capillatura modum excedunt: sicuti enim mulieres nimio ornatu sunt occasio peccandi viris; ita & viri sunt occasio peccandi mulieribus. Ideo Tiburtius Martyr interrogatus, an Torquatus apostata, qui solebat se superbius ornare, esset Christianus, respondit, nunquam tales pestes dignatus est Christus habere servos suos, ut refert Baronius ad an. 286.

Consect. 10. Peccant peccato scandali qui novas illiciti ornatus vestimentorum formas excogitant; quia per hoc sunt occasio peccandi aliis.

Consect. 11. Peccant peccato scandali qui exercent artes aliquas, quarum operibus homines sine peccato uti nequeunt, v. g. qui vendunt picturas lascivas, libros amatorios. Unde ait D. Th. 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4. *Si quæ ars est ad faciendum aliqua opera, quibus homines uti non possunt absque peccato, per consequens artifices talia faciendo peccarent, ut pote directe præbentes aliis occasionem peccandi*.

Consect. 12. Peccant peccato scandali qui ædes suas locant ad ludos aleatorios; quia per hoc sunt occasio peccandi aliis: eas enim academias vetant & jus Ecclesiasticum, & jus Civile: de quibus sic loquitur Bernardinus Serm. 33. in Dominicam 5. quadragesimæ parte 1. *Dans domum, ut intus ludatur, fit particeps tot peccatorum, quot ibi fiunt: dans tabulam & præstans taxillos toties peccat mortaliter, quoties præstat: nullus confessor poterit eum absolvere, donec removerit domum a tali pessimo usu ludendi: impossibile est illum salvari, nisi relinquat illas suas artes maledictas*.

Consect. 13. Peccant peccato scandali qui publicis concubinariis, meretricibus, lenonibus, aut lænis ædes locant; quia sunt per hoc aliis occasio peccandi. Jus Civile & Ecclesiasticum illud prohibent: *Qui id faciunt sciant se & decem librarum auri sustinere pœnam, & ipsam perdituros habitationem*. Justin. Novella 14. titul. de Lenonibus.

Monit. 1. Quicumque peccato scandali peccat, præter peccatum personale, inficitur peccato aliorum; quia hic est effectus scandali.

Monit. 2. Quicumque peccat peccato scandali, tenetur in confessione aperire non tantum peccatum personale, sed circumstantias scandali, & numerum personarum, quæ tali scandalo ceciderunt, vel potuerunt cadere; quia scandalum est circumstantia varians peccatum specifice.

Monit. 3. Qui peccat peccato scandali, tanto gravius peccat, quanto eminentiorem habet dignitatem; quia dignitas personæ

ſonæ multum facit ad perſuadendum peccatum; & ita peccatum ſcandali gravius eſt. 1. In Clerico quam in Laico, juxta illud Bernardi; *Nugæ in ore ſæcularium, in ore Sacerdotum blaſphemiæ*. 2. In magiſtratu quam in privato, & in Rege quam in ſubdito: *Quia deſinunt reprobari hoc ipſo quod ſiunt purpurata delicta*. 3. In patre quam in filio; quia propter exemplum parentum filiis fiunt religioſa delicta. 4. In Magiſtro quam in diſcipulo; quia diſperdet Dominus qui fecerit hæc, magiſtrum & diſcipulum. 5. In paſtoribus quam in ovibus; quia paſtores *ſunt ſal terræ, lux mundi, & Chriſti bonus odor, & ſpectaculum facti ſunt mundo & hominibus*.

ARTICULUS III.

An res præcepta ſit omittenda propter ſcandalum paſſivum proximi.

PRop. unica. Non tenemur vitare rem præceptam ob ſcandalum paſſivum proximi; immo debemus illam exequi, licet multi hinc ex propria malitia ſcandalum patiantur.

Prob. 1. Script. *Non ſunt facienda mala, ut inde veniant bona:* Rom. 3. v. 8. & proinde nemo debet negligere ſuum officium, quod malum eſſet, ob ſpem, quod negligendo ea quæ ſunt ſui officii, id ſaltem aſſequetur quod proximus non ſuſcipiet ſcandalum.

2. Ex Greg. hom. 7. in 2. c. Ezech. *Quantum ſine peccato poſſumus, vitare proximorum ſcandalum, debemus: ſi autem de veritate ſcandalum ſumitur, utilius naſci ſcandalum permittitur, quam ut veritas relinquatur*. Sic Chriſtus injunctum a Patre officium Redemptoris exequebatur, quamvis eſſet Scribis & Phariſæis ſcandalo; immo cum aliquando acceſſiſſent ad eum diſcipuli dicentes: *Scis quia Phariſæi audito verbo hoc*, ſcilicet, *non quod intrat in os coinquinat hominem, ſcandalizati ſunt; at ille reſpondens ait: omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur; ſinite illos, cæci ſuot & duces cæcorum*. Matth. 15. verſ. 12.

3. Ex Raym lib. 3. de ſcandalo, ubi hæc aſſertur regula.

Scandala pro vita, doctrina, juſtitiaque,
Tu non effugies, ſunt in reliquis fugienda.

Pro vita; *quia pro nullo ſcandalo debet quis mortalitèr peccare. Doctrina*; *quia doctor, vel prædicator non debet falſum docere vel prædicare pro aliquo ſcandalo* vitando .... *Juſtitia*; *quia nec judex falſam ſententiam, nec teſtis falſum teſtimonium debet ferre pro aliquo ſcandalo* vitando.

4. *Rat.* Ordo caritatis poſtulat, ut quiſque ſaluti ſuæ magis quam alienæ invigilet: Ergo cum ad propriam ſalutem pertineat rem præceptam exequi, non debemus ab ea deſiſtere, licet ſcandalizetur proximus.

Conſectaria hujus Doctrinæ.

Conſect. 1. Nulla unquam licet violare præcepta negativa juris naturalis ad vitandum ſcandalum; quia illa præcepta obligant *ad ſemper & pro ſemper*. Sic nunquam ob ſcandali metum licebit mentiri, innocentem interficere, &c.

Monit. Præcepta affirmativa, quia non obligant *ad ſemper & pro ſemper*, ſed ſolum tempore & loco, non ſunt eo tempore obſervanda, quo ex intempeſtiva eorum obſervatione ſcandalum oriretur. Sic licet tenear corrigere proximum, non tamen eo tempore hanc debeo correctionem adhibere, quo video ex illa correctione naſciturum ſcandalum.

Conſect. 2. Quoties tenemur ex præcepto adminiſtrare vel tueri bona temporalia, non poſſumus ea dimittere propter ſcandalum, ut docet D. Th. Talia ſunt bona Eccleſiæ, Reipublicæ, vel ea quæ depoſito & tutelæ habemus . . . . En verba D. Th. *Dicendum, quod circa bona temporalia diſtinguendum eſt. Aut enim ſunt noſtra, aut ſunt nobis ad conſervandum pro aliis commiſſa, ſicut bona Eccleſiæ committuntur Prælatis, & bona communia quibuſcumque Reipublicæ Rectoribus. Et talium conſervatio, ſicut & depoſitorum imminet his, quibus commiſſa ſunt ex neceſſitate; & ideo non ſunt propter ſcandalum dimittenda, ſicut nec alia, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis*. 2. 2. q. 43. a. 8.

Sic bona, quorum non ſumus domini, non ſunt dimittenda ob ſcandalum; quia hoc noceret bono communi: daretur enim malis occaſio rapiendi, & noceremus ipſis, qui raperent; quia in peccato rapinæ perſeverarent.

Conſect. 3. Nullus ob metum ſcandali poteſt falſa docere; poteſt tamen ſecundum congruentiam temporis veritatem reticere. Ita D. Th. 2. 2. q. 43. a. 7. ad 2. *Propter nullum ſcandalum, quod ſequi videatur, debet homo prætermiſſa veritate falſitatem docere. Sed ipſe actus docendi inter ſpirituales eleemoſynas computatur; & ideo eadem ratio eſt de doctrina, & de aliis miſericordiæ operibus*. Et proinde juxta mentem D. Thom. ſicuti non tenemur dare eleemoſynam, niſi cum illud poſtulant & neceſſitas proximi, & noſtrum officium; ita docere veritatem non tenemur, niſi quando id exigit vel noſtrum officium, vel pro-

proximi necessitas. Et D. Raymundus loco supra citato ait, quod prædicator doctorve *tacere potest & debet, si omnes ita obstinati sunt, quod deteriores efficiantur doctrina.*

Consect. 4. Ob vitandum scandalum, quod interdum nascitur ex veritate intempestive prædicata, Concionatores debent abstinere ab iis omnibus tractandis coram populo, quæ non inserviunt *ad docendum, arguendum, corripiendum, & erudiendum in justitia, ut perfecte sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*, ut loquitur Paulus; sed omissis his quæstionibus, quæ tumultum potius excitant, quam pietatem foveant, debent insistere eradicandis vitiis ex hominum mentibus, & inserendis virtutibus: ideo legant quæ pro Concionatoribus scripsit Sanctus Carolus Borromæus.

Consect. 5. Ad vitandum scandalum, ut docet passim August. nulla compensatio criminum est admittenda: & ita ne putemus, ait, nobis licitum minora peccata committere, ut vitentur majora: ut fecit Loth, offerendo filias virgines Sodomitis, ut vitaret crimen contra naturam. Gen. 18. uti fecit senex Gabaonita in causa Levitæ. Judic. 19. v. 14.

ARTICULUS IV.

Quæ omittenda sunt ad vitandum scandalum pusillorum.

PRop. 1. Opus ex objecto indifferens debet omitti ad vitandum scandalum pusillorum, id est, eorum qui non ex malitia cordis, sed ex infirmitate mentis scandalum patiuntur.

Prob. 1. Exemplo Pauli, qui dicit, quod non manducaret carnem in æternum, si sciret nasciturum hinc fratri suo infirmo scandalum. *Si esca*, inquit, *scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scadalizem.* 1. ad Corinth. 8. v. 13.

2. Ex D. Raymundo ibidem: *Cum opus est indifferens, videtur secundum prædicta omnino cessandum esse propter scandalum.*

3. *Rat.* Ordo caritatis exigit, ut ab indifferentibus abstineamus, ne simus scandalo fratribus nostris.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Si ambulare, si loqui, si cum fratribus conversari, scandalum infirmis pariat, debemus illud omittere. *Videte autem*, inquit Paulus, *ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis.* 1. Corinth. c. 8. v. 9.

Consect. 2. Propter scandalum pusillorum vel totaliter dimittenda sunt temporalia, quorum sumus domini, vel aliter scandalum est sedandum per aliquam admonitionem, ut docet Augustinus. Et D. Th. 2. 2. q. 43. art. 8. in corp. *Temporalia vero bona, quorum nos sumus domini, dimittere ea tribuendo, si penes nos ea habeamus, vel non repetendo, si apud alios sint propter scandalum quandoque quidem debemus, quandoque autem non: si enim scandalum ex hoc oriatur propter ignorantiam, vel infirmitatem aliorum, quod est scandalum pusillorum, tunc vel totaliter dimittenda sunt temporalia, vel aliter scandalum sedandum, scilicet, per aliquam admonitionem*, ut ait Aug. *Dandum est quod nec tibi, nec alteri noceat .... & cum negaveris, quod petit, indicanda est ejustitia; & melius aliquid dabis cum petentem injuste correxeris.*

Prop. 1. Bona spiritualia, quæ ad salutem non sunt necessario facienda, id est, quæ non sunt de præcepto, sed tantum de consilio, quandoque differenda, vel occultanda, vel in perpetuum dimittenda ad vitandum scandalum pusillorum.

Prob. ex D. Thom. 2. 2. quæst. 43. art. 7. in corp. *In spiritualibus bonis, quæ non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum; quia scandalum, quod ex eis oritur, quandoque ex malitia procedit, cum scilicet aliqui volunt impedire hujusmodi spiritualia bona, scandala concitando, & hoc est scandalum Pharisæorum, qui de Doctrina Domini scandalizabantur; & hoc contemnendum Dominus docet: quandoque vero scandalum procedit ex ignorantia, vel infirmitate, & hujusmodi est scandalum pusillorum, propter quod sunt spiritualia bona*, scilicet, consilii, *vel occultanda, vel etiam interdum differenda, ubi periculum non imminet, quousque reddita ratione, hujusmodi scandalum cesset; si autem post redditam rationem hujusmodi scandalum duret, jam videtur ex malitia esse; & sic propter ipsum non sunt hujusmodi spiritualia opera dimittenda.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Filiusfamilias vocatus ad statum Religiosum, vel Ecclesiasticum, si prævideat, quod suscipiens illum statum perturbationem familiæ suæ sit illaturus, debet propositi executionem ad congruum tempus differre; & fusis precibus ad Deum, expectare consensum parentum, aut saltem elicere,

re, ut instruantur quomodo hac in parte se gerere debeant.

Consect. 2. Mulieres conjugatæ debent dimittere bona spiritualia, quæ sunt de consilio, & non de præcepto, v. g. audire missam quotidie, adesse horis Canonicis diebus festis, recipere Eucharistiam quolibet die aut qualibet hebdomada; si hinc nascatur perturbatio domestica ... & melius est, ut omittant hæc exercitia spiritualia, aliaque illorum loco substituant de consilio & consensu Confessarii sui.

ARTICULUS V.

Quæ omittenda sunt ad vitandum scandalum, etiam malignorum.

PRop. *unica*. Videtur quod ex lege caritatis aliquando abstinendum sit ab operibus ex objecto indifferentibus, si parum sint nobis necessaria, quando scilicet proximus ex propria etiam malitia ex illis operibus occasionem ruinæ suscepturus est: Omissio vero operis indifferentis præsumitur proximo profutura. Sed ab his operibus indifferentibus non abstinendum est, si tam omissio, quam non omissio prævideatur futura proximis scandalo ex eorum malitia.

Prob. 1. Scriptura. *Sine offensione estote Judæis & Gentibus, & Ecclesiæ Dei; sicut & ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod utile est mihi, sed quod multis, ut salvi fiant.* 1. ad Corint. 10. v. 36. Ergo exemplo Pauli debemus abstinere ab indifferentibus, non solum cum proximus patitur scandalum ex infirmitate, sed etiam aliquando, cum patitur scandalum ex propria malitia; quia inter eos omnes, quibus placere conabatur Apostolus, erant non solum qui ex infirmitate, sed etiam qui ex malitia scandalum sumebant ex actionibus Pauli.

2. Ex D. Raymundo lib. 3. de scandalo §. 2. ubi sic habet: *In tertio casu, scilicet, cum objectum est indifferens, videtur secundum prædicta omnino cessandum esse propter scandalum.*

3. *Rat.* Ordo caritatis exigit, ut nemo quod suum est quærat, sed quod est alterius; præcipue cum æterna salus proximi agitur; salus enim æterna proximi debet commodis nostris temporalibus præponderare: Ergo ex lege caritatis, quæ non quærit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi, debemus opera ex objecto indifferentia nobis non admodum necessaria interdum omittere, ut vitetur scandalum, etiam ex malitia proximi nasciturum.

Dixi *res indifferentes*, quia res necessariæ non sunt omittendæ; nobis enim præcipitur ea agere, quæ nobis sunt necessaria.

Dixi, quod res indifferentes sunt omittendæ aliquando ob scandalum, etiam malitiose acceptum; quia durius esset, semper se rebus indifferentibus privare ob scandalum malitiose acceptum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Non omittenda sunt ea, quæ sunt necessaria vel ad victum, vel ad vestitum, licet maligni hinc sumant occasionem scandali.

Sic Christus non a cibo & potu abstinuit licet Pharisæi malitiose dicerent: *ecce homo vorax, potator vini.*

Sic Discipuli Christi non abstinuerunt a cibo & potu necessariis, quamvis Pharisæi malitiose inquirerent a Christo: *quare discipuli tui non jejunant?*

Consect. 2. Non omittenda sunt ea, quæ sunt necessaria ad honestam recreationem, licet maligni hinc sumant occasionem scandali: sic Joannes Evangelista, ut refertur in collationibus Patrum, honeste recreabat animum. *Et cum quidam scandalizarentur*, inquit D. Th. *quod eum cum discipulis suis ludentem invenirent, dicitur mandasse uni eorum, qui arcum gerebat, ut sagittam traheret. Quod cum pluries fecisset, quæsivit utrum hoc continue facere posset: qui respondit, quod si hoc continue faceret, arcus frangeretur. Unde beatus Joannes subintulit, quod similiter animus hominis frangeretur, si numquam a sua intentione relaxaretur.* 2. 2. q. 168. a. 2. in C.

Consect. 3. Ea quæ vel ad victum, vel ad vestitum, vel ad honestam recreationem necessaria non sunt, sed conducunt solum vel ad victum immoderatiorem, vel ad vestitum luxuriosiorem, vel ad recreationem parum honestam: ea, inquam, omittenda sunt, tum quia ibi non reperitur Christiana mediocritas, tum quia hi excessus sunt occasio, cur proximus in majores excessus prolabatur.

Sic dato, quod convivia lautiora, quod splendidiores vestes, quod recreationes parum decentes, quales sunt choreæ, comediæ, &c. essent res indifferentes, ut volunt homines mundani, deberent tamen evitari ob scandalum, quod semper adjunctum habent.

AR-

ARTICULUS VI.

De his, qui videntur esse scandalo, & non sunt: qui videntur cooperari peccato, & non cooperantur.

PRop. 1. Ille non peccat peccato scandali, nec peccato proximi cooperatur, qui justa de causa, pioque motivo præstat aliquid vel sanctum, vel honestum, quo posito, proximus malitiose elicit aliquid cum peccato, quod si vellet, posset omittere, vel elicere sine peccato; modo ille qui elicit opus vel sanctum, vel honestum, ad quod ex malitia alterius sequitur peccatum, nec ex justitia, nec ex caritate, v. g. ex officio superioris, vel ex lege correctionis fraternæ, teneatur peccatum proximi impedire.

Prob. 1. Scriptura. Cum Judæi scandalizati fuissent, eo quod Christus dixisset, *Non quod in os intrat coinquinat hominem*, monitus de illo scandalo a Judæis malitiose suscepto, ait: *Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum.* Matth. c. 15. v. 13. Ergo possumus opus sanctum, vel honestum elicere, licet proximus ex propria malitia sumat præter intentionem nostram occasionem peccandi.

2. Ex Aug. Epis. 47. ad Publicolam, ubi sic habet: *Absit ut ea, quæ propter bonum ac licitum facimus, aut habemus, si quid per hæc præter nostram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. Alioquin nec ferramenta domestica & agrestia sunt habenda, ne quis eis vel se, vel alterum interimat: nec arbor, aut restis, ne quis se inde suspendat: nec fenestra facienda est, ne per hanc se quisque præcipitet, quid plura commemorem, cum ea commemorando finire non possim? quid enim est in usu hominum bono ac licito, unde non possit etiam pernicies irrogari?* Ergo quæ sunt bona & honesta agere possumus, licet hinc pravi homines peccandi occasionem suscipiant.

3. Ex D. Th. 2. 2. q. 43. a. 1. ad 4. ubi sic habet: *Per accidens autem aliquod verbum, aut factum unius, est alteri causa peccandi, quando etiam præter intentionem operantis, & præter conditionem operis aliquis male dispositus ex hujusmodi opere inducitur ad peccandum, puta, cum aliquis invidet bonis aliorum, & tunc ille qui facit hujusmodi actum rectum, non dat occasionem, quantum in se est, sed alius sumit occasionem secundum illud* ad Rom. 7. v. 8. *Occasione autem accepta &c.* Ergo quod est rectum agere possumus, licet hinc alii malitiose sumant occasionem peccandi.

4. *Rat.* Prima Ratio. Quilibet potest absque peccato justa ex causa pioque motivo uti jure suo, ut patet: atqui quilibet jus habet eliciendi actum vel sanctum, vel honestum, cum neutrum illorum sit prohibitum: ergo quilibet potest elicere actum vel sanctum, vel honestum sine peccato, licet alius sumat inde ex propria malitia occasionem peccandi.

Secunda Ratio. Actio scandalosa ea est, quæ vel mala, vel minus recta præbet alteri occasionem ruinæ; opus autem vel sanctum, vel honestum, nec est actio mala, nec minus recta, nec præbet alteri occasionem ruinæ, sed proximus sumit malitiose ex eo quod bonum est, vel honestum, occasionem peccandi: ergo opus sanctum, vel honestum potest sine peccato a nobis exerceri, licet alii hinc ex propria malitia sumant occasionem peccandi.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Non peccat persona publica, quæ justa de causa, & ex necessitate exigit juramentum ab eo, qui falso juraturus præsumitur; quia exigens juramentum utitur jure suo.

Sic judex carens testimonio, servato ordine juris, potest exigere juramentum ab eo, qui præsumitur pejeraturus. Sic Princeps, dum init pacem cum hostibus, potest exigere juramentum ab illis, licet sint juraturi per falsos deos: ita D. Th. 2. 2. q. 98. a. 4. in corp. *Si autem aliquis exigat juramentum tanquam persona publica, quod exigit ordo juris ad petitionem alterius, non videtur esse in culpa, si ipse juramentum exigat, sive sciat eum falsum jurare, sive verum; quia non videtur ille exigere, sed ille, ad cujus instantiam exigit.* Judex tamen debet omnia tentare, ut quantum est in se, non fiat perjurium.

Sic pariter non peccat homo privatus, qui controversiam habens cum alio, exigit juramentum ab illo, modo dubitet de facto, vel nesciat, an juraturus sit verum, vel falsum, credatve eum pro vero juraturum; tunc enim ut dicit D. Th. 2. 2. q. 98. a. 4. ad 1. *ad majorem certitudinem exigit juramentum*, & rem ex se sanctam postulat.

Sic licet tam personæ privatæ, quam publicæ recipere juramentum illius, qui verum per falsos deos juraturus est; minime vero illius, qui falsum per verum Deum juraturus est: quia in primo juramento est veritas, qua uti licet: in secundo est falsitas, qua numquam uti licet: ita D. Th. in eadem q. a. 4. ad 4. *Licet ejus, qui per falsos deos jurare paratus est, juramentum recipere: non tamen licet.*

licet eum inducere ad hoc, quod per falsos deos juret. Alia tamen ratio videtur esse in eo, qui per verum Deum falsum jurat; qua in tali juramento deest bonum fidei, qua utitur aliquis in juramento illius, qui per falsos deos verum jurat.

Monit. Peccat e contra qui sine causa & necessitate exigit juramentum ab eo, qui illicite juraturus præsumitur; quia inducens ad jurandum frustra est causa illiciti juramenti: tunc enim, ut utar verbis D. Th. 2.2. q. 98. a. 4. ad 2. *Propria sponte ad jurandum cogit eum, quem scit falso juraturum*: & juramentum exigit quod nihil inservire valet nisi ut Deus perjurio offendatur, & pejerans vitio perjurii commaculetur.

Sic peccat persona tum publica, tum privata intra litis contestationem, quæ, dum aliunde habet sufficientia testimonia ad eruendam veritatem, exigit juramentum ab eo, qui pejeraturus præsumitur. Id docet D. Th. his verbis 2.2. q. 98. a. 4. in corp. *Si autem scit, eum fecisse, scilicet, contrarium ejus, quod jurat, & cogit eum jurare, homicida est; ille enim suo perjurio se interimit; sed iste manum interficientis impressit*. Et peccatum est multo gravius, quando illud fit eo fine, ut proximus perjurii convincatur per instrumenta manifestantia veritatem, quæ malitiose occultantur. Habes circa hoc egregium factum Domini Duharlay primi præsidis Parisiensis, qui pœna mulctavit debitorem, qui munitus instrumentis, quibus debitum suum probaret, juramentum debitori detulerat, ut eum post juramentum perjurii argueret. *Proces verbal des conferances de l' Ordinnance criminelle*. Titre 13. art. 3. Et Aug. refert exemplum cujusdam civis Hiponensis, alioquin boni, extraordinarie a Deo puniti, quod ne rem debitam perderet, juramentum a pejeraturo exegisset. Serm. de decollatione S. Joan.

Consect. 2. Non peccat qui justa de causa & ex necessitate recipit, immo exigit Sacramenta a ministris qui tenentur ea conferre, licet illi ministri ob indignitatem suam peccent, conferendo sacramenta; tunc enim fidelis rem sanctam postulat, scilicet Sacramenta, & cum ea exigit a suo Parocho vel Prælato, utitur jure suo. Cum enim Sacramenta sint propter homines, homo jus habet ea exigendi a ministris, quibus illorum dispensatio ex officio incumbit, & penes eosdem ministros est per gratiam Christi conferre Sacramenta cum debitis dispositionibus.

Sic in extrema necessitate, v. g. in mortis articulo, licet recipere, immo exigere Sacramenta necessitatis, nimirum Sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ a malis ministris, immo a ministris excommunicatis, suspensis, & ab Ecclesia non toleratis, si non sint alii ministri; quia in talibus circumstantiis, quilibet sacerdos est quasi proprius Parochus, cessatque omnis reservatio in Ecclesia Dei, inquit Trid. sess. 14. c. 7. *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis casibus & censuris absolvere possunt*.

Monit. Si tamen ex tali communione cum hæreticis & schismaticis oriretur multorum fidelium scandalum, diminutio Catholicæ Religionis, incrementum hæreseos, vel schismatis, tunc adultus posset sine actuali Sacramentorum receptione per votum Sacramenti saluti suæ consulere.

Sic, urgente vulgari necessitate, etiam extra mortis articulum, potest quilibet fidelis, non solum recipere, sed etiam exigere Sacramenta a Parocho, quantumvis malo, si sit ab Ecclesia toleratus; quia utitur jure suo.

Monit. Si tamen sit alius minister dignior, ad quem commode possit accedere, tenetur non ex justitia, cum ad id jus habeat, sed ex caritate, a digniori ministro Sacramenta recipere, etenim sic peccatum proprii Parochi impediet.

Sic, stante vulgari necessitate, fidelis non potest exigere Sacramentum a malo ministro qui nec Parochus est, nec paratus ea administrare; quia non habet jus exigendi, nec proinde inducendi ad conferendum Sacramenta: si tamen paratus esset conferre Sacramenta quibuscumque obviis fidelibus, tunc oblata Sacramenta & recipere liceret cuilibet fideli; tunc enim Sacramentum recipiens, ministrum non induceret ad illicitam administrationem Sacramenti, sed ad bonum uteretur prava ejus voluntate Sacramenta obviis quibuscumque fidelibus offerente.

Consect. 2. Quando persona publica, vel politica ut Notarius, vel Ecclesiastica ut Parochus, tenetur ex officio cooperari quibusdam actionibus sanctis, vel honestis a proximo eliciendis, potest persona publica eis actionibus cooperari absque peccato, licet proximus hanc actionem ex objecto vel sanctam, vel honestam vitiet prava aliqua circumstantia occulta; quia tunc persona publica jure suo utitur, & officio suo satisfacit; & proximus, id quod est ex objecto licitum, efficit prava sua intentione vitiosum.

Sic Sacerdos potest, immo debet Eucharistiam

ristiam ministrare peccatori, & excommunicato, & hæretico occulto, si petat publice; quia peccatum utpote occultum non dat jus denegandi Eucharistiam, si eam publice petierit: ita docet D. Th. post Aug. 3. P. q. 80. a. 6. *Manifestis*, inquit, *ergo peccatoribus non debet etiam petentibus Sacra Communio dari, ut Cyprianus docet de histrionibus .... Si vero non sint manifesti peccatores, sed occulti, non potest eis petentibus Sacra Communio denegari; cum enim quilibet Christianus ex hoc ipso quod est baptizatus, sit admissus ad Dominicam cœnæ mensam, non potest ei jus suum tolli, nisi pro aliqua causa manifesta: unde super illud* 1. Cor. 5. *Si is qui frater nominatur inter vos*, dicit Glossa Augustini: *Nos a Communione quemquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo judicio Ecclesiastico, vel sæculari nominatum, atque convictum*.

Sic Parochus juridice requisitus potest, immo debet matrimonio Parochianorum tamquam testis interesse, quamvis ex confessione, vel alia via occulta sciat contrahentes esse vel in statu peccati, vel cum aliquo occulto impedimento contrahere; quia vitium occultum non dat jus denegandi Parochianis sui præsentiam, post decretum Tridentini ad valorem matrimonii absolute necessariam.

Sic pars desponsata requisita, ut sponsalibus satisfaciat, & matrimonium contrahat, potest sine peccato matrimonium inire, licet sciat ejus compartem matrimonii Sacramentum in statu peccati recepturam (*a*); quia peccatum occultum non dat jus denegandi sponsalium executionem, quando hæc aut juridice, aut quasi juridice requiruntur.

Sic Notarius requisitus a partibus contrahentibus potest sine peccato licitas ex objecto contrahentium voluntates suscipere, licet illi contractus ex occulta contrahentium intentione sint illiciti, quia occultum peccatum non dat jus Notario denegandi sui præsentiam ad contractum civilem absolute necessariam. Notarius potest, v. g. testamentum transcribere, modo testamentum illud sit per leges permissum; in quo tamen testator perperam bona sua subtrahit consanguineis, ut ea det extraneis. Item potest transcribere contractum usurarium, modo non sit manifeste per leges tamquam usurarium reprobatum; quia occulta usura non dat Notario jus denegandi sui præsentiam ad contractum civilem absolute necessariam.

Sic privatus quilibet, cui non interdicitur ex conditione sui status armorum exercitium, potest licite, immo jussus debet sub suo Principe bellum exercere, licet bellum occultam contineret injustitiam; est enim subditus Regi, cui in omnibus manifestam injustitiam non continentibus, obtemperandum est.

Monit. In prædictis casibus Sacerdos Sacramenta conferens, sponsus, vel sponsa contrahens, Notarius contractum recipiens, &c. debent quantum in ipsis est juxta regulas prudentiæ præmonere eos, qui actionem sanctam, aut honestam ex objecto prava aliqua circumstantia vitiant: debent, inquam, præmonere eos, ut a prava illa circumstantia abstineant: ita docet D. Th. loquens de Sacerdote Eucharistiam ministrante: *Potest tamen Sacerdos, qui est conscius criminis, occulto monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Domini accedant antequam de peccatis pœniteant*. Ibidem loco supra citato.

Consect. 3. Non peccat qui ad subveniendum vel necessitati propriæ, vel alienæ, accipit mutuum sub usuris; etenim utitur jure, quod habet subveniendi sibi per alienam pecuniam nec inducit hominem ad peccatum, sed peccato usurarii utitur ad bonum: ita hanc regulam confirmat D. Th 2. 2. q. 78. a. 4. in corp. *Dicendum, quod nullo modo licet aliquem ad mutuandum sub usuris inducere; licet tamen ab eo, qui hoc paratus est facere, & usuras exercet, mutuum accipere sub usuris propter aliquod bonum, quod est subventio necessitatis suæ, vel alterius; sicut etiam licet ei, qui incidit in latrones, manifestare bona, quæ habet (quæ latrones peccant diripiendo) ad hoc, quod non occidatur, exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Ismael: noli occidere nos, quia thesauros habemus in agro*. Jer. 41. v. 8.

Consect. 4. Non peccat beneficii Ecclesiastici legitimus possessor, qui dat aliquid temporale, ut injusta impedimenta removeat; quia utitur jure suo: ita docet D. Th. *Dicendum, quod antequam alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel quacumque dignitate, vel præbenda per electionem, vel provisionem seu collationem*, simoniacum esset *adversantium obstacula pecunia redimere; sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam: sed postquam jus alicui acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta revocare*. D. Th. 2. 2. q. 100. a. 2. ad 5.

TRA-

(*a*) Nisi alias vitare possit: caritas enim postulat, ut & correctione fraterna utamur erga proximum, & ut peccatum ejus, quantum possumus, impediamus.

TRACTATUS DECIMUS TERTIUS.

De sexto Decalogi Praecepto.

DUo haec Praecepta: *Non mœchaberis... Non desiderabis uxorem proximi tui:* Exod.20.juvat hic simul explicare;quia ad eumdem finem tendunt. Deus quippe his duobus praeceptis idem fere a nobis exigit; praecipit enim utroque praecepto castitatem; vetat vero omnem extra legitimum conjugium luxuriae libidinem, ut docet Canon *Meretrices*. Hic ergo est explicanda luxuriae natura; sed quia periculosa est tam obsceni vitii tractatio, antequam subjiciam distinctam hujus criminis ideam, & varias ejus percurram species, prius exhibebo, quam grave sit illud vitium, ut sic & legentium, & audientium animus sit quodam quasi clypeo praemunitus.

CAPUT PRIMUM.

De quibusdam praeambulis necessario pertractandis antequam agatur de vitio luxuriae.

ARTICULUS I.

Quam grave peccatum sit luxuria.

PRop. 1. Crimen gravissimum est omne peccatum luxuriae, idest, usus inordinatus venereorum extra legitimum matrimonium.

Prob. 1. Luxuria est peccatum contra Deum, quatenus polluit templum Dei, quod est corpus nostrum: de quo ita Paulus: *Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet eum Deus. Templum enim sanctum est, quod estis vos.* 1.ad Corin.3.v.16.

2. Est peccatum contra Christum, quatenus membra Christi, nos scilicet, facit membra meretricis. *Nescitis*, inquit idem Apostolus, *quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis! absit. An nescitis, quoniam qui adhaeret meretrici unum corpus efficitur? erunt enim, inquit, duo in carne una; qui autem adhaeret Domino, unus spiritus est*. 1. ad Corint. 6. v.15.

3. Est peccatum contra nosmetipsos, quatenus corpus nostrum polluit. *Fugite fornicationem*, inquit Paulus, *omne enim peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*. 1. ad Corinth. 6. v. 18.

4. Est peccatum contra proximum, quatenus est contra bonum prolis generandae; & educandae, & quatenus complici est occasio ruinae. *Omnes corruptiones luxuriae*, inquit D. Thomas, *quae sunt praeter legitimum matrimonii usum, sunt peccata in proximum, in quantum sunt contra bonum prolis generandae & educandae*. q.15.de malo a.11.ad 4.

5. Est peccatum contra statum Christianorum, quibus specialiter jubetur sanctitas. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos*, inquit Paulus Ephes. 5. v.3.

6. Est peccatum aliis longe gravius: est furto faedius, juxta Scripturam: *Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit; furatur enim, ut esurientem impleat animam... Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam*. Prov.6.v.30. Et juxta Tert. lib. de pudic. c.22. luxuria gravior est idololatria, non ex objecto, sed ex eo quod magis libere committatur. *Nemo volens*, inquit, *negare compellitur; nemo nolens fornicatur. Nulla ad libidinem vis est, nisi ipsa; negationem vero quanta compellunt ingenia carnificis & genera poenarum? Re ipsa quis scelestior, an idololatra, qui Deum amisisse doluit, an fornicator, qui cum amitteret, lusit. Ille bovem mactat idolo; iste hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, & debitam mactat Diabolo.*

ARTICULUS II.

Quae poenae contra luxuriam a Deo destinentur.

DEus multis modis punit luxuriem. 1. Temporaliter, immittendo poenas corporales. 2. Spiritualiter, denegando gratiam. 3. Poena aeterna, addicendo inferno Luxuriosos. Percurro breviter illas poenas.

§. I.

Poenae temporales contra luxuriam.

1. In poenam tanti criminis Deus immisit diluvium, dissipans omnem terram. *Corrupta est autem terra coram Deo, & repleta est iniquitate*, inquit Textus Sacer. Gen. 6. v. 11. *Cumque vidisset Deus terram esse corruptam, omnis quippe caro corruperat viam suam super terram, dixit ad Noe: Finis universae carnis venit coram me, repleta est terra iniquitate a facie eorum, & ego disperdam eos cum terra.* Qua-

Quali autem crimine corrupta erat terra, quod tantam demereretur punitionem, non aliud innuitur nisi luxuries. *Videntes*, inquit Scriptura Gen. 6. v. 2. *filii Dei*, idest posteri Seth, *filias hominum*, idest, ortas ex Caini prosapia, *quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant*, solam spectantes libidinem in conjugio, quanto graviori pœna puniendi, qui extra matrimonium fœdis polluuntur scortationibus?

2. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem.... Et subvertit civitates has, & omnem circa regionem, universos habitatores urbium, & cuncta terræ viventia*: Gen. 19. v. 24. ut infandam illorum libidinem puniret.

3. Onam inordinate agens in matrimonio, occisus est a Domino. *Percussit eum Dominus*, inquit Scriptura, *eo quod rem detestabilem faceret*. Gen. 38. v. 10.

4. Filii Jacob, Simon & Levi fratres Dinæ omnes masculos Sichimitas interfecerunt, ut stuprum illatum Dinæ ulciscerentur. Gen. 34. Laudatque Judith factum illud cap. 9. v. 2. non quidem mendacium perfidiamque fratrum Dinæ approbans, sed justitiam Dei exaltans, inquit Menochius, qua Sichimitarum impuritas & violentia vindicata est.

5. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab ..Et occisi sunt viginti quatuor millia hominum*. Num. 25, 9.

6. Tribus Beniamin fere omnino deleta est in pœnam, eo quod vis illata fuerat uxori cujusdam Levitæ transeuntis Gabaa. Judic. 2.

§. II.

Pœnæ spirituales contra luxuriam.

1. Deus recedit ab homine impuro. *Non permanebit*, inquit Deus, *spiritus meus in homine, quia caro est*. Gen. 6. 3.

2. Permittit Deus impurum hominem labi in reprobum sensum: de quo ita Paulus: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione*. ad Rom. 1. v. 28.

3. Rejicit oblationes impuri hominis. *Non offeres*, inquit Moyses, *mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini, quidquid illud est, quod voveris; quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum*. Deut. 23. v. 18.

§. III.

Pœnæ æternæ contra luxuriam.

1. Deus declarat se futurum judicem & testem contra impuros homines: *Pro eo quod fecerint stultitiam in Israel, & mœchati sunt in uxores amicorum suorum ... Ego sum Judex & testis, dicit Dominus*. Jerem. 29. v. 23.

2. Excluduntur a cælis: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, regnum Dei possidebunt*. 1. ad Cor. 6. v. 9.

3. Addicuntur igni perpetuo: de hoc ita Joannes: *Fornicatoribus, veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda*. Apoc. 21. vers. 8 Et ut sciamus specialem pœnam luxoriosis reservatam, ita nos admonet Petrus Epist. 2. c. 2. *Novit Dominus pios de tentatione eripere; iniquos vero in diem judicii reservare cruciandos; magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant*.

Hæc proloqui necessarium visum est mihi, ne quis tam obscena, quæ dicturus sum, cum *morosa*, ut dicunt, delectatione retineret, sed cum sancto horrore rejiceret. *Si quis vero*, inquit Aug. *impudice aut legat, aut audiat, facta denotet suæ turpitudinis, non verba nostræ necessitatis, in quibus mihi facillime pudicus & religiosus lector vel auditor ignoscit*. lib. 14. de Civit. c. 23.

CAPUT II.

Explicatur quid sit luxuria, & quotuplex ejus species.

ARTICULUS I.

De natura luxuriæ.

Luxuria est inordinatus vel usus, vel appetitus delectationis venereæ. Dixi, inordinatus; quia usus venereorum perceptus debito modo in legitimo matrimonio non est illicitus, sed sancte exerceri potest.

Actus luxuriæ alii sunt externi, alii interni.

Actus interni sunt actus animæ, qui ordinantur ad actus externos: tales sunt isti actus, desiderium absolutum, vel conditionatum rei venereæ, delectatio morosa in cogitatione venerea.

Actus externi sunt actus corporis ordinati ad decisionem seminis: hujusmodi sunt, verba lasciva, tactus lascivi, oscula, &c.

Actus externi venerei alii sunt completi in hac linea, alii incompleti.

Actus externi completi sunt illi, in quibus intervenit ultimus terminus venereorum, scilicet decisio seminis.

Actus

Actus externi incompleti sunt illi, in quibus non intervenit decisio seminis.

Actus externi tam completi, quam incompleti, alii sunt naturales, alii innaturales.

Actus luxuriosi naturales sunt illi, ex quibus sequi potest generatio, v. g. concubitus viri cum femina solito more.

Actus luxuriosi innaturales sunt illi, ex quibus sequi nequit humana generatio: tales sunt mollities, sodomia, bestialitas.

ARTICULUS II.

De variis speciebus luxuriæ secundum naturam.

SPecies luxuriæ secundum naturam sunt actus illi venerei inordinati, ex quibus sequi potest generatio.

Species luxuriæ secundum naturam sunt istæ, fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, sacrilegium.

Fornicatio est concubitus naturalis *soluti* cum *soluta*: per illud *soluti* cum *soluta* intelligitur solutio seu libertas a vinculo *matrimonii*, *voti*, *Ordinis sacri*, *cognationis*, vel *affinitatis*: alias si concumbentium uterque, vel alteruter foret innexus vinculo *matrimonii*, esset *adulterium*, si *voti*, *ordinisve sacri*, esset *sacrilegium*, si *cognationis* aut *affinitatis*, esset *incestus*.

Stuprum est concubitus cum persona virgine invita, & non consentiente; vel si ipsa consentiat, dissentientibus parentibus, dum est sub cura parentum.

Stuprum datur etiam, dum Virgo, & Virginis parentes in illicitam consentiunt deflorationem; sicut verum est adulterium quamvis uterque conjux consentiat.

Adulterium est concubitus cum persona per matrimonium ligata.

Raptus est concubitus cum persona vi abducta, causa libidinis explendæ.

Incestus est concubitus cum persona, vel consanguinea, vel affine usq; ad quartum gradum; qui concubitus tanto gravior est, quanto persona est proximior.

Sacrilegium est peccatum luxuriæ, quo fœdatur vel persona Deo sacrata per votum castitatis, vel locus sacer profanatur per actum venereum.

Sacrilegium potest fieri quatuor modis. 1. Si persona Deo sacra sola consentiat, vel delectetur deliberate de re venerea. 2. Si persona non sacra in actum venereum cum persona sacra consentiat. 3. Si utraque persona luxurians sit Deo sacrata. 4. Si venereus actus fiat in loco sacro, verb. gr. in Ecclesia, in Cœmeterio, illicite inter non conjugatos, vel licite inter conjugatos, absque necessitate.

Quando dixi, quod luxuria, fornicatio, &c. sint concubitus, locutus sum de actibus completis, & non de actibus incompletis, qui ad eandem speciem pertinent.

ARTICULUS III.

De variis speciebus luxuriæ contra naturam.

SPecies luxuriæ contra naturam sunt actus illi venerei inordinati, ex quibus sequi non potest generatio.

Species luxuriæ contra naturam sunt istæ, Mollities, Sodomia imperfecta, Sodomia perfecta, Bestialitas.

Mollities est voluntaria effusio seminis absque congressu, seu copula viri cum muliere.

Sodomia imperfecta est congressus duorum diversi sexus, v. g. maris cum femina, sed indebito modo, v. g. extra vas debitum: & cum Sodomia reservetur, aut ei imponatur censura Canonica, hoc debet intelligi de sodomia non imperfecta, sed perfecta.

Sodomia perfecta est congressus ejusdem sexus, v. g. maris cum mare, feminæ cum femina.

Bestialitas est congressus duorum diversæ speciei, v. g. viri cum bestia, vel bestiæ cum muliere, hominis cum dæmone succubo, vel incubo, idest, dæmone gerente vices viri, vel mulieris.

ARTICULUS IV.

De permixtione diversarum specierum luxuriæ.

SPecies illæ luxuriæ tam secundum naturam, quam contra naturam, possunt ad invicem permisceri, & secundum actum externum, & secundum affectum: v. g. si Titius conjugatus habeat rem cum Berta consanguinea, virgine, Religiosa & indebito modo; actus ille erit simul Adulterium, Stuprum, Incestus, Sacrilegium, & Sodomia imperfecta, ut patet .... 1. Adulterium; quia Titius est conjugatus .... 2. Stuprum; quia Berta est virgo. 3. Incestus; quia est consanguinea. 3. Sacrilegium; quia est Religiosa. 5. Sodomia imperfecta; quia indebito modo congreditur; immo posset esse Raptus, si violenter abducta fuisset e Claustro.

Ut permixtio secundum actum exteriorem cognoscatur, debet attendi circumstantia personarum, vel suppositorum, cum quibus fit congressus; an personæ sint solutæ; an sint conjugatæ; an sint Religiosæ; an sint affines; an sint ejusdem sexus; an sint ejusdem speciei.

Ut permixtio secundum affectum interiorem cognoscatur, attendi debet intentio & affectus peccantis, v. g. intentio polluentis se: an polluens concupiverit virginem Religiosam; quia tunc pollutio in actu habet malitiam mollitiei, in affectu habet malitiam stupri, & sacrilegii: an congrediens in actuali copula cum una persona, habuerit in affectu aliam; quia tunc congressus in actu habet malitiam illius concubitus, qui exercetur, & in affectu habet malitiam congressus, qui desideratur: v. g. qui congreditur cum meretrice concupiscens matrem suam conjugatam, elicit actum, qui habet malitiam fornicationis in re, & in affectu malitiam Adulterii & Incestus.

ARTICULUS V.

De diversis actibus imperfectis luxuriæ.

Actus imperfecti luxuriæ sunt colloquia obscena, tactus lascivi, oscula lasciva, amplexus lascivi, aspectus obscenorum; quia illa omnia ordinantur ad luxuriem.

Illi actus imperfecti exterius considerati sunt in eadem specie, in qua sunt personæ, a quibus & circa quas exercentur: v. g. si fiant a personis solutis, pertinent ad fornicationem; si fiant ab una persona conjugata, & altera soluta, pertinent ad simplex adulterium; si fiant a duabus personis, non ad invicem conjugatis, pertinent ad duplex adulterium; & sic inductive.

Illi actus imperfecti considerati secundum affectum, habent malitiam luxuriæ, quæ intenditur . . . Sic tactus, oscula, &c. facta a duabus personis solutis, intendentibus & desiderantibus personam Religiosam, habent in se malitiam reductam ad fornicationem, & malitiam reductam ad sacrilegium.

CAPUT III.

Quod & quale peccatum sit luxuries in genere, & qualibet species luxuriæ.

ARTICULUS I.

An actus venereus sit licitus in legitimo matrimonio: & quale peccatum sit extra legitimum matrimonium.

Prop. 1. Usus matrimonii, si fiat ordinate, non est illicitus; quin immo potest esse sanctus & meritorius.

Prob. 1. Script. *His autem*, inquit Paulus, *qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus uxorem a viro non discedere .... Si acceperis uxorem, non peccasti, & si nupserit virgo, non peccavit.* 1. ad Cor. 7. Rursus: *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Ad Hebr. 13. Ergo usus matrimonii, si fiat ordinate, non est peccatum.

2. Ex Synodo Gangrensi can. 1. *Si quis vituperat nuptias, & dormientem cum viro suo fidelem ac religiosam detestatur, aut culpabilem æstimat, velut quæ in regnum Dei introire non possit, anathema sit.*

3. Ex Aug. *Conjugalis concubitus generandi gratia non habet culpam: concupiscentiæ vero satiandæ, sed tamen cum conjuge propter thori fidem, venialem habet culpam: adulterium vero, sive fornicatio, lethalem habet culpam.* lib. de bono conjugali c. 6. Ergo usus matrimonii non est ex se illicitus.

4. Ex D. Thom. *Si ad actum matrimonialem virtus inducat vel justitiæ, ut debitum reddat, vel religionis, ut proles ad cultum Dei procreetur, est meritorius.* in 4. Sentent. dist. 26. quæst. 1. art. 4.

5. *Rat.* Prima ratio. Matrimonium, ut est officium naturæ, a Deo institutum est, juxta illud: *Masculum & feminam creavit eos, benedixitque illis Deus, dicens: Crescite & multiplicamini.* Genes. 2. In lege vero Evangelica Christus matrimonium evexit ad perfectionem sacramenti, ut fides docet: Ergo usus sacramenti factus juxta regulas rationis, non potest esse illicitus. Ideo tum in lege Evangelica, tum Mosaica multi fuerunt sanctissimi conjugati.

Secunda ratio. Sicut ad conservationem vitæ unius hominis ordinatur usus ciborum; ita ad conservationem totius humani generis ordinatur usus venereorum: Ergo sicuti uti cibis juxta regulas rationis non est peccatum; ita nec uti matrimonio ... De hoc agemus infra, ubi de usu matrimonii.

Prop.

Prop. 2. Omnis actus completus luxuriæ extra legitimum matrimonium est peccatum mortale, tanto gravius, quanto species luxuriæ est deformior.

In hoc enim genere peccati non datur parvitas materiæ, ut diximus, ob effrenem quippe concupiscentiæ impetum actus libidinosi imperfecti ad perfectos trahunt, & certo periculo exponunt; exponere autem se periculo peccandi mortaliter, est peccatum mortale.

Prob. 1. Script. *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, Regnum Dei possidebunt.* 1. ad Corinth. cap. 6. Ergo cum luxuries excludat a Regno cælorum, est peccatum mortale.

2. Ex Aug. *Nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus, probibitus debet intelligi.* lib. 2. quæst. in Exodum quæst. 71. Ergo si mœchia sit peccatum mortale, mortale erit pariter peccatum omnis actus luxuriæ completus, cum, juxta phrasim Scripturæ, mœchia nuncupetur.

3. Ex D. Thom. *Inordinatio circa emissionem seminis, est circa vitam hominis in potentia propinqua; unde manifestum est, quod omnis actus luxuriæ inordinatus est peccatum mortale ex suo genere.* q. 15. de malo art. 11.

4. *Rat.* Omnis inordinata seminis humani effusio, etiamsi fiat modo naturali, qualis est fornicatio, adulterium, bono naturæ officit: officit enim proli nascituræ, quatenus sanctæ ejus educationi non sufficienter providetur. Si repugnet bono naturæ; ergo repugnat bono universali. Si repugnat bono universali, est peccatum mortale: quia quod est contra bonum universale, non potest esse leve peccatum.

Prop. 3. Luxuria est tanto gravior, quanto persona exercens actum luxuriæ debet esse a peccato remotior.

Prob. 1. Script. Daniel 13. ostendit gravitatem luxuriæ duorum senum concupiscentium Susannam, modo ex ætate, modo ex conditione judicum. Dixit enim primo: *Inveterate dierum malorum.... Judicans judicia injusta & innocentes opprimens.* Secundo vero: *semen Chanaam, & non Juda.* Ergo gravior est luxuria, quo persona debet esse a peccato remotior.

2. Ex Concil. Ancyrano can. 16. In quo pœnitentiæ publicæ addicuntur omnes peccantes luxuriose; sed gravioribus pœnitentiis subjiciuntur senes, quam juvenes; conjugati, quam non conjugati: Ergo censet Concilium peccatum eo esse gravius, quo persona debet esse ab eo peccato remotior.

3. *Rat.* Circumstantia personæ multum facit ad cognoscendam naturam peccati; quippe luxuries in sene enormior est, quam in juvene: in illo enim ratio est vegetior, concupiscentia debilior: in isto ratio infirmior, concupiscentia ardentior. Luxuries in conjugato est enormior, quam in soluto; quippe conjugatus remedium habet, quo extinguat libidinem, non vero solutus. Luxuries gravior est in persona sacra, quam in laico; quia in illa est sacrilegium, minime vero in alio: Ergo eo est gravior luxuria, quo persona peccans debet esse ab illo peccato remotior.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Usus matrimonii inter conjugatos potest fieri, nedum licite, sed etiam sancte, modo sistant intra limites matrimonii. Quinam sint illi limites dicetur infra.

Consect. 2. Omnis actus completus luxuriæ est peccatum mortale, tanto gravius, quanto persona debet esse a peccato remotior; & ita attente considerandæ sunt personæ & a quibus, & circa quas peccata carnalia committuntur.

Consect. 3. Omnis actus completus luxuriæ est peccatum mortale, etiam si fiat modo naturali, gravior tamen quanto species luxuriæ est deformior: & ita examinandæ sunt omnes illæ species.

Consect. 4. Fornicatio, stuprum, raptus, adulterium, incestus, sacrilegium, sunt peccata mortalia; quia sunt species luxuriæ ..... De quibus sigillatim.

ARTICULUS II.

De Fornicatione.

PRop. unica. Fornicatio, seu concubitus naturalis soluti cum soluta est peccatum mortale. Propositio pertinet ad fidem: definita est in Clement. *Ad nostras* de hæreticis.

Prob. 1. Scriptura. Hoc vitium in novo Testamento prohibetur simul cum idololatria. Act. 15. v. 29. *Abstineatis vos ad immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione*: Ergo cum idololatria sit peccatum mortale; ergo & fornicatio. Et eadem Scriptura ait: *Fornicatio & immunditia nec nominetur in vobis.* ad Ephes. 5. v. 3. *Omnis fornicator aut immundus non habebit hæreditatem in regno Christi & Dei.* ad Eph. 5. v. 4. Immo in veteri lege fornicatio prohibita est. *Non erit meretrix de filiabus Israel.*

Israel. Deut.c.23. v. 17. *Attende tibi ab omni fornicatione*. Tob.4.v.13. Ergo.

2. Ex Concilio Viennensi, ubi damnata est hæc propositio: *Mulieris osculum, cum ad hoc non inclinet natura, est mortale peccatum; actus autem carnalis, cum ad hoc natura inclinat, peccatum non est, maxime cum tentatur exercens.*

3. Ex Aug. *Adulterium vero sive fornicatio lethalem habet culpam*. Lib. de bono conjug. cap. 6.

4. Ex D. Th. *Cum fornicatio sit concubitus vagus, utpote præter matrimonium existens, est contra bonum prolis educandæ, & ideo est peccatum mortale*. 2.2.q.154.a.2. Nec obstat, quod per accidens contingat aliquando prolem ex fornicaria copula natam bene educari, quin & ditari; quia de rebus judicandum est secundum ea, quæ eis conveniunt *per se*, & non secundum ea, quæ eis contingunt *per accidens*.

5. *Rat*. Fornicatio est contra vitam hominis nasciturі, cum sanctæ ejus educationi non sufficienter provideatur: ergo est peccatum mortale; quia peccatum contra vitam tum nostram, tum alterius est peccatum mortale: ideo Ecclesiastici 15.v.3. dicitur: *Qui se jungit fornicariis erit nequam*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Gravior est fornicatio promiscua quam furtiva ..... quia promiscue se offerens cuilibet venienti, magis impedit generationem, quam si uni soli se subjiceret; quia, dum plures coeunt, unus destruit quod alius fecerat; & proinde hæc species fornicationis, utpote magis opposita generationi, est gravior.

Consect. 2. Gravior est concubinatus, quam simplex fornicatio; quia addit supra simplicem fornicationem consuetudinem fornicationis, & retentionem concubinæ, quasi uxor esset. Concubinarii, si sint Laici, excommunicandi sunt; si sint Clerici, nisi resipiscant, suis sunt beneficiis privandi: ita Trident. sess.24.de reform.cap.8.

Consect. 3. Concubinarii non sunt absolvendi, nisi prius concubinas ejecerint; quia sunt in proxima occasione peccandi: ita jubet Trid. statuens, eos, *si concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse, a qua non absolvantur, donec re ipsa admonitioni factæ paruerint*. Conc. Triden. sess.24.c.8.

ARTICULUS III.

De Stupro.

PRop. unica. Stuprum, seu illicita defloratio virginis, est peccatum mortale gravius simplici fornicatione.

Prob. 1. Script. Deut. 22. v. 28. dicitur: *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit, dabit qui dormivit cum ea patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam uxorem, quia humiliavit illam, & non poterit dimittere cunctis diebus vitæ suæ*. Si vero virgo stuprum patiens invita fuerit desponsata, *ipse* stuprator *morietur solus*, ibidem v. 25. Ergo signum est stuprum gravius esse fornicatione simplici.

2. Comparatione stupri cum fornicatione. Stuprum est peccatum mortale. 1. Quia involvit malitiam fornicationis. 2. Est peccatum gravius fornicatione; quia supra fornicationem addit injuriam factam virgini, corrumpit enim ejus integritatem virginalem. 3. Impedit virginem a legitimo matrimonio consequendo, eamque exponit periculo meretricii. 4. Injuria fit insuper parentibus, qui ejus curam gerunt; patri enim dicitur: *Super luxuriosam filiam confirma custodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis*: Eccles. 42. v.11. Ergo stuprum est peccatum mortale longe gravius fornicatione.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Stuprator gravius peccat quam simplex fornicator. *Stuprum enim*, inquit D. Thom. 2.2. q.154. art. 6. *superaddit simplici fornicationi specialem deformitatem in specie luxuriæ*.

An vero hæc circumstantia sit necessario confitenda, non ita certum est. Multi graves authores putant, non esse necessario confitendam, si nulla in stupro intervenerit violentia, nec ex stupro nascatur obligatio restitutionis; quia, inquiunt, hæc deformitas stupri non addit semper supra fornicationem circumstantiam mortaliter culpabilem; tum etiam quia difficillime sciri potest, an adolescentulæ, quæ corporis sui copiam faciunt, sint virgines nec ne: maxime autem, inquiunt, molestum esset Confessariis interrogare adolescentes, an ea, quæ fuit objectum morosæ delectationis, sit virgo.

Consect. 2. Qui violenter stuprum infert, gra-

gravius peccat eo, qui consentientem commaculat; quia stupro addit violentiam.

Consect. 3. Qui fictis promissis, importunis precibus, longo temporis intervallo virginem perlicit ad peccatum, gravissime peccat: & hæc circumstantia pertinacis tentationis aperienda est in confessione, quia denotat perseverantem in peccando voluntatem.

ARTICULUS IV.

De Adulterio.

PRop. unica. Adulterium, seu accessus ad alienum torum, seu concubitus cum persona non comparte, est peccatum mortale.

Prob. 1. Scriptura. Job 31. vers. 11. ait: Adulterium *nefas est, & iniquitas maxima.* Paulus vero declarat, quod *Fornicatores & adulteros judicabit Dominus.* ad Hebræos 13. v. 4. Ergo adulterium est peccatum mortale.

2. Ex multiplici pœna contra adulterium destinata. Adulterium omnis lex tamquam scelus gravissimum prohibet. Adulterium vetat lex naturalis, ut patet exemplo Abimelech, sic Isaac alloquentis: *Perspicuum est quod uxor tua sit: cur mentitus es eam sororem tuam esse? quare imposuisti nobis? potuit coire quispiam de populo cum uxore tua, & induxeras super nos grande peccatum. Præcepitque omni populo, dicens: qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.* Gen. 26. v. 9. Lex Mosaica sic habet, Lev. 20. v. 10. *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera.* Lex Evangelica non mortem temporalem, sed æternam minitatur: *Fornicatores & adulteri Regnum Dei non possidebunt.* Lex Canonica adulteris in totum pœnitentiæ locum clausit, juxta Cypr. Epist. 52. vel tantum in fine vitæ dandam communionem decrevit. Lex civilis pari similique ratione sacrilegos nuptiarum, tanquam manifestos parricidas, insuere culeo vivos, vel exurere judicavit, ut dicit Codex Theod. Ergo adulterium vetatur gravibus pœnis: ergo est peccatum mortale.

3. *Rat.* Gravitas adulterii sumi potest ex variis circumstantiis, quas percurrit Eccle. 23. v. 33. Adulter vel adultera *primo in lege Altissimi incredibilis fuit: Secundo in virum suum deliquit: Tertio in adulterio fornicata est: & ex alio viro filios statuit sibi.* Addamus nos, quod in lege Christiana Sacramentum matrimonii, quod est figura unionis Christi cum Ecclesia, suo peccato violavit.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Adulterium committitur, cum conjugati habent copulam cum alio, quam cum comparte, etiam ante matrimonium consummatum; quia matrimonium ratum non potest solvi, nisi per ingressum in Religionem.

Consect. 2. Adulterium est peccatum gravius specifice, quam simplex fornicatio; & ita hæc circumstantia, utpote varians speciem, debet necessario declarari in confessione.

Consect. 3. Adulterium est gravius, quando utraque persona peccans est ligata matrimonio, quam si altera esset soluta; quia tunc adulterium est duplex ex parte utriusq; personæ.

Consect. 4. Adulterium committit qui tradit corpus alteri a comparte, licet compars consentiat; quia adulterium est accessus ad alienum torum; vinculum enim Sacramenti non tollitur, nisi per mortem, juxta illud Pauli: *quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* ad Rom. 7. v. 2. Quapropter damnata est hæc propositio: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; ideoque sufficit in confessione dicere, se esse fornicatum.* Idem docet Aug. lib. 22. cont. Faust. cap. 5.

Consect. 5. Quando desponsati copulam habent, non cum parte, cui desponsati sunt, sed cum altera, non proprie adulterium committunt, sed peccatum committunt, quod videtur ad adulterium pertinere; quia violant fidem in sponsalibus promissam.

Monit. Si attendatur prolis incertitudo, quia adulterium uxoris reddit prolem incertam, gravius est adulterium in muliere quam in viro; sed absolute loquendo adulterium est gravius in viro, quam in muliere; quia vir caput est mulieris, debetque vir uxori exemplo prælucere; & uti est mente fortior, ita debet esse a libidine remotior: ideo ait Aug. *Tanto gravius eos,* idest viros, *puniri oportet, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere feminas.* Lib. de adult. conjug. cap. 3. 88.

ARTICULUS V.

De Sacrilegio.

PRop. unica. Sacrilegium carnale, seu luxuria, qua vel persona Deo sacra, vel locus sacer per actum venereum fœdatur, est peccatum mortale, tanto gravius, quanto persona est Deo solemnius consecra-

orata, & locus est Sanctuario propinquior.

Prob. 1. Ex comparatione sacrilegii cum fornicatione. Sacrilegium habet deformitatem fornicationis, & insuper violationem rei sacræ: ergo est peccatum mortale.

2. Ex pœnis contra illud vitium destinatis. Sacrilegium carnale gravibus pœnis Deus in veteri lege punivit, ut patet exemplo Ophni & Phinees, Heli filiorum: de quibus dicitur: *Dormiebant cum mulieribus, quæ observabant ad ostium tabernaculi.* 1. Reg. 2. v. 22. Quod scelus ita arguit Heli: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt vocem patris; quia voluit Dominus occidere eos.* Ibid. v. 25.

Gentiles ipsi sacrilegium carnale sæva morte punitum voluerunt, ut patet exemplo filiæ Vestalis corruptæ, quæ viva sepulta est.

Jus vero Canonicum Clericos lapsos in peccatum carnale a suo gradu dejicit; Monachos & Moniales e monasterio eliminat, & carceri addicit: *Clericus, qui post acceptum sacrum Ordinem in peccatum carnis lapsus fuerit, sacro Ordine ita careat, ut ad Altaris ministerium ulterius non accedat.* Greg. lib. 3. Epist. 26. ad Januarium, & Canon *Impudicas*, ita habet: *Impudicas, detestabilesque personas Monachorum, & Monacharum, quæ objecto proposito sanctitatis, illicita & sacrilega contagione se miscuerunt, a Monasteriorum cœtu, Ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus.* Quæ omnia denotant, sacrilegium peccatum esse gravissimum.

Quod idem peccatum crescat vel ratione personæ, vel ratione loci, patet; quia quo persona est Deo magis sacra, & locus est Sanctuario propinquior, eo major irrogatur injuria Deo totius sanctitatis fonti.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. In uno sacrilegio possunt esse diversæ species luxuriæ ob diversas deformitates, quæ in uno & eodem actu concurrunt: ita docet D. Th. 2. 2. q. 154. a. 10. ad 2. *Sacrilegium est species luxuriæ secundum quod ordinatur ad alterius vitii finem, & potest concurrere cum diversis luxuriæ speciebus. Si enim aliquis abutatur persona conjuncta sibi secundum spiritualem cognationem* in Baptismo & Confirmatione, *committit sacrilegium ad modum incestus; si autem abutatur virgine Deo sacrata, in quantum est sponsa Christi, est sacrilegium per modum adulterii: in quantum vero est sub spiritualis Patris cura constituta, erit quoddam spirituale stuprum; & si violentia inferatur, erit spiritualis raptus. Qui etiam secundum Leges civiles gravius punitur, quam alius raptus*, scilicet pœna capitali.

Consect. 2. Sacrilegium gravius est, cum utraque persona est Deo sacra, quam si altera esset tantum Deo consecrata; quia in priori casu duplex consecratio violatur, in secundo unica.

Consect. 3. Gravius est sacrilegium commissum per personam ligatam voto solemni, quam ligatam voto simplici; quia *votum solemne habet fortiorem obligationem apud Deum, quam votum simplex, & gravius peccat qui illud transgreditur.* D. Th. 2. 2. q. 88. a. 7. ad 2. Quamvis tamen *utriusque voti transgressor peccet mortaliter*, ut docet ibid. D. Th.

Consect. 4. Gravius est sacrilegium Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, & Monachi, quam Sacerdotis, Diaconi, vel Subdiaconi præcise sæcularis; quia votum solemne Monachi est essentialiter annexum statui Monachatus, minime vero statui Ecclesiastico. Et ideo dicunt, quod per Ecclesiam potest dispensari in voto continentiæ solemnizato per susceptionem sacri Ordinis, & non potest dispensari in voto solemnizato per professionem Religionis. Ita D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 11. in corp.

Consect. 5. Gravissimum est sacrilegium Sacerdotis cum filia spirituali, seu cum sua pœnitente commissum, cum utitur sacramento pœnitentiæ ad illam provocandam ad libidinem; quia, ut ait Gregorius 15. *Cum Sacerdos tunc sacrosancto Pœnitentiæ sacramento abutatur, ac pro Medicina venenum, pro pane aspidem porrigat, & ex cælesti medico infernalis veneficus, ex patre spirituali proditor execrabilis animarum reddatur.*

Hujusmodi Confessarii sollicitantes pœnitentes, vi Decretorum & Bullarum Clementis VIII. & Pauli V. & Pii IV. & Greg. XV. ubi hujusmodi Decreta recepta sunt & vigent, *denuntiandi sunt a pœnitentibus* Inquisitoribus, ubi viget inquisitio, vel Episcopis, ubi non viget Inquisitio; adeo ut femina sollicitata ad luxuriem, masculus sollicitatus ad sodomiam per suum Confessarium, vi illarum Constitutionum absolvi non possint sacramentaliter, nisi prius Confessarium sollicitantem denuntiaverint; nec tollitur illa obligatio, per hoc quod tradatur charta sollicitans extra Confessionem, vel per hoc quod mulier ad peccatum pellecta ipsi Confessario pellicienti confiteatur, ut determinavit Alexander VII. Ast ubi hæ Constitutiones aut non vigent, aut non receptæ sunt,

sunt, manet semper obligatio naturalis, qua quilibet tenetur damna Reipublicæ impedire, & malefactores, si non destiterint, denuntiare per media, quæ viris prudentibus judicabuntur aptiora. Ita evincunt sequentes propositiones damnatæ ab Alexandro septimo, *Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non denuntiandus est.*

Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiationis.

Hinc patet, merito per sanctum Carolum prohibitum esse Confessariis, ne confessiones audiant illarum personarum, cum quibus peccaverunt; nam jus commune id non prohibet, ut dicetur fusius ubi de Sacramento Confessionis.

ARTICULUS VI.

De Incestu.

PRop. unica. Incestus, seu luxuriæ peccatum cum consanguinea, vel affini intra gradus prohibitos, est peccatum mortale gravius fornicatione.

Prob. 1. Comparatione incestus cum fornicatione. Incestus præter deformitatem fornicationis importat violationem honoris, qui parentelæ debetur: unde Aug. lib. 15. Civit. cap. 16. *Nescio quomodo inest humanæ verecundiæ quiddam naturale, atque laudabile, ut cui debet causa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat.* Et Levit. 18. v. 6. dicitur: *Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet, ut revelet turpitudinem ejus. Ego Dominus*... Ergo est peccatum mortale.

2. Ex pœnis incestui destinatis. Deus maledictionem incestuosis minitatur: *Maledictus, qui dormit cum uxore patris sui, & revelat operimentum lectuli ejus: & dicet omnis populus, Amen.* Deut. 27. v. 20. & D. Paulus Corinthium incestuosum excommunicavit. 1. ad Corint. & jam incestus ut plurimum est casus reservatus. Quæ omnia denotant quam grave sit crimen incestus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. In confessione aperiendus est gradus consanguinitatis, vel affinitatis; quo enim propinquior est persona consanguinea, vel affinis, eo gravius luxuriæ peccatum, quod cum ea committitur.

Sic gravius est peccatum luxuriæ cum matre, quam cum sorore; major enim debetur honorificentia matri quam sorori: item majus est peccatum cum sorore, quam cum consobrina, &c. Quamvis enim omnes incestus sint ejusdem speciei, ut videtur docere D. Th. tamen notabiliter gravior est incestus cum consanguinea quam cum affini, & cum consanguinea vel affini in primo gradu quam in secundo: Ergo id explicandum est in confessione; etenim circumstantiæ notabiliter aggravantes confitendæ sunt.

Consect. 2. In confessione aperiendus est gradus consanguinitatis, vel affinitatis, quo inducitur impedimentum matrimonio ne qui incestuose peccaverunt, ob illud silentium invalide contrahant. Consanguinitas autem prohibens matrimonium inter consanguineos, & affinitas orta ex copula licita prohibens matrimonium inter affines, olim usque ad septimum, jam vero usque ad quartum gradum solum extenditur. Ita cap. *Non debet*, de consanguinitate, & affinitate, ubi sic habetur: *Probibitio quoque copulæ conjugalis quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari.* Affinitas vero orta ex copula illicita ex Trid. sess. 24. de refor. c. 4. usque ad secundum gradum solum extenditur, ubi sic habetur: *Synodus impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo & secundo gradu conjunguntur, restringit.*

ARTICULUS VII.

De Raptu.

PRop. unica. Raptus, seu peccatum luxuriæ, quo persona aliqua abducitur cum violentia ad turpem actum cum ea exercendum, est peccatum luxuriæ longe gravius fornicatione.

Prob. 1. Comparando raptum cum simplici fornicatione. Raptus præter deformitatem fornicationis, habet deformitatem violentiæ, quæ procedit ex magnitudine concupiscentiæ, ex qua aliquis non refugit periculo se injicere violentiæ inferendæ. D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 7. ad 2. Ergo raptus est peccatum mortale longe gravius fornicatione.

2. Ex pœnis contra raptum destinatis. Raptores puellarum in lege etiam naturæ non

non impuniti relicti sunt, ut patet exemplo Sichimitarum, qui ob vim illatam Dinæ a filiis Jacob omnino deleti sunt. In lege Mosaica: *Vir, qui desponsatam puellam apprehendens, concubuerit cum ea, morti addicebatur*. Deut. c. 22. v. 23. a fortiori, si rapiens abduxisset. Jure Canonico, raptores mulierum, si sint Clerici deponuntur, si Laici excommunicantur: *Qui rapiunt mulieres prætextu conjugii, & adjutores, ac consentientes, si Clerici sunt, decidant a gradu suo; si Laici, anathematizentur*. Chalcedonense Concil. can. 26. idem Trid. sess. 24. de reformatione c. 6. Jus civile raptorem infusione liquati plumbi plecti edicit, sive invitam rapuerit, sive volentem abduxerit, ita codex Theodosianus: & Justinianus raptores capite plectendos decernit, eorumque adjutores, & fautores. Quæ omnia denotant, quam grave sit crimen raptus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui fœminam, aut virum invitos explendæ libidinis desiderio abducunt, rei sunt raptus.

Consect. 2. Pœnas latas contra raptores incurrunt etiam qui puellam seductam, quamvis consentientem, insciis aut dissentientibus parentibus, vel iis, qui loco parentum sunt, abducunt; leges enim contra raptum non solum sunt in favorem puellarum, sed etiam parentum: ita tenent Conc. Aurelianense 1. Can. 2. & Cod. Theod. lib. 9. titul. 24. de Raptu.

Consect. 3. Ejusdem criminis reus pariter habendus est desponsatus, qui post celebrata sponsalia vellet sponsam etiam volentem e paterna domo abducere vel ut libidinem compleret, vel ut ad perficiendum matrimonium nolentem cogeret; sed non esset raptor, si nullo ex his motivis sponsam etiam nolentem abduceret; quamvis graviter peccaret: ita D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 7. ad 4. *Sponsus ex ipsa desponsatione habet aliquod jus in sua sponsa; ideo quamvis peccet, violentiam inferendo, excusatur tamen a crimine raptus*. Idem tenet Pelasius Papa caus. 36. q. 1. Can. *Lex illa*.

CAPUT IV.

De speciebus luxuriæ contra naturam.

ARTICULUS I.

An & quale peccatum sit actus luxuriosus contra naturam.

PRop. unica. Omnis actus completus luxuriæ, quæ est contra naturam, est peccatum mortale gravius & turpius quocumque peccato luxuriæ, quæ non est contra naturam.

Prob. 1. Script. Luxuria contra naturam peccatum est, quod nominari non licet, *Quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere*. ad Ephes. 5. v. 12. Est peccatum mortale.

2. Ex Patribus. Tertullianus lib. de pudicitia vocat peccata illa *Libidinum furias impias*; quia non sunt *delicta, sed monstra*. Et Aug. lib. 3. Confess. cap. 8. ait: *Flagitia, quæ sunt contra naturam, ubique ac semper detestanda, atque punienda sunt.*

3. Ex D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 12. ad 2. *Vitia contra naturam tanto sunt graviora sacrilegii corruptela, quanto ordo naturæ humanæ inditus est prior & stabilior, quam quilibet alius ordo superadditus.*

4. Ex Rat. D. Thom. *In quolibet genere pessima est principii corruptio, ex quo alia descendunt ..... Et ideo sicut in speculativis error circa prima principia est gravissimus, & turpissimus, ita & in practicis; & ideo vitium contra naturam est gravissimum & turpissimum*. Ibid. in corp.

5. Rat. D. Augustini, quæ his verbis exprimitur: *Violatur quippe ipsa societas, quæ cum Deo nobis est: cum eadem natura, cujus ille auctor est, libidinis perversitate polluitur*. Confess. lib. 3. cap. 8.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. unicum. Ex dictis sequitur, quod mollities, sodomia imperfecta, & sodomia perfecta, bestialitas, sunt peccata graviora aliis peccatis luxuriæ, quæ sunt secundum naturam: de quibus sigillatim agendum.

ARTICULUS II.

De Mollitie.

PRop. unica. Mollities plane voluntaria vel in se, vel in causa, est peccatum mortale;

tale; imperfecte vero volita vel in se, vel in causa, est peccatum veniale.

Prob. 1. Scriptura. *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores Regnum Dei possidebunt*. 1. Cor. 6. v. 9. Deinde Onam polluebat se, sciens non sibi nasci filios. *Et idcirco percussit eum Dominus, eo quod rem detestabilem faceret*. Gen. 38. v. 9. Ergo mollities est peccatum mortale, cum excludat a regno cælorum.

2. *Rat.* D. Thom. Actus genitalium membrorum, ex quo numquam potest sequi generatio, est vitium contra naturam; actus autem prædictorum membrorum factus extra commixtionem maris & fœminæ est talis, ut ex eo sequi nequeat generatio prolis: ergo est peccatum mortale gravissimum: ita q. 15. de malo art. 3.

3. *Rat.* Aug. Per mollitiem fit, ut *momento ipso temporis, quo ad ejus pervenitur extremum, pene omnis acies, & quasi vigilia cogitationis obruatur*. Lib. 14. de civit. Dei c. 16. Ergo cum rationem obruat, qua homo debet se dirigere, est peccatum mortale.

4. Damnata est hæc propositio a Papa & Clero Gallicano: *Mollities jure naturæ prohibita non est: unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali*: Ergo, cum pollutio jure naturæ prohibeatur, & sit in eo genere peccati, in quo non est parvitas materiæ, pollutio debet esse peccatum mortale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccatum mortale est mollities Quietistarum, apud quos nihil refert, quid sensus agat, quid patiatur, modo animus Deo conjungatur; quia ficta illa cum Deo adhæsio mollitiem ab intrinseco malam, licitam reddere non potest; & qui adhæret Deo, tales spurcitias non fovet, sed perhorrescit, juxta illud Pauli: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis ... Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt immunditia, impudicitia, luxuria.... Qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur*. Galat. 5. v. 16.

Consect. 2. Peccatum mortale est mollities, quam sibi quis procurat, putans erronee eam esse licitam; quia lex naturæ non potest ab adulto quoad hanc prohibitionem invincibiliter ignorari. Exemplum habemus hujus veritatis in Petro Damiano, lib. Gomorrhiano cap. 20. ubi dicitur, quod *Eremitæ cuidam suggestum est per diabolum, ut quandocumque libidine titilaretur, sic semen detritu genitalis membri egerere deberet, & tanquam phlegma de naribus projiceret, qui ob id Dæmonibus moriens, vidente socio, traditus est*.

Consect. 3. Peccatum mortale est mollities eveniens vigilanti cum deliberato consensu illius, etiamsi intenderetur sola sanitatis causa; quia tunc, ut pote libera, est peccatum. *Cum autem fit ista consensio, tunc exit ex cordis, quod coinquinat hominem*. Aug. lib. de continentia cap. 2. Et Antoninus 2. Parte tit. 6. cap. 5. *Si in vigilia quis voluntarie se pollueret ob sanitatem solum, non excusatur a mortali, quia facit directe contra finem intentum a natura, qui non est alius in emissione seminis voluntaria, nisi generatio, quæ per illum motum sequi non potest*.

Consect. 4. Peccatum mortale est mollities eveniens dormienti plane voluntaria vel antecedenter in causa, vel concomitanter in actu, vel consequenter in effectu: ita D. Thom. *Quandoque vero præcedentes cogitationes sunt cum concupiscentia & delectatione: & si adsit consensus, erit peccatum mortale in pollutione nocturna; si autem desit, erit veniale*. 3. Part. q. 80. a. 7. in C.

Potest tamen contingere, quod in ipsa evigilatione peccatum oriatur; si quidem pollutio propter delectationem placeat: quod quidem erit veniale peccatum, si sit ex surreptione placentia; mortale autem, si sit cum deliberante consensu, & præcipue cum appetitu futuri. Ista autem placentia non facit præteritam pollutionem peccatum; quia ipsius causa non est, sed ipsa in se peccatum. In 4. Dist. 9. q. 1. a. 4. Quæstiuncula 1. ad 1.

Et ita pollutio veniens ex causa mortaliter culpabili, v. g. veniens ex ebrietate, ex colloquio valde inhonesto, ex aspectu turpium, ex lectione lascivorum, ex valde inhonesta corporis compositione, est peccatum mortale.

Pollutio vero veniens ex causa venialiter culpabili, v. g. ex levi excessu vel in cibo, vel in potu, ex colloquio venialiter inhonesto, & negligentia veniali præparationis ad devotionem, est peccatum veniale; ut docet D. Th. 3. Par. ib.

Consect. 5. Pollutio omnino involita vel in se, vel in causa, nullatenus est peccatum: ita D. Th. *Corporales motus non pertinent ad meritum, vel demeritum, nisi secundum quod a voluntate quasi a principio causantur; & ideo si illi motus sint omnino involuntarii, non est peccatum*. Iterum idem D. Th. 2. 2. q. 154. a. 5. *In dormiendo ratio non habet liberum judicium; unde id, quod agit homo dormiens, non imputatur ei ad culpam, sicut nec illud quod agit furiosus, aut amens*: & ita in sequen-

quentibus casibus pollutio nullatenus est peccatum.

1. Quando causatur ex malitia Dæmonis tum per vigiliam, tum per somnum, commoventis imaginationem, & excitantis spiritus venereos.

2. Quando causatur ex debilitate naturæ non valentis efformatum semen retinere.

3. Quando causatur ex robore naturæ corruptum & superfluum semen expellentis.

4. Quando causatur ex cogitatione speculativa & necessaria; puta cum aliquis causa lectionis vel disputationis cogitur de talibus cogitare, qualis est Doctor & Confessarius, idque facit adhibitis prius precibus.

In illis casibus, si nulla sit in nobis complacentia, sed displicentia, nullum est peccatum, ut docet D. Th. ib. loc. cit. 3. parte & in 4.

Monit. An licitum sit appetere pollutionem involuntariam, & gaudere de illa, prout est alleviatio naturæ, res est maxime dubia; nam hoc licet orare, quod licet desiderare: tamen Ecclesia non permittit, quod Deum oremus, ut pollutio in somnis eveniat, sed e contra dicimus: *Hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora.* Itaque juxta Gersonium salubrius est *Cogitationes circa rem divertere, quam habere.*

ARTICULUS III.

De sodomia imperfecta.

PRop. *unica.* Sodomia imperfecta, seu inordinatus concubitus, seu extra matrimonium, sive in matrimonio, quoties generatio prolis impeditur, est peccatum mortale gravius pollutione.

Prob. 1. Ex comparatione sodomiæ cum simplici pollutione. Sodomia præter pollutionis deformitatem habet & compartis scandalum, & inordinati concubitus defectum: ergo est peccatum mortale.

2. Ex Aug. lib. 2. de adulterinis conjugiis cap. 12. *Illicite & turpiter etiam cum legitima concumbitur, ubi prolis conceptio devitatur; quod faciebat Onam filius Judæ, & occidit illum propter hoc Deus*: Ergo sodomia etiam imperfecta est peccatum mortale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Inordinatus concubitus inter conjugatos est turpior, quam inter non conjugatos ob injuriam factam Sacramento. *Cum vir membro mulieris non ad hoc concesso uti voluerit: turpior est uxor, si in se, quam si in alia fieri permiserit.* Aug. de bono conjug. cap. 11.

Consect. 2. Sodomia imperfecta, etsi gravissimum crimen sit, non tamen videtur esse casus reservatus ubi sodomia reservatur.

ARTICULUS IV.

De sodomia perfecta.

PRop. *unica.* Sodomia perfecta, seu concubitus cum persona ejusdem sexus, est peccatum mortale gravius pollutione, & inordinato concubitu.

Prob. 1. Ex comparatione sodomiæ cum simplici pollutione. Sodomia præter deformitatem pollutionis, habet inordinatum amorem ad personam ejusdem sexus.

2. Ex pœnis contra sodomiam destinatis. Lex naturalis damnat illud vitium, ut patet ex Paulo sic loquente: *Fœminæ eorum immutaverunt naturalem usum in eum usum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes.* ad Rom. cap. 1. v. 26. ubi Apostolus vitium illud, quasi naturali lege damnatum, exhibet: & Deus in lege naturæ crimen illud igne & sulphure punivit: *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem.* Geneseos 19. v. 34.

Lex Mosaica morti addixit Sodomitas. *Qui dormierit cum masculo coitu fœmineo, uterque operatus est nefas, morte moriatur: sit sanguis eorum super eos.* Levi. 20. v. 13.

Lex Evangelica impuros illos homines Cælorum Regno privat: *Masculorum concubitores Regnum Dei non possidebunt.* 1. Corint. 6. vers. 10.

Lex civilis eos flammis addicit. *Hujusmodi scelus spectante populo flammis vindicibus expiabunt.* Lib. 9. Codicis Theodosiani.

Lex Canonica Clericos dejecit e Clero, & in Monasterium detrudit; Laicos vero excommunicatione plectit: ita Lateran. III. cap. *Clerici*, de excessibus Prælatorum: ergo signum est Sodomiam perfectam gravissimum esse peccatum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Gravius peccat qui turpiter agit, quam qui turpiter patitur, ut vulgo docetur ab omnibus; sed quidquid sit de hoc.

Consect. 2. Sodomia est peccatum gravius Adul-

Adulterio, Incestu, &c. ut docet Aug. lib. 1. de adulterinis conjugiis, ubi sic habet: *Omnium horum* vitiorum *est pessimum quod contra naturam fit*.

CAPUT V.

De actibus imperfectis luxuriæ.

ARTICULUS I.

An peccatum sit, & quale actus imperfectus luxuriæ.

PRop. unica. Actus imperfecti luxuriæ, v. g. morosa delectatio de rebus obscenis, aspectus libidinosi, verba & colloquia lasciva, oscula lasciva, amplexus, tactus lascivi extra matrimonium, si hæc omnia fiant cum plena deliberatione, sunt peccatum mortale ejusdem speciei, in qua est actus exterior completus.

Prob. 1. Scriptura. *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Matthæi 5. v. 28. Ergo cum actus illi libidinosi comparentur cum mœchia, & mœchia sit peccatum mortale, illi actus sunt peccata mortalia.

2. *Rat.* Hujusmodi actus ex natura sua ordinantur ad delectationem veneream, quæ de se est peccatum mortale: Ergo sunt peccata mortalia.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Illi actus involvunt malitiam unius dumtaxat speciei, si ad unam tantum speciem ordinentur; multiplicis vero, si ad speciem multiplicem ordinentur.

Sic habent malitiam fornicationis, si tendant ad peccatum fornicationis; malitiam stupri, si tendant ad stuprum; malitiam mollitiei, si tendant ad mollitiem; malitiam sodomiæ, si tendant ad sodomiam; bestialitatis, si tendant ad bestialitatem.

ARTICULUS II.

De visu libidinoso.

PRop. unica. Aspectus libidinosi sunt peccata mortalia.

Prob. 1. Scriptura. Jerem. Thren. 3. v. 5. ait: *Oculus meus deprædatus est animam meam*; quia, ut explicat Greg. lib. 21. Mor. cap. 2. concupiscendo visibilia invisibiles virtutes amisit. D. vero Petrus sic arguit visus impudicos: *Oculos*, inquit, *habentes plenos adulterii, & incessabilis delicti*. 2. Petri 2. v. 14. Ergo cum visus impudici perdant animam, & delictum incessabile attrahant, visus impudici sunt peccata mortalia.

2. Ex Patribus. Chrysostom. sic habet: *Qui studet elegantes facies inspicere, ipse præcipue fornacem sibi istius passionis accendit, & captivam faciens animam, ad opus quoque celeriter adducit*. Homil 17. in Matth. Tertul. Apolog. c. 46. describens, qualis esset Christianus sui temporis, sic loquitur: *Christianus salvis oculis feminam videt, animo adversus libidinem cæcus est*. Ergo censet Christianum non esse, qui in aspectu libidinoso delectatur. Aug. veritatem hanc firmat exemplo Davidis: *De longe vidit illam*, inquit, *in qua captus est: mulier longe, libido prope*, in Psal. 40. Ideo audiendus est Job cap. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Audiendus est David Psal. 118. v. 37. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Audiendus Sapiens: *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius*. Eccles. 9. vers. 5.

4. *Rat.* Aspectus libidinosi ad libidinem illicitam provocant, juxta illud Eccli. 9. vers. 9. *Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Ergo aspectus libidinosi plene deliberati, sunt peccata ex suo genere mortalia.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant mortaliter qui absque necessitate & rationabili causa, v. g. medendi, &c. libidinose intuentur eas alterius sexus partes, quæ ad libidinem excitant: tales sunt partes secretæ, quas pudor jubet operiri: de quo Chrys. in sermone de Joseph: *Job diabolum quidem videns non fugit, sed mansit sicut leo viribus fidens: virgine autem visa non stetit, neque moratus est in contuendo, sed statim secessit*. Si virginis faciem intueri non liceat, a fortiori eas partes, quæ ardentius ad libidinem excitant.

Consect. 2. Peccant qui citra necessitatem se ipsos in partibus secretioribus aspiciunt; hoc enim indecorum & turpe esse natura ipsa suggerit: idque constat ex primis parentibus, qui cum cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Gen. 3.

Consect. 3. Peccant qui affectu libidinoso curiose inspiciunt vel animalia coeuntia, vel personas diversi sexus, aut indecore nudantes se, aut aliquid turpe operantes; hæc

enim

enim solent ad libidinem provocare : & juxta Hierony. *Intueri non debet* homo *quod concupisci non licet, & ut munda mens servetur, deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam*.

Consect. 4. Peccant qui imagines turpia repræsentantes aspiciunt, retinent, vendunt, &c. hæc enim urgens est tentatio, & præsens periculum peccati : ut patet exemplo illius adolescentis, de quo Terentius ait, quod concitavit se ad libidinem videns imaginem, in qua Jovis adulterium delineabatur.

Monit. Dixi aspectus libidinosos esse peccata mortalia, nam juxta D. Anton. 2. P. tit. 5. cap. 1. §. 7. aspectus faciei & partium honestarum pulchræ fœminę in viro potest multipliciter contingere absque peccato : scilicet, vel ex causa sine præmeditatione, vel ex causa rationabili, puta, ut eam noscat, & ab aliis discernat, aut de utilibus cum ipsa loquens attentiorem reddat, aut ut fucos & vanitates illius melius arguere valeat, &c. Idem cum quadam proportione potest contingere in fœmina virum aspiciente. In illis casibus observanda est ista D. Aug. regula. *Oculi vestri etsi jaciantur in aliquam fœminarum, in nullam figantur; quia scriptum est: abominatio est Domino defigens oculum*.

ARTICULUS III.

De verbis obscenis.

PRop. unica. Verba impudica cum affectu libidinoso proferre, vel audire; cantica lasciva edere, aut canere, vel audire, vel legere, est peccatum mortale.

Prob. 1. Script. *Fornicatio, aut omnis avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos*. ad Eph. 5. v. 3. Ergo, cum colloquia lasciva sint contra sanctitatem Christianam, sunt peccata mortalia.

2. Ex Pœnitentiali Romano. *Qui per turpiloquium, vel aspectum coinquinatus est, tamen non voluit peccare corporaliter, viginti dies pœniteat*. c. 13. Ergo cum verba obscena mereantur pœnitentiam canonicam, debent esse peccata mortalia.

3. Ex Antonino parte 2. tit. 5. cap. 10. §. 8. *Nulli dubium est, quod qui dicit verba turpia, & lasciva hac intentione, ut se, vel alium provocet ad luxuriam, vel mente se delectandi in locutione, & cogitatione turpium, mortaliter peccet*.

4. *Rat. Corrumpunt bonos mores colloquia prava*, ut dicit Paulus 1. ad Corinth. cap. 15. 33. Lasciva colloquia ad luxuriem trahunt, & ita sunt peccata mortalia.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant graviter omnes, qui verba lasciva proferunt, audiunt, tum ut se, tum ut alios sollicitent ad peccandum : quod prohibet Apostolus his verbis: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat*. ad Eph. 4. v. 29.

Consect. 2. Peccant vulgo mortaliter qui lasciva cantica edunt, canunt, audiunt, &c. Circa quod ita monet Clemens Alexandrinus: *Amatoria quidem absint cantica; sint autem cantica, Dei laudes*. Lib. 2. Pædagogi c. 4.

Consect. 3. Peccant vulgo mortaliter qui lascivos libros edunt, audiunt, retinent. 1. Quia libros de rebus obscenis, turpibus, impudicis tractantes, inflammandos jubent Concilia Mediolanense, Turonense, Burdigalense : Ergo peccant mortaliter qui eos edunt, retinent, legunt contra vetitum Conciliorum. 2. Quia hi omnes exponunt se, & exponunt alios peccandi periculo.

Consect. 4. Peccant mortaliter qui loquuntur de peccatis lasciviæ vel a se, vel ab aliis commissis, aut committendis; loquuntur, inquam, non vituperando, sed laudando, vel excusando : in quo faciunt illud, quod execrandum dicit Scriptura *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur*. Psal. 10. v. 3.

Consect. 5. Peccant mortaliter & peccato lasciviæ, & peccato scandali, qui coram infirmis, & ad illud peccatum propensis, de rebus lascivis sermonem habent; tunc enim licet non sit prava intentio in proferente, tamen juxta Antoninum per accidens potest esse peccatum mortale ratione scandali, seu ruinæ inde sequentis alicujus.

Consect. 6. Si contingat præter intentionem talia audiri, audientes eos sermones obscenos vitare debent, vel saltem displicentiam mentis habere : quo spectat illud Ecclesiastici 28. v. 28. *Sæpi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia & seras*. Ut enim optime monet Ambros. lib. de pœnit. cap. 14. *Libido pascitur conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur*, & postea subjungit, *graviora sunt fomenta verborum*.

ARTICULUS IV.

De tactibus, & osculis libidinosis.

PRop. unica. Tactus impudici, oscula libidinosa inter non conjugatos sunt peccata mortalia.

Prob.

Prob. 1. Script. *Fornicatio, & omnis immunditia, nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos*: ad Eph. 5. v. 3. Ergo cum oscula & tactus impudici ad immunditiam pertineant, debent censeri peccata mortalia.

2. Ex Cypr. *Ipse concubitus, ipse complexus, ipsa confabulatio, & osculatio, & conjacentium duorum turpis & fœda dormitio, quantum dedecoris & criminis confitetur!* Eis. 62. ad Pomponium: Ergo si ibi crimen sit, ibi est peccatum mortale.

3. Ex Hierony. in vita S. Hilarionis, ubi ait: quod *tactus, joci, nutus, & cætera hujusmodi sunt morituræ virginitatis principia*: Ergo.

4. Ex D. Thom. *Oscula & tactus, quamvis secundum se non impediant bonum prolis humanæ, procedunt tamen ex libidine, quæ est radix hujusmodi impedimenti, & ex hoc habent rationem peccati mortalis*. 2. 2. q. 154. a. 4. ad 2.

5. *Rat.* D. Thom. ibid. *Minus est aspectus libidinosus, quam tactus, amplexus, vel osculum; sed aspectus libidinosus est peccatum mortale, secundum illud* Matthæi 5. qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo: *Ergo multo magis osculum libidinosum, & alia hujusmodi sunt peccata mortalia.*

6. Sequens propositio damnata est a summo Pontifice: *Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Tactus, oscula extra matrimonium sunt peccata mortalia, licet non fiant cum ea delectatione, quæ contingit in seminis effusione; quia ordinantur ad delectationem illam veneream.

Consect. 2. Tales actus sunt ejusdem naturæ cum perfectis & consummatis; ideoque exprimendæ sunt in confessione circumstantiæ vel aggravantes, vel mutantes speciem, v. g. an tales tactus facti fuerint cum persona ejusdem sexus, vel diversi sexus, cum virgine, vel cum corrupta, cum soluta, vel cum conjugata.

Consect. 3. Oscula, tactus, amplexus, compressiones manuum, & similia, quæ solent fieri ex levitate & petulantia, & amoris fovendi causa, eamdem videntur habere malitiam, propter periculum proximum incidendi in peccatum consummatum.

Consect. 4. Tactus, oscula, amplexus pertinent reductive ad eam speciem, in qua est actus completus.

Sic actus illi, quibus personæ ejusdem sexus supercubantes, osculantes se, tangentes se, polluuntur, sunt actus sodomitici; & ubi sodomia est casus reservatus, juxta Sayrum ille casus est reservatus], juxta alios non est reservatus. In illo dubio interrogandi sunt Episcopi, & sciendum quæ fuerit eorum mens; juxta enim regulam generalem, actus quantumvis obscenus non censetur reservatus, nisi sit completus.

Sic tactus, oscula, amplexus erga virginem, reducuntur ad stuprum, erga personam solutam ad fornicationem pertinent, erga personam conjugatam ad adulterium spectant, &c.

Monit. 1. Dixi, oscula libidinosa hoc præcepto prohiberi; multiplex enim est osculum.

1. Est osculum adulatorium. Tale fuit osculum, quo Absalon deosculabatur populum, ut eum contra patrem Davidem concitaret. 2. Reg. c. 15. & hoc osculum ad illud peccatum reducitur, quod sibi proponit ille qui operatur.

2. Est osculum simulatorium. Tale fuit osculum, quo Judas deosculatus est Christum, ut eum Judæis traderet. Matth. 26. v. g. & tale osculum pertinet ad proditionem.

3. Est osculum urbanitatis. Tale fuit osculum, quo Jacob Rachelem salutavit. Gen. 20. 11. *Adaquato grege, osculatus est eam, & elevata voce flevit, & indicavit ei, quod frater esset patris sui*: & tale osculum est signum amicitiæ, nullum peccatum includit.

4. Est osculum sanctum. Tale erat osculum, quo antiqui Christiani osculabantur se, ut pares se profiterentur: de quo Paulus ad Rom. 16. v. 16. *Salutate*, inquit, *invicem in osculo sancto*. Ostendebant enim eo modo Christiani, inquit Grotius post Justinum & Origenem, omnes inter se pares esse, nam apud Persas & apud Orientales populos, pares os inter se jungebant; superiores vero dabant manum osculandam inferioribus.

5. Est osculum impudicum: de quo Prov. 7. v. 6. *Apprehensumve deosculabatur juvenem*. Istud autem osculum illo præcepto prohibetur, eo quod afferat secum non delectationem mere sensualem sitam in proportione & conformitate rei tactæ cum organo tactus; sed habeat insuper adjunctam commotionem spirituum generationi inservientium, si non in utroque deosculantium se, saltem in altero; adeo ut vix sine consensu in ulteriorem libidinem exerceatur.

CA-

CAPUT VI.

De variis fomentis lasciviæ.

ARTICULUS UNICUS.

De Comœdiis & Choreis.

PRop. *unica*. Comœdiæ publicæ, in quibus sunt Actores, Cantores & Cantatrices, Saltantes & Saltatrices, sunt prohibitæ, eisque interesse prohibitum est... Choreæ pariter, in quibus viri cum mulieribus choros ducunt, sunt prohibitæ.

Prob. 1. Script. *Cum Saltatrice ne assiduus sis: nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius*. Eccli. c. 9. v. 4. Utrumque autem contingit in Comœdia & Chorea, ubi auditur, & videtur mulier pelliciens ad peccandum. Et rursus: *Egrediuntur quasi greges parvuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus, tenent tympanum & citharam, gaudent ad sonitum organi, ducunt in bonis dies suos*. Quæ omnia sunt in Comœdiis & Choreis. Sed audi pœnam: *Et in puncto ad inferna descendunt*. Job 21. v. 7. Ergo cum in comœdiis & choreis idem & pejora fiant; choreæ, & comœdiæ sunt illicitæ. Adde quod vaticinatus est Isaias: *Et dixit Dominus: pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant*: quod utique exacte in Comœdiis observatur; propter hoc *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus earum crimen nudabit*. Isaias 3. c. v. 16. Ergo ex Scriptura Choreæ & Comœdiæ sunt illicitæ.

2. Conciliis. Concilium Laodicenum an. 320. damnat choreas. *Non oportet*, ait, *Christianos ad nuptias euntes, vel balare, vel saltare, sed caste cœnare, vel prandere, sicut competit Christianis*. Conc. Afric. cap. 27. *vocat saltationes sceleratissimas*. Idem dicunt Concilium Toletanum 3. c. 22. Carthaginense cap. 61. Cabillon. c. 19. Comœdias etiam damnat Concilium Illiberitanum can. 62. ubi ita habet: *Si pantomini credere voluerint, placuit prius artibus suis renuntient, & tunc demum suscipiantur, ita ut ulterius ad ea non revertantur; quod si facere contra interdictum tentaverint, rejiciantur ab Ecclesia*. Et Concil. Arelat. can. 5. ait: *De theatricis & ipsis placuit, quandiu agunt, a Communione separari*. Et Concil. Cartaginens. 3. can. 2. ait: *Ab spectaculo & omnes laici prohibeantur; semper enim Christianis omnibus hoc interdictum est, ut ubi blasphemi sunt, non accedant*. Jus etiam civile idem vetat Cod. Theodos. L. 15. tit. 7.

3. Ex Patribus. Tertullianus libro de spectaculis, multis probat argumentis, Choreas & Comedias illicitas esse.

1. Quia Comœdi sunt infames tam jure civili, quam Canonico: *Cujus rei authores, cum acceptissimi sint, sine nota non sunt*.

2. Quia Deus vetuit; ait enim: *Non amat falsum amor veritatis; adulterium est apud illum omne, quod fingitur. Et proinde vocem, sexus, ætates mentientem; amores, iras, gemitus lacrymas asseverantem; quod utique fit in theatris, non probabit*.

3. Quia in baptismate renuntiavimus Diabolo, & pompis ejus; quæ utique in Comœdiis & Choreis splendide patent.

4. Quia Comœdiæ & Choreæ spiritum Christi extinguunt. *An ille recogitabit eo tempore de Deo, positus illic, ubi nihil est de Deo?*

5. Quia Comœdiæ & Choreæ injustos motus cient in anima; v. g. amorem impudicum, injustum odium, &c. Prædictas rationes, & plures alias disertis verbis prosequitur Tertullianus lib. de spectaculis; & cap. 33. sic concludit: *Nihil est nobis dictu, visu, auditu, cum insania circi, cum impudicitia theatri, cum atrocitate arenæ, cum Xysti vanitate*.

Cyprianus Epis. 61. histriones excommunicat. *Pro dilectione tua*, inquit, *& verecundia mutua consulendum me existimasti, quid mihi videatur de histrione.... An talis debeat communicare nobiscum; puto nec majestati divinæ, nec evangelicæ disciplinæ congruere, ut honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur*.

Lactantius vero lib. 6. Div. instit. cap. 20. *Histrionum quoque impudicissimi motus, quid aliud, nisi libidines docent, & instigant?.. Quid de minis loquar corruptelarum proferentibus disciplinam; qui docent adulteria, dum fingunt, & simulatis erudiunt ad vera?*

Chrysostomus hom. 48. in Matth. *Multæ Choreæ & saltationes homicidæ peraguntur, in quibus non jam Sanctissimus Præcursor interficitur, sed ipsa Christi Jesu membra jugulantur*. Sed quia forte dices, hæc hyperbolice dicta ab antiquis Patribus, audi recentiores etiam scholasticos, immo ipsos Paganos Philosophos.

Alex. Halensis P. q. 48. Sic habet. *Ad illud dicitur, quod cantus chorearum non est malus in se; est tamen malus ratione concurrentium, quæ sunt excitatio ad lasciviam, provocatio ad libidinem, impedimentum cultus Dei, & alia hujusmodi*. Hæc ille.

Ger-

Gerson part. 4. oper. serm. Dominicæ 3. Adventus ait: *Choreas ob fragilitatem difficile sine diversis peccatis agitari, & omnia peccata cadere, & concurrere in Choreas.*

Franciscus Petrarcha loquens proprio experimento, Dialogo 24. ait: *Choreas veneris præludium esse: liberæ*, inquit, *ibi manus, liberi oculi, liberæ voces volant, pedum strepitus, multarum cantus dissoni, & tubarum clangor; concursatio & pulvis, & quæ sæpe ludis additur, hostis pudicitiæ, & amica scelerum, nox ipsa: hæc sunt, quæ timorem ac pudorem pellunt, hi sunt libidinum stimuli, hæc laxamenta licentiæ.*

Ipsi pagani choreas & theatra reprobarunt: unde Cicero pro Murœna: *Nemo sobrius saltat, nisi forte insanit.* Et Seneca Epist. 7. *Nihil est tam damnosum bonestis moribus, quam in aliquo spectaculo residere; hæc enim per voluptatem facilius vitia subrepunt.*

Ex Aug. præstat arare, vel fodere die Dominico, quam choreas ducere: Ergo ex Patribus, ex Theologis, ex ipsis Paganis Philosophis choreæ & comœdiæ sunt illicitæ.

3. *Rat.* Prima Ratio. Mundana illa oblectamenta chorearum & comœdiarum a Diabolo processerunt; nam choreæ, in quibus viri cum mulieribus saltant, nunquam in usu fuerunt apud populum Dei, sed solum apud idololatras, apud quos is erat mos, ut in sacrificiis viri cum mulieribus choros ducerent, & sic se ad libidinem provocarent. Judæi vero ita choros agebant, ut viri cum viris, mulieres cum mulieribus, & hoc solum in solemnioribus Festis, Religionis officio, potius quam delectationis studio, choros agerent: quod constat ex eo, quod Maria prophetissa Aaronis soror, una cum mulieribus cum tympanis & choris laudes Dei cecinerit ob Pharaonem projectum in mare. Exodi 15. Item tempore David: *Præcinebant mulieres, saltantes, atque dicentes: Percussit Saul mille, & David decem millia.* 1. Regum 18. Idem patet ex filia Iephte, quæ venit obviam patri, choros puellarum ducens, & non virorum. lib. Jud. cap. 11. Item filiæ Silo saltantes & choros ducentes, non erant viris promiscuæ, quando raptæ sunt a Benjamitis, sed solæ procedebant, ut patet ex lib. Judicum c. 21.

Comœdiæ pariter a Diabolo processerunt, qui primus hominibus inspiravit, ut in theatris deorum vitia coram populo exhiberent, ut sic homines non erubescerent ea vitia committere, quæ a Diis ipsis commissa palam exhibebantur.

Secunda Ratio. Non legitur Sanctos vinos, tum Judæos, tum Christianos, mundanis hujusmodi delectationibus indulsisse; non enim vidimus choreas in Cana Gallileæ, quinimmo Judæi impudica illa tripudia quasi idololatriam execrati sunt: quod innuit locus Exodi 33. *Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Christiani vero mundanis illis pompis in baptismate renuntiant.

Tertia Ratio. Comœdiæ & choreæ sunt proximæ occasiones ad libidinem accendentes, quippe vix fieri potest, quin ibi non sint aspectus inter viros & mulieres, quos tamen ita Script. prohibet: *Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius. Propter speciem mulieris multi perierunt.* Eccl. 9. v. 5. Vix fieri potest quin ibi sint mutua hominum & virorum colloquia: de quibus ita Scriptura: *Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt; colloquium enim illius quasi ignis exardescit.* Eccli. ibid. Sunt ibi pariter cantilenæ, & instrumenta Musica ad libidinem provocantia, juxta illud: *Cum saltatrice ne assiduus sis, nec audias illam, ne forte pereas in efficacia illius.* Sunt insuper ibi propinquiores inter viros & mulieres accessus, qui magis contagiosi sunt, quam morsus rabidissimi canis, ut ait Hier. quem accessum ita reprobat Scriptura: *Cum aliena muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum.* Eccli. 1. 12.

Quarta Ratio. Choreæ & Comœdiæ omnem spiritum Christianæ Religionis extinguunt ... Christiana Religio luctum, fletum inspirat. *Beati qui lugent, &c. Mundus gaudebit, vos vero contristabimini* ... Choreæ vero & Comœdiæ nihil nisi risus & cachinnos inspirant. Christiana Religio modestiam & gravitatem præcipit: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* In Comœdiis vero, & Choreis nihil est, quod gravem illam modestiam sapiat.

Quinta Ratio. Nemo negat Comœdias & Choreas mundanos homines habere fautores; & ideo Christianis sunt fugiendæ, juxta Scripturæ effata. *Nolite diligere mundum, neque omnia, quæ in eis sunt. Tradidit semetipsum pro nobis, ut nos liberaret ab hoc sæculo nequam. Totus mundus in maligno positus est.* Et rursus: *Omne, quod in mundo est, concupiscentia est carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.*

Nec obstat, quod vulgo dicitur, scilicet, Comœdias non ab omnibus reprobari, immo contrarium a S. Thom. doceri; quia officium histrionum, quod licitum esse fatetur D. Th. 2. 2. q. 168. a. 3. ad 3. tale debet es-

se, ut repræsentet *Spectacula, quæ sint de rebus utilibus, & ad vitam necessariis, sicut sunt venationes, & cetera hujusmodi, quæ animum honeste distrahunt, & quibus sine peccato potest intendi, servata discretione debita, quantum ad conditiones personæ, & aliarum circumstantiarum*, ut ipsemet dicit D. Th. in 4. dist. 16. q. 4. a. 2. q. 2. Demum illustrissimus Dominus de Bossuet elegantissimum hac de re scripsit librum, in quo æque eleganter ac solide refutat Anonimum Doctorem, qui Comœdiam, Choreas, Theatrica spectacula, qualia exercentur nunc, licita contendebat. Tanti viri authoritas litem omnem dirimit, & damnando hanc artem, damnandam esse sufficienter convincit.

Nec est pariter quod dicas, in Collegiis Comœdias a junioribus Scholasticis exhiberi videntibus, imo dirigentibus Sacerdotibus.

Si quæ lascivæ & obscenæ Comœdiæ in Collegiis exhibeantur, eas damnamus, easque scandalo esse audacter pronuntiamus; futurumque afferimus severum judicium contra illos Professores, qui Christianam gravitatem non sunt æmulati in illis Gymnasticis exercitationibus. Sed multum est discriminis inter Comicorum, & Collegiorum Theatra. Hic juvenes videntur, qui ætate juvenili & modestia nativa nihil nisi pudicum ingerunt; illic vero viri & mulieres simul permixti, qui & gestu, & vestitu, cantu, saltu libidinem inspirant. Hic juvenes theatrum conscendunt, ut sese ad declamationem efforment, & ad loquendum publice se disponant; illic vero nihil aliud intenditur, quam ut vitiosi affectus foveantur, & ardentiores fiant.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Licitæ sunt exercitationes scenicæ, quibus adolescentes in Collegiis exerceantur ad declamationem, modo nihil permisceatur obscœnum; quia experientia docet, isthæc exercitia non parum inservire, ut idonei fiant juvenes ad palam & publice aliquando perorandum.

Consect. 2. Licitæ pariter sunt choreæ illæ, in quibus concurrentibus causis publici gaudii, viri cum viris, mulieres cum mulieribus choros modeste ducerent; quia non est illicitum signa dare gaudii cum subest causa publica lætandi.

Consect. 3. Illicitæ sunt omnino Comœdiæ illæ publicæ, in quibus actores & actrices in theatris exhibent res obscœnas, & licet res repræsentatæ non sint obscœnæ, tamen illicitæ essent; quia permixtio illa virorum & mulierum declamantium, aut canentium, libidinem excitat, & fovet, ut monet Conc. Colon. 1549. *Quæ spectacula, etiamsi de rebus piis exhiberentur, parum tamen boni, mali vero plurimum relinquere in sanctimonialium mentibus possunt, gestus externos spectantibus, & mirantibus.*

CAPUT VII.

De usu Matrimonii.

ARTICULUS I.

De his, quæ in usu Matrimonii nullatenus sunt peccata.

PRop. unica. Actus conjugalis est licitus, immo & meritorius, quoties fit vel causa procreandi filios, vel motivo reddendi debitum conjugale comparti exigenti.

Prob. 1. Ex Script. *Uxori vir debitum reddat, similiter & uxor viro: nolite fraudare ad invicem, nisi forte ex consensu, ut vacetis orationi ... Iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas*: Ergo cum reddere debitum conjugale sit actus justitiæ, est licitus, immo meritorius si fiat in statu gratiæ.

2. Ex D. Th. *Quando conjuges conveniunt causa prolis procreandæ, vel ut sibi debitum reddant, quod ad finem matrimonii pertinet, totaliter excusantur a peccato.* D. Thom. in 4. dist. 31. qu. 2. a. 2.

3. *Rat.* Quia tunc actus conjugalis fit propter illum finem, ad quem ordinatus est: ergo non est peccatum, sed actus bonus. Ideo erroneum est dicere, ut ait D. Tho. esse peccatum mortale, quærere delectationem in tali actu, veniale acceptare, & perfectionis odisse; quapropter damnati sunt hæretici, qui actum conjugalem vetitum voluerunt.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Non est peccatum actum conjugalem exercere, quando speratur generatio prolis, licet per accidens non sequatur; quia tunc non itur contra finem matrimonii.

Consect. 2. Non est peccatum, actum conjugalem exercere causa vitandæ fornicationis in comparte; quia, ut inquit D. Th. hoc est quædam redditio debiti, quæ ad bonum fidei pertinet.

Consect. 3. Tactus venerei ad generationem vel necessarii, vel conducentes, non sunt peccata inter conjuges; quia sunt media ad generationem.

AR-

ARTICULUS II.

De his, quæ inter conjugatos sunt peccata tantum venialia.

PRop. unica. Actus conjugalis, qui fit ob alium finem, quam causa generandi prolem, vel reddendi debitum, etiamsi fiat ordinario concubitu, est peccatum veniale: potest fieri mortale per accidens, ut si in eo sistatur tanquam ultimo fine.

Prob. 1. Ex Script. Paulus Apostolus ibidem ait: *Secundum indulgentiam dico, & non secundum imperium*; quæ verba ita Aug. exponit: *Quis autem jam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus Apostolica auctoritate fateatur?* Enchir. c. 68. Ergo usus matrimonii est aliquando peccatum veniale: non utique cum fit cum debitis omnibus circumstantiis, quia tunc est actus virtutis: non etiam cum fit contra finem matrimonii; quia tunc est peccatum mortale: ergo est peccatum veniale cum fit præter finem matrimonii, intra tamen limites matrimonii.

2. Ex August. qui ponit illud peccatum inter peccata quotidiana & venialia. Peccat, inquit, conjugatus venialiter, *quoties excepto desiderio filiorum; uxorem suam cognoverit*. Serm. 3. de animabus fidelium defunctorum.

3. Ex D. Th. *Duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causa prolis procreandæ, & debiti reddendi; alias autem semper est ibi peccatum ad minus veniale:* in 4. dist. 31. art. 2.

4. *Rat.* Sicuti manducare ob solam delectationem non est peccatum mortale, sed veniale, nisi adsit alia prava circumstantia; ita actus conjugalis factus propter alium finem, quam prolis generationem, vel reddendi debitum, est peccatum veniale; quia, ut arguit Aug. *sicut homines sibi provident manducando & bibendo; ita successioni provident uxores ducendo*. Serm. 63. de diversis c. 14.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Tactus, & oscula extra actum conjugalem, etiam citra periculum pollutionis, sunt peccata, si fiant propter delectationem veneream extra usum matrimonii percipiendam; sunt, inquam, peccata, quia nec ad generationem, nec ad remedium concupiscentiæ ordinantur: peccata tamen illa sunt tantum venialia; quia non pervertunt usum matrimonii.

Consect. 2. Actus conjugalis exercitus a vetulis est peccatum; quia fit propter delectationem: sed peccatum illud est solum veniale, quia non pervertit usum matrimonii: *Licet enim non habeant vetuli caliditatem sufficientem ad generandum, habent tamen sufficientem caliditatem ad carnalem copulam; & ideo conceditur eis matrimonium, secundum quod est remedium concupiscentiæ, quamvis non competat eis, secundum quod est officium naturæ.* D. Th. in 4. dist. 34. q. unica art. 2. ad 3.

Consect. 3. Opus conjugale exercitum partim ob delectationem, partim ob generationem, est peccatum veniale. *Si quæratur delectatio infra limites matrimonii, ut scilicet talis delectatio in alia non quæreretur, quam in conjuge, sic est veniale peccatum.* D. Thomas in 4. disp. 31. qu. 2. a. 3.

Consect. 4. Opus conjugale exercitum ob solam sanitatem, est peccatum veniale. *Quia quamvis intendere sanitatis conservationem non sit per se malum, tamen hæc intentio efficitur mala, si ex aliquo sanitas intendatur, quod non est ad hoc de se ordinatum: sicut qui ex Sacramento Baptismi tantum salutem corporalem quæreret: & similiter est in proposito de actu matrimoniali.* D. Th. ibid. in 4. dist. 31. qu. 2. art. 2. ad 4.

Consect. 5. Opus conjugale non tollens omnino, sed pervertens tempora orationis, est peccatum veniale; quia, ut optime ait D. Th. *petere debitum in die festivo non est circumstantia trahens ad aliam speciem peccati; unde non potest in infinitum aggravare: & ideo non peccat mortaliter uxor, vel vir, si in die festo debitum petat; sed tamen gravius est peccatum, si sola delectationis causa petatur, quam si propter timorem, quo quis sibi timet de lubrico carnis, debitum petat.* D. Thom. in 4. dist. 32. qu. 1. art. 5. Quando autem actus conjugalis totaliter avertit ab oratione, tunc videtur peccatum.

Consect. 6. In audiendis confessionibus, Confessarius non debet curiosius scrutari casus illos, in quibus solum committitur peccatum veniale; sed sufficit, quod pœnitentes se accusent de tali materia in communi, cum peccatum veniale non sit materia necessaria pœnitentiæ.

ARTICULUS III.

De his, quæ inter conjugatos sunt peccata mortalia.

PRop. unica. Toties usus matrimonialis est peccatum mortale, quoties fit

cum insigni nocumento tum corporali, tum spirituali vel prolis, vel partium actum conjugalem exercentium.

Prob. Toties peccatum est mortale in usu matrimonii, quoties itur contra finem matrimonii; peccata enim contra finem virtutis sunt mortalia: atqui tunc itur contra finem matrimonii; quia finis matrimonii est bonum prolis, & bonum contrahentium: ergo tunc peccatur mortaliter, cum exercetur actus matrimonialis cum insigni nocumento tum corporali, tum spirituali vel prolis, vel conjugatorum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Toties actus matrimonialis est peccatum mortale ob nocumentum corporale proli inferendum, quoties fit cum ea inordinatione, qua vel impediatur generatio antequam fiat, v. gr. si semen emittatur extra vas, vel disturbetur generatio postquam facta est, v. g. si procuretur abortus, vel proles nata insigniter debilitetur, v. g. si cum lactatur infans, frequentibus coitibus corrumpatur lac, quo nutriuntur; quia in illis casibus infertur insigne nocumentum corporale proli.

Consect. 2. Toties actus matrimonialis est peccatum mortale ob nocumentum spirituale proli inferendum, quoties fit cum ea inordinatione, qua impeditur, ne proles nascitura baptismum recipiat: ut cum per coitum procuratur abortus fœtus animati, vel proles jam nata ex usu matrimoniali scandalum suscipit: ut cum conjugati debitum sibi reddunt coram filiis, qui ex hoc ad libidinem inflammantur.

Consect. 3. Toties actus conjugalis est peccatum mortale ob nocumentum corporale inferendum conjugatis, quoties fit cum ea intemperantia, qua vel alterius, vel amborum conjugum sanitati notabiliter noceatur; quia, ut optime ait Cajet. v. Matrimonium, *Opus generationis ordinatum a natura ad bonum speciei sine malo individui exerceri debet... Et debitum conjugale intelligitur salva consistentia & sanitate subjecti.*

Consect. 4. Toties actus conjugalis est peccatum mortale, quoties fit cum eo ardore & affectu, ut æque fieret cum alio ac cum comparte; quia tunc contingit quod dicit Tobias 6. v. 17. *Sunt qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos.* Tunc pariter evenit id, de quo queritur Christus: *Qui amat uxorem suam plus quam me, non est me dignus.* Demum in eos conjugatos competit id, quod dicit Hier. lib. 1. contra Jovin. cap. ultimo: *Omnis ardentior amator propriæ uxoris, adulter est.* Et rursus: *Nihil fœdius quam uxorem amare quasi adulteram.*

Consect. 5. Toties actus conjugalis est peccatum mortale, quoties fit cum ea inordinatione, ut nec ad generationem prolis, nec ad remedium concupiscentiæ, nec ad debitum reddendum referatur; quia tunc conjugatus sistit in delectatione venerea tanquam in ultimo fine, seu, ut loquitur D.Th. in 4. dis. 31. a. 3. nullum intendit bonum matrimonii, sed solam delectationem quærit. *Tunc enim*, ut loquitur idem S. Doctor, *voluptates meretricias vir in uxore quærit, quando nihil aliud in ea attendit, quam quod in meretrice attenderet.* Ibidem ad 1.

Consect. 6. In audiendis confessionibus Confessarius pœnitentibus suis nihil permittat eorum, quæ constat esse peccata mortalia: uti enim decet Confessarios non curiosius scrutari ea, quæ sunt tantum peccata venialia; ita oportet non oscitanter, sed exacte examinare ea, quæ in usu matrimoniali pertingunt usque ad malitiam peccati mortalis; luxuries enim enormior est in matrimonio, quam extra matrimonium: quippe per incontinentiam conjugatorum non sola offenditur castitas, sed sanctitas Sacramenti violatur; & Deus severius punit incontinentes conjugatos, quam non conjugatos, ut docet passim August.

ARTICULUS IV.

De his quæ inter conjugatos habentur a quibusdam ut peccata mortalia, ab aliis ut venialia.

NOTA 1. Quidquid est contra generationem, vel impediendo ne fœtus concipiatur, vel suffocando fœtum postquam conceptus est, juxta omnes, est peccatum mortale; quia tunc itur contra finem matrimonii.

Nota 2. Quidquid est per se conducens ad generationem est licitum, & in exigente, & in reddente; quia nihil habet inordinatum. Ita pariter omnes sentiunt.

Nota 3. Quidquid est præter generationem, nec conducens ad generationem, nec impediens generationem, sed conducens solum ad majorem voluptatem in matrimonio percipiendam, est peccatum in exigente mor-

mortale, juxta aliquos; veniale vero, juxta alios: in reddente aliquando est peccatum, aliquando non; quod ut pateat, sit

Prop. 1. Concumbere in vase ordinario, sed *innaturaliter*, id est, non servato situ a natura instituto, est peccatum mortale, si hoc fiat sine causa, & ex solo motivo majoris voluptatis percipiendæ: v. g. si vir subit in feminam, & femina supergreditur virum; quia talis modus non convenit seminis infusioni quoad virum, nec seminis receptioni quoad mulierem; & sic videtur impediri prolis generatio intenta a natura. Ita Petrus Paludanus, Henricus & alii, ut refert D. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 20. §. 3. quia hoc denotat plenam adhæsionem, plenumque affectum erga voluptatem carnalem.

Dixi, quando innaturalis concubitus fit sine causa est peccatum mortale; nam si fiat cum causa, v. g. ob ægritudinem alterius partis, ob vitandum periculum abortus, tunc nullum erit peccatum, modo absit periculum pollutionis in utroque conjuge.

Prop. 2. Concumbere *innaturaliter* in vase ordinario, sed non servato situ a natura instituto etiam sine causa, sed solo motivo majoris voluptatis percipiendæ, modo non eatur contra finem matrimonii, qui est posse concipere, non est peccatum mortale, sed solum signum mortalis concupiscentiæ. Ita Albertus Magnus relatus a D. Anton. ibidem. *Sed Albertus Magnus*, inquit, *in quantum dicit, quod nihil horum quæ facit vir cum uxore in actu conjugali, servato debito vase, est de se mortale; sed potest esse signum mortalis concupiscentiæ, quando ei non sufficit modus determinatus a natura, sed alium invenit, causa delectandi se, cum non subest causa infirmitatis, vel alia rationabilis.*

Consect. unicum. In illa sententiarum diversitate non præcipitandum est judicium; sed in tribunali pœnitentiæ secundum id, quod probabilius videbitur, judicandum est: non temere pronuntiandum, in usu matrimoniali esse mortale peccatum ubi forte non est nisi veniale: nec pariter audacter asserendum, ibi solum esse veniale peccatum ubi forte est mortale. Hortandi sunt pœnitentes ad id quod est tutius; judicandum vero secundum id quod est probabilius. Quare sit

ARTICULUS V.

Explicatur sigillatim quæ peccata committi solcant in usu matrimonii.

Nota, quod omnia peccata, quæ committi solent in usu matrimonii, his duobus versibus continentur.

Sit modus, & finis, sine damno solve, cohære.
Sit locus, & tempus, desit violatio voti.

Singulas illas voces sequentibus paragraphis explicabimus.

§. I.

De fine actus conjugalis, qui est generatio prolis, qui exprimitur his verbis: sit finis.

Prop. unica. Quidquid impedit conceptione fœtus, est peccatum mortale.

Prob. 1. Script. *Onam sciens non sibi nasci filios, introiens ad uxorem fratris sui semen fundebat in terram, ne liberi nascerentur fratris nomine; & idcirco percussit eum Dominus, eo quod rem detestabilem faceret.* Gen. 38. v. 10. Ergo quod impedit generationem prolis, est detestabile coram Deo: ergo est peccatum mortale.

Ex Aug. 2. *Illicite & turpiter etiam cum legitima uxore concumbitur, ubi prolis conceptio devitatur.* lib. 2. de adult. conj. cap. 20.

3. *Rat.* Ire contra finem principalem matrimonii est peccatum mortale. 1. Quia res sacra violatur, cum matrimonium sit Sacramentum. 2. Quia nocetur proli nascituræ; impeditur enim, ne ejus conceptio fiat, vel disturbatur postquam facta est. 3. Impeditur bonum universale, scilicet, propagatio generis humani: ergo est peccatum mortale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccatur mortaliter, si fiat effusio seminis ante vel post coitum extra vas ad generationem destinatum; quia pervertitur generatio.

Consect. 2. Peccatur mortaliter, si ita fiat coitus, ut membrum virile non intret vas femineum, nec vas femineum recipiat membrum virile vel ob disproportionem partium, vel ob aliam causam; quia pervertitur generatio.

Consect. 3. Conatus mulieris, quo receptum semen virile deperditur, vel statim mingendo, vel saltando, vel aliud quid

quid faciendo, est peccatum mortale; quia impeditur generatio, aut saltem fit conatus ut impediatur.

§. II.

De modo concumbendi ordinario, qui exprimitur his verbis: sit modus.

Prop. unica. Modus concumbendi non ordinarius, sine causa, est semper peccatum vel mortale vel veniale: mortale si sit contra finem matrimonii: veniale si sit præter finem matrimonii.

Prob. 1. Ex D. Th. in 4. dist. 32. in expositione textus. *Usus contra naturam conjugis est,* inquit, *quando debitum vas prætermittit, vel debitum modum institutum a natura quantum ad situm: & in primo semper est peccatum mortale; quia proles sequi non potest, unde totaliter intentio naturæ frustratur: sed in secundo non semper est peccatum mortale, ut quidam dicunt, sed potest esse signum mortalis concupiscentiæ; quandoque etiam sine peccato potest esse, quando dispositio corporis alium modum non patitur; alias tanto est gravius, quanto magis a naturali modo receditur.*

2. *Rat.* Usus matrimonii est licitus quoties fit debito modo: toties mortaliter illicitus quoties fit contra finem matrimonii: illicitus vero tantum venialiter quoties fit præter finem matrimonii: ergo

Si modus concumbendi sit extra vas ordinarium, peccatum erit mortale; quia concubitus est contra finem matrimonii.

Si modus concumbendi in vase ordinario, in tantum sit exorbitans, ut impediat, ne fieri possit conceptio, est peccatum pariter mortale; quia est contra finem principalem matrimonii.

Si modus concumbendi innaturalis non impediat, ne possit fieri conceptio, ita ut posset esse generatio, si aliud non obstaret, si modus ille concumbendi fiat sine causa, est peccatum veniale; quia est delectatio venerea intra fines matrimonii.

Si non impediat, ne possit fieri conceptio, & fiat cum justa causa, v.g. ad vitandum abortum, vel ob aliam causam, v.g. ob indispositionem corporalem conjugatorum, nullum est peccatum, si nihil interveniat vitiosum; quia est usus matrimonii, qualis potest esse: ergo, &c.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Modus concumbendi, in quo mulier viro superponitur, si adsit probabile impedimentum non concipiendi, *Videtur*, inquit Cajet. *peccatum mortale esse, aut prope; si tamen mulier possit sic concipere, noli damnare*, ait idem Cajetan. v. Matrimonium.

Consect. 2. Modus, in quo conjugati nudos se aspicerent, solo aspectu libidinoso fruentes, sine ullo ordine ad coitum, videtur esse mortale peccatum; quia hoc nec ad generationem inservit, nec ad sedandam concupiscentiam prodest.

Consect. 3. Modus in quo conjugati tactibus venereis ita insisterent, ut sine ordine ad coitum illa superflua voluptate potirentur, videtur esse peccatum mortale; quia hoc nec ad generationem, nec ad temperandam concupiscentiam inservit, sed periculum pollutionis inducit.

Consect. 4. Modus, in quo conjugati *fellationem*, ut vocant, exercent, dum alter in alterius os linguam immittit, aut alter alterius artus lingua lambit, ut vehementiorem percipiat libidinem.

Si hoc fiat extra actum conjugalem, vel sine ordine ad actum conjugalem, peccatum est haud dubie mortale: quia tunc ultimate sistitur in illa inordinata voluptate.

Si vero hoc fit vel in actu conjugali, vel in ordine ad ipsum, quale peccatum sit non ausim determinare: unum scio fædam illam libidinem ab ipsis paganis vituperari; tales enim vocat Martialis, lib. 11. Epig. 61. *Lingua maritos, & ore mæchos*.

Et Minutius Felix in Octavio vocat *Homines malæ linguæ, etiamsi tacerent, quos prius tædescit impudicitiæ suæ, quam pudescit, prob nefas..... Qui medios viros lambunt, libidinoso ore inguinibus inhærescunt..... Hæc & hujusmodi propudia non licet nec audire*. Ergo si infanda sint scelera in non conjugatis, sunt magis infanda in maritatis propter injuriam illatam Sacramento.

§. III.

De damno inferendo vel proli jam conceptæ sed nondum natæ, vel proli jam natæ, vel conjugatis, quod exprimitur his verbis: sine damno.

Prop. unica. Quoties usus matrimonii damnum infert notabile vel proli natæ, aut nascituræ, aut ipsis conjugatis, est peccatum mortale.

Prob. Scriptura. Violatur illud præceptum: *Non occides*.

2. Violatur amor ille, quem conjugati de-

debent sibi invicem, & proli: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*.

3. *Rat*. Sicut usus ciborum non debet esse cum nocumento nostri, aut aliorum; ita nec usus matrimonii: & sicut usus ciborum est peccatum mortale, quando notabiliter nocet vel menti, vel corpori; ita & usus matrimonii.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccatum mortale est coitus cum gravida, si fiat cum periculo abortus; quia nocetur proli conceptæ: *Ut enim terra jam sata aratro non scinditur, ne semen pereat; ita ad gravidas mulieres non debet fieri accessus, ne fœtus jam conceptus pereat*. Clem. Alexand. lib. 2. Pædag. c. 10. Si tamen exerceatur coitus sine periculo abortus, & in remedium concupiscentiæ, non est peccatum mortale.

Consect. 2. Peccatum mortale est coitus cum lactante, si fiat cum ingenti præjudicio prolis natæ, si ei aliter non provideatur: est peccatum in petente, & non in reddente; quia debet petens potius continere, quam alteri nocere: si tamen non possit aliter sedare concupiscentiam, debet potius uti congressu, quam uri: *Melius est enim nubere, quam uri*; & interim oportet infanti lactato providere.

Consect. 3. Peccatum mortale est coitus cum fatua, aut furiosa; quia tunc imminet periculum proli concipiendæ.

Consect. 4. Peccatum mortale est coitus, in quo conjugati ardentiores, aut frequentiores, quam par est, sibi vitam minuunt, aut ægritudines contrahunt: quia sicut peccat graviter, qui insigniter sanitati nocet per cibum; ita & mortaliter peccat, qui eidem sanitati maxime nocet per coitum.

Consect. 5. Juxta Scotum, Lyranum, Sotum, Estium, &c. Coitus tempore menstrui fluxus videtur esse in exigente peccatum mortale; quia juxta Scripturam Lev. c. 20. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo interficientur ambo de medio populi sui*. Pœna autem mortis denotat peccatum mortale; quia juxta Hieron. infantes ex illo actu concepti, *nascuntur leprosi & elephantici*. Nullum vero est peccatum in reddente, si nullum nocumentum inferendum sit proli, & vitetur corruptio exigentis debitum conjugale.

Juxta Cajetanum, Navarrum, Alfonsum a Castro, &c. coitus tempore fluxus menstrui est solum peccatum veniale propter indecentiam actus; quia præceptum Scripturæ est ceremoniale, si spectetur immunditia; est vero naturale, si spectetur nocumentum prolis. Ego autem consului peritissimos medicos, a quibus didici, coitum tempore menstrui nullatenus nocere proli; & proinde si vera sit hæc Medicorum sententia, coitus tempore mestrui poterit esse absque peccato.

§. IV.

De debito conjugali reddendo, quod exprimitur hac voce: solve.

Prop. 1. Toties conjugati peccant mortaliter, quoties sibi injuste denegant debitum, præcipue cum periculum adest corruptionis in comparte.

Prob. 1. Ex Script. *Vir uxori debitum reddat, similiter & uxor viro*. 1. ad Corinth. 7. Ergo conjugati peccant contra justitiam, quoties sibi denegant debitum conjugale: ergo mortaliter.

2. Ex Aug. *Debent sibi conjugati commiscendi fidem; non solum liberorum procreandorum causa, verum etiam infirmitatis excipiendæ, ad illicitos concubitus evitandos, mutuam quodam modo servitutem*: lib. de bono conjug. cap. 6. Ergo peccant mortaliter quoties absque causa sibi denegant debitum conjugale.

3. *Rat*. Conjugati denegantes sibi debitum sine causa, peccant 1. Contra secundarium finem Sacramenti, quo fit ut matrimonium sit remedium concupiscentiæ. 2. Contra caritatem, quam sibi mutuo debent conjugati alter alterius onera ferentes. 3. Peccant contra justitiam: ergo peccant mortaliter.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccatum mortale est, reddere se impotentem ad debitum conjugale, vel frequentibus pollutionibus in se ipso, vel frequentibus coitibus cum alio quam cum comparte, vel ebrietate, aut indiscreta intemperantia.

Consect. 2. Peccatum mortale est, denegare debitum conjugale, cum petitur juste vel ad prolem generandam, vel ad vitandam incontinentiam, vel etiam ad delectationem veneream intra fines matrimonii percipiendam.

Prop. 2. Toties deneganda est in usu matrimoniali comparti copia sui corporis, quoties id quod exigitur fieri nequit sine peccato mortali.

Prob. Promissum de re ex se bona, quæ per accidens fit illi cita, non ligat quamdiu

manet illicita; quia promiſſio non poteſt eſſe vinculum iniquitatis: ergo promiſſio inter conjugatos, tradendi ſibi mutuo corpus ſuum, non ligat, quando illa traditio fieri nequit ſine peccato: ergo deneganda eſt comparti copia corporis ſui quoties exigitur id, quod fieri nequit ſine peccato mortali.

Dixi, ſine peccato mortali, quia in uſu matrimoniali vitanda ſunt omnino quæ ſunt peccata mortalia; quæ vero ſunt tantum peccata venialia, ſecundum indulgentiam non curioſius examinantur, ſed permittuntur, ut evitentur majores corruptiones.

Conſectaria hujus Doctrinæ.

Conſect. 1. Toties in uſu matrimoniali deneganda eſt comparti copia ſui corporis, quoties alter conjugum uti voluerit aliquo ex illis modis, in quibus peccatur mortaliter; quia pars conjugata, quæ in his circumſtantiis daret copiam ſui corporis, fieret conſcia peccati mortalis quod ab alio committeretur; quia juxta Paulum: *Digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* ad Rom. 1.

Conſect. 2. Toties in uſu matrimoniali deneganda eſt comparti copia ſui corporis, quoties copula carnalis eſt illicita ratione impedimenti vel ſupervenientis, vel poſt matrimonium cogniti, vel ratione dubii de validitate Sacramenti; quia alias pars, quæ in illis circumſtantiis faceret copiam ſui corporis, fieret particeps peccati mortalis, quod per illicitam copulam committeretur.

Et ita ex affinitate, & cognatione ſpirituali ſuperveniente, negandum eſt debitum conjugale, nec exercendus eſt actus conjugalis ab eo, qui dubitat de validitate matrimonii.

Sic, ſi alter conjugum commiſit inceſtum in primo & ſecundo gradu, quo inceſtu inducitur affinitas, pars rea non poterit petere debitum conjugale; quia, ut ait Gloſſa, in Can *Noſſe* 30. q. 1. *Statim ipſo facto perditum eſt jus exigendi*: pars vero innocens, cognito inceſtu, non poteſt reddere debitum; quia, ut ait Gloſſa, ibidem: *Alter non habet jus petendi*. Poterit tamen pars innocens petere debitum; quia, ut ait Innocentius III. cap. *Diſcretionem*, de eo qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ, vel ſponſæ: *Affinitas .... ei non debet officere, quæ hujuſmodi iniquitatis particeps non exiſtit, cum ſuo jure non debeat ſine ſua culpa privari.*

Sic, ſi inter conjugatos ſuperveniat cognatio ſpiritualis, quæ oritur inter conjuges, quando unus ex eis eſt miniſter, vel patrinus in miniſterio baptiſmi, vel confirmationis filii communis, vel filii alterutrius ex conjugibus; tunc enim, juxta jura, conjuges nequeunt ſibi debitum conjugale reddere.

Si tamen pater baptizat puerum in articulo mortis, tunc non impedit actum matrimonii ex neutra parte, neque pariter ſi fiat ignoranter ignorantia inculpabili; ſi vero id fiat malitioſe, qui eſt in culpa perdit jus exigendi debitum, non vero pars innocens: ita D. Th. in 4. diſ. 42. quæſt. 1. a. 1 in c.

Prop. 3. Toties conjugatus poteſt non reddere debitum conjugale, quoties aut qui petit cecidit a jure exigendi, aut is a quo petitur cauſam habet non reddendi.

Prob. Quilibet poteſt abſque peccato uti jure ſuo: ergo toties debitum conjugale poteſt negari, quoties is qui petit cecidit a jure petendi, & quoties is a quo petitur cauſam habet non reddendi.

Conſectaria hujus Doctrinæ.

Conſect. 1. Debitum conjugale poteſt denegari ei, qui lapſus eſt in adulterium; quia adulter perdit jus exigendi debitum.

Conſect. 2. Debitum conjugale poteſt denegare ea pars, cui inſigniter nocet reddere debitum conjugale; quia redditio debiti conjugalis intelligi debet, ſalva individui continentia, ut loquitur D. Thom.

Prop. 4. Etſi non ſit peccatum denegare debitum conjugale, cum petitur injuſte vel ob adulterium commiſſum a parte quæ exigit debitum, vel ob nocumentum corporale inferendum parti quæ poteſt reddere debitum; tamen in praxi debet illud reddi, modo pars rogata illud poſſit reddere ſine peccato, & ſine gravi periculo mortis ſubeundæ, aut ægritudinis contrahendæ, præcipue cum adeſt periculum corruptionis in parte exigente, & per redditionem debiti ſperatur converſio partis exigentis.

Prob. 1. Scriptura. *Unuſquiſque uxorem ſuam ſicut ſeipſum diligat; uxor autem timeat virum ſuum.* ad Epheſ. 5. v. 33. Ergo amor conjugalis exigit, ut unaquæque pars conjugata juri ſuo libenter cedat, ut compartem ſuam ad meliorem frugem ſenſim adducat: mulier id faciat ex reverentia, quam debet viro; vir vero ex amore, quem debet uxori.

2. Ex Aug. *Uxor non habet poteſtatem corporis ſui, ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem corporis ſui, ſed mulier ..... Non ſibi alterutrum negent, ne per hoc incidant in damnabiles*

les corruptelas, tentante Satana, propter incontinentiam vel amborum, vel cujusquam eorum. De bono conjugali cap. 6. Ergo licet alter possit denegare debitum ex justitia, debet concedere ex caritate, ut compartem suam Deo lucrifaciat.

3. *Rat.* Conjugati, ex D. Paulo, ita debent saluti æternæ invigilare, ut unusquisque suæ comparti salutem æternam, quantum potest, procuret: ergo si potest eam procurare reddendo debitum conjugale, debet id facere ex caritate, quamvis non teneatur id facere ex justitia; nam si debeat saluti extraneorum insistere, a fortiori compartis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Si mulier lapsa in adulterium det signa pœnitentiæ, debet pars innocens eam recipere, eique culpam condonare, & petenti debitum reddere: sic Christus pepercit mulieri adulteræ, & Ecclesiam sponsam nunquam deseret. Si vero mulier nolit pœnitere, quia vir caput est mulieris, tenetur mediis, quibus poterit, eam avertere a peccato.

Consect. 2. Si vir labatur in adulterium, & det signa pœnitentiæ, debet mulier ei debitum non denegare.

Consect. 3. Si vir, aut mulier, etiam jus habens denegandi usum conjugalem, possit, concedendo debitum, compartem vel ab incontinentia, vel ab ebrietate, aut alio quocumque vitio abstrahere, decet ut debitum conjugale reddat; sic enim Domino lucratur compartem.

Consect. 4. Si mulier ex usu conjugali non nisi levem aliquam infirmitatem corporalem subitura sit, decet ut viro reddat debitum conjugale; sic enim compartem sibi magis devincit, & Domino lucratur. *Hortandi sunt*, inquit Greg. *conjuges, ut ea, in quibus sibi aliquando displicent, & patientes invicem tolerent, & exhortantes invicem salvent*. Pastoralis parte 3. admonitione 28.

§. V.

De mutua conjugatorum obligatione cohabitandi simul, quæ exprimitur hac voce: cohære.

Prop. unica. Conjugati, exceptis causis legitimi divortii, debent simul, quantum possunt, cohærere & habitatione, & toro.

Prob. 1. Scriptura: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi: & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*. 2. ad Corinth. 7. Ergo conjugati tenentur simul cohærere.

2. Conjugium exigit mutuam illam cohærentiam, ut alter conjux alteri sit adjutorium: ergo debent simul quoad torum & habitationem cohærere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 4. Si vir alio se transferat ex causa non turpi & ad longum tempus, & velit uxorem secum habere, uxor tenetur eum sequi, nisi gravissimum periculum animæ vel corporis inde manifeste sequeretur; quia *Vir caput est mulieris*, ad eum pertinet statuere de loco & modo habitationis. sic Sara sequebatur Abrahamum peregrinantem.

Consect. 2. Si uxor non possit honeste virum sequi, potest ad tempus ab illo abesse: sic uxores non sequuntur maritos in bello, ut patet exemplo uxoris Uriæ. 2. Reg. cap. 1. v. 9.

§. VI.

De loco, in quo debitum conjugale reddendum est, quod exprimitur his verbis: sit locus.

Prop. unica. Conjugati debent sibi mutuo debitum conjugale reddere juxta regulas honestatis, & proinde in locis abditis.

Prob. 1. Script. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*. ad Hebr. 13. v. 4. Ergo oportet, ut in actu conjugali nihil fiat contra honestatem.

2. Ex Clem. Alexand. lib. 2. stromatum, cap. 10. *Non immodeste sese ac intemperanter gerere oportet; sed verecundia tanquam lux rationis in animo includenda*.

3. *Rat.* Oportet reddere debitum, inquit D. Th. salva debita honestate, quæ in talibus exigitur: ergo non oportet, quod palam & in publico debitum reddatur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Non licet exigere, immo neque reddere debitum conjugale neque in publico, neque coram his, qui possent provocari ad libidinem: quia abstinendum est ab operibus etiam licitis, quæ sunt aliis scandalo, quando uti possumus jure nostro tempore magis convenienti. Talis usus matrimonialis est peccatum mortale, non ratione sui, sed ratione scandali.

Con-

Consect. 2. Non licet exigere, immo neque reddere debitum conjugale in loco sacro; quia id repugnat sanctitati loci: de quo ita D. Antonin. 3. P. tit. 1. c. 21. *Sive ergo habeatur alius locus, sive non possit haberi alius locus ad hoc, certum est quod non licet petere, sed nec reddere tenetur alter illud quod reddi non potest sine irreverentia loci sacri; nam propter hoc indiget reconciliatione, secundum Joannem Andream, quantum est ex natura facti, licet per accidens, si est occultum, non indigeat reconciliatione: quod etiam ponit Hostiensis*. Tunc usus matrimonialis est peccatum mortale, juxta Antoninum, non ratione sui, sed ob irreligionem & irreverentiam erga locum sacrum.

§. VII.

De tempore, in quo debet reddi debitum conjugale, quod exprimitur his verbis: sit tempus.

Prop. unica. Nullum est tempus, quo in rigore conjugati non debeant sibi reddere debitum conjugale, sicuti nullum est tempus, quo non tenear solvere quod alteri debeo; tamen ex decentia hortandi sunt conjugati, ut ex mutuo consensu contineant se interdum, certisque temporibus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Bonum est continere tempore jejunii. *Sanctificate jejunium,* inquit Scriptura, *egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.* Joel. 2. 15. Ita censet Origenes homilia 10. in Levit. Chrysost. lib. de Virg. cap. 30. 31. Amb. serm. 26. de tempore.

Consect. 2. Bonum est, ut conjugati contineant se temporibus orationi destinatis, quales sunt dies festivi solemniores. *Nolite fraudare invicem*, inquit Scriptura, *nisi forte ex consensu, ut vacetis orationi*. 1. ad Corinth. 7. Deinde diebus festivis non licet vacare servilibus; quia servilia avertunt mentem a Deo: opus autem conjugale magis avertit ab oratione, quam opus servile: ergo decet, ut conjugati diebus festivis ab opere conjugali abstineant.

Demum Hebræi legem recepturi abstinuerunt tribus diebus a mulieribus, & panes propositionis non licebat comedere nisi iis, qui se continuerant: Christianos ergo decet esse continentes & cum legem Dei audituri sunt, & cum Christi corpus debent recipere.

Dixi, decet ut conjugati diebus festivis se contineant; nam, ut optime ait Cajet. de matrim. *Peccat mortaliter conjugatus negans debitum, etiamsi dies Paschæ fuerit, in quo debeat communicare*; quia communio non dispensat communicantem, ne id efficiat, ad quod tenetur ex justitia.

§. VIII.

De obligatione servandi votum, quæ exprimitur his verbis: desitve obligatio voti.

Nota, quod ibi non est quæstio de voto solemni castitatis, sed de voto simplici; quia votum solemne castitatis elicitum ante matrimonium reddit matrimonium nullum, elicitum vero post matrimonium nullam obligationem inducit; sed quæstio est de voto simplici, quod ante matrimonium, vel post matrimonium elicitum est.

Prop. unica. Conjugatus tenetur, quantum in eo est, observare votum simplex castitatis quod elicuit, sive illud ante matrimonium, sive post matrimonium elicuerit.

Prob. Votum etiam simplex obligat, ut diximus, ubi de voto: ergo conjugatus tenetur, quantum in eo est, observare votum simplex, quod elicuit, sive ante, sive post matrimonium illud elicuerit.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui ligatus voto simplici castitatis perpetuæ, sine dispensatione, valide quidem sed illicite contrahit matrimonium, tenetur in eo, in quo potest observare votum; & ita nunquam potest petere debitum, sed solum potest reddere; unde si velit petere, debet a superiore dispensari: sic docet D. Th. in 4. dist. 38. q. 1. a. 3. q. 2. ad 4. ubi sic habet: *Quia* (conjugatus) *ex matrimonii vinculo non obligatur ad petendum debitum; ideo ligatus voto, non potest petere debitum sine peccato; quia quoad hoc est ligatus voto, quamvis possit sine peccato reddere debitum exigenti, postquam obligatus est ad hoc per copulam præcedentem*. Et si ejus compars moriatur, *tenetur*, inquit D. Bonaventura, *omnino*, idest per totam vitam, *continere*: in 4. dis. 38. a. 2. q. 1.

Consect. 2. Qui post matrimonium consummatum elicit votum simplex perpetuæ castitatis, non potest debitum conjugale petere; quia quoad hoc potuit se ligare, cum in ejus potestate sit abstinere a petendo debito: sed tenetur reddere, quia non est in ejus potestate non reddere. Ita Conc. Lateran.

ran. 3. cap. *Quidam*, de conversatione conjugatorum. *Promisit quis*, inquit Conc. *se non exigere debitum, quod in ejus potestate erat: & ideo quoad hoc votum tenuit; non reddere autem non erat in ejus, sed in mulieris potestate*. Idem habetur cap. *Placuit*, eodem titulo, ubi istud affertur principium: *Quod votum eatenus est obligatorium, quatenus vovens potest se obligare*.

Consect. 3. Qui ligatus aut voto non nubendi, aut voto intrandi Religionem, aut voto suscipiendi Ordinem sacrum, contrahit matrimonium, valide quidem, sed illicite contrahit, & peccat consummando matrimonium, quia violat votum; sed consummato semel matrimonio, potest & petere & reddere debitum conjugale; quia inquit Abulensis in cap. 27. Levi. q. 6. Si ligatus tali voto *contraxerit, & consummaverit per copulam, dissolutum est votum: tamen est imponenda pœnitentia transgressori secundum arbitrium Confessoris*.

Idem docet Cajetanus verbo *matrimonium*, & communiter omnes Theologi. *Ille*, inquit, *qui vovit ingredi & perseverare in religione*, vel suscipere Ordinem sacrum, vel non nubere, *& postea absque dispensatione uxorem duxit, potest post consummatum matrimonium petere debitum ab uxore; quia votum ejus est de affirmatione, scilicet, de assumendo statu religionis*, aut Subdiaconatus, aut cœlibatus, *& non est de castitate nisi per viam sequelæ*. Id est, qui vovit castitatem ad semper & pro semper tenetur continere se quantum in ipso est; qui vero vovet Religionem, cœlibatum & Subdiaconatum, non vovet castitatem, sed vovet statum in quo servatur castitas, tenetur quidem ex vi voti illum statum, quem vovit, ingredi; sed ex vi voti non tenetur servare castitatem: ideo, si fornicetur, peccat quidem peccato luxuriæ, sed non peccato sacrilegii; & si semel votum suum violaverit, potest absque novo peccato & reddere & petere debitum conjugale.

Consect. 4. Qui post consummatum matrimonium elicit votum simplex intrandi Religionem, vel suscipiendi Ordinem sacrum, vel servandi cœlibatum post mortem suæ compartis, potest & reddere & exigere debitum conjugale; quia non tenetur ad castitatem donec statum illum amplexus fuerit, & tenebitur statum illum amplecti cum poterit, scilicet post mortem compartis.

Consect. 5. Qui post matrimonium ratum & consummatum vovit castitatem cum consensu compartis, non potest nec petere, nec reddere debitum conjugale. Primo non potest petere; quia voto cecidit a jure petendi debitum: non potest reddere; quia compars per consensum cecidit a jure exigendi: ita habetur Can. *Manifestum* 33. q. 5. ubi sic habetur: *Si quilibet eorum alteram a jure suo absolverit, ad præteritam servitutem ipsam revocare non poterit*.

Consect. 6. Si ambo conjugati post matrimonium ratum & consummatum ex mutuo consensu perperam castitatem voveant, nunquam poterunt aut petere, aut reddere debitum conjugale; quia ex vi voti & consensus mutui privantur utroque jure, scilicet, vi voti privantur jure petendi, vi consensus privantur jure reddendi debitum conjugale: id expresse docet Aug. relatus Can. *Quod Deo* 33. q. 5. ubi sic habet: *Quod Deo pari consensu ambo voveratis, perseveranter usque in finem reddere ambo debuistis, a quo proposito si lapsus est ille, tu saltem*, Ecditiam alloquitur, *instantissime persevera: ad quod te non exhortarer, nisi quia tibi ad hoc ipse consenserat*.

Consect. 7. Si ambo conjugati post matrimonium ratum non consummatum voveant Religionem, non possunt consummare matrimonium, sed debent, quam citius poterunt, intrare Religionem, ut adimpleant votum. Si vero consumment, peccant graviter consummando matrimonium; quia ponunt obicem voto exequendo: sed consummato semel matrimonio possunt & petere & reddere debitum conjugale; quia votum intrandi Religionem non privat jure reddendi & exigendi debitum conjugale.

Consect. 8. Si ambo conjugati communi consensu pactum ineant de non petendo, nec reddendo debitum; durante pacto neuter potest petere, vel reddere debitum; quia vi pacti uterque cessit juri suo: sed si communi consensu rescindant pactum, redeunt ad primæva jura; quia, ut ait Chrysost. *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*. Cap. *Omnis*, de regulis juris.

ARTICULUS VI.

Quibus remediis possint conjugati vitare peccata, quæ committi solent in usu matrimonii.

PRop. *unica*. Ad vitandam incontinentiam, quæ vulgo reperitur in usu matrimonii, conjugati hujusmodi remedia adhibere possunt.

1. Debent pium aliquem finem sibi pro-

po-

ponere, v.g. intendere possunt alterum ex istis tribus, scilicet, *vel procreare prolem* in honorem Dei, *vel reddere debitum* comparti exigenti, *vel reperire remedium concupiscentiæ*.

Ex Script. Finis primarius matrimonii est generatio liberorum, juxta illud: *Crescite, & multiplicamini*. Geneseos 1. v 28. Finis secundarius est remedium concupiscentiæ: *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat, & unaquæque suum virum habeat*. Et alter finis justitiæ est, ut conjugati sibi invicem debitum reddant: *Nolite fraudare invicem*: Ergo conjugati debent unum ex istis finibus sibi proponere in actu conjugali, si velint vitare peccata, quæ in usu matrimoniali committuntur. Idem docent Patres: *Propagatio liberorum ipsa est prima & naturalis & legitima causa nuptiarum*. Aug. lib. 2. de adult. conjug. c. 12. *Matrimonium fuit in populo Dei aliquando legis obsequium; nunc est infirmitatis remedium*. Aug. lib. de bono viduit. cap. 8.

2. Debent sibi proponere exemplum eorum, qui sancte vixerunt in matrimonio: v.g. possunt sibi proponere exemplum Tobiæ dicentis: *Domine tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum*. Tob. 8. v. 9.

3. Conjugati debent a Deo precibus petere prolem sanctam, exemplo Annæ, quæ a Deo impetravit Samuelem, exemplo Elisabeth & Zachariæ, qui a Deo impetrarunt Joannem Baptistam; nam sanctorum filiorum procreatio a Deo est, juxta illud Evæ: *Possedi virum per Deum*. Gen. 4. & juxta illud Davidis: *Ecce hereditas Domini, filii, merces, fructus ventris*. Psal. 126. v. 4.

4. Demum decet, ut conjugati diebus festis, & diebus jejunii contineant sese, ut vacent orationi: *Abstinete vos*, inquit Paulus ad Corinth: *ut vacetis orationi*. Idem passim docent Sancti Patres. Aug. sic habet Canon. *Quibuscumque* 33. q. 4. *Cum dies natalis Domini, aut reliquæ festivitates adveniunt .... Ante plures dies .... a propriis uxoribus abstinete*. Quod ita debet intelligi, juxta D. Bonavent. in 4. dist. 32. a. 3. q. 2. in corp. Debitum conjugale reddi potest illis diebus sine omni culpa, dum tamen reddatur cum displicentia, & dolore; peti autem non potest sine culpa.

CAPUT VIII.

De excessu tum in cibo, tum in potu.

EXcessu tum in cibo, tum in potu ita affinis est luxuriei, ut unum vitium vix sine altero reperias. Ideo Paulus ebrietates, commessationes cum impudicitia semper consociat: & Christus ipse rememorans ingluviem eorum hominum, qui Noemi temporibus vixerunt, & vaticinans vitia eorum hominum, qui in fine mundi victuri sunt, ait: *Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes usque ad eum diem, quo intravit Noe in Arca*: Matth. c. 24. v. 38. indicans intemperantiam inter & luxuriem fatalem quandam intercedere necessitudinem. Cum ergo tanta sit inter luxuriem & intemperantiam connexio, congruus ordo postulat, ut qui egimus de luxurie, jam de cibi potusque intemperantia agamus, & statuamus qualis debeat esse apud Christianos & cibi & potus usus.

ARTICULUS I.

An licitus, vel illicitus sit cibi & potus usus.

PRop. 1. Non illicitus, quia immo imperatus est is ciborum, & potus usus, qui ad vitam sustentandam est necessarius; solusque excessus est culpabilis.

Prob. 1. Script. In statu innocentiæ Adamo interdictus est usus arboris scientiæ boni, ac mali: & imperatus usus arboris vitæ, juxta illud: *Ex omni ligno Paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas*. Gen. c. 2. vers. 16. Statim post peccatum usus fructuum terræ propriis manibus excultæ permittitur, juxta illud: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo*. Gen. c. 3. v. 19. Statim post diluvium permittitur usus, nedum fructuum, sed etiam animalium viventium, juxta illud: *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia*. Gen. c. 9. v. 3. Ergo non illicitus, quin immo imperatus est moderatus ciborum & potus usus, solusque excessus est vituperabilis.

2. Ex Greg. lib. 30. Moral. c. 13. ubi sic habetur: *Neque enim cibus, sed appetitus*, id est excessus, *in vitio est*; *unde & lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. Esau primatum per lenticulam perdidit: & Elias in eremo per virtutem spiritus carnes edendo servavit.*

3. Ex D. Th. 2. 2. qu. 148. art. 1. *Gula est immoderata in cibo & potu delectatio*: Ergo usus moderatus tum cibi, tum potus non potest esse peccatum.

4. *Rat.* Quod necessarium est ad vitam sustentandam non potest esse peccatum: atqui usus tum cibi, tum potus est necessarius ad

vitam

vitam sustentandam, ut quilibet experitur: Ergo usus tum cibi, tum potus non est peccatum, nisi ratione excessus.

Consectaria hujus Doctrinæ:

Consect. 1. Non illicitus, quinimmo religiosus potest esse tum cibi, tum potus usus, quem soli sumimus, modo refectio illa fiat juxta regulas virtutis: de quo ita Aug. in Ps. 46. *Bene agis, si quod manducas & bibis, & ad refectionem corporis sumis, reparationemque membrorum; gratias agens ei qui tibi præbuit mortali & fragili ista supplementorum solatia: & cibus tuus & potus tuus laudat Deum: si vero modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, & vinolentia te ingurgites; quantaslibet laudes Dei lingua tua sonet, vita blasphemat.*

Consect. 2. Non illicitus, sed religiosus potest esse cibi & potus usus, quem cum aliis in honestis conviviis sumimus: videmus enim piissimos viros varia convivia celebrasse. Abraham enim sub forma humana Angelis apparentibus fecit convivium. Gen. c. 28. Isaac *convivium fecit Abimelech, & Ochozach, & Phicol, & post cibum, & potum surgentes mane, juraverunt sibi mutuo.* Genes. 26. vers. 30. Et de filiis Job dicitur: *Ibant filii ejus, & faciebant convivia per domos, unusquisque in die suo.* Job 1. vers. 4. Demum ipsemet Christus pluribus conviviis interesse non dedignatus est.

ARTICULUS II.

Quandonam illicitus sit cibi & potus usus, quem sive privatim, sive cum aliis sumimus.

PRop. 1. Toties illicitus est cibi potusve usus sive in privatis refectionibus, sive in conviviis sumptus, quoties non servatur ordo rationis; vel quoad substantiam ciborum, ut cum fercula appetuntur lautiora quam conveniant statui; vel quoad quantitatem, ut cum plus cibi sumitur, quam ratio requirit; vel quoad qualitatem, ut cum nimia curiositas adhibetur in præparandis cibis ad satisfaciendum cupiditati; vel ratione modi, ut quando non habetur ratio decori, quod in sumendo cibo observari debet; vel ratione temporis, cum vel sepius quam par est, vel cum tempore, quo non oportet, cibis sumendis indulgetur.

Prob. 1. Ex D. Greg. lib. 30. Moral. novæ editionis c. 18. ubi sic habetur: *Quinque modis nos gulæ vitium tentat: aliquando namque indigentiæ tempora prævenit: aliquando vero tempus non prævenit, sed lautiores cibos quærit: aliquando qualibet, quæ sumenda sint, præparari accuratius appetit: aliquando autem & qualitati ciborum & tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit: nonnunquam vero & abjectius est quod desiderat, & tamen ipso æstu immensi desiderii deterius peccat.* Et hæc continentur in hoc versu.

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

2. *Rat.* Toties peccatur, quoties in usu temporalium non servatur ordo rationis: atqui in usu ciborum prædictis in casibus non servatur ordo rationis: ergo tunc peccatur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant qui in refectione utuntur cibis, vel potibus prohibitis; quia tunc non servatur ordo rationis quoad substantiam ciborum.

Sic peccant qui utuntur cibo, vel potu, quibus nocetur sanitati; quia jus naturale vetat ea, quibus nocetur sanitati.

Sic peccant qui utuntur cibo, vel potu interdictis lege positiva: v. g. Catholici qui utuntur cibis ab Ecclesia prohibitis.

Sic peccavit Adamus cibum vetitum manducans: de quo Tertull. lib. de Jejuniis cap. 3. *Facilius ventri quam Deo cessit, pabulo potius quam præcepto annuit, salutem gula vendidit, manducavit denique, & periit. Teneo igitur a primordio homicidam gulam.*

Consect. 2. Peccant qui cibo, vel potui plus æquo indulgent; quia tunc non servatur ordo rationis quoad quantitatem. Tales fuerunt Sodomitæ excedentes in panis quantitate. *Hæc fuit*, inquit Scriptura, *iniquitas Sodomæ sororis tuæ, saturitas panis & abundantia.*

Consect. 3. Peccant qui lautiores quam par est quærunt cibos, variaque excogitant ciborum condimenta. Talis fuit intemperantia Hebræorum, qui despecto manna carnes petierunt. Exod. 16. Hæc fuit pariter filiorum Heli ingluvies, quibus cum non placerent carnes coctæ in altari Domini, crudas extorquebant a populo, ut eas juxta concupiscentiam suam condirent. 2. Reg. cap. 2.

Consect. 4. Peccant qui ardentius quam par est cibis & potibus inhiant; quia non servant ordinem rationis quoad modum. Talis fuit intemperantia Esau, qui pulmentum lenticulare adeo ardenter expetiit, ut primogenita sua cibi edulio vendiderit.

Consect. 5. Peccant qui vel crebrius quam par est cibos sumunt, vel refectiones pro-

protendunt, vel tempus earum præveniunt. Talis fuit culpa eorum, de quibus dicit Isaias: *Væ qui surgitis mane ad ebrietatem sectandam & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis.*

Prop. 2. Toties excessus in potu, vel cibo est peccatum mortale, quoties per illum excessum violatur vel caritas erga Deum (ut cum statuitur ultimus finis in tali delectatione) vel cum violatur caritas erga nosmetipsos, ut cum per talem excessum nocetur notabiliter sanitati vel ratio obruitur, vel cum violatur caritas erga proximum, ut cum per talem excessum scandalum sumus proximo, vel demum cum per illum excessum præceptum aliquod Ecclesiæ violatur.

Prob. Toties peccatum est mortale, quoties læditur virtus ad salutem omnino necessaria, ut diximus ubi de peccato mortali & veniali. Ergo excessus in cibo & potu toties erit peccatum mortale, quoties insigniter lædetur aliqua ex prædictis virtutibus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccant mortaliter qui ita sunt addicti ciborum delectationi, ut in ea ultimo sistant; quia sunt hi, de quibus dicit Paulus: *Quorum Deus venter est*. Hoc autem cognoscitur, inquit Cajetan. *quod homo ob delectationem in comedendo non curat transgredi præceptum Dei, aut Ecclesiæ ...., ut si propter hoc furetur, aut contemnat jejunare, &c.* Verb. *Gula*.

Consect. 2. Peccant mortaliter qui ita sunt addicti delectationi in cibo & potu, ut malint potius insigniter nocere sanitati corporis, quam ab ea temperare: de hoc ita Cajet. V. Gulæ. *Quandoque gula grande peccatum est: ut cum delectatio cibi allicit ad comedendum usque ad vomitum, aut alia inconvenientia, & similiter cum inducit ad alia peccata, puta ad nimium sumptum, vel ad nocendum propriæ sanitati, & ad quæcumque alia peccata, quæ secundum se sunt judicanda quanta sunt.* Ideo merito a pluribus Academiis damnata est sequens propositio: *Non nisi veniale est etiam absque utilitate cibo & potu usque ad vomitum se ingurgitare, nisi ex hujusmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur.*

Consect. 3. Peccant mortaliter peccato intemperantiæ simul & inobedientiæ qui excedentes vel in potu, vel in cibo præcepta infringunt Ecclesiastica, v.g. manducant carnes diebus abstinentiæ, pluribus utuntur refectionibus diebus jejunii; quia modum temperantiæ excedunt, & præcepta Ecclesiastica contemnunt: de hoc ita D. Thom. 2. 2. q. 148. art. 2. *Si ergo, inquit, inordinatio concupiscentiæ accipitur in gula secundum aversionem a fine ultimo, sic gula erit peccatum mortale. Quod quidem contingit quando delectationi gulæ inhæret homo tanquam fini propter quem Deum contemnit, paratus scilicet contra præcepta Dei agere, ut delectationes hujusmodi assequatur.*

Consect. 4. Peccant mortaliter qui excedentes in potu, vel cibo, aliis sunt scandalo, provocando eos ad potum vel cibum excedentem; quia in causa sunt cur alii excedant: de hoc ita August. serm. de tempore, alias 232. jam in appendice 295. *Qui amico suo nimium propinando in anima efficitur inimicus, & corpus ejus debilitare, & animam probatur occidere. Melius erat, ut ex illo quod una die plus eum accipere coegit quam expedit, per duos aut tres dies ipsum amicum ad suum convivium revocaret .... Aut certe, quod est melius, quidquid nimio potu perditura erat gula, pauperibus daretur in eleemosynam, ut & caro rationabiliter bibendo reficeretur, & per misericordiam pauperum animæ redemptio præparetur.*

Consect. 5. De ebrietate in particulari. Ebrietas voluntaria, quoties rationem absorbet, est peccatum mortale; secus si sit involuntaria. Scriptura enim dicit: *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Prov. cap. 23. vers. 29. Et Isaias cap. 5. v. 22. *Væ qui potentes estis ad bibendum.* Et Paulus 1. ad Corinth. cap. 6. vers. 10. *Neque fornicarii .... neque ebriosi Regnum Dei possidebunt.* Et D. Th. 2. 2. q. 150. a. 2. *Ebrietas est peccatum mortale; quia homo volens & sciens privat se usu rationis, quo secundum virtutem operatur, & peccata declinat.*

Sed ebrietas involuntaria non est peccatum; quia nullum peccatum potest esse involuntarium.

Sic qui semel inebriatur voluntarie, peccat mortaliter; quia, ut loquitur D. Th. vult potius ebrietatem incurrere, quam a potu abstinere.

Sed gravius peccat qui ex consuetudine inebriatur; quia peccatum aggravatur ex consuetudine, ut diximus ubi de habitu vitioso voluntario. *Assiduitas*, inquit D. Th. 2. 2. q. 150. art. 2. ad 1 *facit ebrietatem esse peccatum mortale; non propter solam iterationem actus, sed quia non potest esse quod homo assidue inebrietur, quin sciens ac volens ebrietatem incurrat; dum multoties experitur fortitudinem vini, & suam habilitatem ad ebrietatem.*

Sic peccat mortaliter cujuslibet sortis vir qui inebriatur; sed gravius si sit Clericus; quam-

quam si sit Lajcus, si sit persona publica, quam si sit persona privata; peccatum enim crescit ex circumstantia personæ.

Ebrietas Clericis specialiter prohibetur; dicit enim Paulus 1. ad Timoth. cap. 3. v. 2. *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse ... non vinolentum .... Diaconos non multo vino deditos*, Et Conc. Agatense can. 41. *Ante omnia a Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes, ac nutrix est. Quem ebrium fuisse constiterit, ut ordo patitur, aut triginta dierum spatio communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio*. Si enim Levitis Aaronicis dictum est, Levit. c. 10. vers. 9. *Vinum & omne quod inebriare potest non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis tabernaculum testimonii, ne moriamini*; quanto potiori jure sobrios decet esse Clericos, qui Evangelicum ingrediuntur tabernaculum? Et si Nazaræi a vino & omni quod inebriare potest abstinebant, Numer. cap. 6. & Rechabitæ, teste Jerem. cap. 3. ut obedirent Patri Jonadab a vino temperabant; quanto potiori ratione decet Clericos in usu vini non excedere?

Mulieribus, juvenibus, & Magnatibus pariter strictius prohibetur ebrietas; quia ipsis maxime convenit sobrietas, ut docet D. Th. *Sobrietas*, inquit, *maxime requiritur in juvenibus, & mulieribus; quia in juvenibus viget concupiscentia delectabilis propter fervorem ætatis; in mulieribus autem non est sufficiens robur mentis ad hoc quod concupiscentiis resistant*. Unde Apostolus 1. ad Timoth. cap. 3. „ Mulieres similiter „ pudicas, sobrias;“ & ad Titum cap. 2. ait: „ Anus similiter .... non multo vino servien„ tes .... Juvenes similiter hortare, ut so„ brii sint. “

Et D. Th. ibidem ait: *Alio vero modo magis sobrietas requiritur in aliquibus, utpote magis necessaria ad propriam operationem ipsorum. Vinum autem immoderate sumptum præcipue impedit usum rationis; & ideo senibus, in quibus ratio debet vigere ad aliorum eruditionem, & Episcopis, seu quibuslibet Ecclesiæ ministris, qui mente devota debent spiritualibus officiis insistere, & Regibus, qui per sapientiam debent populum subditum gubernare, specialiter sobrietas indicitur*. Ideo Apostolus ad Titum cap. 2. ait: *Hortare senes, ut sobrii sint*: & de Regibus & judicibus dicitur Prov. cap. 31. vers. 4. *Noli Regibus dare vinum; quia nullum secretum est ubi regnat ebrietas: & ne forte bibant & obliviscantur judiciorum, & mutent causam filiorum pauperis*,

ARTICULUS III.

Quandonam licitus, vel illicitus sit conviviorum usus.

PRop. *unica*. Toties licitus est conviviorum usus, quoties aut ad augendam erga Deum Religionem, aut fovendam inter homines societatem, conducit.

Prob. 1. Script. Sacrificia Judæorum non tam erant sacrificia quam convivia, ut patet ex Agno Paschali aliisque victimis Deo oblatis. Sacrificium Christianorum non solum est sacrificium, sed etiam convivium, in quo unum corpus omnes efficimur qui de uno pane participamus: ergo convivia duplicem habent finem, scilicet augere Religionem erga Deum, & fovere societatem inter homines: Ergo toties licita convivia, quoties ad unum ex illis finibus conducunt; illicita vero, si ad neutrum ex illis finibus ordinentur.

2. *Rat.* Homines ad duplicem communitatem societatemque nati sunt: alteram, quæ sit hominibus cum Deo: alteram, quæ sit inter ipsos homines: atqui nihil aptius accommodatiusque esse potest ad utramque societatem fovendam quam convivia, si qua decet sanctitate fiant: Deo ob cibos acceptos simul communes gratias rependendo, & societatem cum iis, quibus convescimur, nutriendo. Unde convivia Christianorum aut Agapes, aut Eucharistia vocantur: Agapes, quia in his mutua fidelium fovetur concordia: Eucharistia vero, quia in his gratiæ Deo redduntur. Ergo toties licitus est conviviorum usus, quoties fiunt vel ad augendam erga Deum Religionem, vel nutriendam cum hominibus societatem.

Consect. unicum. Toties vitiosa sunt hominum convivia, quoties in conviviis aliud intenditur quam incrementum aut Religionis aut societatis humanæ; quia hic duplex tantum est conviviorum finis.

Sic vituperanda sunt eorum convivia, qui in conviviis hoc unum quærunt, ut laute comedant, ut liberaliter potent; qui, modo ventrem impleant, palato indulgeant sensibusque placeant, cæterorum omnium obliviscuntur: de quibus Is. 5. v. 2. *Cithara & Lyra & Tympanum & vinum in conviviis vestris, & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis*: de quibus pariter Petrus 2. Epist. cap. 1. v. 13. *Deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes*.

Sic demum vituperanda sunt convivia eorum hominum, qui in epulis suis vel fastum quæ-

quærunt, ut Assuerus: Esther cap. 1. vel vindictam contra inimicos suos, ut Absalon, qui Amnon fratrem in convivio occidendum jussit; vel irreligionem, ut Balthassar, qui vasis sacris in convivio abusus est, &c.

Qui plura, & quidem egregia de conviviis scire voluerit, consulat Guillelmum Stuchium in opere quod edidit de antiquitatibus convivialibus.

DE SEPTIMO DECALOGI PRÆCEPTO.

PROOEMIUM.

Septimum Præceptum sic habet: *Non furtum facies*. Finis hujus Præcepti est conservare justitiam inter homines, jus suum cuicumque reddere, & rerum dominia unicuique illæsa custodire; ideo totam hujus Præcepti explicationem quatuor Tractatibus absolvemus. In primo agetur de his, quibus competit rerum dominium, & quomodo etiam vi solius authoritatis Reipublicæ per usucapiones & præscriptiones acquiratur, & deperdatur rerum dominium, etiam absque deperdentium consensu. In secundo agetur de Contractibus, Donationibus, & Testamentis, quibus per voluntariam privatorum conventionem acquiritur vel deperditur rerum dominium. In tertio agetur de variis speciebus Furti, & Rapinæ, & Damni, quibus rerum dominium injuste aut læditur aut aufertur. In quarto agetur de Restitutione, per quam rerum dominia injuste vel ablata vel læsa reparantur.

TRACTATUS DECIMUSQUARTUS.

De rerum dominio.

CAPUT I.

Quid & quotuplex sit Justitia, Jus, & dominium, & possessio.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit justitia.

Justitia, prout hic sumitur, est virtus inclinans voluntatem ad reddendum unicuique quod suum est: facit quippe justitia, ut cuique nondum habenti tradamus lubenter quod suum est: & vetat, ne jam habenti vel affectu auferamus quod ejus est. Ideo definitur a Justiniano: *perpetua & constans voluntas jus suum cuique tribuendi*. Species justitiæ sunt tres. 1. Justitia universalis legalis. 2. Justitia particularis distributiva. 3. Justitia particularis commutativa.

Justitia universalis legalis est virtus, qua membra Reipublicæ comparantur ad Rempublicam, ejusque legibus subjiciuntur; & ita *reddunt Reipublicæ quod illi debetur*, nimirum subjectionem; sicuti membra corporis comparata ad animam subjiciuntur animæ. Dicitur Justitia legalis; quia legem statuit singulis hominibus, eosque legibus subesse præcipit.

Justitia particularis distributiva est virtus, qua Respublica, vel Princeps vices gerens Reipublicæ, comparatur ad membra Reipublicæ, *& reddit unicuique quod suum est*; remunerando bonos juxta cujuslibet meritum, puniendo malos juxta cujuslibet demeritum; sicuti anima comparata ad membra corporis singulis membris præbet quod eis debetur, unicuique juxta sui exigentiam & meritum. Dicitur justitia distributiva; quia tota est in distribuendo vel præmium vel pœnas.

Justitia commutativa est virtus, qua membra Reipublicæ, ad invicem comparata, *reddunt sibi quodlibet quod suum est*, & membrum unum non aufert ab altero membro quod ei debetur; sicuti in corpore una pars, v. g. brachium, non aufert ab alia parte, v. g. pede, quod ei debetur, sed ei rependit quod suum est. Dicitur commutativa; quia maxime versatur in commutationibus, quæ in contractibus vulgo solent intervenire.

ARTICULUS II.

Quid & quotuplex Jus.

Jus, prout hic sumitur, *est titulus, quo res dicitur nostra, & non alterius*.

Jus aliud est jurisdictionis, aliud proprietatis.

§. I.

De Jure Jurisdictionis.

Jus Jurisdictionis est potestas legitima gubernandi suos subditos liberos, non in commodum proprium, sed in commodum subditorum & Communitatis. Talis est jus, quod habet Respublica supra suos subditos & Ecclesia supra Christianos.

1. Est

1. *Est potestas legitima*; quia si imperium illud sit legibus contrarium, non est Jurisdictio, sed tyrannis.

2. Dicitur *gubernandi*; quia Jurisdictio exercetur per præcepta, prohibitiones, permissiones, judicia, præmia, punitiones, &c. non enim aliis mediis ducitur natura rationalis.

3. Dicitur *suos subditos*; quia auctoritas gubernandi non debet extendi, nisi ad eos, qui sunt nobis subditi.

4. Dicitur *liberos*; quia in servos & mancipia habetur jus proprietatis, & non jurisdictionis solum.

5. Dicitur *non in bonum proprium, sed in bonum Communitatis*; quia superior non alium debet sibi proponere finem, quam bonum subditorum & Communitatis.

Jus Jurisdictionis aliud est Ecclesiasticum, aliud civile.

Jus Ecclesiasticum est potestas legitima gubernandi subditos in rebus spiritualibus, cultum divinum & salutem animarum spectantibus.

Jus civile est potestas legitima gubernandi subditos in rebus temporalibus, spectantibus externam vivendi rationem, & tranquillitatem publicam.

§. II.

De Jure Proprietatis.

Jus proprietatis *est potestas legitima disponendi de re tamquam sua in omnem usum lege non probibitum.*

1. Dicitur *potestas legitima*; quia si vis illa legibus sit contraria, non est jus, sed injusta usurpatio.

2. Dicitur *disponendi de re tanquam sua*; quia ille, qui habet jus proprietatis, potest pro libito de rebus suis disponere vel retinendo, vel vendendo, vel donando, vel locando, &c.

3. Dicitur *in omnem usum lege non probibitum*; quia disponere de rebus suis contra legem, non est usus, sed abusus; ideo possessor non potest, v. g. segetes suas comburere, pecunias suas in præjudicium Reipublicæ in mare projicere.

Jus proprietatis aliud est altum, aliud infimum.

Jus altum universale, & eminens, est illud, quod habet Communitas in bona privatorum, vel ipsemet Princeps, ut est persona publica: de quibus bonis potest disponere in communem Reipublicæ utilitatem in casu necessitatis, & solum ea necessitate durante.

Jus infimum est illud, quod habent privati homines in bona, quæ ipsis peculiariter addicta sunt.

Jus aliud est ad rem, aliud in re.

Jus ad rem *est potestas legitima ad rem obtinendam, sibique obligandam.* Hoc jus tribuit, non actionem realem, qua res, quæ dicitur nostra, vindicari possit, sed actionem personalem, qua persona lædens jus nostrum cogatur damnum reparare. Tale est jus, quod quis habet in rem sibi venditam, sed non traditam.

Jus in re *est potestas legitima, quam quis habet in re sibi tradita & obligata.* Hoc jus tribuit actionem realem, qua res vindicari possit, ubi fuerit. Tale est jus, quod quis habet in re sibi vendita & tradita. Ut aliquis habeat jus in re, tria requiruntur.

1. Justus titulus, defectu cujus conditionis fures non habent jus *in re* circa pecunias furto subreptas.

2. Existentia rei, defectu cujus conditionis possessor fundi non habet *jus in re* circa fructus anno proximo percipiendos.

3. Traditio rei, defectu cujus conditionis emptor non habet *jus in re* circa merces sibi venditas, sed nondum traditas.

Ut aliquis acquirat *jus ad rem*, sufficit justus titulus, nec requiritur existentia rei, vel traditio.

Sic possessor fundi habet *jus ad rem* circa fructus in fundo suo proximo anno enascituros.

Sic Clericus graduatus habet *jus ad rem* circa beneficia mensibus graduatorum vacatura.

Jus aliud importat oppignorationem rei, aliud dominium rei.

Jus importans oppignorationem, est potestas legitima, qua res aliqua dicitur alicui oppignorata.

Tale est jus, quod competit creditori, in res sibi a debitoribus oppignoratas ad securitatem debiti.

Jus importans dominium, est potestas legitima, qua res aliqua actualiter possidetur.

Tale est jus illius, qui equum, agrum, domum justo titulo possidet.

ARTICULUS III.

Quid & quotuplex sit dominium.

Dominium est *jus perfecte disponendi de re, nisi lege prohibeatur.*

Dominium aliud est altum, aliud infimum.

Dominium altum est illud, quod habet Respublica in privatorum bona, quibus uti potest in bonum Reipublicæ.

Dominium infimum est illud, quod privati homines habent in sua bona.

Dominium infimum aliud est perfectum, aliud imperfectum.

Dominium perfectum seu plenum est illud,

quod extenditur ad substantiam rei, simul & ad ejus emolumenta, quod complectitur & proprietatem rei, & emolumenta ipsius.

Tale est dominium, quod quis habet in vineam suam, de cujus proprietate & usu potest, prout libuerit, disponere.

Dominium imperfectum, aliud est directum, aliud utile.

Dominium directum est jus, quo licet solum de substantia rei disponere, minime vero de ejus emolumentis.

Tale est dominium illius, qui habet solum proprietatem rei.

Dominium utile est jus utendi, aut etiam fruendi re aliena, salva ejus substantia.

Tale est dominium illius, qui percipit fructus fundi, sed non habet ejus proprietatem.

Dominium utile est multiplex, usus, ususfructus, habitatio, superficies, emphyteusis, feudum, libellus, servitus. De quibus omnibus sigillatim agemus in 2. Tomo in compendio juris civilis.

ARTICULUS IV.

Quid & quotuplex sit possessio.

POssessio est *apprehensio, & detentio rei, adminiculo corporis, & animi, & juris.*

1. Dicitur *apprehensio, & detentio rei*; quia ut res vel corporea, vel incorporea dicatur possideri, oportet ut aliquo modo apprehendatur & detineatur per possidentem: ideo res, quas nec apprehendimus, nec detinemus, v.g. res omnino nobis extraneas, possidere non dicimur.

2. Dicitur *adminiculo corporis;* quia ut rem possidere dicamur, debemus eam vel manibus tangere, aut oculis videre; vel in se, ut cum tangimus aut cernimus agrum, quo contactu vel intuitu declaramur rei, quam tangimus, aut cernimus, possessores; vel in aliquo, quod gerat vices rei, ut cum dantur instrumenta, quibus res nostra declaratur, v.g. traditur clavis domus.

3. Dicitur *adminiculo animi;* quia ut rem possidere dicamur, debemus eam apprehendere aut tenere animo possidendi: ideo depositarius non dicitur possidere depositum; quia non tangit aut conservat depositum animo retinendi, sed animo reddendi illud deponenti.

4. Dicitur *juris adminiculo*; quia ut dicamur rem possidere, non sufficit, quod apprehendamus rem manu, & cum animo retinendi, ut facit fur, cum rem furtivam accipit; sed debet juris authoritas intervenire, ut possessor queat pacifice rem retinere, & se defendere ab his, qui eum vellent a possessione rei, quam possidet, deturbare.

Possessio alia est rei propriæ, alia rei alienæ.

Possessio rei propriæ ea est, *qua aliquid, quod nostrum est, juste detinemus.*

Possessio rei alienæ ea est, *qua aliquid, quod nostrum non est, possidemus.*

Possessio rei alienæ, alia est bonæ fidei, alia malæ fidei, alia dubiæ fidei.

Possessio rei alienæ bonæ fidei ea est, *qua possidemus aliquid quod nostrum non est, sed quod per ignorantiam invincibilem nostrum putamus.*

Possessio rei alienæ malæ fidei ea est, *qua scienter aliquid possidemus quod nostrum non est.*

Possessio rei alienæ dubiæ fidei ea est, *qua revera alienum possidemus, sed cum dubio, an nostra sit, vel alterius.*

Privilegia possessionis etiam rei alienæ, cum adest bona fides, sunt ista.

1. Parit præscriptionem; inde natum illud axioma: *possessor bonæ fidei debito tempore præscribit; malæ vero fidei ullo tempore non præscribit.*

2. In dubio facit conditionem possessoris meliorem; unde natum illud axioma: *in dubio melior est conditio possidentis.*

3. Dat præsumptionem dominii; unde natum illud axioma: *possessor non tenetur probare rem esse suam.*

4. Dat jus possessori, ne deturbetur a re quam possidet, & ut deturbatus in eam restituatur; unde nata hæc regula: *possessor potest rem, quam possidet, defendere; & expulsus prius restituendus est in possessione, quam de justitia possessionis agatur.*

CAPUT II.

De his, quibus competat rerum dominium.

ARTICULUS I.

Quod & quale dominium competat Deo, Angelis tum bonis, tum malis.

PRop. 1. Deus habet omnium rerum creatarum sive corporearum, sive incorporearum absolutissimum & perfectissimum dominium, v.g. circa cælos, circa elementa, circa mixta, circa Angelos, circa homines.

Prob. 1. Scriptura, *Domini est terra & plenitudo ejus.* Psal. 23. v. 1. Et Salomon ait: *Dominus omnium es.* Sap. 12. v. 16. Et a Judith vocatur *Dominus totius creaturæ.* Judith 9. Et Esther dicit Deo 13. *Dominus omnium es:* ergo Deus habet omnium rerum creatarum absolutissimum dominium.

2. Ex

2. Ex D.T. 2.2. q.66. a.1. ad 2. ubi sic habetur: *Deus habet principale dominium omnium rerum.*

3. *Rat.* Dominium est potestas utendi re pro libito: atqui Deus potest quacumque creatura prout libuerit uti, cum eam possit vel destruere vel conservare, vel in quam partem voluerit inclinare: ergo Deus habet supremum & absolutum erga res creatas dominium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Deus posset, si vellet, omnes, & singulas creaturas absque injuria destruere. Et ita Deus potuit, ut docet D. Th. absque ulla injuria præcipere Abrahamo, ut immolaret unicum filium ejus: potuit præcipere Judæis, ut spoliarent Ægyptios, & ut Cananæos & Pharesæos bello adorirentur, eosque vel interficerent, vel e terris, quas occupabant, ejicerent; quia Deus habet supremum dominium & supra vitam hominum, & supra omnia eorum bona temporalia.

Consect. 2. Dominium in singulas creaturas, præcipue in vitam hominum, ita est Deo proprium, ut nulli alteri conveniat: & ita solus Deus potest de vita hominum disponere, juxta illud Deut. 32. v. 39. *Videte, quod ego sim solus Deus, & non alius præter me: ego occidam, & ego vivere faciam.* Et juxta illud Sap. 16. v. 13. *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem.*

Sic nullus homo potest se ipsum occidere; quia non est dominus vitæ suæ. Nullus privatus, immo neque Princeps potest alium hominem occidere, nisi id faciat, ut minister Dei, quia nullus homo habet dominium supra vitam alterius. Nullus pariter homo privatus aut Princeps potest se aut alium mutilare sine causa; quia non est dominus sui vel alieni corporis. Potest tamen cum causa ut minister Dei: v.g. mutilatio alicujus membri potest fieri vel ad conservandam vitam, vel ad puniendum delictum.

Solus Deus habet dominium supra vitam hominis; sed supra libertatis statum quilibet verum habet dominium: atque adeo homo potest fieri servus vel propria voluntate, vel necessitate justa. Propria voluntate, ut si se ipsum vendat, uti permittebatur Judæis egestate compulsis se ad tempus vendere. Exod. 12. & Lev. 25. Necessitate justa, ut si id lex jubeat vel permittat; lex enim jubet reos criminis sententia judicis posse servitute damnari; permisit vero manucaptos in bello, qui occidi poterant, posse fieri servos: item permittit, ut filius, qui ex matre serva nascitur, servus sit, sive pater sit servus, sive non, quia partus sequitur ventrem; immo permittit patri, ut in urgenti necessitate possit filium suum vendere.

Consect. 3. Dominium, quod habet Deus, quantumvis absolutum, non tollit nec dominium altum Reipublicæ, nec dominium infimum privati hominis, sed solum utrumque sibi subjicit: sicuti enim vis efficiendi, quam habet Deus, non tollit vim effectricem a creaturis, sed solum conservat, prævenit, applicat, adjuvat; ita dominium absolutum Dei præcedit omne dominium creatum, illudque conservat, eique robur adjicit.

Prop. 2. Angeli tum boni, tum mali, nullum dominium habent proprie circa creaturas corporeas, vel circa homines.

Prob. rat. Angeli tum boni, tum mali, non possunt de rebus istius mundi disponere tamquam suis: ergo non habent verum circa res creatas dominium.

Angeli boni vocamur domini; quia mundum istum in nostram utilitatem administrant: sicut Joseph vocabatur dominus universæ terræ Ægypti. Angelus vero malus vocatur Princeps hujus sæculi, rector tenebrarum harum; non quod sit vere dominus alicujus creaturæ, sed quia peccatores alligatos detinet, non tanquam judex, sed tanquam tortor, donec per Christum liberentur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. De bonis Angelis. Bonos Angelos & venerari, & ad eos confugere oportet, uti diximus ubi de cultu Angelorum; quia Angeli boni sunt in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis.

Consect. 2. De dæmonibus. Mali Angeli seu dæmones fugiendi sunt, sed non pertimescendi; quia nullum habent supra nos dominium: orandus solum est Deus, ut non patiatur nos tentari supra id, quod possumus.

ARTICULUS II.

Quod & quotuplex dominium competat privato.

PRop. 1. Homo etiam privatus, hoc ipso quod est rationalis & sui compos, habet jus acquirendi dominium rerum exteriorum corporearum, quæ in mundo sunt, & de iis pro libito disponendi; nisi aliunde a legibus prohibeatur.

Prob. 1. Scriptura. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit pi-*

scibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis terræ. Gen. 1. v. 26. Ergo factus est homo, ut rerum exteriorum haberet dominium; quod quidem, licet per peccatum diminutum fuerit, non tamen fuit omnino sublatum, cum & post peccatum Noe & filiis ejus dictum fuerit: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & terror vester & pavor sit super cuncta animalia terræ*. Gen. 9. vers. 1.

2. Ex Aug. *Uti aliquo non potest animali nisi rationis particeps* lib. 83. q.: ergo homo particeps rationis potest uti rebus exterioribus, & circa illas exercere dominium.

3. *Rat*. Prima ratio. Ille habet jus utendi boni istius Universi, propter quem Universus iste factus est, ut patet: atqui propter hominem orbis iste factus est: de homine quippe dictum est: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves, & boves, universa insuper & pecora ejus*. Psal. 8. v. 8. ergo homo, hoc ipso quod est rationis compos, habet dominium rerum omnium, quæ sunt in mundo.

Secunda ratio. Homo, multiplex jus habet in omnia, quæ in mundo sunt. Habet quippe 1. jus naturale; nam quatenus homo est corporeus dirigens se per rationem, debentur illi omnia bona, quæ ad vitam tum corporalem tum spiritualem sustendandam sunt necessaria, adeo ut injuria ei fiat, si ei denegentur. 2. habet jus positivum divinum; dixit enim Deus Noe & filiis ejus: *Omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum. Quasi olera virentia tradidi vobis omnia*. Genes. 9 v. 3. 3. Habet jus positivum humanum; jus quippe gentium, jus civile, jus Ecclesiasticum nulli subtrahunt rerum dominium, nisi rebus istius mundi vel in sui, vel in Reipublicæ perniciem abutatur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Sistendo intra jus naturæ, omnis homo, in quocumque statu sit, vel conditione, est capax dominii, modo capax sit rationis & libertatis; quia ratio & libertas sunt radix dominii circa corporalia; unde contra justitiam peccatur, si ei hæc bona auferantur.

Sic amens est vere dominus eorum bonorum temporalium, quæ ei jure hæreditario competunt; quia quamvis rationem præpeditam habeat, ea tamen uti potest, modo iis, quibus præpeditur obicibus, liberetur.

Sic infans est verus dominus earum rerum, quæ ad ipsum spectant; qui licet rationis usum nondum habeat, tamen brevi habiturus est, ut loquitur Paulus: *nihil differt a servo, cum sit dominus omnium* bonorum paternorum; quia *si filius, & hæres*.

Sic servus est verus dominus omnium, quæ ei jure naturali competunt: quia etsi jure gentium & ipsemet & sua sint domini, cujus est mancipium; tamen jure naturali, utpote rationis compos, est pariter dominus bonorum, quæ ei competunt.

Sic jure naturæ quilibet homo, sive Laicus, sive Clericus, sive etiam Religiosus, potest esse capax dominii rerum temporalium; quia hoc ipso quod est rationalis, habet jus ad bona temporalia.

Sic quilibet homo, etsi paganus, etsi hæreticus, etsi peccator, jure est dominus eorum bonorum, quæ ei competunt; quia nec paganismus, nec infidelitas, nec peccatum, tollunt omnino rationem, nec proinde capacitatem dominii rerum exteriorum. Sic Pharao a Deo constitutus fuit Rex, juxta illud Exod. 9. v. 16. *Posui te Regem, ut ostendam in te fortitudinem meam*. Item & Nabuchodonosor, juxta illud Danielis 2. v. 37. *Deus cæli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi*. Et Conc. Costantiense sess. 8. & 15. damnavit hanc propositionem: *Nullus est dominus civilis, nullus Prælatus, nullus Episcopus, dum est in peccato mortali*.

Consect. 2. Sistendo intra jus naturale, quicumque est rationis incapax, est pariter incapax dominii; quia ratio est radix dominii.

Sic bruta sunt incapacia dominii, unde his homo uti potest pro libito.

Prop. 2. Etsi homo, hoc ipso quod est rationalis, & sui compos, jus habeat acquirendi dominium rerum, quæ in mundo sunt, & de eis pro libito disponendi; tamen nec res licite acquirere, nec de rebus licite disponere potest, nisi juxta legitimam legum, quibus subest, determinationem .... Ita Sotus de justitia & jure, lib. 4. q. 5. a. 3.

Prob. 1. Scriptura. Idem Deus, qui dedit homini jus circa bona exteriora hujus mundi, juxta illud, *Dominamini piscibus maris*, idem dedit Rei publicæ jus determinandi in partilari, quibus mediis eadem bona & acquiri & perdi possent, juxta illud: *Per me Reges regant & legum conditores justa decernunt*: & juxta illud: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*: Ergo homo non est bonorum temporalium dominus, nisi juxta præscriptum Reipublicæ, cui subest.

2. Ex Aug. tract. 6. ad cap. 1. Joannis, ubi sic habet: *Unde quisque possidet, quod possidet, nonne jure humano? nam jure divino Domini est terra & plenitudo ejus: pauperes & divites Deus de uno limo fecit: & pauperes & divites una terra supportat. jure tamen humano dicitur, hæc villa mea est, hæc domus mea est, hic servus meus est*

Tolle

Tolle jura Imperatorum: quis audet dicere, hæc villa mea est; meus iste servus, mea est hæc domus? Ergo homo nequit licite res acquirere, nec de rebus licite disponere, nisi juxta legitimam legum determinationem.

3. *Rat.* Prima ratio. Homo eo fine natus est, ut civilem cum aliis hominibus societatem ineat, foveatque: quam societatem nec inire nec fovere poterit, nisi in exteriorum bonorum tum acquisitione, tum dispositione legibus Reipublicæ pareat; leges enim Reipublicæ debent esse civilis societatis ineundæ & fovendæ regula: ergo homo non potest licite res aut acquirere, aut de eis disponere, nisi juxta leges Reipublicæ.

Ratio secunda. Esto homo quilibet naturaliter sit rerum temporalium dominus, tamen hanc modo ubique terrarum vigere consuetudinem cernimus, ut quælibet Respublica rerum temporalium acquisitioni, vel dispositioni modum præscribat, qui religiose observatur, nisi fuerit juri primævo naturali contrarius. Unde profluxerit mos ille, incertum est: profluxit forte ab instigante natura, quæ uti jubet partes subesse toti, ita & cives Reipublicæ: forte processit ex speciali jussu Dei, qui uti vult omnia esse ordinata in corpore, ita & in mundo: forte effluxit consuetudo illa ex unanimi privatorum hominum primis temporibus viventium conventione, qua jus illud in Rempublicam translatum est: undequaque processerit, nimis late diffusa est tam sancta consuetudo, nimis antiqua illa præscriptio, ut citra peccatum a privatis hominibus violari possit: ergo tenentur homines in rerum dispositione & acquisitione legibus Reipublicæ subesse: ergo cum leges illæ non fuerint abrogatæ, in conscientia ligant.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Servi tum bello capti, tum vendentes semetipsos, habent quidem jure naturæ dominium, cum sint rationales, sed jure gentium quidquid acquirunt, domino acquirunt; quia jus naturæ determinatur per jus gentium.

Consect. 2. Liberi, qui sunt sub potestate patris, habent jure naturæ dominium eorum, quæ eis obveniunt independenter a patre, sed dominium illud sic per legem civilem restringitur. Plenum habent dominium in bona Castrensia, aut quasi Castrensia; directum vero & non usufructum in bona adventitia; nullum vero dominium vel usufructum in bona profectitia; quia jus naturæ ita determinatur per legem civilem.

Bona autem Castrensia sunt ea, quæ in militia, aut occasione militiæ acquiruntur, ut stipendia militum, dona Ducum, prædæ ex hostibus raptæ, & id omne, quod datum est a patre, vel ab aliis parentibus ad exercendam militiam, ut equi, arma, &c.

Bona quasi Castrensia ea sunt, quæ acquiruntur munere publico, v.g. judicis, causidici, medici, &c. quia litteræ non minus prosunt Reipublicæ, quam arma; immo dona facta ab Imperatore, Rege, Regina, quasi Castrensia censentur. L. *cum multa C. de bon. quæ liber* &c. Bona pariter, quæ acquiruntur ministrando sacris, quasi Castrensia censensa sunt, ut habet Authentica *Presbyteros*, Cod. *de Episcopis & Clericis. Presbyteros, & Diaconos, & Subdiaconos, Cantores & Lectores, quos omnes Clericos appellamus, res quolibet modo ad dominium eorum venientes, habere in sua potestate præcipimus ad similitudinem Castrensium peculiorum, & donare, cui volunt, secundum leges, & in his testari, licet sub parentum potestate sint: sic tamen ut horum filiis, aut his non extantibus, parentes eorum legitimam ferant partem.* Authen. ex novell. 123. c. 19.

Bona adventitia ea sunt, quæ adveniunt filio familias, non intuitu patris, sed aliunde, v.g. ex successione materna, & qualia sunt ea, quæ accedunt filiis ex industria eorum & labore mechanico.

Profectitia sunt ea, quæ veniunt a patre, vel ejus intuitu principaliter dantur.

Consf. 3. Religiosi Professi in Religione approbata, non habent dominium rerum temporalium in particulari, bene tamen in communi, exceptis Capucinis & Fratribus de observantia; quia ita determinat jus Canonicum expressum in Trid. SS. 25. c. 2. & 3. de Regularibus, quamvis jure naturæ statui Monachali non repugnet dominium rerum temporalium cum subordinatione ad Superiorem, immo neque jure civili, ut habetur L. 56. C. *de Epis. & Cler.* Monachus *nullo impedimento ex sanctimoniali conversatione generando, sive soli, sive cum aliis, ad successionem vocatur.*

ARTICULUS III.

Quod & quale dominium competat Reipublicæ.

PRop. 1. Respublica, & is qui gerit vices Reipublicæ, v.g. Rex, Princeps, altum habet dominium supra bona temporalia subditorum, quo potest de his disponere, prout exigit vel utilitas publica, vel pœna criminibus debita, vel tranquillitas civium, vel fidei publicæ conservatio.

Prob. 1. Scriptura. *Rex qui sedet in solio judicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Prov. 20. v. 8. atqui non potest illud præstare, nisi altum habeat dominium, quo de bonis subditorum possit disponere, prout utilitas publica exigit: ergo Respublica, vel Rex qui gerit vices Reipublicæ, altum habet dominium, quo potest de bonis subditorum etiam contra eorum voluntatem disponere. Eo forte spectat Scriptura dicens, Eccles. 17. v. 14. *In unamquamque gentem præposuit Rectorem.*

2. Ex Aug. tract. 6. ad cap. 1. in Joan. ubi agens contra Donatistas, qui quærebantur, legibus Imperatorem villas esse sibi ademptas, & Ecclesiæ Catholicæ attributas, agnoscit in Imperatoribus altum supra bona temporalia dominium. *Ut teneantur*, inquit, *ista*, idest temporalia, *Regum jura fuerunt* .... & inferius sic urget Donatistas: *Nolite dicere, quid mihi & Regi? Quid tibi ergo, & possessioni? per jura Regum possidentur possessiones. Dixisti quid mihi & Regi? Noli dicere possessiones tuas; quia ad ipsa jura humana renuntiasti, quibus possidentur possessiones:* ergo Respublica altum habet dominium, quo potest de bonis subditorum disponere. Quod adeo certum est, ut & ipsis paganis non fuerit incognitum: dicit enim Seneca lib. de Beneficiis: *omnia Regem possidere imperio, singulos dominio.*

3. *Rat.* Respublica instituta ab hominibus, habet vel a populo instituente, vel a Deo confirmante institutionem, eam authoritatem, quæ necessaria est ad decentem populorum gubernationem; quia alias imprudenter institueretur: atqui altum dominium, quo Respublica possit de bonis subditorum in certis casibus pro libito disponere, est necessarium ad gubernationem populi; quia sine illo dominio civium utilitati non posset subvenire: ergo Respublica habet illud altum dominium, quo possit de bonis subditorum, etiam contra eorum voluntatem, in certis casibus pro libito disponere in utilitatem communem.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Toties Respublica, vel Rex gerens Reipublicæ vices, potest etiam contra voluntatem subditorum de eorum bonis disponere, quoties id necessarium est ad sustinendum decentem Reipublicæ statum. Sic quovis tempore possunt etiam subditis invitis vectigalia imponi, ut decenter sustineatur dignitas eorum, qui præsunt. Ideo tempore Saul imposita fuerunt Hebræis tributa, ut patet ex eo, quod Saul promiserit immunitatem a tributis ei, qui cum Goliath auderet decertare: & tributa illa Scriptura non improbat, sed approbat; quippe Christus, etsi liber, solvit censum Cæsari. Matth. 17. v. 24. & interrogatus, an liceret dare censum Cæsari, dixit: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Et Paulus ad Rom. 13. v. 7. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum.*

Sic tempore belli imponi possunt tributa extraordinaria, ut repellantur hostes Reipublicæ. Ideo habemus ex Scriptura, quod quoties bellum ingruebat, toties Tribus quælibet certum militum numerum mittebat ad præliandum, eisque annonam, cæteraque ad bellandum necessaria suppeditabat, ut patet ex 1. Reg. c. 17.

Sic tempore pestis & famis imponi possunt, invitis etiam subditis, extraordinaria subsidia, ut succurratur pauperibus; Respublica enim corpus est, in quo oportet, ut alii aliis subveniant: sicut cernimus, quod in humano corpore unum membrum succurrit alteri.

Sic demum imponi possunt tributa, etiam contra voluntatem subditorum, vel ad reparandas vias publicas, vel ad pontes erigendos, vel ad ædificia publica construenda, quibus vel Respublica muniatur contra hostes, vel quibus ornetur ad commodam subditorum habitationem; uti factum vidimus sub Salomone, qui plura populo Judaico tributa imposuit tum ut templum construeret, tum ut domos regias, & arces munitissimas ædificaret.

Consect. 2. Toties Respublica, vel Rex gerens vices Reipublicæ, potest etiam contra voluntatem subditorum de eorum bonis disponere, quoties id necessarium est ad punienda crimina eorum, qui male se gerunt in Republica; hoc enim exigit bonum publicum, ut is bonis suis privetur, qui eis male utitur.

Sic quoties privatus aliquis peccat contra alium privatum subditum, toties Respublica potest delinquenti, non solum satisfactionem ad æqualitatem præscribere, sed etiam cum aliqua mulcta punire; ideo in lege Mosaica præscribebatur furibus restitutio aliquando in quadruplum, aliquando in quintuplum.

Sic quoties privatus aliquis insurgit in Regem, vel Reipublicæ perniciem molitur, toties bonis suis privari potest, eaque merito fisco addicuntur. Simile quid factum vidimus contra Acham, cujus omnia combusta sunt, & ipse una cum familia lapidatus est; quia in perniciem exercitus sibi retinuerat aliquid de spoliis Jerico, quæ jussu Dei anathemati addicta fuerant.

Consect. 3. Toties Respublica potest de bonis subditorum etiam contra privatam eorum voluntatem disponere, quoties id ne-

necessarium est ad subditorum tranquillitatem.

Sic facta est rerum divisio vel ad contentiones vitandas, ut innuitur Gen. 13. v. 2. vel ut diligentius res istius mundi divisæ, a quolibet possessore in partibus, quæ ei contingerent, colerentur; ut innuitur ex divisione Palæstinæ facta inter Tribus & Familias populi Judaici.

Sic usucapiones & præscriptiones inductæ sunt, quibus post certum tempus transfertur dominium ab uno possessore ad alium. 1. ne dominia rerum sint incerta. 2. ne lites sint infinitæ. 3. ut puniatur aliquando socordia hominum in bonis suis conservandis.

Consect. 4. Toties Respublica potest de bonis subditorum etiam contra privatam eorum voluntatem disponere, quoties id necessarium est ad tollendas fraudes, dolosque omnes præcavendos.

Sic Respublica declarat, nulla esse testamenta, & invalidos eos contractus, quibus non apponuntur eæ solemnitates a jure requisitæ. De his omnibus fusius agemus infra.

ARTICULUS IV.

An leges, quibus Respublica disponit de bonis subditorum, etiam contra eorum voluntatem, sint absolutæ, an sint solum conditionatæ, & fundatæ in præsumptione.

NOta. Lex absoluta ea est, quæ facta est ob bonum publicum: talis est, v. g. lex jubens depositum illæsum custodiri, & vetans compensationem etiam justam ad rem deposito acceptam posse extendi; ea enim lex obligat in omni casu. Lex vero conditionata ea est quæ fundatur in aliqua suppositione, & obligat solum si vera sit suppositio: talis est lex, quæ addicit fisco bona rebellantium contra Regem, & hæc non obligat nisi eos, qui re ipsa sunt rebelles; minime vero eos, qui falso accusati rebellionis, revera innocentes sunt.

Prop. 1. Leges, quibus Respublica imponit tributa ad sustinendum Reipublicæ statum, vel infligit pœnas ad punienda delicta, sunt conditionatæ seu fundatæ in præsumptione.

Prob. rat. Leges vectigalium feruntur ad sustinendum decentem Reipublicæ statum: ergo supponunt Rempublicam vere opus habere hujusmodi vectigalibus. Leges vero infligentes mulctas, vel addicentes fisco bona reorum, supponunt crimen vere esse commissum ab eo, cui hæc pœna infligitur: ergo illæ leges non sunt absolutæ & obligantes in singulis casibus, sed conditionatæ, obligantes supposita veritate præsumptionis, in qua fundantur, juxta vulgare illud dictum: *cedat præsumptio veritati.*

Consect. unicum. Leges de solvendis vectigalibus & mulctis sunt observandæ in conscientia, quoties vera est præsumptio, in qua fundantur; quia tunc sunt ex omni parte justæ: immo etiam sunt observandæ, quando falsa est præsumptio, si ex eorum inobservantia secuturum esset scandalum; quia injuria, juxta Paulum, toleranda est, ut vitetur scandalum; sed hæ leges prudenter & secluso omni scandalo eludi possunt, si constet, eas fundari in falsa præsumptione.

Sic tenemur solvere vectigalia statuta a Principe; quia etsi nobis incognita sit Reipublicæ necessitas, debemus supponere imposita per Principes tributa ad sustinendum Reipublicæ statum esse necessaria; ut enim optime monet Dominus de Marca, non subditorum, sed Regum est de his, quæ ad bonum publicum spectant, judicare.

Sic qui vere reus est, debet solvere mulctam inflictam ei a judice; & si bona illius adjudicantur fisco, non potest in conscientia aliquid de illis retinere.

Prop. 2. Leges, quibus Respublica statuit rerum divisionem, usucapiones, & præscriptiones, sunt absolutæ, & non conditionatæ, ligantque in conscientia in singulis casibus, in quibus observantur conditiones ad usucapionem & præscriptionem requisitæ per Rempublicam.

Prob. rat. Leges statutæ in bonum publicum sunt absolutæ, obligantes in singulis casibus; quia nihil aliud requiritur ad legem absolutam: atqui leges de rerum divisione, de usucapionibus & præscriptionibus sunt propter bonum commune; utilitas enim publica exigit res non esse communes, alias aut a nullo privato custodirentur, aut colerentur; exigit pariter possessionem per legitimam præscriptionem esse ratam & firmam, alias incerta semper essent rerum dominia, ut dicitur l. 1. ff. *de usucapionibus*, alias nullus esset litium finis, ut dicitur l. *ultima* ff. *pro suo*: Ergo leges, quibus Respublica statuit rerum divisionem, usucapiones, & præscriptiones, sunt absolutæ, & obligantes in singulis casibus.

Nec obstat, reperiri aliquos casus, in quibus per rerum divisionem, præscriptionem, usucapionem, privati aliqui videantur injuriam pati; quia privatum illud incommodum per utilitatem publicam aliunde compensatur; unde natum illud axioma: *Omnis lex habet aliquid de iniquo*, seu duro, *quod publica utilitate compensatur.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Statuta rerum divisione, & certa portione cuilibet concessa, nullus privatus alterius portionem occupare potest, & si id faciat, reus furti est; quia aufert quod alterius est. Etsi enim bona ante divisionem sint communia, facta tamen divisione non sunt communia, sed quælibet portio ad eum, cui contingit, pertinet: sicuti in convivio bene ordinato fercula omnia in communi proponuntur; portiones tamen ab illis occupatas nemo debet ad se transferre sine consensu eorum, a quibus fuerunt occupatæ.

Consect. 2. Qui per legitimam præscriptionem aliquid possidet, potest illud tuta conscientia retinere; quia Respublica in illum transtulit dominium per præscriptionem, ut fusius infra dicetur.

Consect. 3. Transacta legitima præscriptione, prior dominus non potest in conscientia rem præscriptam a posteriore possessore auferre; quia transacta præscriptione nullum jus habet ad eam rem, quæ ante præscriptionem ad illum pertinebat.

Nec obstat, quod ille, qui falsa præsumptione damnatus est ad aliquam mulctam, possit, occulte & sine scandalo sententiam judicis eludere; quia lex præscriptionis non fundatur in præsumptione, sicuti lex infligens mulctam.

Prop. 3. Leges, quibus Respublica ad vitandas fraudes dolosque præcavendos reddit personas inhabiles ad contrahendum, sunt absolutæ, obligantes in conscientia, reddantque irritos omnes solemnes contractus, qui fiunt a personis declaratis inhabilibus ad contrahendum.

Prob. ratione. Leges, quæ fiunt propter bonum publicum, sunt absolutæ, & tamdiu obligant, quamdiu id exigit bonum publicum; quia nihil aliud requiritur ad legem absolutam: atqui leges, quæ ad vitandas fraudes dolosq; præcavendos reddunt aliquas personas inhabiles ad contrahendum, fiunt propter bonum publicum; utilitas enim publica exigit, ut privati, quos Respublica judicat inhabiles ad contrahendum, re ipsa nec in foro interno, nec in foro externo contrahere valeant: ergo leges illæ sunt absolutæ, & obligant in utroque foro.

Et sicut, inquit Silvius in 2.2. q.67. a.2. lex Ecclesiastica vim habet in matrimonio, ita lex civilis in contractibus civilibus; sed lege Ecclesiastica declarante personas esse inhabiles ad contrahendum, v.g. quando contrahunt sine Parrocho & testibus, si tamen Matrimonium attentatum fuerit, nullum est in utroque foro matrimonium illud: ergo similiter legibus civilibus irritantibus contractus, declarando personas esse inhabiles ad contrahendum, si ipsi contractus sic attentati fuerint, nullum in utroque foro vigorem habent.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Vi Juris Civilis nulli sunt in utroque foro illi contractus, qui fiunt a personis declaratis inhabilibus ad contrahendum; quia nullus est major defectus in contractibus, quam inhabilitas ad contrahendum.

Sic nullus est contractus, quo pupillus vel aliquid donat, vel vendit; quia pupillus declaratur inhabilis ad transferendum in alios dominium bonorum suorum.

Sic testamentum religiosi est nullum; quia persona Religiosa declaratur inhabilis ad testamentum condendum.

Consf. 2. Vi Juris Canonici nulla est in utroq; foro ea obligatio, quæ initur ab ea persona, quæ declarata est inhabilis ad se obligandum tali modo; quia nullus est major defectus obligationis quam inhabilitas ad se obligandum. Sic vota Religionis facta ante decimum quintum annum completum sunt in utroque foro nulla; quia impubes declaratur inhabilis ad professionem Religiosam emittendam.

Prop. 4. Leges, quibus Respublica ad vitandas fraudes dolosque præcavendos apponit certas solemnitates obligationibus & contractibus, qui fiunt a personis etiam habilibus ad contrahendum, videntur esse absolutæ & obligantes in conscientia, ubicumque leges illæ vigorem habent. Ita tenent insignes Doctores, Covarruvias, Soto, Salonius, Vasquez, Silvius, &c.

Prob. Ratione. Leges, quæ fiunt ob bonum publicum, sunt absolutæ, & obligantes in utroque foro; quia nihil aliud requiritur ad legem absolutam: atqui leges statuentes certas solemnitates ad vitandas fraudes, sunt ob bonum publicum; publica enim utilitas exigit, ut non solum puniantur fraudes, sed etiam ut præcaveantur: ergo prædictæ leges videntur esse absolutæ, & obligare in utroque foro; lex enim justa ex omni parte obligat in utroque foro.

Dixi, quandiu leges illæ vigorem habent; nam si sint aliæ leges vel Ecclesiasticæ, vel locales, quibus derogetur juri communi, tunc standum est legi particulari.

Sic licet per jus commune requirantur septem testes in testamento, tamen in favorem

causæ piæ sufficiunt tres testes ad legatum pro causa pia.

Sic in territorio Patrimonii Divi Petri ex constitutione Alexandri III. sufficiunt ad testamentum tres testes; quia Papa quatenus Princeps civilis voluit illam legem pro civibus sibi subjectis condere, nimirum pro Ostiensibus, inquit Cano. Ita eamdem Decretalem explicat Silvius.

Sic in civitate Tolosana sufficiunt tres testes ad verum testamentum; quia talis est consuetudo illius urbis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Vigore juris civilis nulli sunt illi contractus, qui fiunt a personis etiam habilibus ad contrahendum, si non observentur solemnitates a jure constitutæ; decet enim privatum hominem de rebus suis non disponere, nisi juxta leges Reipublicæ.

Sic solemnis donatio ingentis alicujus summæ, facta etiam a majore sine insinuatione, ut dicunt, est nulla in utroque foro; lex enim jubet donationem ingentis summæ vigorem nullum habere sine insinuatione.

Sic testamentum factum etiam a majore sine septem testibus nullum est; quia lex ita jubet. *Ex imperfecto Testamento*, inquit Justinianus, *voluntatem teneri defuncti nisi inter solos liberos non volumus.*

Consect. 2. Vigore juris Canonici nullæ sunt eæ obligationes, quæ fiunt a personis etiam habilibus ad se obligandum, si non observentur solemnitates per jus Canonicum requisitæ.

Sic professio Religiosa emissa etiam ab eo, qui decimum quintum annum excessit, est nulla, si fiat ante completum integre annum Novitiatus; quia Tridentinum exigit integrum annum Novitiatus.

Monitum circa prædictas propositiones.

Leges, quibus Respublica irritat contractus vel declarando personas inhabiles ad contrahendum, vel apponendo certas solemnitates contractibus, non eximunt contrahentes ab obligatione naturali, si quam inierint vel in ipso contractu civiliter invalido, vel ante, aut post contractum civiliter invalidum.

Prob. Rat. Lex positiva sive civilis, sive Ecclesiastica legem naturalem non solvit sed determinat, non irritat sed explicat, ut patet ex dictis, ubi de lege: ergo si contrahentes, etiam invalide, aliquam obligationem naturalem ineant, tenentur eam adimplere.

Sic licet filius familias vi Senatus-Consulti Macedoniani non possit cogi a judice ad solvendum debita; tamen, inquit Justinianus, *manet obligatio naturalis solvendi creditori quod debetur.*

Sic licet femina conjugata vi Senatus-Consulti Vellejani non possit cogi coram judice ad solvendum quod mutuata est, *tamen manet obligatio naturalis solvendi debita creditori.*

CAPUT III.

De acquirendo & de transferendo rerum dominio.

NOta. 1. Rerum dominium transferri & acquiri potest vel jure naturali, vel jure gentium, vel jure civili; quia singuli homines triplici illo jure ducuntur: jus enim divinum & ecclesiasticum cum jure naturali gentium, & civili ut plurimum concordant, ubi agitur de acquirendo & transferendo rerum dominio. Quod si discordent, & unum jus per aliud determinetur, vel corrigatur, sistendum est juri, quod fortius ligat, ut dictum est ubi de lege.

Nota. 2. Quod rerum dominium transfertur vel voluntate privatorum, vel authoritate Reipublicæ; ideo ostendemus 1. Quomodo privatus homo juxta jus naturale, gentium, & civile, se gerere debeat in transferendo & acquirendo rerum dominio. 2. Explicabimus, quomodo jure gentium & jure civili Respublica transferat rerum dominium contra, vel præter privatorum hominum consensum & conventionem.

ARTICULUS I.

Quomodo juxta jus naturale explicatum per jus civile & divinum se gerere debeat privatus homo in transferendo & acquirendo rerum dominio.

P*Rop. unica.* Attendendo ad jus naturale confirmatum per jus civile & divinum, illicita & nulla est ea, quæ per dolum & fraudem fit bonorum temporalium vel traditio, vel acquisitio.

Prob. 1. Ex veteri Testamento apud Jer. 5. v. 26. Deus rejicit Judæos; *quia*, inquit, *inventi sunt in populo meo impii, INSIDIANTES quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros.* Et ex Paulo ad Rom. 1. v. 29. Gentiles tradidit Deus in reprobum sensum, *plenos contentione & DOLO*: ergo nulla & illicita est, quæ per dolum habetur bonorum acquisitio & traditio.

2. Ex novo Testamento. *Præcepta nostri,*

ne

ne adulteres, ne occidas, ne fureris; ne falsum testimonium dixeris, ne FRAUDEM FECERIS. Marc. 10. v.19. Et Paulus 1. ad Thessal. 4. v.6. *Ne quis supergrediatur neque CIRCUMVENIAT in negotio fratrem suum, quoniam vindex est Dominus de iis omnibus*. Et quamvis aliqui textum istum Pauli de adulterio intelligant, tamen multi de fraude & dolo in negotiis intelligi volunt: ergo illicita, & nulla est, quæ per fraudem habetur, bonorum acquisitio & traditio.

3. Ex jure civili. *Pacta, quæ contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris est*. L.6. C. *De Pactis*: ergo, &c.

4. *Rat*. Prima ratio. Modus acquirendi & transferendi dominium, introduci tantum potuit vel jure naturali, vel jure gentium, vel jure civili, ut patet: atqui triplex illud jus fraudes & dolos prohibet, & nullos declarat contractus per fraudem initos; apud omnes quippe receptum est illud axioma: *nemini sua fraus patrocinatur*: ergo & illicita & nulla est acquisitio & traditio bonorum, quæ fit fraudulenter.

Secunda ratio. Illicitum, immo nullum haberi debet quod destruit bonos mores, jurique adversatur, *C. fin. extra de pactis*: ergo cum dolus & fraus mores corrumpant, & juri adversentur, illicita & nulla erit, quæ per fraudem fit bonorum acquisitio & traditio.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Omnis occupatio, omnis accessio, quibus jure gentium acquiritur bonorum temporalium possessio, item omnis usucapio, omnis præscriptio, quibus jure civili acquiritur bonorum possessio, est illicita & nulla, si interveniat mala fides; quia ubi fraus & dolus interveniunt, non potest validus esse titulus possidendi. Ideo dicitur, *quod possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*, & quod *titulus falsus est titulus nullus*.

Consect. 2. Illud pactum nullum est, in quo convenit inter contrahentes sese mutuo pro cujuslibet versutia fallere; quia ibi fraus intervenit. L. *Si unus ff. de Pactis*.

Consect. 3. Pactum illud nullum est, in quo pars decipiens non poterit conveniri actione doli, nec similiter furti, vel injuriarum; quia ibi fraus relinquitur impunita.

Consect. 4. Pactum illud nullum est, in quo statuitur, ut filia dote sit contenta, & patris hæreditati renuntiet; quia ibi fraudatur filia. L. *Pactum dotale. C. de pactis conventis*.

Consect. 5. Pactum illud nullum est, in quo liceat marito cum uxore alienare rem dotalem vel donationem propter nuptias; quia præsumitur uxor decipi. L. *unica de rei uxoriæ actione*.

Consect. 6. Irritum est pactum, quo filii accipientes a parentibus infra portionem legitimæ debitæ, renuntiant juri exigendi legitimam sibi debitam; quia in tali renuntiatione semper præsumitur dolus.

Consect. 7. Nullus est contractus inter duos voluntarie consentientes, si fit in præjudicium tertii non consentientis; quia nemo potest de re aliena invito domino disponere.

Sic contractus depositi, quo latro deponit apud alium rem furto ablatam, est nullus, non enim latroni, sed vero domino reddenda est res furto ablata, licet depositum generaliter sit reddendum deponenti. L. 31. ff. de Poss.

Sic conventio inita inter duos hæredes præsumptos circa expectatam hæreditatem sine consensu testatoris, est nulla. L. 30. C. de Pact. alias daretur occasio optandi mortem testatoris.

ARTICULUS II.

Quomodo juxta jus civile explicatum per jus Canonicum se gerere debeat privatus homo in transferendo & acquirendo rerum dominio.

PRop. unica. Attendendo ad jus civile confirmatum per jus Canonicum, nulla est ea bonorum temporalium solemnis traditio & acquisitio, quæ fit etiam absque dolo & fraude, si fiat per contractum, qui careat solemnitatibus a jure civili requisitis.

Probe 1. Ex jure Canonico. Cap. *Quia plerique*, de immunitate Eccles. dicitur, quod qui per contractum, cui deficit solemnitas juris, aliquid possidet, tenetur ad restitutionem: ergo per contractum, qui nullus est juxta leges, nec acquiri, nec transferri potest rerum dominium, juxta jus civile confirmatum per Canones.

2. *Rat*. prima ratio. Respublica utpote sapiens omnium civium tutrix potuit naturalem civium voluntatem cohibere in suis dispensandis rebus; atque adeo modum illis præscribere & providere, ut illi contractus declarentur invalidi, qui his conditionibus præmuniti non fuerint, quas ipsa exigit: ergo per contractum, qui nullus est juxta leges, nec acquiri, nec transferri potest rerum dominium.

Secunda ratio. Respublica, cui naturali-

ter competit in singulos homines authoritas, potuit constituere certas formulas & conditiones, sine quibus vel partes declarentur inhabiles ad contrahendum, vel contractus nullo modo validi habeantur, ut patet ex dictis: ergo per contractum, qui nullus est, nec acquiri, nec transferri potest rerum dominium. Etenim si privati homines possunt certas conditiones statuere, quibus seclusis, contractus ipsorum sint invalidi; a fortiori Respublica idem poterit.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui contrahunt cum pupillo sine consensu tutoris, cum femina maritata sine consensu mariti circa bona dotalia, invalide contrahunt; quia ita leges determinant: & ita nulla est illa bonorum temporalium traditio vel acquisitio, etiam in foro interiori.

Sic qui facit testamentum sine debitis solemnitatibus, idem est ac si nullum fecisset testamentum; & si decedat, quasi ab intestato decedit. L. 21. *Hac consultissima. C. de testam. Non subscriptum a testibus, ac non signatum testamentum, pro infecto haberi convenit.*

Consect. 2. Qui contrahunt invalide cum pupillo, cum femina conjugata, qui ineunt matrimonium nullum, qui condunt testamentum irritum, nihil possunt acquirere in utroque foro ex vi illius obligationis invalidæ: contractus enim & obligationes in utroque foro invalidæ nec obesse possunt, nec prodesse.

Sic, si quid tibi offeratur a pupillo, a femina conjugata per contractum invalidum, teneris non acceptare, nisi aliunde id tibi debitum esset ex obligatione naturali.

Sic, si invalide matrimonium ineas, nec obligaris comparti, nec compars tibi. Si invalidam professionem emittas, nec obligaris Communitati Religiosæ, nec Communitas tibi.

Sic, si hæres sis ab intestato, non teneris solvere legata scripta in testamento invalido; quia legatum invalido testamento adjunctum, nullum est, nisi sit ob causam piam; accessorium enim sequitur naturam principalis.

Sic, si tutor sis pupilli, ad quem ab intestato pertineat aliqua hæreditas, etsi conscius sis testatorem voluisse transferre hæreditatem ad alium quam ad pupillum, debes tamen eniti, ut hæreditas succedat in favorem pupilli; tutor enim tenetur sequi non voluntatem privatam testatoris, sed voluntatem publicam legis.

ARTICULUS III.

De non solemni translatione & acquisitione dominii, quæ fit viva voce, sive brevi manu, vel aliis hujusmodi rationibus absque instrumento publico.

PRop. unica. Quando fit alicujus rei traditio non solemnis, si fiat sine dolo, sine fraude, ille qui accepit, potest rem traditam retinere, quamdiu a judice non exturbabitur.

Prob. 1. Jure Canon. nam caus. 13. quæst. 2. Can. *Ultima*, sic habetur: *Ultima voluntas defuncti modis omnibus servari debet.* Et cap. *indicante*, de testament. sic habetur: *Cognovimus quod moriens uxor redempti concham argenteam nudis verbis jussit venumdari, & suis dari libertis, & scutellam argenteam cuidam Monasterio reliquisse; in quibus voluntatem ejus per omnia volumus adimpleri:* ergo translatio non solemnis, quæ fit brevi manu, suum vigorem habere debet.

2. Ex jure civili, lib. 2. Instit. Tit. 23. §. ult. *Quod si is*, inquit Justin. *a quo relictum dicitur, postquam negaverit, confiteatur quidem aliquid a se relictum esse, sed ad legis subtilitatem recurrat, omnino solvere cogendus est:* ergo donum quod fit sine civilis juris solemnitate, vigorem juris naturalis habere debet.

3. Ex D. Ant. 3. P. tit. 10. §. ult. c. 3. ubi sic habetur: *Nota*, inquit, *quod cum quis sanus, vel infirmus, qui est sanæ mentis, ultimo disponit de bonis suis, de quibus potest disponere per simplicem scripturam, vel per verba solum, non violentatus, vel circumventus, sed libere sine notario & testibus debitis, standum est ejus tali dispositioni in foro conscientiæ: & hæredes, quibus hoc constat certitudinaliter, tenentur ad observandum illud, etiamsi prius per solemne testamentum aliter disposuerat:* ergo translatio non solemnis vigorem suum habere debet in foro conscientiæ.

4. *Rat.* Jure naturæ quilibet ita est rerum suarum dominus, ut pro libito possit eas in alium transferre, adeo ut juris solemnitates tantum observare teneatur, cum de rebus suis disponit per aliquod publicum instrumentum: atqui in translatione, quæ fit viva voce, non intervenit publicum instrumentum: ergo tunc quilibet potest pro libito res suas dare absque solemnitatibus juris, sed solum brevi manu & viva voce: ergo hæc translatio suum debet habere vigorem jure naturæ.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Traditio rerum mobilium, qua-

qualia sunt jocalia, supellectilia, argentum, &c. quæ sine solemnitatibus juris, absque notario, & testibus fieri solet, valida est, sistendo intra jus naturæ; quia jus civile non potest nisi eos contractus irritos declarare, qui fieri solent cum solemnitatibus juris.

Sic sistendo intra jus naturæ, valida est donatio, venditio, permutatio, quæ fit sine solemnitatibus juris: & ita vere mea est res mobilis, quæ mihi vel viva voce, vel brevi manu data est: juste pariter quasi meas possum habere res quascumque mobiles, quas vel per emptionem, vel per permutationem acquisivi; singuli enim illi modi acquirendi res mobiles solent fieri absque solemnitatibus juris.

Consect. 2. Traditio rei immobilis, qualis est fundus, traditio rei incorporalis, quale est jus vel in re, vel ad rem, quæ non fieri solet nisi cum certis solemnitatibus juris, non videtur valida nisi observatæ fuerint eæ solemnitates, quæ per leges præscribuntur; jus enim civile irritos declarat eos contractus, qui juris legibus adversantur.

Sic testamentum, carens debitis solemnitatibus, solet per judicem nullum declarari.

ARTICULUS IV.

Quid præstandum est ei, qui bona fide possidet quæ ei obvenerunt per contractum solo jure civili invalidum.

PRop. unica. Qui bona fide possidet aliquid, quod ei obvenerit per contractum solo jure civili invalidum, si compellatur coram judice, 1. Tenetur fateri veritatem. 2. Tenetur subire sententiam judicis, 3. Si a nullo compellatur coram judice, potest licite retinere id, quod ab eo non exigitur, & quod ei bona fide obvenit.

1. Tenetur fateri veritatem; quia nunquam mentiri licet, semperque illicitum est vel falso, vel æquivoce jurare, ut diximus ubi de juramento.

2. Tenetur subire sententiam judicis; sententia enim judicis, non fundata in falsa præsumptione, ligat in conscientia.

3. Si non compellatur coram judice, potest retinere quod ei bona fide obvenit; quia in dubio melior est conditio possidentis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui apud se habet bona, quæ a pupillo, a femina conjugata accepit vi contractus, solo civili jure invalidi, si sistat coram judice, tenetur sincere veritatem dicere: & si contractus declaretur nullus, tenetur sententiam subire, & quod acquisivit reddere; quia titulus, quo possidet, declaratur nullus: & proinde tam in foro interno quam externo tenetur sententiæ judicis obedire.

Item. Qui institutus est hæres per testamentum, quod nullum sit ob solum defectum illarum solemnitatum, quæ a jure requiruntur, si bona testatoris apud se habeat, cum ab hæredibus ab intestato juridice requiritur, non potest mentiri, nec falso vel æquivoce jurare: & postquam testamentum nullum declaratum est, tenetur ea bona hæredibus ab intestato restituere, & nihil eorum bonorum potest occultare; quia, ut supponitur, non possidet illa bona nisi vigore testamenti, quod declaratur nullum a judice: & ita tenetur tam in foro interno, quam externo se subjicere sententiæ judicis.

Consect. 2. Qui habet apud se bona, quæ a pupillo vel a femina conjugata accepit per contractum, qui jure civili invalidus est, & nemo sit, qui ea bona juridice requirat.

Item. Qui institutus est hæres per testamentum, quod nullum sit ob solum defectum illarum solemnitatum, quæ a jure requiruntur, si bona testatoris habeat apud se, & nullus sit hæres ab intestato, qui eum juridice requirat, & nullitatem testamenti coram judice persequatur; puto, quod possit illa bona tuta conscientia retinere, & quod non teneatur sponte offerre ea bona accepta vel a pupillo, vel a femina conjugata, vel a testatore.

1. Quia sistendo intra jus naturæ juste possideo quod voluntarie datum est, & sine fraude accepi: & donatio valida jure naturæ non videtur vigorem suum amittere, donec per sententiam juridicam annulletur.

2. Lex irritans contractus & testamenta, quæ carent solemnitatibus juris, non ligat nisi intimata; non censetur autem intimata nisi post declarationem juridicam.

ARTICULUS V.

De modo, secundum quem Respublica jure gentium transfert rerum dominium per occupationem & accessionem contra vel præter privatorum hominum conventionem & consensum.

NOta. Occupatio est titulus, quo rem, quæ nullius est, sed alicujus esse potest, occupando, nostram facimus: *Quod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur.*

Accessio est titulus, quo res ideo nostra fit, quia rei, quam jam possidebamus, accedit: *Accessorium enim sequitur naturam principalis.*

Prop.

Prop. unica. Tanta est Reipublicæ authoritas in bona exteriora, ut res, quæ nostra non erat, ordinante Republica, nostra fiat vel per occupationem, vel accessionem, seu quod idem est, occupatio & accessio cum debitis conditionibus sunt sufficiens titulus acquirendi res, nedum coram hominibus, sed etiam coram Deo.

Prob. 1. Ex jure civili, ex lib. 41. ff. ubi toto titulo primo statuitur: res, quæ nullius sunt, & quæ alicujus esse possunt, acquiri posse pluribus modis, præcipue occupatione & accessione.

2. *Rat.* Ad Rempublicam spectat determinare modum, quo acquiri possunt ea, quæ nullius sunt, sed alicujus esse possunt; quia in hoc situm est altum, quod habet Respublica supra res corporales, dominium: atqui Respublica determinat, *occupationem & accessionem*, titulos esse legitimos acquirendi, ut patet ex Lib. 41. ff. toto titulo primo: ergo *occupatio & accessio* sunt legitimi tituli acquirendi dominium rerum temporalium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Occupatio est justus titulus acquirendi, modo præscriptæ observentur conditiones: & ita sequentes modi acquirendi sunt liciti, quia sunt species occupationis.

1. *Captivitas Jure belli justi.* Per captivitatem nostros facimus ipsos hostes injuste resistentes, res hostium tum mobiles, tum immobiles, tum se moventes; quia si hostes occidere possumus, a fortiori eos mancipare, & bona eorum occupare jure belli: res mobiles & moventes se sunt primi occupantis; res immobiles fiunt Principis.

2. *Venatio & piscatio non prohibitæ.* Per venationem licitam nostra facimus ea animalia quæ occupamus, modo ea animalia feræ sint: qualia sunt, non præcise, quæ habent ferocem naturam, ut leones, ursi, &c. sed etiam ea, quæ talem habent naturam, qua libere vagantur, si sint bestiæ, vel libere volant, si sint aves, nec certa sede se continent: hujusmodi sunt lepores, cervi, &c. aquilæ, perdices, coturnices, & hujusmodi sunt pariter pisces liberis paludibus vagantes. Hæc omnia animalia sunt primi occupantis vel illius, qui ita ea aut vulnerat, aut coarctat, ut brevi ea occupaturus sit. Ita habes Lib. 41. ff. toto titulo 1.

Animalia vero domestica, qualia sunt oves, boves, gallinæ, anseres, anates, cuniculi in garena, columbæ in columbario, apes in alveis, pisces in privato stagno: item animalia ferocia cicurata, ut sunt ursi & leones, imo aliquando cervi mansuefacti, quandiu sunt sub tutela possessoris, quandiu solent abire, & ad idem domicilium reverti, tandiu verum habent dominum; & ita furtum committit qui ea occupat animo detinendi, & sine animo ea reddendi vero domino. Ita Just. lib. 2. inst. tit. 1. §. *Gallinæ*.

Dixi, *venatio & piscatio licitæ*; quia venatio & piscatio possunt esse variis titulis prohibitæ. 1. Titulo alti dominii: sic aliquando Principes & Dinastæ reservant sibi jus venandi & piscandi vel ad delectationem, vel ad utilitatem ex venatione & piscatione provenientem. 2. Titulo publicæ utilitatis: sic venatio & piscatio est interdicta eo tempore, quo fœcunda sunt animalia, ut non impediatur eorum multiplicatio, vel prohibetur exerceri venatio & piscatio cum his instrumentis, quibus nimis multa caperentur, ut tandem deficerent. 3. Titulo damni illati vel Reipublicæ vel privatis possessoribus: sic venatio prohibetur in garenis privatorum, piscatio in stagnis privatorum, item & venatio columbarum; etenim hujusmodi venatione & piscatione & Respublica & privati damnum accipiunt non mediocre.

3. *Inventio non prohibita*. Per inventionem nostra facimus, non homines, hominumque possessiones, ut in bello: non animalia, quæ nullius sunt, ut in venatione; sed res inanimes, quæ nullius sunt, ut lapilli, thesauri, & res, quæ pro derelictis habentur a suis possessoribus. Quia vero gravis agitatur quæstio apud Casuistas circa istam materiam, ideo speciali paragrapho eam explicabimus: sed prius agendum de accessione, per quam acquirimus quod accedit rebus, quas jam possidemus.

Consect. 2. Accessio est justus titulus acquirendi, modo observentur leges a Republica præscriptæ. Et ita sequentes modi acquirendi sunt liciti, quia sunt species accessionis vel naturalis vel industrialis.

Accessiones naturaliter factæ, sunt hujusmodi.

1. *Alluvio*. Per alluvionem acquiritur id, quod flumen ex uno prædio detrahit, & alteri adjicit, sive id fiat sensim, sive id fiat repente.

2. *Circumluvio*. Per circumluvionem acquiritur ea insula, quæ nascitur in flumine non navigabili, acquiritur, inquam, ab his, qui prope prædia possident, & hæc juxta latitudinem cujuscumque fundi. Insula vero, quæ in mari enata est, fit primi occupantis; quæ vero enascitur in flumine navigabili, est Principis.

3. *Alvei mutatio*. Alveus relictus per mutatio-

tationem alvei acquiritur a possidentibus prædia prope ripam pro modo latitudinis suorum prædiorum.

4. *Fœtus*. Per fœtum acquirimus ea, quæ ex nostris animalibus, etiam ab alienis imprægnatis, nascuntur; quia fructus sequitur ventrem. Item acquirimus lapidicinas, arenarias, fodinas ferri; quia sunt quasi fœtus accessorii fundi. Fodinæ vero auri vel argenti sunt Principis; quia æquum non est, inquit Justin. §. *de rerum divisione*, ut res pretiosæ cedant fundo; & utilitas publica postulat, ut Rex dominus sit illarum fodinarum.

Accessiones industriales sunt hujusmodi.

1. *Inædificatio*. Per inædificationem, quod in nostro fundo ædificatum est, nostrum efficitur; quia ædificium cedit solo. Sed attendendum est, an in fundo nostro quis vel bona fide, vel mala fide ædificaverit: si ædificaverit bona fide, solvendæ ei sunt impensæ; minime vero si mala fide ædificaverit.

2. *Intextura*. Per quam materia aliena, etsi pretiosa, intexta meo vestimento cedit vestimento.

3. *Implantatio*. Per quam planta etiam aliena in meo fundo consita, & radices agens, cedit fundo.

4. *Satio*. Per quam sata, etiam aliena, sata in meo fundo, cedunt fundo.

5. *Scriptio*. Per quam litteræ qualescumque ab alio scriptæ cedunt cartæ meæ: in favorem tamen picturæ, & propter excellentiam artis, pictura non cedit tabulæ, sed tabula picturæ. In prædictis casibus si quis bona fide intexturam, implantationem, stationem, scriptionem in alieno fecerit, debent ei solvi impensæ; minime vero si mala fide fecerit.

6. *Specificatio*, id est, novæ speciei seu corporis eductio, vel ex materia solum aliena, vel ex materia mea simul & aliena: ut dum ex alieno metallo facio vas, ex alienis uvis facio vinum, ex mea & aliena materia facio vas, ex meis & alienis uvis facio vinum.

Specificatio est duplex: confusio, & commixtio.

Confusio est, cum liquida ejusdem vel diversæ speciei confunduntur, v.g. vinum & vinum, vinum & mel.

Commixtio est, cum solida ejusdem vel diversæ speciei, ut frumentum & frumentum, vel frumentum & alia miscentur.

Si res facta possit reduci ad materiam pristinam, v.g. vas ex metallo ad metallum, materiæ dominus fit dominus speciei factæ: & artifex, qui bona fide id fecit, potest operarum suarum mercedem exigere: si vero sciret materiam esse alienam, perdit & speciem & operas.

Si res facta non possit reduci ad pristinam materiam, v.g. vinum reduci non potest ad uvas, tunc artifex bonæ fidei, qui formam induxit, est dominus rei factæ; quia forma, inquit lex, quæ dat esse rei, est materia præstantior, & dominus materiæ habet actionem, qua pretium materiæ repetat. Malæ fidei artifex & speciem & operas debet perdere.

Accessio mixta ex naturali & industriali est hujusmodi: accessio naturalis & industrialis, sive ea, quæ fit efficientia divina operante, industria vero humana cooperante, est unica, scilicet, fructuum *perceptio*.

De fructuum autem perceptione ita jure cautum est.

Si possessor bonæ fidei, sive titulo oneroso ut emptionis, sive lucrativo ut donationis, fundum possideat, omnes fructus ob culturam & curam percipit, & re nondum evicta a domino superveniente perceptor retinet, ea evicta consumptos retinet tantum, extantes restituit. ff. L. 48. de acquir. rer. dom.

Si possessor malæ fidei aliquid possideat, nullos fructus facit suos, sed omnes cujuscumque generis perceptos, percipiendos, extantes, consumptos, naturales, industriales, sive locupletior factus, sive non, restituere cogitur, juxta æstimationem, sive titulum habeat, sive non. Leg. 45. ff. de usuris. De his fusius ubi de Restitutione. Jam ad paragraphum de rebus inventis.

§. I.

De peccatis, quæ committi solent circa res inventas.

PRop. 1. Res inventas debemus intueri non quasi nostras, sed quasi alienas.

Prob. 1. Scriptura. Deut. 22. v. 2. & 3. ubi sic habetur: *Et erunt inventa* (scilicet *apud te*) *quandiu quærat ea frater tuus, & recipiat*... .. *& de omni re fratris tui, quæ perierit, si inveneris, eam ne negligas quasi alienam*.... *sed custodias*, scilicet, ut eam reddas. Cujus fidelitatis exemplum egregium dedit nobis Jacob, istud præcipiens filiis suis: *Pecuniam*, inquit, *quoque duplicem ferte vobiscum; & illam, quam invenistis, in sacculis reportate, ne forte errore factum sit*. Gen. 43. v. 12. aperte indicans, res inventas, quasi alienas habendas esse.

2. Ex Aug. sermone olim 19. jam 178. *Estote*, inquit, *fideles inventores, & tunc iniquos vituperate raptores; nam quod invenistis, & non reddidistis, rapuistis*: ergo rem inventam debemus, non ut nostram, sed ut alterius intueri.

3. In-

3. Jure Civili ff. leg. *Numquam*, de acquirendo rerum dominio, ubi sic habetur: „Donec (id est quamdiu) probari potest dominus rei inventæ, hæc in alterius potestatem transire nequit."

4. *Rat.* Res inventa, antequam in manus veniat, nullo jure, nullo titulo nostra dici potest, cum nullum circa eam habeamus dominium: ergo antequam eam invenerimus, debemus ut alienam intueri: ergo etsi per inventionem in manus venerit, non possumus eam retinere, nisi vel per Reipublicæ legem, si ea res nullius sit, vel per consensum privati domini, si ea res alicujus sit, ejus dominium acquiramus; quia sine furti crimine de re vel publici vel privati possessoris invito domino disponere non possumus: de quo ita Cajet. verbo *Furtum*. *Inter aliena computantur inventa, tenetur enim inventor non sibi, sed domino reddendam, accipere rem inventam, si bona conscientia accipere vult illam; alioquin furtum committit.*

Consect. unicam. Homo Christianus debet rem inventam accipere, non ut retineat, sed ut de ea juxta intentionem veri domini vel publici vel privati disponat; cum enim res inventa non ejus sit, sed alterius, de ea, juxta veri domini intentionem, debet disponere, & proinde attente considerare & examinare, an res inventa vel ad publicum dominum, id est Rempublicam, vel ad privatum aliquem dominum pertineat, & de ea juxta rationalem veri domini intentionem disponere.

Prop. 2. Quoties res inventa talis est, ut ad nullum privatum hominem pertineat, & proinde Reipublicæ sit, toties inventor debet de ea juxta leges Reipublicæ, cujus est membrum, disponere.

Prob. rat. De re, quæ alterius est, non possumus, nisi juxta rationalem ejus intentionem disponere, si secus faciamus, furtum committimus; quia furtum est contrectatio rei alienæ invito domino: ergo de rebus, quarum Respublica censetur habere dominium, qualia sunt ea, quæ nullius sunt, non possumus disponere, nisi juxta leges Reipublicæ.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *De rebus inventis, quæ jure Romano sunt solius inventoris.* Res inventæ, quæ nullius unquam fuerunt, aut quæ, si olim fuerint alicujus, jam in nullius bonis sunt, aut quæ, si sint in bonis alicujus, pro derelictis habentur: hæ singulæ res sunt solius inventoris; quia jure Romano eorum dominium transfertur ad inventorem. Sic gemmæ, lapilli pretiosi in littore maris inventi, fiunt occupantis. Quod enim ante nullius est, inquit Justinianus, id naturali ratione occupanti conceditur. lib. 1. inst. tit. 1. §. item lapilli.

Sic thesauri, quorum non extat memoria, fiunt occupantis; quia etsi dominum habuerint, jam dominum non habent: & ita cum reperiuntur vel in fundo proprio, vel in loco sacro, vel publico, fiunt inventoris, lib 2. inst. tit. 1. §. *Thesaurus:* sic res, quæ a vero domino est derelicta, id est, *quam dominus ita abjecit, ut in numero rerum suarum esse nolit*, ut loquitur Just. lib. 2. inst. tit. de rerum divisione, hæc, inquam, res tota est inventoris.

Consect. 2. *De rebus inventis, quæ jure Romano partim sunt inventoris, partim alterius.* Res, quæ casu inveniuntur in alieno fundo, ita se habent, ut dimidium pertineat ad inventorem, alterum vero dimidium ad dominum fundi.

Sic, si extraneus fodiens in tuo fundo inveniat thesaurum, medietas ad ipsum pertinet, altera vero tui juris est.

Sic, si creditor in domo pignorata, conductor in domo locata, thesaurum inveniat, potest medietatem sibi retinere, & alteram medietatem domino fundi debet reddere. Ita Adrianus naturalem æquitatem secutus determinavit. lib. 2. inst. tit. 1. §. *Thesaurus*.

Si quis vero dolo sciens thesaurum esse in alieno fundo, non præmonito domino fundi thesaurum inveniat, totus thesaurus est domini fundi; quia nemini sua fraus patrocinatur.

Si quis per magiam thesaurum in suo fundo inveniat, totus thesaurus addicitur fisco in pœnam criminis. Si vero inveniatur in fundo alieno, medietas addicitur fisco, altera medietas domino fundi.

Sed aliter disponendum est de thesauris inventis juxta jus Gallorum; cum enim thesauri proprie nullius sint, possunt per leges cujusque Regni his, quibus lex jusserit, appropriari.

In Gallia juxta Dominum de Bignon, thesaurus in alio fundo inventus, in tres partes æquales est dividendus: ita ut altera pars pertineat ad inventorem, altera ad dominum fundi, tertia ad Dynastam, gallice, *Seigneur haut justitier*, vel ad Regem. Si vero thesaurus in proprio fundo fuerit inventus, media pars est inventoris, alia Dinastæ, seu Regis. Vide L. cui titulus *Journal des audiences*, ad ann. 1633. Demum oportet circa hanc rem consuetudinem cujuslibet Provinciæ observare.

Consect. 3. *De rebus inventis, quæ dominum habent sive cognitum, sive incognitum.* Res in-

inventæ, quæ dominum habent sive cognitum, sive incognitum, non sunt inventoris, sed reddi debent vero domino, si inveniri potest, vel in pias causas expendi, si inveniri non possit verus dominus.

1. Res illæ inventæ non sunt inventoris; quia neque per legem, neq; per domini voluntatem, earum dominium transfertur in inventorem: non per legem; quia nulla est lex, quæ inventori approprict tales res inventas: non per voluntatem domini; cum domini res perditas sedulo quærant, & gratias agant, si reddantur. Demum quia juxta Aug. sermone olim 19. de verbis Apost. cap. 6. *Deus*, inquit, *in lege sua dicit, inventionem tamquam alienum esse reddendam*.

2. Quando post sufficientem diligentiam non apparet verus rerum inventarum dominus, res inventæ sunt erogandæ vel pauperibus, vel in pias causas expendendæ; quia, inquit Silvius in 2.2. q.67. res illæ revera dominum habent, quamvis ille nequeat inveniri: ergo sunt expendendæ secundum verisimile domini voluntatem: atqui merito præsumitur eam esse domini voluntatem, ut eæ res convertantur in misericordiæ opera, ut prosint animæ, quæ corpori prodesse nequeunt: ergo in ea opera sunt convertenda. Ita jubet S. Carolus Borromæus P. 4. actorum Ecclesiæ Mediolanens. *Si dominus*, inquit, *diu requisitus non appareat, res inventa pauperibus, aut piis locis erogetur*.

Exemplum habes egregium apud Aug. cujusdam Grammatici, qui licet pauper cum invenisset summam argenti in crumena, dominum illius argenti summa diligentia quæsivit; & cum factis proclamationibus & affixis schedulis invenisset, noluit oblatam sibi exiguam summam recipere, sed nihil voluit sibi dari, ut totum cederet domino. Serm. 21. de verbis Apost. & lib. 83. q. *Sed victus tandem ille* Grammaticus, *quod offerebatur accepit, & continuo totum pauperibus erogavit*, nec unum quidem solidum sibi retinuit.

Conject. 4. De rebus vel in naufragio vel in incendio projectis. Bona, quæ in naufragio projiciuntur in aquam, vel in incendio extra incendium asportantur, non possunt ab his, qui eas res inveniunt, sine furti crimine retineri: etenim verus dominus non habet eas pro derelictis, sed sub spe recuperationis exponit; & istiusmodi bona non de jure, sed de facto sunt extra potestatem domini, atque ideo occupatione aut inventione acquiri non possunt: ideo Constantinus hanc legem statuit, Cod. L. 11. tit. de naufragiis: *Si quando naufragio navis expulsa fuerit ad littus, vel si quando aliquam terram attigerit, ad dominos pertineat; fiscus meus se se non interponat; quod enim jus habet fiscus in aliena calamitate, ut de re tam luctuosa compendium sectetur?* Idem dici potest de bonis projectis ob incendium.

Si autem fiscus publicus naufragorum bona sua non facit, multo minus id fieri debet a privatis hominibus.

CAPUT VI.

De modo secundum quem Respublica contra vel præter privatorun hominum consensum transfert dominium per usucapionem & præscriptionem.

NOta 1. Usucapio est acquisitio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti. Usucapio est de mobilibus.

Præscriptio est exceptio, qua eliditur actio per silentium continuum temporis lege definiti. Præscriptio est de immobilibus.

Usus jam invaluit, ut usucapio & præscriptio eodem modo fere accipiantur.

Prop. 1. Tanta est Reipublicæ authoritas in bona singulorum hominum, ut invitis veris possessoribus, usucapio & præscriptio cum debitis circumstantiis sint verus titulus & sufficiens acquirendi res, nedum coram hominibus, sed etiam coram Deo.

Prob. 1. Ex jure Civili lib. 2. instit. tit. 6. §. 1. statuitur, quod non solum in Italia, sed etiam in omni terra, res mobiles per triennium, immobiles per decennium inter præsentes, & inter absentes viginti annis usucapiantur. Et hoc 1. ne rerum Dominia in incerto sint. 2. ut aliquis litium sit finis.

2. Ex jure Canonico, cap. *placuit*, cap. *Sanctorum*, cap. *de quarta*, & demum toto titulo de præscriptione in Decretalibus, ubi statuitur, quod præscriptio legitima sit verus titulus possidendi.

3. Ex D. Th. quodlibet. 12. art. 24. *Si quis præscribat bona fide, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum fuisse post præscriptionem; quia lex potest aliquem pro peccato & negligentia punire in re sua, & illam alteri dare & concedere*.

4. Ex Scoto dist. 15. q. 2. *Præscriptio in immobilibus, usucapio in mobilibus est justa translatio*.

3. Ex Gersonio. *Fundatur & jus præscriptionis punientis, ne sint incerta dominia, neglectores rerum propriarum, ac juste transferentis, etiam apud Deum & conscientiam, tale dominium in bonæ fidei possessorem, & præscriptorem legitimum*. lib. de potest. Eccles.

clef. consider. in fine. Et in uno ferm. sic pariter habet: *Et hic fundatur rationabilitas præscriptionis & justa detentio rei, quæ prius fuit aliena; justa*, inquit, nedum in foro contentioso, sed conscientiæ.

6. *Rat.* Respublica, utpote habens altum rerum dominium, potest usucapionem & præscriptionem tanquam legitimum medium acquirendi res exteriores statuere: ergo cum statuerit, ut constat lege 3. ff. de usucapionibus, & leg. ult. de præscript. debet haberi tanquam verus & legitimus titulus acquirendi.

Prop. 2. Ad validam præscriptionem & usucapionem requiruntur sequentes conditiones istis versibus contentæ.

Pura fides, justus titulus, res non vitiosa,
Legitimum tempus, possessio continuata.

§. I.

De bona fide requisita ad præscriptionem.

Prop. unica. Ad legitimam præscriptionem requiritur pura fides, idest, credulitas, qua quis sibi prudenter persuadeat, rem eam, quam accipit, aut possidet, esse suam.

Prob. 1. Ex Conc. Lateranen. 4. ubi sic habetur: *Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam Canonica, quam Civilis.* Ergo ad præscriptionem requiritur bona fides.

2. Juxta reg. juris in 6. quæ a Doctoribus juris Civilis non rejiciuntur: *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*: Ergo ad præscriptionem requiritur bona fides.

3. *Rat.* Quicumque mala fide ducitur, per legem juvari non debet; ideo generalis hæc regula ab omnibus admittitur: *Nemini sua fraus patrocinatur*: ergo ad incipiendam & consummandam præscriptionem requiritur bona fides.

Consectaria bujus Doctrinæ.

Non præscribunt qui hic subjiciuntur.

1. Qui rem assequuntur mala fide, scientes positive res ad ipsos devenisse contra regulas juris, v. g. per furtum, per rapinam, per contractus manifeste injustos.

Imo si quis id, quod possidet, patet sibi non licere per leges præscribere, etsi erret, non legitime præscribit. 1. quia non bona fide possidet. 2. quia in jure erranti non procedit præscriptio. Ita habetur L. *Si fur* ff. *de usucap.*

2. Qui rem assequuntur dubia fide, si dubia fides præcedat omnem possessionem; v. g. si incipiant possidere, dubitantes, an res, quæ ad ipsos devenerunt, legitime vel illegitime devenerint: puta, si acceperint ab homine, quem latronem suspicabantur, si acceperint per contractus, quos injustos augurabantur; quia in dubio favendum est reo potius quam actori: qui autem possidere incipit, est veluti actor, & qui ante possidebat est veluti reus: ergo favendum est illi, qui possidebat antea, non illi, qui de novo possidere incipit. Si vero dubitatio superveniat possessioni, non tollit bonam fidem; nec impedit præscriptionem; quia in pari causa melior est conditio possidentis: reg. 65. de reg. juris in 6. *tamdiu* enim *bonæ fidei possessor dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum*: Can. *si virgo* C. 34. q. 1.

3. Qui rem assequuntur cum ignorantia etiam inculpabili juris clari, de quo omnes conveniunt: v. g. qui rem assequitur per contractum communiter reprobatum, v. g. per contractum initum cum pupillo sine consensu tutoris, per contractum aperte usurarium. Ita habet lex *Juris* ff. de ignorantia juris & facti. *Juris ignorantiam in usucapionibus negatur prodesse, facti vero ignorantiam prodesse constat.* Et leg. 31. ff. de usucapionibus: *Numquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest, ignorantia vero juris dubii non impedit præscriptionem.*

4. Qui rem assequitur medio injusto, sed apparenter justo, v. g. per sententiam iniquam judicis, quam ipse vel argento extorsit, vel falsis instrumentis procuravit, vel aperte injustam cognovit: qui rem emit dolose ab homine, cui juridice prohibetur alienatio, qualis est amicus.

§. II.

Prop. unica. Ad legitimam præscriptionem, infra quadraginta annos decurrentem, præter bonam fidem requiritur *justus titulus*, id est, justa possidendi quod nostrum non est causa, & non sufficit titulus falsus.

Prob. 1. Ex Bonifacio 8. c. 1. de præscript. in 6. ubi sic habetur: *Licet ei, qui rem præscribit Ecclesiasticam, si sibi non est contrarium jus commune, vel contra eum præsumptio non habeatur, sufficiat bona fides: ubi tamen est ei jus commune contrarium, vel habetur præsumptio contra ipsum, bona fides non sufficit, sed est necessarius titulus, qui possessori causam tribuat præscribendi, nisi tanti temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria non existat.*

2. Ex jure Civil. L. *obligat.* 44. ff. de obligat. & action. ubi diserte ostenditur, quod sola bona fides non sufficit ad præscriptionem,

ſed requiritur juſtus titulus; quia ſicuti ex temporis tractu non tollitur aliquod jus, ita & non conſtituitur.

3. *Rat.* Rem ſine titulo poſſidere licite non poſſumus: ergo neque præſcribere.

Conſectaria hujus Doctrinæ.

Conſect. 1. Legitime præſcribunt qui cum bona fide & juſto titulo rem determinato tempore poſſident: v.g. qui rem habent titulo ſolutionis, emptionis, tranſactionis, hæreditatis, occupationis, legati, dotis &c. quia hi tituli veri cenſentur, imo qui cum bona fide ſine titulo rem poſſident a tempore, cujus memoria non extat, v. gr. a quadraginta annis & ultra, ut docet Covarr. var. reſol.

Conſect. 2. Legitime non præſcribunt qui rem habent per falſum titulum, quantocumque tempore retinuerint; quia titulus falſus magis nocet quam prodeſt.

Sic qui rem aſſequitur titulo falſo: v. gr. latro non præſcribit rem furto ablatam, uſurarius rem uſuris partam, mutuatarius rem mutuo datam, depoſitarius rem depoſito commiſſam: *His enim uſucapio non competit, qui mala fide poſſident*. 2. inſtit. de uſucap.

Sic qui ſunt incapaces acquirendi: v.g. Laici poſſunt ex conceſſione decimas ad tempus accipere, ſed non præſcribere jus exigendi decimas; quia non ſunt capaces talis tituli. Religioſi non poſſunt præſcribere dominium temporalium; quia ex Trid. non habent capacitatem talis dominii. Servi non poſſunt ſibi præſcribere; ex jure enim civili quidquid acquirunt ſervi, domino acquirunt.

§. III.

In quo explicatur hæc vox; res non vitioſa.

Prop. unica. Ad legitimam præſcriptionem requiritur, quod res, quæ præſcribitur, capax ſit præſcriptionis.

Prob. rat. Præſcriptio non viget niſi vigore legis: ergo res, quæ per legem eximitur a præſcriptione, non poteſt præſcribi.

Conſectaria hujus Doctrinæ.

Res, quæ hic ſubjiciuntur, non præſcribuntur.

1. Res furto vel rapina ablatæ, etiam bona fide acceptæ aut acquiſitæ; furtum enim nequit eſſe titulus acquirendi.

2. Publicæ functiones Eccleſiæ, res publicæ, primitiæ, decimationes. cap. *Cauſam*, de præſcriptionib.

3. Provinciæ, Parochiæ, Diœceſes certis limitibus diſtinctæ. Can. *licet*, & cap. *cum cauſam*, de probat.

4. Immunitas a viſitatione, a ſubjectione, aut procuratione ſolvenda Prælato, dum ab eo viſitantur. Cap. *cum ex officiis*, de præſcr.

5. Matrimonium illegitimum. Cap. *non debet*, de conſanguin. & affin.

6. Votorum violatio quantumvis diuturna. Cap. *ſicut nobis*, de regularib.

7. Homo liber ut fiat ſervus, res Religioſa, ſacra, præſcribi non poſſunt. L. *uſucap.* ff. de uſucapionib.

§. IV.

De legitimo tempore præſcriptionis.

Prop. unica. Ad legitimam præſcriptionem requiritur tempus a lege definitum.

Prob. rat. Præſcriptio ſolo jure poſitivo introducta eſt: ergo ad legem pertinet ſtatuere tempus præſcriptioni percurrendæ neceſſarium: quod quidem juxta varietatem rerum, vel brevius vel diuturnius legibus conſtitutum eſt.

Conſectaria hujus Doctrinæ.

Diverſæ ſunt præſcriptionum ſpecies, quas hic ſigillatim induco.

Prima eſt triennalis pro rebus mobilibus. 2. inſt. de uſucap.

Secunda eſt quadriennalis, ut cum res emuntur a fiſco. l. 1. & toto titulo C. *de quadr.*

Tertia eſt decennalis pro rebus immobilibus & incorporalibus, uti ſunt ſervitutes, & ea quæ in jure ſolo conſiſtunt, & hoc inter præſentes, toto titulo C. *de longo tempore præſcript.*

Quarta eſt vicennalis pro rebus immobilibus & incorporalibus inter abſentes. ibid.

Quinta eſt triginta annorum, & hoc pro rebus immobilibus ſine titulo L. 8. C. *de præſcrip. triginta ann.*

Sexta eſt quadraginta annorum pro rebus Eccleſiaſticis. Authent. *Quas actiones*. C. de SS. Eccleſ. c. 4.

Septima eſt centum annorum pro rebus Eccleſiæ Romanæ & pro rebus regalibus, cap. *Ad audientiam*.

§. V.

De poſſeſſione continuata.

Prop. unica. Ad præſcriptionem requiritur

ritur possessio continuata, idest, sine interruptione perseverans.

Prob. Juxta leges Civiles sine possessione certa non præscribitur: ergo possessio debet esse perseverans & non interrupta. Ideo dicunt Doctores, si possessio interrumpatur ad nihil reducitur, & priore nihil commodante, de novo est inchoanda.

Interrumpitur autem possessio vel naturaliter, quando scilicet possessor realiter possidere desinit, vel civiliter, quando scilicet possessor per citationem solemnem & litis denuntiationem inhibetur possidere; & quia interruptio res est facti, ait D. Th. debet probari vel per instrumenta, vel per testes singulares.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Qui hic subjiciuntur, non censentur præscribere.

1. Qui durante possessione non percurrit tempus utile, sed interrumpitur possessio, vel quia verus dominus interpellat possidentem, ut reddat rem suam, vel quia verus dominus in iis est angustiis, ut nullatenus possit rem suam exigere.

2. Qui durante possessione certo cognoscit rem non esse suam, sed alienam, quia juxta Jus Canonicum, c. fin. de præscript. *oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte, rei habeat conscientiam alienæ.*

3. Si hæreamus juri Canonico, qui bona fide incepit præscriptionem, sed nondum elapso tempore præscriptionis ei dubium vel suspicio oboritur, num possideat alienum; is, inquam, legitime non præscibit, ut colligitur cap. *vigilanti* de præscrip. ubi dicitur: *Cavendum est, ne malæ fidei possessores simus in prædiis alienis; quoniam nulla antiqua dierum possessio juvat aliquem malæ fidei possessorem, nisi resipuerit postquam se aliena noverit possidere, cum veræ fidei possessor dici possit.*

Si adhæreamus soli juri civili, prædictus possessor legitime præscribit; quia, ut inquiunt, in pœnam segnitiei Respublica plena authoritate transfert dominium rerum in eos, qui bona fide incipiunt usucapionem & præscriptionem. Dominus de Sainte Beuve censet, quod ubi viget jus Romanum, possumus illud hac in re in foro conscientiæ sequi.

Monit. Restitutio in integrum est unicum remedium pro his, qui bona sua perdiderunt per præscriptionem, conceditur que a judice. 1. Minoribus his, qui nondum vigesimum quintum annum expleverunt. 2. Ecclesiis & piis locis. 3. Majoribus, si probent præscriptionem cum probabili sua ignorantia & sine sua culpa peractam esse.

TRACTATUS DECIMUSQUINTUS.

De variis pactis & contractibus, quibus voluntarie transfertur rerum dominium.

PROOEMIUM.

SI consideremus negotiationem, ut vulgo exerceri solet, speciem quamdam mali habere videtur. *Difficile enim est*, inquit Leo, *inter ementis vendentisque commercium non intervenire peccatum.* Epist. 92. ad Rustic. c. 9. Ideo dicit Scriptura Eccl. 25. v. 28. *Difficile exuitur negotians a negligentia*, sive ut Græcus textus habet, *a deceptione; & non justificabitur caupo a peccatis labiorum.* Verumtamen, si mercaturam consideremus in prima sui institutione, non iniqua, sed licita est quæ pactis & contractibus fovetur negotiatio; imo ars illa fuit naturali necessitate inducta, ut homines arctioribus inter se nexibus vincirentur. Cum enim non omnia quælibet tellus producat, commercio utili efficitur, ut ad extraneos deferamus quæ illi non habent, & ipsi vicissim ad nos referant alia, quibus indigemus: & ita, ut optime ait Justinianus, *inutilia utilibus commutamus.* Nobis & aliis prosumus mutuis pactis & conventionibus; sed cavendum maxime, ne dum fovetur civilis societas, dissocietur forte Christiana caritas, semperque menti Christianorum negotiantium obvium esse debet illud Isajæ: *Et erunt negotiationes ejus & mercedes ejus sanctificatæ Domino.* Isa. 23. v. 18. & illud Pauli ad Thessal. 4. v. 6. *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum:* quod quidem, quo pacto fieri valeat, toto isto tractatu explicabimus.

CAPUT PRÆLIMINARE.

De pactis, obligationibus, contractibus, & actionibus.

VUlgare est apud Doctores juris illud dictum, scilicet: *Pacta pariunt obligationes, obligationes contractus, contractus vero actiones.* Ideo congruus ordo postulat, ut singula hæc in hoc præliminari capite breviter perstringamus, ut his semel explicatis, mens fiat, ad ea quæ dicenda sunt, paratior. Quocirca fit

ARTICULUS I.

De Pactis.

PActum generatim est duorum vel plurium in idem placitum conventio de re aliqua danda vel facienda. L. 1. ff. *de Pactis*.

Pacta alia sunt publica, alia privata.

Pacta publica ea sunt, quæ Reipublicæ causa fiunt, & fœdera nuncupantur. Hujusmodi sunt conventiones, quas inter se ineunt Principes vel de pace vel de bello.

Pacta privata ea sunt, quæ de rebus privatorum fiunt: & hujusmodi sunt omnes conventiones, quæ fiunt a privatis hominibus.

Pacta alia sunt naturalia, alia civilia.

Pacta naturalia ea sunt, quæ ex æquitate naturali & usu communi gentium ortum, vires, & effectum habent. Hujusmodi sunt conventiones omnes, quibus jus civile nullas conditiones apponit, sed eas libero hominum consensui determinandas relinquit: quales sunt v. g. pactiones circa res exigui valoris & pretii; de minimis enim, ut vulgo dicitur, non curat Prætor.

Pacta civilia ea sunt, quæ specialiter aliqua lege vel edicto Pretoris, vel constitutione Principis confirmantur. Talia sunt pacta circa dotes constituendas, circa censum pecuniarium stabiliendum, & figendum, & alia hujusmodi quæ non relinquuntur arbitrio hominum, sed certis legibus determinantur.

Pacta alia sunt expressa, alia tacita.

Pacta expressa ea sunt, quæ constant consensu expresso vel per verba, vel per scripta. L. 7. C. de Pactis. Hujusmodi sunt pacta, quibus vel verbis, vel scriptis nos obligamus.

Pacta tacita ea sunt, quæ constant consensu, qui nec verbo nec scripto exprimitur, sed ex aliquo facto & conjectura colligitur: l. 2. & 18. C. de Pact. Hujusmodi est pactum illius, qui adeundo hereditatem censetur paciscí cum creditoribus se velle solvere debita hæreditatis.

ARTICULUS II.

De obligationibus.

OBligatio generatim est juris vinculum, quo quis facere, vel solvere, vel præstare aliquid tenetur. L. 5. ff. *de obligat.*

Obligatio est triplex: naturalis, civilis, & mixta ex civili & naturali.

Obligatio naturalis ea est, quæ ex naturali ratione causam habet, & quæ solo æquitatis vinculo unitur. Talis est omnis obligatio, quam recta ratio inspirat, v. g. ut stemus pactis, promissis, contractibus voluntarie initis, etiam jure civili non informatis. Ita habetur L. 95. §. *naturalis* ff. *de solutionib. & liberationib.*

Obligatio naturalis obligat in foro conscientiæ, sed non dat strictam actionem in foro contentioso: v. g. reus sum coram Deo, si nudum pactum non observem, si promissis non stem; sed si pactum meum nec scriptis munitum sit, nec testibus confirmatum, stricta actione coram judice compelli non possum.

Obligatio civilis ea est, quæ oritur ex jure civili, vel ab eo confirmatur. Hujusmodi est omnis obligatio, quæ vel a lege introducitur, vel authoritate judicis declaratur.

Obligatio civilis ligat in conscientia, sicuti legem civilem ligare diximus, & insuper dat actionem in foro contentioso: v. g. si lex aut judex me ad solvendam certam pecuniæ quantitatem addixerit, teneor in conscientia solvere; & si non solvam, possum compelli coram judice, ut exequar id ad quod teneor ex obligatione civili.

Obligatio mixta ex naturali & civili ea est, quæ oritur ex jure naturali simul & civili. Talis est ea obligatio, quam æquitas naturalis inspirat, & quam jus civile debitum confirmat, v. g. obligatio solvendi creditori. Obligatio mixta ex naturali & civili ligat in foro conscientiæ quatenus naturalis; dat vero actionem in foro externo quatenus civilis: obligatio autem mixta, ut plurimum cum contractu conjungitur. Ideo sit

ARTICULUS III.

De Contractibus.

§. I.

Explicatur natura Contractus in communi & in particulari.

COntractus juxta Ulpianum est ultro citroque obligatio, seu conventio reciproca duorum vel plurium, verbis, nutu, aut scripto declarata: in utroque pariens obligationem naturalem & civilem.

Con-

Contractus alius est innominatus, alius nominatus.

Contractus nominatus est ille, qui habet proprium nomen, v. g. emptio, venditio, locatio, conductio, mutuum, &c.

Contractus innominatus est ille, qui caret proprio nomine, & hic ad quatuor species omnino reducitur, quæ his verbis communiter exprimuntur: *do*, ut *des*: *do*, ut *facias*: *facio*, ut *des*: *facio*, ut *facias*.

Ut cognoscatur natura contractuum, debet attendi quid requiratur in contractibus. Tria autem in contractibus solent reperiri. Primo personæ contrahentes. Secundo res circa quas fiunt contractus. Tertio consensus contrahentium: v.g. ego vendo equum Petro decem nummis: ego & Petrus sumus personæ contrahentes: equus & nummi sunt materia contractus. Consensus reciprocus est id, quod proprie facit contractum, puta, in exemplo allato consensus ex parte mei vendentis, & consensus ex parte Petri ementis.

Pro rerum, personarum, & consensuum varietate, varii sunt contractus, quos hic breviter subjicio.

§. II.

De Contractibus, in quibus transfertur dominium rei.

Contractus, quo gratis transfertur in alium dominium rei, vocatur *simplex donatio*: v. g. ego dono gratis Petro meum agrum, meum librum.

Contractus, quo transfertur in alterum dominium rei, non gratis, sed res pro re commutatur, vocatur *commutatio* seu cambium: v.g. ego trado Petrum meum agrum & ille mihi tradit suam vineam; ille contractus vocatur commutatio vineæ cum agro.

Contractus, quo transfertur in alterum dominium vel possessio rei, non gratis, non res pro re, sed res sub certa pecuniæ summa, vocatur *venditio* ex parte dantis rem, & *emptio* ex parte dantis pecuniam: v.g. ego trado meum agrum Petro ex causa venditionis, & ille pretii nomine dat mihi centum nummos.

§. III.

De Contractibus, in quibus transfertur non dominium rei, sed ususfructus rei.

Contractus, quo ususfructus rei transfertur gratis, vocatur simplex *donatio fructus*: v. g. ego dono Petro gratis fructus agri mei, quos ipse percipere poterit si velit.

Contractus, quo transfertur ususfructus rei non gratis, sed res pro re, vocatur *commutatio*: v. g. ego trado Petro fructus mei agri, & ille tradit mihi fructus suæ vineæ.

Contractus quo traditur ususfructus rei non gratis, nec res pro re, sed pro pretio traditur certa pecuniæ summa, vocatur *venditio fructus*.

Contractus, quo traditur ususfructus rei sub aliqua conditione, v.g. sub hac conditione, quod exhibebitur mihi obsequium personale, vocatur *feudum*, si vero tradatur sub hac conditione, quod exhibebitur certa pensio, vocatur *emphyteusis*, seu censualis pensio.

Si emphyteuta, vel feudatarius rem illam, quam in feudum vel emphyteusim accipit, simili contractu tradat alteri, vocatur *subfeudum, subemphyteusis*.

§. IV.

De Contractibus, in quibus transfertur solus usus rei.

Contractus, quo solus usus rei traditur gratis, vocatur *commodatum*, vel *precarium*: v.g. ego commodo gratis librum Petro.

Si commodem pro determinato usu, & pro determinato tempore, dicitur commodatum; si vero commodem pro indeterminatu usu, & tempore, dicitur precarium.

Contractus, quo usus solus conceditur, non gratis, sed usus alterius rei exigitur, vocatur *reciprocum commodatum*: v. g. ego commodo Petro meum librum, & ille commodat mihi suum equum.

Contractus, quo solus usus conceditur, non gratis, sed pro certa pecuniæ summa, vocatur *locatio* ex parte dantis rem, & *conductio* ex parte dantis pecuniam: v. g. ego trado Petro meum equum utendum, & ille dat mihi pro usu illius quindecim asses quolibet die: ille contractus dicitur locatio ex parte mei, & conductio ex parte Petri.

§. V.

De aliis Contractibus.

Depositum est contractus, quo traditur aliquid alteri ad custodiam, ea conditione, ut integrum, & illæsum reddatur, nihilque pretii ex illa cura custodiens exigat.

Mandatum est contractus, quo aliquod negotium alicui gerendum committitur, & gratis suscipitur.

Mutuum est contractus, quo traditur res, quæ pondere, numero, & mensura constat, v.g. vinum, oleum, frumentum, pecunia numerata cum onere ut restituatur res ejusdem generis, qualitatis, & quantitatis.

Oppignoratio est contractus, quo debitor tradit creditori rem aliquam vel mobilem, vel immobilem, quæ sit pro debito obligata: v. g. ego debitor Petri trado Petro pro assecuratione debiti agrum, supellectilia pretiosa &c.

Antichresis est contractus, quo res immobilis frugifera traditur creditori, ea conventione, ut ejus fructus percipiat donec solvatur debitum.

Fidejussio est contractus, quo quis alienam obligationem vel gratis, vel pro pretio suscipit implendam, si debitor principalis non solverit.

§. VI.

De Contractibus, in quibus intervenit aliqua sors, seu periculum.

Societas est contractus, quo duo vel plures apponunt res ad lucrandum idoneas: v.g. iste pecuniam, ille industriam, unus animal, alter laborem, eo onere ut pro rata parte rei appositæ dividant lucrum & damnum.

Sponsio est contractus, quo duo vel plures de re aliqua dubia certantes, sibi invicem aliquid spondent cessurum ei, qui verum dixerit: v.g. certo tecum duodecim nummis, urbem talem obsessam captum iri. Si urbs illa veniat in manus obsidentium, summa exposita ad me pertinet; si vero non veniat, ad alium pertinebit.

Ludus est contractus, quo ludentes paciscuntur, ut victori cedat quod uterque deposuit.

Assecuratio est contractus, quo quis alienæ rei in se periculum suscipit, obligando se vel gratis, vel pro pretio.

§. VII.

De quasi Contractibus. De maleficio & quasi maleficio.

Quasi contractus est conventio, per quam obligatio ex juris præsumptione inter ignorantes contrahitur.

Sic negotiorum gestor obligatur erga eum, cujus negotia gessit. Tutor obligatur erga pupillos. Adiens hæreditatem obligatur erga legatarios. Qui rem ad plures pertinentem suscipit, obligatur erga eos, qui jus aliquod in illa re habent.

Maleficium est offensio contra jus scienter illata alteri: qualia sunt, v. gr. furtum, rapina, damnum, injuria.

Quasi maleficium est offensio contra jus, non scienter, sed imprudenter illata alteri: quale est omne nocumentum, quod per me vel meos, non ex malitia, sed ex imprudentia infertur alteri.

Ex contractibus aut quasi contractibus omissis, & ex maleficiis aut quasi maleficiis commissis oriuntur actiones. Ideo jam de actionibus agendum.

ARTICULUS IV.

De Actionibus.

Actio est jus persequendi in judicio quod sibi debetur.

Actio est multiplex: alia est in rem, alia est in personam: alia in rem, & in personam: alia est juris civilis, alia est juris naturalis.

Actio in rem ea est, qua actor rem ab alio possessam suam esse intendit. Hujusmodi est actio, qua rem corporalem, v. g. agrum ab alio mihi usurpatum, peto mihi restitui: vel rem incorporalem, v. g. servitutem, persequor vel exigendo servitutem mihi deberi, vel negando me servitutem debere alteri.

Actio in personam ea est, qua actor intendit, ut adversarius sibi det aut faciat aliquid. Talis est actio, qua quis petit, ut ei detur quod ex contractu, aut quasi contractu, ex maleficio, aut quasi maleficio, debitum esse contendit.

Actio mixta partim in rem, partim in personam ea est, qua nedum res, sed aliquid a persona præstari exigitur, ut cum quis petit, ut is, qui bona familiæ, aut societatis possidet, permittat res familiæ, aut societatis dividi, ut quilibet pro parte sibi debita quod ejus est accipiat.

Actio juris civilis ea est, quæ nititur vel contractu, vel quasi contractu, vel delicto, vel quasi delicto, & varia est juxta varias juris civilis subtilitates.

Actio juris naturalis solius est ea, quæ nudo pacto nititur, qua petimus, ut nuda etiam pacta observentur. Hæc jure Pontificio introducta est, vigetque & accipitur in omni foro, ubi ex bono & æquo, & ex suprema potestate judicatur, ut docet Bartolus & Baldus in legem 7. ff. *de pactis*.

Patet ergo ex dictis, quod pacta inducant obligationes; obligationes vero contra-

tractus; contractus autem actiones. Ideoque videndum quo modo iniri debeant & pacta, & contractus tam jure naturali quam civili. Ideoque fit

CAPUT II.

De his, quæ requiruntur & sufficiunt, ut pacta sint valida, & contractus sint pariter validi tam jure naturali, quam civili.

AD hoc ut contractus & pacta valeant in utroque jure, quædam requiruntur ex parte personarum, quædam ex parte rerum, quædam ex parte modi contrahendi. Ex parte personarum requiritur, quod personæ sint habiles ad paciscendum & contrahendum. Ex parte rerum exigitur, quod res, quæ sunt materia conventionis & contractus, certis conditionibus muniantur. Modus vero contrahendi debet esse conformis legi: quæ singula, cum diversa sint juxta diversum jus naturale, & positivum, ideo caput istud in tres Sectiones dividemus. In prima agemus de his, quæ requiruntur & sufficiunt ad valorem pacti & contractus juxta jus solum naturale. In aliis vero expendemus quæ requirantur & sufficiant, ut pacta & contractus valorem suum habeant in jure civili & positivo. Cum autem contractus includat semper pactum, & pactum raro a contractu sejungatur; ideo nomine CONTRACTUS & pactum, & promissum, & contractum, & demum cujuscumque generis conventionem exprimemus.

SECTIO I.

De his, quæ requiruntur & sufficiunt, ut Contractus sint validi solo jure naturæ.

ARTICULUS I.

De Contractibus solo jure naturæ validis, vel invalidis præcise ex parte personarum contrahentium.

PRop. unica. Ut Contractus jure naturæ sit validus ex parte contrahentium, inducatque obligationem in foro conscientiæ, requiritur & sufficit, quod contrahentes libere agant, & consensu reciproco obligentur.

Prob. 1. Script. Matth. c. 20. 1. Ubi Christus loquens de patre familias conducente operarios in vineam suam, aperte ostendit liberum consensum & requiri, & sufficere ad pactionem, promissionem, & contractum; sic enim habet: *Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam*. Et ut ostendat partes contrahentes rigore juris ad nihil ultra obligari, nisi ad id quod inter eos reciproco consensu obfirmatum est, obmurmuranti operario, quod ultimis idem daretur denarius cum primis, ita respondet: *Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, & vade*. Ibid. v. 13. ergo ad validam conventionem requiritur & sufficit liber consensus.

2. Ex D. Th. *Obligat autem*, inquit, *homo se homini ad aliquid per modum promissionis, QUÆ EST RATIONIS ACTUS, ad quam pertinet ordinare: sicuti enim homo imperando, vel deprecando ordinat quodammodo quid sibi ab alio fiat; ita promittendo ordinat quid ipse pro alio facere DEBEAT*. 2. 2. q. 88. art. 1. in corp. ubi S. Doctor duo ostendit. Primum quidem, quod promissio & proinde quæcumque alia pactio obliget in conscientia. Secundum vero, quod ut promissio & conventio sit obligatoria, requiritur & sufficit, quod sit actus rationis, id est, quod fiat deliberate; & ibid. art. 3. ad 1. sic habet: *Dicendum*, inquit, *quod secundum honestatem ex qualibet promissione homo homini obligatur: & hæc est obligatio juris naturalis; sed ad hoc quod aliquis obligetur ex aliqua promissione, obligatione civili, quædam alia requiruntur*, v. g. confirmatio juris civilis: Ergo ut quis per conventionem, promissionem, & contractum obligetur in foro conscientiæ, requiritur & sufficit, quod libere consentiat.

3. Ex jure Canonico: ubi ex multis Canonibus colligitur, quod nuda etiam pacta, modo nullum vitium contineant, obligent in conscientia, & quod in utroque foro non modo ad excipiendum, sed etiam ad agendum sint efficacia; sic enim habetur Can. 8. *Puellæ* 20. q. 1. *Humana pacta non possunt impune calcari*. Et Can. 30. *Eleutherius*. 18. q. 2. *Si apud te evidenti ratione constiterit, quia ... conditiones superius positæ convenerint, servari eas ex nostra authoritate præcipimus*. Et can. 66. *Quicumque* 12. q. 2. *Quodcumque commodum in remunerationem promiserint Episcopi, promissi solutionem eos exsolvere oportebit*. Et cap. *Antigonus*, de pactis ... dicitur: *Pax servetur, pacta custodiantur*. Ergo si nuda pacta obligent in conscientia, ad validam conventionem requiritur & sufficit libertas.

4. Ex jure civili. L. 52. ff. *de obligationibus*, ubi sic habetur: *Obligamur*, inquit lex, *aut re, aut verbis, aut simul utroque, aut CON-*

SENSU, *aut lege*, *aut jure honorario*, *aut necessitate*, *aut ex peccato*. Et §.4. sic persequitur: *Consentientes in aliquam rem*, *ex consensu obligari necessario ex voluntate nostra videmur*. Et in lege 2. ejusdem tituli sic habetur: *Consensu fiunt obligationes in emptionibus*, *venditionibus*, &c..... *sufficit enim eos*, *qui negotia gerunt*, *consentire*: ergo ex jure civili ad inducendam obligationem naturalem requiritur & sufficit liber consensus.

5. *Rat*. Ita se habent homines in suis pactis, promissis, & contractibus, quibus ligantur erga alios homines, sicuti se habent in votis, quibus ligantur erga Deum; quia utrobique intervenit obligatio, in voto quidem obligatio Religionis, in pactis vero & contractibus obligatio fidelitatis: atqui in votis & requiritur & sufficit deliberatus consensus, votum enim est *promissio deliberata*, &c. ergo & in pactis, promissionibus, & contractibus requiritur & sufficit consensus deliberatus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

§. I.

De contractibus invalidis jure naturæ ex parte personarum contrahentium.

Consect. 1. Omnis contractus sine libero consensu initus, jure naturæ est nullus & invalidus, & proinde in foro conscientiæ non est observandus. Atque ideo nec illo uti possumus, si nobis sit utilis, nec eo alii uti possunt, si sit nobis onerosus; præcipua enim pactionis cujuscumque conditio est, quod sit libera; sic enim habet jus civile L. 1. ff. *de pactis* §. 2. *Pactio est duorum pluriumve in idem placitum consensus*, *inde natum illud apud Juristas*: *eleganter dicit Pedius*, *nullum esse contractum*, *nullam obligationem*, *quæ non habeat in se consensionem*, *sive re*, *sive verbis fiat*.

Sic jure naturæ contrahere non possunt amentes, furiosi, phrenetici, & alii hujusmodi, qui libero consensu se se obligare non possunt; sic enim habet jus civile L. 1. ff. *de obligat*. §. 12. *Furiosum*, inquit, *sive stipuletur*, *sive promittat*, *nihil agere natura manifestum est*.

Sic pariter contrahere non possunt infantes, qui nondum excesserunt primum septennium; quia nondum intelligunt quid agant, ut ibidem dicitur: & quia infans non multum a furioso distat, ut dicitur lib. 3. Instit. tit. 20 *& quia hujusmodi ætatis nullum habent intellectum*. Ibid.

Sic contrahere vulgo nequeunt muti, & surdi a natura, nisi nutu & subscriptione exterius manifestent se intelligere quid agant, ut dicitur L. 4. *de pactis*.

Consect. 2. Omnis contractus violenter extortus, jure naturæ nullus est & invalidus; est enim involuntarius: de quo ita D. Th. 1. 2. q. 6. a. 5. *Quod est*, inquit, *contra voluntatem*, *dicitur esse involuntarium*. *Unde violentia involuntarium causat*. Ideo constans est apud omnes Jurisperitos; nullius vigoris esse eas omnes obligationes & conventiones, quas non sponte, sed ex violentia contrahimus aut spondemus: ut habetur L. 22. ff. *quod metus causa*. *Qui in carcerem quem detrusit*, *ut aliquid ei extorqueret*: *quidquid ob hanc causam factum est*, *nullius momenti est*.

Item *Tutor si invitus retentus sit per vim*, *non valet quod agitur*; *neque enim præsentia corporis authoritatem confert*, *ut si somno aut morbo comitiali occupatus tacuisset*. L. 1. ff. de authoritate & consensu tutorum.

Consect. 3. Omnis contractus, qui fit ex metu, ex concupiscentia, & demum ex quocumque affectu absorbente omnino usum rationis, est jure naturæ invalidus; quia ubi non est usus rationis, ibi non potest esse liber consensus. De hoc ita D. Th. 1. 2. q. 6. a. 7. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quod si concupiscentia totaliter auferret rationem*, *sicut contingit in illis*, *qui propter concupiscentiam fiunt amentes*, *sequeretur*, *quod concupiscentia*, *metus*, *& quilibet alius affectus voluntarium tollerent*, *& proinde contractus*:

In illis casibus elicitus, jure naturæ esset nullus.

Sic in foro conscientiæ non oscitanter, sed attente examinandum est, an pactiones, promissiones & conventiones, quæ fiunt ex affectibus carnalibus, uti plurimum contingit inter amasios, & amasias, examinandum, inquam, an carnales illi affectus rationem penitus absorbuerint; quo casu nullatenus ligant, nisi ad damnum illatum, quia non adfuit liber consensus: an vero illi affectus rationis usum reliquerint, potestatemque agendi, quo casu, ut docet D. Thom. ibid. *vere adest voluntarium*, *& proinde obligatio exequendi quod promissum est*.

Consect. 4. Omnis contractus, qui fit errore, dolo, & ignorantia terminatis ad ipsam rei substantiam, est nullus jure naturæ; quia error circa substantiam facit simpliciter involuntarium: nihil enim potest esse volitum quin præcognitum; etenim, ut ait jus civile, *non videntur qui errant consentire*. ff. de Regulis juris L. 116.

Sic nullus est contractus, quo quis emit a ru-

rustico gemmam, suadendo illi, quod vendat non gemmam, sed vitrum; error enim est circa substantiam.

Sic nullus est contractus, quo quis ducit Bertam, putans ducere Cajam; quia error est pariter circa substantiam.

Sic nullus est pariter contractus, si error versetur circa circumstantias, & accidentia, ita objectum immutantia, ut omnino impediant consensum: v. g. si vendas vinum, ita aqua dilutum, quod nunquam emisset emptor, si id rescivisset: si loco pecoris sani vendas pecus scabiosum, quod nunquam emerem, si id cognovissem; tunc enim error ille, licet circa accidentia, impedit consensum, & proinde contractum.

Monit. Notandum maxime, quod qualitas, quæ est accidentalis rei, potest esse substantialis contractui; & proinde quod error circa illam qualitatem reddit contractum invalidum: quod contingit quoties illa qualitas ignorata est hujusmodi, quod si fuisset cognita, non initus fuisset contractus; quia, ut ait D. Th. error illius qualitatis redundat in errorem substantiæ, & personæ.

Sic qui contrahit cum plebejo, putans contrahere cum filio Regis, invalide contrahit; quia error ille, etsi error qualitatis, redundat in personam, ut ait D. Th. supplem. q. 51. a. 2. ad 5.

Item qui contrahit cum serva, quæ nequit reddere debitum conjugale, putans contrahere cum libera, quæ potest reddere, cum libet, debitum conjugale, invalide contrahit; error enim ille redundat in personam. D. Th. ibid.

§. II.

De contractibus jure naturæ validis ex parte personarum contrahentium.

Consect. 1. Omnis contractus libero plene consensu elicitus, est validus jure naturæ, & proinde in foro conscientiæ observandus, sive nobis onerosus sit, sive utilis; quia deliberatus consensus sufficit ad inducendam obligationem coram Deo. Hoc pacto uti possumus si sit utile, & ei pariter stare debemus si sit onerosum; juxta regulam 55. juris Canonici: *commodum qui sentit, onus sentire debet, & e contra.*

Sic in foro conscientiæ, non secus ac rebus nostris, uti possumus ea conventione, qua sine dolo & fraude alii se nobis obligarunt; verum enim jus habemus circa ea, quæ nobis voluntario consensu obligata sunt.

Itaque, si quid debeam Titio, & Titius mihi obligatus sit conventione libera, eo pacto uti possum, non quidem ut instituam actionem in foro civili, sed ut exceptionem in eodem foro opponam, qua dum Titius aliquid exigit a me, ego vicissim exigam id præstari a Titio quod inter nos convenit. Ut enim ait jus civile L. 7. ff. de pactis §. 4. *Nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem.* Item, si Titius mihi debeat aliquid ex vi solius pacti solo jure naturæ validi, & debitum jam acceperim, possum in foro conscientiæ rem acceptam retinere; nam ut dicit Jus civile L. 10. ff. de obligat. & actionib. naturales obligationes dant jus, *ut soluta pecunia repeti non possit.* Item, si mihi Titius aliquid ex pacto naturaliter valido debeat, pro assecuratione debiti vel fideijussorem possum exigere, vel pignus retinere tanquam fideijussorem, ut patet ff. L. 16. §. 3. de fideijussoribus. *Fideijussor*, inquit jus, *accipi potest quoties est aliqua obligatio civilis vel naturalis, cui applicetur.* Pignus pariter possum accipere, si non habeam fideijussorem. *Ex quibus casibus*, inquit jus, *naturalis obligatio consistit, pignus perseverare consistit.* L. 14. ff. de pign. & hypot. Item, si mihi Titius aliquid debeat, non ex gratitudine, sed ex justitia rigorosa, & sim in his circumstantiis, ut rem debitam nequeam coram judice persequi, possum juxta eos, qui habent compensationem ut licitam, possum, inquam, uti æquali compensatione: ut enim habet jus civile ff. L. 6. de compens. *etiam quod natura debetur, venit in compensationem.* Demum illud pactum solo jure naturæ validum ita renovari & in constitutum deduci poterit, ut in foro externo exigi valeat: ita enim habet jus Civile L. 1. ff. de constituta pecunia: *Debitum ex quacumque causa potest constitui.* Et L. 1. ff. de novationib. Quæcumque præcessit obligatio *verbis novari potest ... ut puta, si pupillus sine tutoris auctoritate promiserit.*

Sic pariter in foro conscientiæ servari debent omnia pacta, omnes promissiones, omnes contractus, quibus solo jure naturali obligamur aliis, quamvis nobis aliunde onerosæ sint illæ conventiones; dicit enim Scriptura: *Vir fidelis laudabitur*; & ut indicet nullam spem lucri posse nos a servanda conventione dispensare, addit: *Qui autem festinat ditari*, scilicet omittendo pacta & contractus, *non erit innocens.* Prov. 28. v. 20. & Lucæ 16. v. 10. iniquus habetur qui etiam in minimo fidelis non est. *Qui fidelis est*, inquit, *in minimo, & in majori fidelis erit: & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus erit.*

Ita-

Itaque standum fideliter his pactis, his conventionibus, his contractibus, qui fiunt sine scripto, sine testibus, & demum absque ulla juris solemnitate, quibus v. g. vel privatim, vel publice, vel in mercatibus, vel in nundinis, vel alibi venduntur, emuntur, commutantur res exigui valoris, puta comestibilia, v. g. fructus, carnes, vinum, oleum &c. comparantur res usuales, v. g. libri, calami, &c. nefas enim est, homines conventionibus suis non stare etiam circa hæc minima, de quibus nihil lex in particulari determinat; sufficit enim, quod homines inter se libere consenserint. *Quid enim est*, inquit jus civile, *tam congruum fidei humanæ, quam ea quæ inter ipsos placuerunt servare?* L. 1. ff. de pactis.

Consect. 2. Sistendo intra jus naturæ, omnis contractus, etiamsi involuntarius *secundum quid*, est validus, modo sit absolute voluntarius; quia ad contractum validum jure naturæ, requiritur, & sufficit consensus absolute voluntarius. Etenim qui involuntarie secundum quid, sed voluntarie absolute recipit Baptismum, vel Ordines, valide suscipit utrumque Sacramentum. Ergo a pari qui involuntarie secundum quid, sed absolute voluntarie contractum init, valide contrahit jure naturæ.

Sic qui ex metu vel juste, vel injuste incusso contrahit, modo metus usum rationis non absorbeat, valide jure naturæ contrahit; quia quod ex metu volumus, absolute volumus: de hoc ita D. Th. 1. 2. q. 6. a. 6. *Sed contra est*, inquit, *quod Greg. Nicænus dicit*, *& etiam Philosophus*, *quod hujusmodi*, *quæ per metum aguntur*, *sunt magis voluntaria quam involuntaria*.... *sunt enim voluntaria simpliciter*, *& involuntaria secundum quid*.... *sicut projectio mercium in mare fit voluntaria tempore tempestatis propter timorem periculi*.

Sic etiam qui ex fraude, dolo, ignorantia, & errore terminatis, non ad substantiam rei, sed ad accidentia, & relinquentibus usum libertatis, contrahit, jure naturæ valide contrahit; ad valorem enim contractus sufficit, quod fiat cum deliberato consensu; fit autem contractus cum deliberato consensu, quoties dolus, error, & ignorantia, non ad substantiam rei, sed ad accidentia rem parum immutantia, terminantur; æque enim interveniret consensus, ut supponimus, sive adesset error, sive abesset. Itaque validus est contractus, qui fit ex errore, & dolo, & ignorantia terminatis ad accidentia; quia ille error non facit involuntarium simpliciter, sed involuntarium secundum quid. Et ita valide contrahit qui ducit Bertam, quam putat nobilem & divitem, licet ea nec nobilis sit, nec dives: error enim ille est circa accidentia. Valide etiam contrahit qui emit vinum gallicum putans emere hispanicum; quia error pariter est circa accidentia: de hoc late scribit Gratianus 19 q. 1. Can. *Quod*, ubi, sic habetur: *Verum est, quod non omnis error consensum excludit; sed error alius est personæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. Error personæ est, quando hic putatur esse Virgilius, & ipse est Plato. Error fortunæ, quando hic putatur esse dives, qui est pauper, vel e converso. Error conditionis, quando putatur esse liber, qui est servus. Error qualitatis, quando putatur esse bonus, qui malus est. Error fortunæ & qualitatis, conjugii consensum non excludit. Error vero personæ, & conditionis, conjugii consensum non admittit.*

Consect. 3. Infantes, adulti, pupilli, puberes, minores, &c. qui jure civili vulgo habentur inhabiles ad contrahendum ob defectum libertatis in eis vulgo præsumptum, sistendo intra jus naturæ, valide contrahunt, modo actu vere libero consentiant: tum quia ad contractum jure naturæ validum requiritur, & sufficit consensus plene liber: tum quia leges, quæ prædictas personas inhabiles ad contrahendum determinant, utpote fundatæ in præsumptione, nullum vigorem habent, nisi cum revera adest præsumptio, in qua fundantur, scilicet, cum abest libertas ad contrahendum sufficiens.

Quando autem & quomodo, pactis & conventionibus in foro conscientiæ erga homines sese obligare valeant infantes, adulti, explicat D. Th. dum determinat, quando & quomodo sese votis erga Deum obligare possunt: eadem enim est utrobique obligatio, eo solo discrimine, quod votum nexum Religionis inducat, conventio vero nexum fidelitatis. Sic autem loquitur S. Doctor 2. 2. q. 88. a. 9. in corp. *Est ergo*, inquit, *dicendum, quod si puer vel puella ante pubertatis annos nondum habeat usum rationis, nullo modo potest se voto obligare. Si vero ante pubertatis annos attingit usum rationis, potest quidem, quantum in ipso est, se obligare, sed votum ejus potest irritari per parentes, quorum curæ remanet adhuc subjectus*. Ita & potest se pactis, & conventionibus obligare, quæ a parentibus irritari quidem possunt: sed sicuti vota non irritata a parentibus ligant puerum erga Deum; ita & pacta non irritata ligant puerum erga eos, quibus sese obligavit, modo aliæ conditiones ad validum contractum necessariæ observentur.

Quando autem & quomodo, pactis & conven-

ventionibus in foro conscientiæ pupilli, &c. minores obligari valeant, possumus colligere ex variis juris civilis textibus, quibus constat contractus a pupillis & minoribus initos, quamvis invalidos jure civili, obligationem tamen quamdam naturalem pupillis & minoribus imponere, in duobus præcipue casibus, scilicet 1. Quando pupilli, & minores illos contractus pleno consensu inierunt, vel re obligati sunt. 2. Quando pupilli & minores ex illis contractibus ditiores facti sunt. In primo enim casu oportet, ut conventionem libere initam, quantum in ipsis est, observent: in secundo vero casu oportet, ut si velint contractum rescindi, id, in quo facti sunt per illum contractum ditiores, restituant.

De primo autem casu sic habes. L. 52. de obligat. & act. *Nudus consensus sufficit obligationi*. §. 9. & rursus: *Pacti conventionisque fides servanda*. L. 7. C. de pactis. Quod adeo verum, quod si pupillus dolo aliquid egerit, apud judicem conveniri potest, ut expresse dicitur, ff. *Depositi vel contra*. L. 1. §. 15. sic enim habet lex: *An in pupillum, apud quem sine tutoris authoritate depositum est, depositi actio detur, quæritur, sed probari oportet, si apud doli mali jam capacem deposueris, agi posse, si dolum commisit*. Si vero re obligatus fuerit, non erit necessario tutoris auctoritas, ut habetur L. 46. ff. de obligationibus & action. *Furiosus, & pupillus*, inquit jus, *ubi ex re actio venit, obligantur etiam sine curatore, vel tutoris authoritate, veluti si communem fundum habeo cum his, & aliquid in eum impendero, vel damnum in eo pupillus dederit; nam judicio communi dividendo obligabuntur*.

De secundo vero casu sic habes in reg. juris 206. *Jure naturæ æquum est, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem*. Et quamvis ea, quæ pupillus agit sine authoritate tutoris, & minor sine authoritate curatoris, jure civili invalida habeantur; tamen id, in quo locupletiores facti, restituendum est, & ob id coram judice conveniri possunt. *Pupillus*, inquit jus, *conveniri potest in id, in quo factus est ditior*. L. 3. ff. de negotiis gestis. Et rursus L. 3. ff. de authoritate a consensu tutorum: *Pupillus vendendo sine tutoris authoritate non obligatur, sed nec in emendo, nisi in quantum locupletior factus est*.

ARTICULUS II.

De Contractibus solo jure naturæ validis, vel invalidis præcise ex parte rerum, quæ sunt materia Contractus.

PRop. unica. Ut contractus sit solo jure naturæ validus ex parte rerum, quæ futuræ sunt materia contractus, eæ res debent esse primo in commercio hominum: secundo in potestate contrahentium: tertio debent ad rigidam æqualitatem reduci.

Prob. 1. Res, quas contractibus subjicimus, debent esse in commercio hominum, ut earum dominium possimus ipsi acquirere, vel eas ad alios ipsi valeamus transferre; non enim ob alium finem fiunt contractus. Ideo res communes, *quarum usus communis est omnibus hominibus, proprietas nullius*, ut aer, aqua profluens, mare, &c. res publicæ, *quarum usus communis est omnibus, proprietas vero Reipublicæ*, ut viæ, flumina, &c. res universitatis, quæ ad civitatem aliquam pertinent, & *usibus populi destinantur*, ut forum, stadia, &c. res quæ nullius sunt, nec esse possunt, ut sunt *res Deo sacræ*, materia esse non possunt eorum contractuum, qui per privatos homines ineuntur.

2. Res, quas contractibus subjicimus, debent esse in nostra potestate; nemo enim potest in alium transferre plus juris, quam habeat: ideo ait Just. lib. 3. instit. tit. 20. *Res, quæ dominio nostro subjicitur, in stipulationem deduci potest, sive mobilis, sive soli*; minime vero ea, quæ nostri juris non est.

3. Res, quæ sunt materia contractus, ad rigidam, quantum fieri potest, debent æqualitatem reduci, ut a contrahentibus servetur justitia, quæ unicuique reddit quod suum est.

Consectaria hujus Doctrinæ.

§. I.

De Contractibus, qui jure naturæ non sunt validi præcise ex parte rerum.

Consect. 1. Nullus est contractus, in quo res, quæ non sunt in commercio hominum, contractui subjiciuntur: res enim contractui eatenus subjicitur, quatenus est in commercio hominum: ut habes de verb. oblig. L. 83. ff. §. 4. Si subjiciam contractui *sacram, vel religiosam rem, vel usibus publicis in perpetuum relictam, ut forum, & basilicam, aut hominem liberum, inutiliter stipulor*. Ideo jure naturæ nulli sunt contractus simoniaci, quibus vendun-

duntur, aut emuntur res spirituales, aut spiritualibus annexæ; quia non sunt in commercio hominum. Nulla pariter est conventio, qua emitur a cliente, & venditur a judice sententia justa, vel injusta; quia actus judicialis non est in commercio hominum, ut emi possit aut vendi.

Consect. 2. Invalidæ sunt jure naturæ illæ omnes conventiones, quibus subjicimus contractui res, quæ sunt quidem in commercio hominum, sed quæ non sunt in nostra potestate, nisi interveniat consensus & approbatio illius, sub cujus potestate eæ res sunt; obligare quippe non potes quod tuum non est.

Sic servi, idest *mancipia*, quoquo modo servi facti sint, sive jure belli, quia capti sunt in bello, sive jure emptionis, quia se ipsos vendiderunt, sive jure nativitatis, quia ex matre serva nati sunt: hi, inquam, jure naturæ contrahere non possunt contractu, quo de seipsis, vel de rebus ad ipsos spectantes disponunt; quia & ipsi, & ea quæ habent, sui juris non sunt, sed dominorum ... ut docet Justini. lib. 1. instit. tit. 7. *In potestate*, inquit, *dominorum sunt servi*.

Sic Monachi & Moniales non possunt contrahere valide jure naturæ, neque contractu, quo suam personam obligent, v. g. vendendo se, vel locando suas operas, &c. quia per votum obedientiæ non sunt sui juris, sed Communitatis: neque contractu, quo res temporales vel acquirant, vel ad alios transferant, nisi id faciant nomine Communitatis; quia per votum paupertatis incapaces sunt & dominii sibi acquirendi, & dominii in alios transferendi, cum nihil possint habere proprium, ut habetur in Trid. sess. 25. cap. 2. de reform.

Sic filiifamilias, nondum emancinati, idest quandiu sunt sub potestate patris, jure naturæ non possunt contrahere circa ea, quæ sunt sub potestate patris: v. g. Filius non potest aliquid in detrimentum patris stipulari, puta, vendere bona patris, debita nomine patris mutuo accipiendo contrahere.

Sic uxor non potest bona mariti, nec viceversa maritus bona uxoris contractu jure naturæ valido alienare; quia neuter habet bonorum alterius dominium.

Sic demum generaliter nullus potest de bonis, quorum non est dominus; contractu jure naturæ valido disponere.

Consect. 3. Illiciti sunt semper jure naturæ, & aliquando invalidi, omnes contractus, in quibus res non reducuntur, quantum fieri potest, ad rigidam æqualitatem: de quo ita D.Th. *Lex divina*, inquit, *nihil impunitum relinquit, quod sit virtuti contrarium; unde secundum divinam legem illicitum reputatur, si in emptione, venditione, & in aliis contractibus, non sit æqualitas justitiæ observata, & tenetur ille qui plus habet recompensare, si sit notabile damnum; quod ideo dico, quia justum pretium rerum non est punctualiter determinatum, sed magis in quadam æstimatione consistit, ita quod modica additio vel minutio non videtur tollere æqualitatem justitiæ.*

Sic emptio, venditio, mutuum, societas, &c. & demum omnis contractus, in quo non servatur æqualitas, est jure naturæ illicitus, ut dicetur agendo de quolibet contractu in particulari.

Monit. Si tanta esset inæqualitas, ut pars læsa præsumeretur non consensisse contractui, tunc inæqualitas ob defectum consensus redderet contractum, non solum illicitum, sed etiam invalidum.

§. II.

De Contractibus, qui ex parte rerum præcise validi sunt jure naturæ.

Consect. 1. Validi sunt jure naturæ illi omnes contractus, in quibus nostris conventionibus subjicimus ea, quæ sunt in commercio hominum posita Hujusmodi sunt

Primo. Res corporales, quæ tangi possunt, ut sunt 1. Res mobiles, puta, aurum, vestis. 2. Res immobiles, puta, fundus, vel pensio annua fundi. 3. Res se moventes, ut animalia.

Secundo. Res incorporales, quæ tangi non possunt, quæque in jure consistunt, ut hæreditas, obligatio, servitutes.

Hæc enim omnia & conventionibus acquiri, & in alios transferri possunt.

Consect. 2. Validi sunt jure naturæ illi contractus, quibus res in commercio hominum positas, quæque sunt in nostra potestate, legitimæ conventioni subjicimus, licet etiam simus sub potestate alterius, modo illi cui subjicimur non noceamus.

Sic servi stipulari possunt circa factum, quod præcise suam personam respiciat, si factum illud nihil domino noceat: v. g. mancipium alicujus artis peritum potest promittere se illius artis præcepta traditurum; licet enim obligationem civilem sibi imponere nequeat, potest tamen naturalem obligationem contrahere: ut habetur L. 31. ff. *De regulis juris*. *Quod attinet*, inquit regula, *ad jus civile, servi pro nullis habentur: non tamen, & jure naturali; quia quod ad jus naturale attinet, omnes homines æquales sunt*.

Sic

Sic Monachi, Monialesve, licet nequeant neque personam suam aliis tradere, neque operas suas locare, possunt tamen de actibus suis interioribus stipulari: v.g. preces divinas alicui promittere, possunt de fama sibi injuste ablata restitutionem exigere, vel eam, si per hoc non noceant Communitati, condonare; neutri enim juri per vota sua renuntiarunt.

Sic pupillus, & minor, sine consensu eorum, quibus subjiciuntur, possunt de rebus suis contrahere, modo conditionem suam meliorem faciant; *quia*, inquit jus, *meliorem suam conditionem facere ei*, idest pupillo, *etiam sine tutoris authoritate, concessum est*. L. 28. ff. *de Pactis*.

Sic filiusfamilias potest sine consensu patris de rebus suis castrensibus, aut quasi castrensibus absolute disponere; quia eorum habet dominium.

Potest & se alteri obligare, modo id non sit in præjudicium patris, vel alterius, ut habetur L. 39. ff. de obligat. & actionibus: potest ergo alteri locare suas operas, quando pater his non indiget; *quia pietatem liberi parentibus, non operas debent*. L. 10. ff. de obsequiis parentibus & patronis.

Potest alio proficisci, ut aliquam artem addiscat: potest de sua vocatione vel ad statum religiosum, vel ad statum clericalem deliberare, & voto solemni se astringere, ut docet D. Th. 2. 2. q. 88. a. 9. in corp. *Post annos autem pubertatis*, inquit, *possunt jam se voto religionis obligare vel simplici, vel solemni, absque voluntate parentum*.

Sic uxor sine consensu mariti potest de bonis paraphernalibus pro libito disponere; quia eorum habet dominium.

Sic demum quilibet homo potest valide pacta inire circa ea, quæ sub ejus sunt dominio & potestate.

Consect. 3. Liciti sunt omnes illi contractus, quibus res in commercio hominum positas, & nostræ potestati subjectas, legitimæ conventioni subjicimus, modo æqualitatem vel absolutam, vel proportionatam observemus.

Sic licite in commutationibus res unius generis cum aliis alterius generis commutamus, v.g. vinum cum oleo, frumentum cum vestibus, &c.

Sic licite in emptionibus res cujuscumque generis pretio æstimabiles cum certa pecuniæ summa comparamus;

ARTICULUS III.

De Contractibus solo jure naturæ validis, vel invalidis ex parte modi contrahendi.

PRop. unica. Ut Contractus ex parte modi contrahendi sit jure naturali validus, requiritur & sufficit quod uterque contrahentium in sua conventione nullas conditiones apponat legi naturali repugnantes.

Prob. 1. Ex jure Canonico cap. *Antigonus*, de Pactis, ubi sic habetur: *universi dixerunt, pax servetur, pacta custodiantur*. Ubi Glossa hæc addit: „Pacta enim, quæ neque dolo, neque adversus leges, neque quibus fraus alicui fiat, ut legitima observanda sunt.“ Ergo ut contractus legitimi habeantur requiritur, & sufficit quod nullas conditiones legi contrarias contineant.

2. Ex jure civili L. 7. ff. *De Pact.* §. 7. ubi sic habetur: *Ait Prætor: pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adversus leges, plebiscita, Senatus-Consulta, edicta Principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, servabo*. Ergo ad validum contractum requiritur & sufficit, ut non sit contra legem *naturalem*, si consideretur prout est obligatio naturalis, *civilem*, prout est obligatio civilis.

3. *Rat.* Contractus vim habet legis, quam sibi contrahentes reciproco consensu imponunt, juxta istam regulam civilis juris: *Legem enim contractus dedit*. L. 23. ff. Et juxta istam regulam juris Canonici: *Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur*. Reg. 85. in 6. Atqui ut lex positiva sit justa & valida requiritur & sufficit, quod nihil jubeat contra legem naturalem: alias, ut dicit Aug. lib. 1. de lib. arbit. *Lex esse non videtur, quæ justa non fuerit*: Ergo, ut contractus sit validus, requiritur & sufficit, quod nihil contineat legi naturali contrarium, sed oportet, ut contrahentes nullas apponant conditiones juri naturali repugnantes.

Consectaria hujus Doctrinæ.

§. I.

De Contractibus jure naturalis invalidis ex parte modi contrahendi.

Consect. 1. Nullæ sunt conventiones, quibus violatur jus naturale in Decalogo contentum, v. g. conventiones, quibus homines se se obligant ad pejerandum, blasphemandum, occidendum, furandum, fornicandum, &c. nullum enim potest esse vinculum

lum iniquitatis, nulla autem potest esse major iniquitas; quam ea, quæ contra legem æternam committitur: injusta est ergo, & omnino invalida infelix illa societas, qua initumcum Deo pactum infringimus: quod flebiliter his verbis luget Is. c. 34. v. 5. *Et terra*, inquit, *infecta est ab habitatoribus suis; quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, & dissipaverunt fœdus sempiternum*.

Consect. 2. Nullæ sunt pariter hæ conventiones, quibus nocetur Reipublicæ: v. g. qualia sunt pacta, quibus tempore belli ministrantur arma hostibus, victualia eis venduntur, aut alia in eorum gratiam fiunt, quæ Reipublicæ nocere possunt; contractus enim in bonum publicum instituti sunt: ergo toties sunt nulli, quoties contra publicam utilitatem vergere possunt. quod expresse docet jus Civile. C. *De Pactis*. L. 6 *Pacta*, inquit, *quæ contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris est*.

Consect. 3. Nullæ habendæ sunt pactiones illæ, quibus contra leges aliquid turpiter vel datur vel accipitur: ut sunt pactiones simoniacæ contra Religionem de emenda, vel vendenda re spirituali, vel spirituali annexa: pactiones iniquæ contra justitiam, quibus de emenda vel vendenda justitia convenit inter judicem & alterum ex litigantibus. Nullæ etiam habendæ sunt sceleratorum illorum hominum pactiones, quibus jus sibi ipsis dicentes sicarios adigunt ad occidendos eos, a quibus injuriam vel acceperunt, vel accepisse imaginantur: quibus conducunt homines, qui inimicorum domos comburant, aut eorum bona labefactent; contractus enim invalidi omnino sunt, cum non ad fovendam utilem hominum societatem ineuntur. *Omnia*, enim, *quæ contra bonos mores vel in pactum, vel in stipulationem deducuntur, nullius momenti sunt*. C. *de inutilibus stipulationibus*. L. 4. *Imo generaliter traditur, rerum inhonestarum nullam esse societatem*. L. 57. ff. *Pro socio*.

Consect. 4. Nullius vigoris sunt eæ conventiones, quibus nocetur Ecclesiæ: v. g. pacta, quibus suppetiæ feruntur infidelibus, hæreticis, schismaticis, &c. in detrimentum Religionis; etenim, ut contractus validi sint, primo in bonum privatorum, deinde in bonum Reipublicæ, tandem in bonum Religionis ordinari debent. Eo forte spectat Scriptura, dum intendens non solum privatam Judæorum utilitatem, sed insuper publicum totius Synagogæ bonum, istud frequenter Judaico populo inculcat. *Non inibis*, inquit, *cum eis*, idest gentibus, *fœdus, nec misereberis earum*. Saltem jus Canonicum eas conventiones expresse & damnat, & invalidas declarat. *Juxta legitimas*, inquit, *sanctiones, pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis, de jure vel de facto, nullam obligationem inducit*. C. *Pactionis*, de pactis.

Consect. 5. Rejiciendæ sunt, ut nullæ, omnes illæ conventiones, quibus apponitur conditio, quæ est vel contra honestatem, vel contra substantiam contractus qui initur. Sic qui apponeret hanc conditionem inhonestam sponsalibus: Volo te in uxorem, modo filios nasci nunquam permittas: invalide contraheret. Item, qui apponeret hanc conditionem contra naturam matrimonii: Volo te in uxorem ad certum tempus, & non ad totam vitam: sicut & qui donaret ea conditione, ut non fieret ejus, cui donatur. *Donari enim non potest nisi quod ejus fit, cui detur*. L. 9. ff. §. 3. *de donat*. Hujusmodi enim conditiones pugnant contra naturam contractus qui initur.

Consect. 6. Demum juxta jus Canonicum, toto titulo de Pactis, pacisci valide non possumus, quoties *periculum animæ* initur, *turpitudo vitii* incurritur, *Ecclesiæ damnum* infertur; tunc enim pactum legi naturali adversatur.

Sic nullæ sunt pactiones, quibus Beneficium pro pecunia resignatur; quia committitur simonia. Cap. *Cum pridem*, de pactis. Nullæ pariter sunt eæ pactiones, quibus providetur de succedendo post mortem Prælati in ipsius Ecclesia. Cap. *Accepimus* de pactis. Invalidæ etiam sunt eæ conventiones, quibus de rebus quibuscumque spiritualibus obtinendis cavetur; vitanda enim est omnis de rebus spiritualibus conventio. Cap. *Pactiones*, de pactis. Invalidæ autem sunt prædictæ pactiones, quippe per eas *periculum animæ* infertur.

Sic nullæ pariter sunt pactiones, quibus quis promittit se crimen aliquod commissurum, aut de crimine commisso non acturum. Can. 8. *unusquisque*. 22. qu. 4. Quia tunc *turpitudo vitii* incurritur.

Sic nullæ sunt conventiones, cum quid Ecclesiæ redditibus detrahitur, vel ei gravamen adjicitur. Cap. *Plerique* de pactis. Et Can. 42. *Si quis Laicus*. 16. q. 1. Tunc enim *damnum Ecclesiæ* infertur.

§. II.

De Contractibus jure naturæ validis ex parte modi contrahendi.

Consect. unicum. Toties valide jure naturæ contrahimus, quoties absque dolo, fraude, de re ex suo genere bona vel indifferenti, quæ sit in commercio hominum, & in nostra pote-

stat-

state, pactum inimus; quia tunc in nullo legem naturalem infringimus, quin e contra civilem societatem utiliter fovemus.

Sic valide res bonas, vel indifferentes promittimus, vel nobis promitti curamus.

SECTIO II.

Ejusdem capitis.

In qua determinatur an Contractus, qui ex vi juris naturalis sunt invalidi, possint per jus positivum civile fieri validi: & an illi Contractus, qui sunt jure naturæ validi, fiant aliquando per jus civile positivum invalidi.

ARTICULUS I.

An Contractus jure naturæ invalidi possint per jus civile positivum fieri validi.

PRop. *unica*. Contractus jure naturæ invalidi & nulli, nunquam possunt fieri validi per jus positivum civile.

Prob. 1. Authoritate juris civilis; sic enim habetur. L. 29. ff. de reg. juris: *Quod initio vitiosum est, tractu temporis convalescere non potest*: quod locum maxime habere debet in his, quæ ex vi legis naturalis sunt vitiosa: ergo contractus jure naturæ invalidi, non possunt per jus positivum civile fieri validi.

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 10. a. 10. *Jus*, inquit, *divinum, quod est ex gratia, non tollit jus humanum, quod est ex naturali ratione*: atqui, ut patet ex dictis, ratio humana suggerit, aliquos contractus esse jure naturali invalidos: ergo invaliditatem ab illis contractibus jus divinum non potest tollere; a fortiori id non poterit jus positivum civile.

3. Ratione desumpta ex D. Th. 1. 2. q. 94. a. 5. Jus naturale potest concipi, ut mutabile dupliciter: primo per additionem, secundo per subtractionem: per additionem quidem, eo sensu, quod legi naturali superaddatur alia lex, v g. Mosaica, Evangelica, vel civilis; per subtractionem vero, quod legi naturali detrahatur aliquid, puta, ut id, quod lege naturali prohibitum est, non amplius sit prohibitum, aut ut id, quod eadem lege est imperatum, non sit amplius imperatum: atqui lex naturalis potest quidem mutari per additionem; quia re vera legi naturali superadduntur leges positivæ; sed mutari nequaquam potest per detractionem; quia quod per legem naturalem declaratur intrinsece malum, non potest per aliam legem declarari bonum; nec pariter quod per legem naturalem declaratur virtuosum, per aliam legem vitiosum declarari potest: ergo lex naturalis non potest per legem positivam mutari: ergo contractus, qui ex vi juris naturalis sunt invalidi, non possunt fieri validi per jus positivum civile.

4. Ratione desumpta ex jure civili. Contractus sunt jura naturalia, quæ sibi contrahentes reciproco consensu declarant, seu, ut dicunt, *intimant*: Sed ex Justiniano, *naturalia jura, quæ apud omnes gentes peræque observantur, divina quadam providentia constituta, semper firma, atque immutabilia permanent*. L. 1. Inst. t. 2. Ergo ea jura semper manent: ergo contractus, qui jure naturali sunt invalidi, non possunt fieri validi per jus positivum civile.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Omnes illi contractus, qui jure naturæ sunt invalidi ex parte personarum, v. g. ob defectum consensus, nequaquam possunt per jus civile fieri validi: licet enim jus civile possit restringere consensum contrahentium apponendo certas conditiones, ob publicam utilitatem necessarias; non tamen potest supplere internum consensum: est enim actio libera, cujus soli contrahentes sunt domini.

Sic, si nobis constet defuisse consensum in parte nobiscum contrahente, non possumus uti contractu ab illa inito, quamtumvis jus civile contractum illum approbet: v. g. non possumus rem involuntarie donatam retinere, quamvis illa donatio fuisset publica, ut vocant, insinuatione munita.

Consect. 2. Omnes illi contractus, qui sunt invalidi jure naturæ ex parte rerum, vel quia eæ res, quas facimus materiam nostrorum contractuum, non sunt in commercio hominum, vel quia non sunt in potestate nostra, vel quia sunt in longe dispari inæqualitate; hi, inquam, contractus nunquam possunt per jus civile fieri validi. Jus enim civile potest quidem determinare res, ut sint vel non sint materia contractuum; sed ubi accessit hæc determinatio, non potest efficere, ut id quod non erat materia contractus, dum inita est conventio, fiat materia contractus post initam conventionem.

Sic, si constet nobis, simoniacam fuisse resignationem ejus Beneficii, quod nobis judices adscripserunt, Beneficium illud retinere non possumus; quia Beneficium Ecclesiasticum non potest simoniace obtineri.

Sic

Sic pariter, si nobis constet rem nobis venditam non fuisse in potestate illius, qui eam nobis vendidit, non potest a nobis retineri, quamvis jus civile eam venditionem validam declaret.

Sic pariter non possumus in emptione vel venditione non reducere rem ad justum pretium, quamvis jus civile non rescindat emptionem & venditionem, nisi quando est infra vel supra dimidium justi pretii; jus enim civile non potest efficere, id justum esse, quod ab intrinseco injustum est, ut fuse dicemus ubi de venditione.

Consect. 3. Omnes illi contractus, qui sunt invalidi jure naturæ ex parte modi contrahendi, quia scilicet modus ille contrahendi est difformis legi naturali, non possunt fieri validi per jus civile positivum; jus enim civile non potest rectum efficere quod jus naturale iniquum declarat.

Sic quamvis jus civile usuras ex vi mutui declararet licitas, non tamen liceret usuras injuste acceptas retinere.

ARTICULUS II.

An Contractus, qui sunt jure naturali validi, possint per jus civile declarari in certis circumstantiis invalidi.

PRop. unica. Contractus jure naturali validi, delati ad forum contentiosum, declarantur aliquando per jus civile positivum invalidi.

Prob. rat. Ut contractus humani sint jure civili validi, requiritur primo, quod habeant eas conditiones, quas requirit jus naturale, & insuper quod habeant aliquas solemnitates, quas exigit jus civile; quia plura requiruntur ad validitatem contractus civilis, quam ad validitatem obligationis pure naturalis: ergo quoties contractus, jure solum naturali validi, carebunt hujusmodi solemnitatibus, declarabuntur invalidi per jus civile.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Contractus improprie dictus, qualis est donatio, testamentum, quamvis validus jure naturæ, poterit tamen declarari invalidus, si careat solemnitatibus jure civili requisitis.

Sic, ut donatio sit valida jure naturæ, sufficit, quod fiat libere, & sit de re, quæ sit in nostra potestate, & in commercio hominum posita; attamen eadem donatio declarabitur nulla, invalida per jus civile, si res donata quingentos aureos excedat, & non fuerit insinuata, ut dicemus infra de donatione.

Sic, ut testamentum sit validum jure naturæ, sufficit, quod fiat libere, & de re, quæ sit in nostra potestate; attamen idem testamentum, quantumvis liberum, declarabitur nullum per jus civile, si fiat absque certo numero testium, & absque aliis solemnitatibus per jura requisitis, ut dicemus infra de testamentis.

Consect 2. Contractus proprie dictus, qualiscumque sit, validus est jure naturæ, modo interveniat verus consensus & versetur circa res, quæ conventionibus nostris subjici possint; jure vero civili non censetur validus, nisi adsint certæ conditiones jure civili requisitæ.

Sic contractus qui *re* perficiuntur, v. gr. mutuum, commodatum, depositum, pignus, quamvis ex solo consensu sint validi jure naturæ, non censebuntur tamen perfecti juxta jus civile, nisi, præter consensum, interveniat actualis rei traditio.

Sic contractus *innominati*, qui *verbis* perficiuntur, quales sunt *do* ut *des*, &c. licet jure naturæ solo consensu sint validi, tamen per jus civile declarabuntur invalidi, nisi intervenerit certa verborum solemnitas.

Sic contractus, qui solo *consensu* perficiuntur, etiam juxta jus civile, ut emptio & venditio, locatio & conductio, societas & mandatum, non censentur completi, nisi, præter consensum, interveniat publica aliqua solemnitas.

SECTIO III.

Quæ & quanta sit authoritas legis civilis circa contractus jure naturæ validos.

ARTICULUS UNICUS.

AN lex civilis, qua contractus jure naturæ validi declarantur invalidi, obliget in conscientia.

Prop. unica. Lex civilis, qua vel ob bonum publicum, vel ob privatorum utilitatem, contractus jure naturæ validi declarantur invalidi, obligat in conscientia.

Prob. 1. Script. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Prov. 8. v. 15. Ergo, si parendum sit legi civili justum decernenti, parendum est eidem legi, quando ob publicum bonum, & privatorum utilitatem declarat invalidos eos contractus, qui, si vigorem suum haberent in singulis casibus, vel bono publico, vel privatorum utilitati nocerent: tales autem sunt contractus, quos, etsi jure naturæ validos, lex civilis declarat aliquan-

quando invalidos: puta v. gr. contractus, qui fiunt ex gravi metu injuste incusso, &c.

2. Ex D. Th. 1.2.q. 100. a.2. in c. *Lex humana*, inquit, *ordinatur ad communitatem civilem, quæ est hominum ad invicem*: atqui, ut dicit D. Th. ibidem, *homines ordinantur ad invicem per exteriores actus*, quales sunt contractus, *quibus homines sibi invicem communicant; hujusmodi autem communicatio pertinet ad rationem justitiæ*, quæ maxime viget in contractibus: *& ideo lex humana non proponit præcepta, nisi de actibus justitiæ*: Atqui juxta eumdem D. Th. parendum est præceptis a lege humana impositis: Ergo parendum est his præceptis, quæ lex civilis circa contractus dirigendos statuit.

3. *Rat.* Prima ratio. Ex dictis ubi de lege, lex naturalis, utpote vaga, est observanda juxta modum, secundum quem determinatur per legem positivam, modo illa determinatio nihil mali contineat; lex enim naturalis, quasi determinatur & applicatur per legem positivam. Sic lex naturalis observabatur olim a judæis juxta determinationem legis Mosaicæ; modo observatur a Christianis juxta determinationem legis Evangelicæ; viget demum apud singulos populos, juxta rectam determinationem illius Reipublicæ, cujus sunt membra: Atqui determinatio, qua jus civile restringit stipulantes ad certos limites & modos contrahendi, est recta, cum sit propter bonum publicum, & propter privatorum utilitatem, puta, quando irritat contractus ex vi, metuve injusto initos, & alia hujusmodi: ergo ea determinatio est in foro conscientiæ observanda: Ergo ut nulli habendi sunt illi contractus, quos jus civile declarat invalidos, quamvis *semper non omnium, quæ lex jubet* circa contractus, *ratio reddi possit*.

Secunda ratio. Quando præcepta exterius opposita concurrunt, & simul observari non possunt, illi præcepto insistendum est, quod majus bonum inducit; quia lex censetur semper inclinare ad majus bonum: Atqui majus bonum est, ut ea facultas vaga, quam habent homines contrahendi pro libito, restringatur per legem juxta utilitatem publicam, quam ut liberæ nostræ determinationi relinquatur: v.g. melius est, ut homo matrimonium contrahat secundum leges sapienter institutas, quam secundum privatam suam libidinem: melius est, ut de bonis suis disponat juxta præscriptum Reipublicæ, quam juxta privatum affectum: ergo observanda est potius ea lex, qua contractus restringuntur ad certos limites, quam ea licentia, qua vago nostro arbitrio relinquerentur.

Tertia ratio. Lex quælibet inferior ligat juxta modum, secundum quem determinatur a superiori: v.g. lex œconomica ligat juxta modum civitatis, in qua est familia: lex civitatis ligat juxta præscriptum regni, in quo est civitas: Ergo lex arbitraria, quam sibi contrahentes reciproco consensu imponunt, non ligat nisi juxta determinationem legis civilis, cui ambo contrahentes subjiciuntur: Ergo contractus, licet naturali jure validi, poterunt esse invalidi, si per jus civile declarentur invalidi.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Dum examinantur contractus jure naturæ validi, attendendum est in foro conscientiæ, non solum quid lex naturalis jubeat, sed insuper inspiciendum quid lex civilis præscribat, ut utriusq; legis statuta observentur: sicuti enim in observantia sabati inquirimus, non solum quid lex naturalis inspiret, sed etiam quid lex positiva jubeat; ita in celebratione contractuum videndum non solum quod lex naturalis præcipit, sed etiam id quod lex civilis circa contractus aut vetat, aut præscribit.

Sic videndum, quinam sint contractus jure naturæ validi, quos lex civilis approbat; quinam vero sint, quos improbat; quinam sint illi contractus, quos jus civile irritat; quinam vero sint, quos irritandos declarat; rursus quinam sint illi contractus, quos lex civilis nullos absolute efficit; quinam vero sint illi, quos ex sola præsumptione ut nullos habendos judicat: quæ singula sequentibus paragraphis expendentur.

§. I.

De Contractibus jure naturæ validis, quos jus civile approbat, & in suo vigore naturali relinquit.

Prop. unica. Jus civile non irritat, sed in suo robore naturali relinquit omnes contractus minus solemnes, absque metu, dolo, & fraude initos.

Prob. Jus civile nihil circa prædictos contractus decernit: ergo relinquit illos in suo robore naturali.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Modo observata fuerit lex naturalis, ut validi habendi sunt omnes illi contractus minus solemnes, quibus jus civile nullos apposuit limites, & pro quibus nullas con-

conditiones præscripsit; tunc enim jus civile censetur approbare omnes hujusmodi conventiones juri naturali conformes.

Sic valida est, v.g. donatio rei mobilis, puta, pecuniæ, supellectilis, & facta, ut dicunt, de manu ad manum; quia jus civile non restringit nisi solemniores donationes, quæ fiunt coram notario, tabellione, &c.

Sic valida est promissio, etiam absque scripto, quæ fit infra centum libras; quia lex declarat invalidas eas solum promissiones, quæ sunt sine scripto supra centum libras.

Sic demum validi sunt omnes contractus minus solemnes, qui fieri solent sine scripto, sine notario, sine testibus, modo nihil habeant contrarium legi naturæ; quia hujusmodi contractibus lex civilis nullas conditiones apponit, eosque ita relinquit in contrahentium arbitrio, ut si in summa minima interveniret læsio, non exciperet querelam illius, qui peteret in integrum restitui. L. 3. ff. *de in integrum restitutionibus*.

Consect. 2. In resolvendis casibus, qui eos contractus respiciunt, quos ineunt homines absque ulla juris solemnitate in mercatibus, in nundinis, quos pariter vulgo ineunt rustici locando suas operas, quos ineunt etiam mercatores in emendis, vendendisque mercibus, & demum quos singuli inimus sine notariorum Tabellionumve adjutorio: non debemus ad juris civilis præscripta recurrere, sed solum observare, an intervenerint conditiones jure naturali requisitæ, & debemus de illis contractibus præcise secundum jus naturale judicare.

§. II.

De contractibus ob vim & metum, secundum quid involuntariis, qui jure civili reprobantur.

Prop. unica. Contractus initi ex metu, non levi vel reverentiali, sed gravi & injuste incusso, quamvis jure naturali sint validi, sunt tamen jure civili vel irriti, vel irritandi.

Prob. 1. ex jure civili. *Ait Prætor, quod metus causa gestum est, ratum non habebo.* leg. 1. ff. *quod metus causa*; & rursus: *si liberum esset, noluissem; tamen coactus volui; sed per Prætorem restituendus sum*. L. 21. ff. *quod metus causa* §. 5. Ergo quod fit ex metu gravi & injuste incusso, reddit contractum vel irritum, vel irritandum.

2. *Rat.* Leges debent malorum malitiam punire, & pusillorum timiditatem juvare, ut dicit jus civile: & hoc quidem juste, *ne vel illis malitia sua sit lucrosa, vel istis simplicitas sit damnosa*. ff. l. 1. *de dolo malo*: Ergo optime legibus cautum est, ut contractus ex metu gravi & injuste incusso initi, vel de facto irritentur, vel irritandi declarentur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Contractus ex metu levi, etiam injuste incusso, non redditur vel irritus, vel irritandus; quia jus civile judicat hujusmodi metum nihil nocere libertati: de quo ita habetur L. 5. & 6. ff. *quod metus causa*. *Metum decipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, sed majoris malignitatis. Metum autem non vani hominis, sed qui merito & in hominem constantissimum cadat, ad hoc edictum pertinere dicimus*.

Consect. 2. Contractus ex metu reverentiali, etiam injuste incusso, non redditur vel irritus, vel irritandus; quia metus ille, nisi adsit violentia, non præsumitur nocere libertati: de quo ita jus civile ad metum arguendum ... *Senatoria dignitas adversarii tui sola non est idonea*. L. 6. C. *de his quæ vi metusve causa*. Quod enim publice fit, non videtur timore extortum; *cum*, inquit lex, *potuerit jus publicum invocare, & adire aliquem potestate præditum, qui utique vim eum pati prohibuisset*. L. 23. ff. *quod metus causa*.

Consect. 3. Contractus, qui ex metu vel levi, vel reverentiali, vel etiam gravi, sed juste incusso initur, non redditur vel irritus vel irritandus; quia tunc nulla injuria fit parti, cui metus incutitur, ut habetur L. 3. ff. *quod metus causa* §. 1. ... *Vim*, inquit, *accipimus atrocem, & eam, quæ adversus bonos mores fiat; non eam, quam magistratus recte intulit, scilicet jure licito; & jure honoris quem sustinet*.

Sic validus est contractus, etiam jure civili, qui initur ex metu incusso a judice minitante mortem defloratori, nisi virginem defloratam a se in uxorem ducat.

Consect. 4. Solus metus gravis, & injuste incussus, efficit contractum aliquando irritum, aliquando irritandum, ut habetur ff. toto titulo, *quod metus causa*.

Monit. Quinam contractus, ex metu injuste incusso initi, sint irriti ipso facto, quinam vero irritandi, colligere poteris ex versibus sequentibus.

Tutor, judicium, dos, sacrum, copula, votum.
Hæc ex vi facta, de jure scias fore nulla.
Cætera jus patitur, sed postea restituentur.

Ex-

Explicantur prædicta carmina.

Hæc vox, *tutor*, significat, quod authoritas tutoris per metum extorta reddat contractum ipso jure nullum, ut habetur L. 1. ff. de authoritate tutorum. *Tutor*, inquit, *si invitus retentus sit per vim, non valet quod agitur.*

Hæc vox, *judicium*, significat, quod jurisdictio ex metu prorogata reddit nullum id, quod ex tali jurisdictione fit, ut habetur *de judiciis*, ff. L. 2. *Si cum restitisset*, inquit, *quivis ex litigatoribus, viribus Præturæ compulsus est, nulla jurisdictio est.*

Hæc vox, *dos*, significat, quod contractus dotis vi promissæ vel solutæ est nullus: ita habetur L. 21. *quod metus causa. Si dos*, inquit, *metu promissa sit, non puto nasci obligationem; quia est verissimum, nec talem promissionem dotis ullam esse.*

Hæc vox, *sacrum*, significat, quod traditio rei Ecclesiasticæ, vi metuve extorta, nulla sit; & juramentum de rebus Ecclesiæ non repetendis nullum est. Cap. *pervenit*, de jure jurando, ubi asseritur, *ipsum Episcopum nullius juramenti vinculo super hoc posse constringi.*

Hæc vox, *copula*, significat, quod contractus matrimonii, imo & sponsaliorum, juxta multos, si vi & metu fiant, ipso jure sunt nulli, ut patet ex cap. *requisivit*, de sponsalib. ubi sic habetur *Cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius mulier, quam cogenda, cum coactiones, difficiles soleant exitus frequenter habere.*

Hæc vox, *votum*, significat, quod professio in Religione approbata, si vi metuve injuste incusso fiat, est ipso jure nulla, ut habetur cap. *Perlatum*, de his quæ vi metusve causa fiunt, ubi decernitur: *Quod si quis timore mortis, postea ratum non habens, Religionem profiteatur, exire, & matrimonium contrahere potest.* Ita in argumento capitis.

Hæc voces, *cætera jus patitur*, *&c.* denotant, quod alii contractus ex vi metuve initi non sint de facto irriti, sed solum irritandi. Quod ut pateat, sit

§. III.

De Contractibus ex præsumptione doli vel metus initis, qui per jus civile declarantur nulli.

Prop. unica. Quoties contrahentes vel dolo, metuve decepti sunt, aut præsumuntur decepti, toties per jus civile rescinduntur contractus; & pars contrahens, quæ aut decepta est, aut decepta præsumitur, per sententiam judicis restituitur in integrum, id est in priorem statum.

Prob. 1. ex jure civil. L. 1. ff. *de in integrum restitutionibus*, ubi sic habetur: *Utilitas hujus tituli non eget commendatione, ipse enim se ostendit. Nam sub hoc titulo, plurifariam Prætor hominibus vel lapsis, vel circumscriptis subvenit, sive metu, sive calliditate, sive ætate, sive absentia inciderunt in captionem*: Ergo jus civile in integrum restituit eos, qui decepti sunt, vel qui præsumuntur decepti, relinquendo conscientiæ cujuslibet examinandum, an revera deceptus sit, nec ne.

2. *Rat.* Æquitas naturalis postulat, ut, quantum fieri potest, deceptiones a quocumque contractu removeantur, quo si aut casu, aut malitia acciderint, reparentur: Atqui illud fit per restitutionem in integrum: Ergo optimo jure lex civilis statuit restitutiones in integrum.

Consectaria bujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quando revera in contractibus intervenit aut vis, aut metus, aut deceptio, pars decipiens debet in conscientia prævenire sententiam judicis, partemque deceptam in integrum restituere, & damnum illatum reparare; quia, ut dicit D. Th. dare occasionem damni, semper est peccatum: deinde nemini sua fraus debet patrocinari: demum ratio & æquitas naturalis postulat, ut ipsimet his, quos decepimus, succurramus. Sic latro, qui metu mortis extorsit pecuniam, non potest eam retinere, sed ante sententiam judicis debet eam reddere. Sic qui dolo, aut fraude, aut metu alium impulit ad contractum, quo vel resignatum est Beneficium Ecclesiasticum, vel venditus est fundus, vel donatum est aliquid, &c. debet ipse sibi jus dicere, & præveniendo sententiam judicis partem contrahentem, quæ aut decepta est, aut coacta, in integrum restituere.

Consect. 2. Quando revera in contractibus non intercessit vis, metus, aut deceptio, sed solum præsumptio deceptionis, aut coactionis, tunc pars, quæ decepta aut coacta præsumitur, uti non potest in foro conscientiæ Beneficio restitutionis in integrum; quia lex civilis non dat hujusmodi Beneficium, nisi supposita deceptione: ut habetur L. 3. ff. *de in integrum restitutionibus. Omnes*, inquit, *in integrum restitutiones, causa cognita a Prætore, promittuntur, scilicet, ut justitiam earum causarum examinet, an vere sint quarum nomine singulis subvenit.* Deinde contractus ille est validus jure naturæ, & haberetur ut validus jure ci-

civili, si cognosceretur talis; qualis est: ergo in foro conscientiæ est observandus. Demum numquam licet mentiri, præcipue in instrumentis publicis: ergo non licet, coram judice, persequi deceptionem, aut coactionem, cum revera nulla intercessit deceptio aut coactio.

Sic pupilli, qui sunt sub potestate tutoris, minores, qui sunt sub potestate curatoris, uxores, quæ sunt sub potestate mariti; si sine dolo, fraude, aut coactione contraxerint, non possunt, in foro conscientiæ, partes, cum quibus contraxerunt, coram judice compellere; si vero id contra æquitatem naturalem faciant, ad compensationem damni illati tenebuntur.

Quomodo vero partes inique compulsæ se gerere debeant, sequentibus Consectariis videbitur.

Consect. 3. Quando conventiones sunt jure naturali validæ, & ex sola præsumptione doli, vel fraudis, vel coactionis, declarari solent invalidæ; eadem pacta in foro conscientiæ vigent, donec accesserit sententia judicis irritantis ea pacta, & ea nulla declarantis, & partem, quæ præsumitur decepta, in integrum restituentis. 1. Quia jus naturale suum semper retinet vigorem, donec aliter per jus positivum explicetur. 2. Quia lex positiva infligens pœnam non ligat, nisi post juridicam sententiam, secundum formam juris prolatam & intimatam.

Sic possum retinere in conscientia, quod mihi sponte & consensu plene libero, datum est mihi a pupillo proximo pubertati, a minore, a muliere conjugata, donec judex eam donationem irritam declaraverit.

Sic possum retinere in conscientia quod a pupillo, minore, muliere conjugata plene consentientibus, consecutus sum contractu utrimque oneroso, v.g. emptione, commutatione, ludo non prohibito, &c.

Consect. 4. Quando pacta, v.g. promissiones, contractus, valida sunt jure naturæ, sed ex falsa præsumptione doli, fraudis, aut coactionis per sententiam juridice prolatam & intimatam, declarata sunt nulla; tunc, ad vitandum scandalum, rescindenda sunt illa pacta, dissolvendæ conventiones, & rescindendi contractus; quia tunc maxime observare oportet illud D. Pauli: *ut quid non magis injuriam patimini?* Pars, quæ mentita est dolum, vel fraudem, vel coactionem, tenebitur in foro conscientiæ damnum omne reparare, quod suo mendacio causavit: & pars, quæ inique compulsa est coram judice, poterit in foro interno exigere damnum omne, quod patitur, & in foro externo postulare id, in quo pars altera contrahens ditior facta est, ut supra diximus.

§. IV.

De Contractibus omnino voluntariis, qui declarantur nulli per jus civile.

Prop. unica. Contractus, qui apud homines solent fieri cum solemniori apparatu, quamvis sint jure naturæ validi; tamen jure civili declarantur invalidi, si careant solemnitatibus per legem civilem requisitis.

Prob. 1. Ex jure civili. L. 29. ff. *De Pactis*, ubi sic habetur: *Contra juris civilis regulas pacta conventa rata non habentur*.

2. *Rat*. Ab legem civilem pertinet corrigere non solum contractus secundum quid involuntarios, qui dolo, vel metu extorquentur; sed etiam contractus plene voluntarios, qui consensu quidem plene libero, sed non satis prudenti, ineuntur: debet enim lex omnibus, quantum fieri potest, providere: Atqui omnibus providetur, declarando invalidos aliquos solemniores contractus, qui Reipublicæ nocerent, si in singulis casibus observarentur pro libito contrahentium, ut patet ex matrimoniis clandestine initis, ex testamentis sine testibus factis: Ergo optimo jure lex civilis declarat contractus solemniores, etiamsi plene voluntarios, omnino invalidos.

Hoc autem facit jus civile duplici via. Primo quidem, declarando personas aliquas inhabiles ad contrahendum. Secundo, exigendo aliquas solemnitates, quibus cessantibus, contractus, quantumvis liberi sint, nulli & invalidi habeantur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Nulli sunt contractus illi, qui ineuntur a personis, quæ per jus civile declaratæ sunt inhabiles ad contrahendum; nullus enim est major defectus quam inhabilitas: de hoc ita loquitur Jus Civile L. 5. C. *De legibus*. *Nullum enim*, inquit, *pactum, nullam conventionem, nullum contractum, inter eos videri volumus subsecutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente*.

Sic validi sunt contractus nuptiarum initi ab his, qui secundum jura sunt habiles ad contrahendum, v.g. ab his, qui sunt sui juris; invalidi vero, si ineantur ab his, qui sunt incapaces contrahendi, v.g. ab his, qui sunt juris alieni; quique sine consensu eorum, quibus subsunt, attentant nuptias contrahere: de quo ita Justinianus Lib. 1. Inst. tit. 10.

tit. 10. *de Nuptiis*. *Justas autem*, inquit, *nuptias inter se cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta legum coeunt: masculi quidem puberes, fœminæ autem viri potentes, sive patres familiarum sint, sive filii familiarum, dum tamen filii familiarum sint, consensum habeant parentum, quorum in potestate sunt; nam hoc fieri debere & civilis & naturalis ratio suadet, in tantum ut jussus parentis præcedere debeat*.

Sic nullæ sunt donationes, nulla testamenta eorum, qui declarati sunt inhabiles tum ad donandum, tum ad testandum. *Non enim*, inquit Justinianus Lib. 2. Inst. tit. 12. *omnibus licet facere testamentum .... Ii enim, qui alieno juri subjecti sunt, testamenti faciendi jus non habent* .... De hoc fusius infra, ubi de donatione & testamentis.

Sic jure Canonico nulla sunt vota solemnia ante decimum sextum annum, & expletum integre annum novitiatus elicita; quia ante illud tempus homo declaratur inhabilis ad professionem Religiosam. Tridentin. session. 25. capit. 15. *de regularibus*.

Consect. 2. Contractus solemniores initi a personis, etiam habilibus ad contrahendum, sunt nulli si careant solemnitatibus jure civili requisitis; quia jus civile potest illas conditiones contractibus apponere: quilibet enim, utpote pars Reipublicæ, debet subjici legibus Reipublicæ: de quo ita jus civile L. 5. C. *De legibus & constitutionibus*. *Quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed & pro infectis etiam habentur*. . . . *Sed & si quod fuerit subsecutum ex eo, vel ob id, quod interdicente lege factum est, illud quoque cassum, atque inutile esse præcipimus*.

Sic testamentum non subscriptum pro infecto habetur. L. 21. C. *de testamentis*: de quo plura ubi de testamentis.

Sic contractus coram Notario ineundi nulli sunt, si non sint subscripti a Notario, a testibus, & a contrahentibus, si sciant scribere: de quo ita jus civile L. 17. C. *De fide instrumentorum, &c. Contractus*, inquit, *venditionum & permutationum, vel donationum, &c. .... quas tamen in scriptis fieri placuit ... Non aliter vires habere sancimus, nisi instrumenta in mundum recepta, subscriptionibusque partium confirmata, etsi per Tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa, & postremo a partibus absoluta sint*.

Sic promissio, ultra centum libras, scripto non obfirmata, nullius est vigoris, ut patet ex edicto Molinensi art. 54.

Monit. Sunt insignes Theologi, qui docent, quod leges civiles, quæ irritant eos contractus, qui sunt plene voluntarii, non obligent in foro interno, sed solum in foro externo: & proinde, quod per illos contractus *naturaliter* validos, & *civiliter* solum invalidos, vere coram Deo transferatur & acquiratur rerum dominium: atque ideo, quod hæreditas obtenta per testamentum *naturaliter* validum, & *civiliter* nullum, possit tuto in conscientia retineri, & quod res data per donationem naturali jure validam, sed jure civili irritam, possit pariter absque scrupulo retineri; quia, inquiunt, quilibet ita est dominus rerum suarum, ut de eis valeat pro libito disponere. Hæc sententia ex dictis modo, & ex dictis ubi de rerum dominio, videtur parum probabilis; ut tamen sequamur, non solum id quod est magis probabile, sed etiam quod est magis tutum, hac cautione possemus uti.

Quoties lex civilis irritans contractum, jure naturali validum, nobis lucrum affert & damnum alteri infert, aut nobis infert damnum & alteri lucrum, toties possemus cum eo, cum quo potest esse contentio, ex æquo & bono judicio prudentis & eruditi Theologi componere, ut sic uterq; tutus esset in conscientia: v.g. defertur mihi hæreditas ab intestato, quam testator vere & sincere volebat dare Titio, & de facto dedit, sed per testamentum nullum jure civili. Titio defertur hæreditas jure naturali, mihi defertur jure civili; ut uterque nostrum tutus sit in conscientia, eligatur Theologus, qui rem serio examinet, & utrique partem hæreditatis, juxta jus cuilibet conveniens, dividat. Quod dixi de testamento, de aliis contractibus dictum puta.

CAPUT III.

Quam obligationem in foro conscientiæ contractus inducant.

VIdimus hactenus quæ requirantur & sufficiant, ut contractus sint in utroque jure, scilicet naturali & civili, validi: videndum modo quam obligationem inducant.

ARTICULUS I.

De obligatione inducta per Contractus.

PRop. unica. Contractus ultro citroque acceptatus, & ex integro completus, vim habet legis, quam sibimet ipsis imponunt contrahentes, eosque obligat in conscientia.

Prob. 1. Scriptura. Divus Paulus scribens ad

ad Colossenses, & loquens de mutua conventione, quæ intervenit inter servos & dominos, & proinde de quocumque alio contractu, sic habet: *Qui enim injuriam facit*, non stando scilicet justis conventionibus, *recipiet id quod inique gessit: & non est personarum acceptio apud Deum*. Ad Colos. 3. v. 25. Ergo cum illi, qui non stant conventionibus, inique agant, & puniendi sint; consequens est, quod contractus obligent in conscientia.

2. Ex Jure Canonico. Can. *Juramenti*, ubi sic habetur: *Dominus inter juramentum & loquelam nostram*, qua scilicet contrahendo nos obligamus, *nullam vult esse distantiam*; *quia sicut in juramento nullam convenit esse perfidiam; ita quoque in verbis nostris* promissoriis *nullum debet esse mendacium*; *quia utrumque & perjurium, & mendacium divini judicii pœna damnatur*. Quem locum Glossa in caput *Antigonus* citans, sic concludit: *Igitur nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem; quia mortaliter peccat recedendo a pacto*. Ergo contractus obligant in conscientia.

3. Ex jure civili. L. 23. ff. *De regulis juris*. *Hoc servabitur*, inquit, *quod initio convenit: legem enim contractus dedit*: Ergo contractus obligat in conscientia.

4. *Rat*. Contractus est ultro citroque obligatio, tam secundum jus naturale, quam secundum jus positivum civile, & Canonicum: Ergo obligat in conscientia; quia triplex illud jus obligat in conscientia.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Contractus ita ligant contrahentes in conscientia, ut nullatenus possint, nisi ex reciproco consensu, a conventionibus suis resilire. *Sanximus*, inquit jus, *nemini licere adversus sua pacta venire*. L. 29. C. *De Pactis*.

Consect. 2. Qui pacta non servat, primo obligatur ad culpam, secundo ad pœnam, scilicet ad reparationem damni; sicuti qui violat legem, & culpam committit, & pœnam incurrit: de quo ita jus civile: *Quoniam contractus fidem fregit, quanti tua interest præstare cogetur*. L. 6. C. de hæreditate vel actione vendita.

Sic qui contra pactum rem non reddidit vel eo loco, vel eo tempore, quibus daturus erat, debet solvere juxta pretium, quo valuisset res tali loco, vel tali tempore. Sic mers aliqua, quæ certo die dari debuit, tanti æstimanda est, quanti fuisset æstimata eo die quo dari debuit, & eo in loco quo dari debuit. Sic si venditor completo contractu nolit rem venditam tradere, si pereat apud ipsum, peribit non emptori, sed debitori, & in pœnam fidei violatæ venditoris periculum erit. *Cum venditor*, inquit jus civile, *moram adhibuerit*.... æquum est moram venditori nocere. L. 17. *De periculo & commodo rei venditæ*.

Consect. 3. Contrahentes possunt sibi quaslibet conditiones, modo non sint legibus contrariæ, apponere; quia sicuti lex arbitraria ligat juxta arbitrium Legislatoris, modo non repugnet bono communi; ita & conventiones ligant juxta arbitrium contrahentium. *Contractus legem ex conventione accipiunt*. Ut dicitur L. 1. ff. 6. *Depositi, vel contra*.

Sic contrahentes possunt vel absolute, vel conditionate, vel pœnaliter se obligare; quia ad quod libuerit, sunt liberi. Contrahunt absolute, cum nullam apponunt conditionem, v. g. vendo tibi fundum meum. Contrahunt conditionate, cum aliquam apponunt conditionem: v. g. vendo tibi fundum meum, si avunculus consentiat. Contrahunt pœnaliter, cum sibi mutuo infligunt mulctam aliquam, si pactis non steterint: v. g. vendo tibi fundum meum, & si pactis non stetero, solvam centum libras. Contractus absoluti obligant absolute, conditionati juxta modum conditionis, pœnales juxta pœnam præscriptam, sicuti diximus de legibus.

Consect. 4. Contractus ligant contrahentes juxta rationalem intentionem contrahentium, sicuti lex ligat juxta intentionem rationalem Legislatoris, juxta illud juris: *In conventionibus contrahentium voluntatem potius, quam verba spectari placuit*. L. 229. ff. *de verborum significatione*.

Sic pacta injusta, vel quia personæ contrahentes sint inhabiles, vel quia non sunt liberæ, vel quia ad aliquid iniquum & impossibile se obligarunt, non sunt observanda; intentio enim obligandi in illis circumstantiis non est rationalis.

Sic contrahentes, quantumvis liberi, non possunt apponere contractibus conditiones inhonestas, impossibiles, vel contractui ineundo substantialiter contrarias; quia talis intentio esset irrationalis; juxta illud juris: *Non solum stipulationes impossibili conditione applicatæ nullius momenti sunt; sed etiam cæteri quoque contractus*. L. 31. ff. *de obligationibus & actionibus*.

Sic contrahentes possunt mutare contractuum conditiones, quæ per leges appositæ sunt, modo lex contrarium non prohibeat, & modo illæ conditiones sint in favorem contrahentium; ad hoc enim sunt liberi: *Omnes enim licentiam habent his, quæ pro se introducta sunt, renunciare*. L. 29. C. *De Pactis*.

Sic

Sic lex emptionis & venditionis est, quod venditor teneatur ad evictionem rei venditæ, id est, tenetur emptorem liberare ab omni lite, quæ circa rei venditæ possessionem moveri posset: tamen emptor potest illum eximere a tali onere vendendo viliori pretio.

Sic lex mutui est, ut mutuatarius monitus teneatur ad reparandum lucrum cessans, & damnum emergens: mutuator poterit mutuatarium a tali conditione eximere, & damnum, quod patitur ex mutuo, mutuatario condonare.

Dixi, modo conditiones sint in favorem contrahentium, & legi non contrariæ; si enim legi adversentur, tunc injusta est conventio.

Consect. 5. Cum in contractibus intentio contrahentium non est aperta, interrogandi sunt contrahentes; si fieri non possit, inspiciendus est mos regionis in similibus contractibus, & juxta confessionem contrahentium & morem regionis, de obligatione contractus est judicandum: sicuti, dum latet intentio legis, eam vel ex responso Legislatoris, vel ex legitima consuetudine educimus; etenim, ut dicit lex, *quod factum est, cum in obscuro sit, ex affectione cujusque capit interpretationem*. L. 168. ff. de regulis juris. *Si non appareat quod actum est, erit consequens, ut id sequamur, quod in regione, in qua actum est, frequentatur*. L. 3. ff. de regulis juris.

Consect. 6. Si verba contractus sint manifeste contraria intentioni contrahentium, eorum intentio, spretis verbis, servanda est, sicut non verba legis, sed intentionem Legislatoris servamus; quia, ut dictum est, *in conventionibus contrahentium voluntatem potius quam verba spectari placuit*. L. 219. ff. *de verborum significatione*.

Consect. 7. Si verba contractus exprimant aliquam rem mobilem, vel immobilem tradendam esse, & non expresse determinent gradum perfectionis rei quæ tradenda est, non rem supremam, non infimam, sed mediam illius generis dari oportet; quia sicuti intentio legislatoris id quod communiter geritur inspicit; ita & intentio contrahentium, juxta illud: *In obscuris inspici solet quod verosimilius est, aut quod plerumque fieri solet*. L. 114. ff. *de regulis juris*.

Sic septem jugera agri promisisti Titio in tali loco, non sufficit dare fundum deteriorem, nec teneris dare opimiorem, satisfacis dando fundum medii pretii.

Sic vinum, oleum, frumentum promisisti, nec melius dari oportet, nec deterius dari sufficit, sed medium & vulgare dare convenit.

Sic artificem promisisti, non hominem consummatæ scientiæ teneris dare, nec indoctum, sed sufficit a te offerri vulgaris eruditionis.

Sic emis pannum communi pretio, nec a te supremum pretium exigi potest, nec a te dari infimum, sed medium conventionibus & datur & recipitur.

Sic mutuo das frumentum, vinum, &c. non licebit debitori tuo deteriorem rem, quæ ex eodem genere sit, reddere tibi, veluti vinum novum pro vetere, nec tibi licet rem longe meliorem exigere, sed simili re contentus sis oportet.

Consect. 8. Si verba contrahentium, secluso omni dolo, sint ambigua, juxta circumstantias loci, temporis & personarum, decet ea interpetrari; quia sicut intentionem legis ex variis circumstantiis interpretamur, ita & intentionem contrahentium. *In ambiguis orationibus, maxime sententia expectanda est ejus, qui eas protulisset*. L. 96. ff. *de regulis juris*.

Sic conventio certi negotii non se extendit ad negotia alterius generis: v. g. societas inter duos mercatores circa vinum, non extendenda est ad lucrum, quod alter mercatorum faciet circa frumentum.

Sic ultima variarum expensarum computatio ad negotia ejus generis, de quibus agitur, & non ad alia negotia alterius generis extenditur.

Consect. 9. Si verba contractus ex mala fide alterius contrahentium sint ambigua, rigide, contra dolose agentem, sunt interpretanda; quia nemini sua fraus debet patrocinari.

Sic in contractu venditionis & locationis, si ambigua oratione rei venalis vitia abscondantur, v. g. servitutes fundi, morbi pecoris, fraus debet nocere venditori; juxta illud juris: *Veteribus placuit pactionem obscuram, vel ambiguam venditori & ei qui locavit nocere, in quorum fuit potestate legem apertius conscribere*. L. 39. ff. *de pactis*.

Consect. 6. Si in contractibus solutionis, debiti, & traditionis rei exprimatur locus & tempus, standum erit pactis; si non exprimatur, standum erit consuetudini: quia sicuti legem expressam sequimur, dubiam per consuetudinem interpretamur; ita pacta expressa sequimur, dubia per consuetudinem regionis interpretamur.

Sic debita solvenda sunt die & loco condicto: depositum, legatum die & loco condicto restituenda sunt; ita tamen ut dilatio currat usque ad ultimum tempus, v. g. usque ad ultimam diem mensis designati.

Si nec locus, nec tempus exprimantur, debitum statim reddendum est eo in loco ubi initus est contractus; juxta illud: *In omnibus*

obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsenti debetur. L.14. ff. de regulis juris.

ARTICULUS II.

De extensione obligationis inductæ per Contractum.

PRop. unica. Contrahentes nedum obligant se ad id quod expresse est conventum, sed etiam ad id quod necessario connexum est cum conventione.

Prob. Sicut in lege, quando duo necessario connectuntur, si lex præcipiat unum, præcipit & aliud; alias minus recta esset intentio legislatoris: ita in conventionibus, quando duo necessario connectuntur, qui se obligat ad unum, se obligat pariter ad aliud, nisi expresse contrarium exprimatur; quia alias intentio contrahentium esset irrationalis. Sic qui init contractus emptionis, venditionis, mutui, &c. tenetur subire ea omnia quæ necessario tales contractus comitantur. *Si nihil convenit, tunc ea præstabuntur*, inquit lex, *quæ naturaliter insunt hujus judicii potestate*. L.11. ff. §. 1. *de actionibus empti & venditi*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quando leges præscribunt aliquas conditiones in certis contractibus apponi, qui contrahunt debent illis conditionibus acquiescere, nisi tales conditiones essent in favorem contrahentium, & lex permitteret ut contrahentes iisdem conditionibus derogare possent; quia hæ conditiones sunt accessoriæ contractibus vigore legis connexæ; juxta illud: *Ea quæ sunt moris & consuetudinis, in bonæ fidei judiciis debent venire*. L. 31. ff. *de ædilitio edicto*. §. 20. Et sicut accessoria legum observamus, ita & contractuum.

Sic qui init matrimonium, debet inire juxta leges, v. g. non ad tempus, sed ad mortem usque alterius partis: item tenetur impedimenta & dirimentia, & impedientia devitare; nam si contrahat cum aliquo impedimento dirimente, invalide contrahit; si vero contrahat cum aliquo impedimento mere impediente, illicite contrahit, ut dicemus ubi de matrimonio.

Consect. 2. Quando contractus est mutuus, si una pars obligetur, altera pariter obligabitur; quia sicuti leges æqualiter obligant sibi subditos, ita contractus mutuus vim habens legis, est ultro citroque obligatorius.

Sic in venditione, si venditor tradat rem venditam, emptor debet dare pretium rei venditæ.

Sic in permutatione, si unus det rem mutandam, aliter pariter debet rem æqualis pretii dare.

Sic in locatione & conductione, locator debet dare rem locandam, conducens vero debet dare pretium juxta usum rei, quam conducit.

ARTICULUS III.

De rescissione Contractuum.

PRop. unica. Toties rescindi potest contractus, etiamsi validus, quoties, si diutius perseveraret, non servaretur rationalis intentio contrahentium.

Prob. rat. Contractus eo fine initur, immo cum aliqua solemnitate publicus redditur, ut firmius observetur rationalis intentio contrahentium: ergo tunc potest rescindi, cum contractus magis officeret quam proficeret intentioni contrahentium: & sicut tunc cessat lex, quando officit intentioni legislatoris; ita tunc cessare debet contractus, cum officit intentioni contrahentium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Contractus rescindi potest contraria conventione: sicut enim lex contraria lege irritatur, ita & contractus. *Nudi consensus obligatio dissolvitur contrario consensu*. L. 35. *de regulis juris*; quippe *pacta novissima servari oportere, tam juris, quam ipsius rei æquitas postulat*. L. 12. C. *de pactis*.

Cons. 2. Contractus rescinditur interventu circumstantiæ resolventis contractum ex conventione partium; quia talem sibi legem contrahentes statuerunt. Sic si aliquid statuerint contrahentes sub certa conditione, posita conditione observandum erit, minime vero non posita conditione, juxta illud: *Si quid venierit, ut nisi placuerit, intra præfinitum tempus redhibeatur, ea conventio rata habetur*. L. 31 §. 22. ff. *de ædilitio edicto*.

Sic, si vendideris fundum, sub pacto quod poteris redimere illum, penes te est illum fundum, dato pacto, exigere ab emptore; juxta illud: *Si fundum parentes tui ea lege vendiderunt, ut sive ipsi, sive hæredes eorum emptori pretium quandocumque, vel intra certa tempora obtulissent, restitueretur, teque parato satisfacere conditioni dictæ, hæres emptoris non paret, ut contractus fides servetur actio præscriptis verbis, vel exvenditio tibi dabitur*. L. 2. C. *de pactis inter emptorem & venditorem, compositis*.

Consect. 3. Contractus rescinditur interpositione circumstantiæ impedientis contractum: v. g. si alter contrahentium probet vel igno-

ignorantiam, vel dolum, vel vim, vel metum intervenisse dum contrahebatur; quia hæ circumstantiæ impediunt contractum, ut dictum est.

Consect. 4. Contractus rescinditur ex interpositione nocumenti, etiam citra dolum contrahentium; quia tunc intentio rationalis contrahentium non servaretur. *Si nullus dolus intercessit stipulantis, sed ipsa res in se dolum habet*, tunc rescindi contractum convenit. L.36. ff. *de verborum obligationibus*.

Sic cum hæreditas inter æquales hæredes inæqualiter bona fide dividitur, dum patet nocumentum, potest rescindi: *sine judicio factis divisionibus solet subveniri*. L. 3. C. *communia utriusque judicii*.

Cum res venalis vitiosa bona fide venditur ut non vitiosa, dum patet vitium, debet venditio rescindi.

Sic qui emit bona fide rem furtivam, & durante bona fide eamdem rem vendit alteri, ut advertit rem a se venditam esse furtivam, debet rescindere venditionem, pretium acceptum reddere emptori, & rem ipsam furto ablatam reddere vero domino, & a fure si compareat exigere pretium; si vero non compareat, pretium peribit primo emptori. Ita Sylvius. Debet rescindere venditionem; quia vendidit rem alienam non suam: docet autem jus Canonicum, quod *id, quod nostrum est, sine pacto nostro ad alium transferri non potest*. Leg. 11. *de regulis juris*. in 6. Debet pretium acceptum reddere emptori; quia non habet titulum quo illud retineat. Debet rem domino reddere, quia res domino clamat. Potest tamen a fure datum pretium exigere; quia fur non habet titulum, quod retineat.

Consect. 5. Rescinditur contractus eventu casus improvisi impedientis intentionem contrahentium; quia tunc observatur eorum intentio.

Sic contractus locationis domus rescindi debet, *si vicino ædificante obscurentur lumina cœnaculi; si ostia fenestrasve nimium corruptas locator non restituat*. L.25. ff. *locati & conducti*. §.2.

Sic contractus venditionis rescinditur, si aliquis ex stirpe venditoris fundum eodem pretio emere voluerit ac emptor extraneus: ita edicta Regis Galliæ, ubi hæc consuetudo viget. De jure retroactus dicetur ubi de venditione & emptione.

Consect. 6. Rescinditur contractus ex conventionum violatione facta per alterum contrahentium; quia alias intentio rationalis contrahentium non observaretur.

Sic venditio rescinditur, *si res vendita non tradatur, in id, quod interest, agitur*. L. 1. ff. *de actionibus emptionis & venditionis*, id est, damnum illatum compensatur.

Monit. circa formam in rescindendis contractibus servandam. Contractus possunt rescindi authoritate privata, si omnes contrahentes consentiant; quia sicuti sibi propria sponte hanc legem statuerunt, ita & possunt ab hac lege se eximere, & sibi hanc obligationem condonare.

Si alter contrahentium non acquiescat rescissioni, pars læsa judicem debet interpellare, & rescissionem contractus postulare, sed non authoritate propria contractum rescindere: ita jubet jus. *Illud omne*, inquit, *ad judicis cognitionem remittendum est*. L.135. ff. §. 2. *de verborum obligationibus*.

CAPUT IV.

De obligatione per promissionem inducta.

PRomissio permiscetur in omnibus contractibus; ideo quæ sit ejus vis, quæ natura, hic explicabimus, antequam agamus de contractibus in particulari.

ARTICULUS I.

Quam obligationem inducat promissio.

NOta. Promissio generatim est spontanea & deliberata fidei obligatio facta alteri de re quapiam bona, licita, & possibili. Qui promittit, vocatur promissor: hic, cui promittitur, vocatur promissarius.

Promissio alia est interna solum, alia externa solum: alia interna & externa simul.

Promissio interna solum est actus interior voluntatis, soli Deo & promittenti cognitus, quo quis vult se alteri obligare: talis est promissio facta Deo ingrediendi Religionem: talis est promissio interna, qua aliquid destinatur Ecclesiæ vel pauperibus; nam promissio interna Deo soli potest fieri, qui scrutatur corda; minime vero homini, qui cogitatus alterius non cognoscit, nisi per signa exteriora: unde dicit D.Th.2.2.q.88.a.1. *Promissio, quæ fit ab homine, homini non potest fieri, nisi per verba, vel signa quæcumque exteriora*.

Promissio externa solum est actus exterior, quo quis simulat se obligare alteri absque animo interiori obligandi se: talis est promissio exterior illius, qui volens decipere Virginem, promittit ei matrimonium; interius tamen secum determinat non inire cum illa matrimonium.

Pro-

Promissio interna simul & externa est actus interior, quo quis se obligat alteri, manifestans promissum signo aliquo exteriori, v. g. nutu, verbis, instrumentis: tales sunt promissiones, quibus vulgo se obligant homines.

Prop. 1. Promissio data, & acceptata, vera & non simulata, facta spontanee & deliberate cum animo obligandi se ligat promittentem in conscientia.

Prob. 1. Scriptura. *Nubes & ventus & pluviæ non sequentes, vir gloriosus & promissa non complens*. Prov. 25. v. 14. idest, vir non stans promissis est sterilis, sicut ventus & nubes sine pluvia. Qua reprehensione indicatur, peccare eum, qui promissis non stat.

2. Ex Aug. *Fides, quæ etiam hostibus promittitur, servanda est*.

3. Ex D. Th. *Si quis non facit quod promittit, tunc videtur infideliter agere per hoc quod animum mutat*. 2. 2. q. 110. a. 3 ad 5.

4. Ex jure Canonico. *Studiose agendum est, ut ea quæ promittuntur, opere compleantur*. De pact. cap. *Qualiter*.

5. *Rat.* Stare promissis pertinet vel ad justitiam, vel ad veracitatem: Ergo ad aliquam virtutem: Ergo peccat qui illam virtutem violat: Ergo promissio obligat in conscientia. Dixi, promissio data a promittente, & acceptata a promissario, vel ab alio, qui ejus vices subeat: etenim L. 1. ff. de pact. nullum esse contractum, nullam obligationem, quæ non habeat in se conventionem, idest, mutuum consensum: deinde ad valorem promissionis requiritur, non solum, ut res promissa sit grata promissario; sed etiam quod gratum sit rem talem ei promitti a tali, quod certe penitus ignoratur quamdiu promissarius non acceptavit promissum.

Prop. 2. Promissio simplex, data & acceptata, etsi non juramento firmata, modo serio facta sit, & acceptata, obligare videtur sub reatu peccati mortalis. Peccatum autem illud potest fieri veniale vel ob indeliberationem ex parte agentis, vel ob parvitatem materiæ ex parte objecti, juxta principia jam statuta.

Prob. 1. Ex jure Can. cap. *Antigonus*, de pact. ubi sic habetur: *Antigonus Episcopus dixit, aut inita pacta suam obtineant firmitatem, aut conventus (si se non cohibuerit) ecclesiasticam sentiat disciplinam; dixerunt universi, pax servetur, pacta custodiantur*: Ergo cum violatio nudi pacti subjiciatur ecclesiasticæ disciplinæ, debet esse grave peccatum: & glossa ibidem addit, quod nuda pacta obligant sub mortali peccato.

2. *Rat.* Prima ratio. Peccatum, quod aliqua ratione in materia gravi opponitur vel justitiæ, vel fidelitati, ex suo genere est peccatum mortale; quia hujusmodi virtutibus tota nititur societas humana: atqui non stare promissis opponitur vel justitiæ, vel fidelitati; quia fides in promissis non solum ad æquitatem pertinet, sed est totius æquitatis fundamentum: ergo promissio simplex, etiamsi non sit juramento firmata, obligat sub mortali.

Secunda ratio. Promissio facta Deo obligat sub mortali; non quia est actus Religionis, sed quia est officium justitiæ: Ergo & promissio, quæ fit homini; quia quantum ad hoc munus justitiæ, sunt ejusdem generis promissio facta Deo, & promissio facta homini. Ita Soto.

Tertia ratio. Apud omnes gentes violator fidei tamquam scelestus habetur: Ergo consensus ille publicus omnium gentium denotat delictum grave incurri in violatione fidei, & proinde in infringendo promissa.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat peccato infidelitatis, juxta omnes, quicumque exterius promittens, non habet interiorem animum promittendi; quia fallit promissarium, dum aliud verbis exprimit, & aliud mente gerit: non tamen ligatur promisso; quia nullum est promissum, sine animo interiori promittendi: ratione tamen scandali, si quod sit, vel damni promissario illati ex hac promissione, tenetur fictis etiam stare promissis, cum jus naturale præcipiat, ne proximo detur occasio scandali, damnumve aliquod inferatur. Hujus fidelitatis servandæ exemplum habemus in Josue, inquit Ambr. licet enim deceptus esset a Gabaonitis; *tamen pacem, quam dederat, revocandam non censuit; quia firmata erat Sacramenti Religione; ne, dum alienam perfidiam redargueret, suam fidem solveret*. Can. *Innocens*. 22. q. 4. Et quamvis juramentum fuerit præcipuum motivum standi promissis, tamen coram Deo ex vi solius promissionis obligatus fuisset; quia coram Deo & nudum promissum, & promissum firmatum juramento non multum distant.

Consect. 2. Peccat peccato infidelitatis simul & perjurii quicumque non habens interiorem animum exequendi quod promittit, firmat juramento fictam promissionem: peccat 1. peccato infidelitatis; quia fallit promissarium. 2. peccato perjurii; quia jurat contra veritatem. & tenetur servare promissa, non vi promissi, quia nullum est, sed vi ju-

juramenti, quod emisit: si non stet promissis juramento firmatis, peccatum erit mortale, quia perjurium est semper peccatum mortale, etiam in materia levi, ut diximus ubi de perjurio.

Consect. 3. Peccat peccato infidelitatis, immo & injustitiæ, juxta aliquos, quicumque habens animum promittendi, non exequitur promissionem datam & acceptatam; qui fallit promissarium in re debita, ratione promissi: quod peccatum erit mortale, si nocumentum illatum proximo sit insigne; veniale vero, si damnum sit exiguum: injustitia enim & infidelitas in materia levi sunt peccatum veniale, in materia vero gravi sunt peccatum mortale.

Consect. 4. Peccant singuli contrahentes, ut dictum est, qui non exequuntur quæ contrahendo promiserunt, nisi forte promisissent ea, quæ leges vetant; alioquin nulla esset fides, nulla securitas. Dixi, nisi promisissent ea, quæ leges vetant: etenim contrahentes sunt membra Reipublicæ, & proinde in contractibus ad nihil possunt se obligare, quod sit legibus contrarium, nullumque possunt sibi onus imponere, nisi juxta beneplacitum Reipublicæ.

Sic sistendo intra jus naturæ, & in foro conscientiæ, contrahentes debent a Confessariis adduci ad exequendum ea, quæ promissa sunt, modo non sint contra leges: nec excusari possunt coram Deo, ex eo quod contractus illi non habeant in foro exteriori omnes juris solemnitates; quia, etsi non obligantur vi contractus civilis, obligantur vi promissionis naturalis, modo in promissione nec dolus, nec fraus intervenerit. Sic deflorator, qui corrupit virginem, promittendo ei matrimonium, tenetur eam ducere in uxorem, si valide id fieri possit; quia promissio ligat promittentem: sed si dolus intervenerit, v.g. si ipsa se virginem dixerit, cum revera non esset virgo, non tenetur eam ducere in uxorem; quia ipsa potius decepit, quam decepta sit. Si pariter virgo sit longe inferioris conditionis, non tenetur eam ducere, tunc enim decipi voluit; si tamen, stante illa conditionis disparitate, deflorator sincere promiserit, vel virgo bona fide matrimonium speraverit, tenetur deflorator eam ducere in uxorem, nisi ipsa Virgo prudenter credere potuerit fraudulentam esse hujusmodi promissionem.

ARTICULUS II.

Quibus in casibus promissio non liget.

PRop. *unica*. Promissio non ligat coram Deo, quoties facta est contra legem naturalem, immo contra legem positivam, quæ directe respicit bonum commune; ligat vero si sit contra legem positivam, quæ respiciat bonum privatum ipsius promittentis, nisi esset periculum, vel damnum alicujus tertii.

Prob. 1. Ex jure Can. *In malis promissis rescinde fidem*. Can. in malis 22. q. 4. Mala autem promissa sunt quæ sunt contra leges: Ergo.

2. Ex jure Civ. *Societas flagitiosæ rei nullas habet vires*. ff. leg. 35. *de contrahenda emptione:* Ergo promissa contra legem non ligant.

2. *Rat*. Homo est quidem dominus rerum suarum, sed cum subjectione ad Rempublicam: proinde nihil potest promittere, nisi juxta leges in Republica vigentes.

Dixi, si quid promittat contra leges respicientes directe bonum commune, promissio erit nulla; quia promittens non potest privata authoritate evertere bonum commune.

Sic Clericus promittens se renuntiaturum privilegiis Clericorum, non tenetur stare huic promisso; quia nequit renuntiare huic privilegio communi. Sic promittens se venditurum frumentum hostibus Reipublicæ, non tenetur vendere.

Bene tamen si lex positiva respiciat bonum privatum promittentis; potest enim renuntiare quilibet suo juri privato.

Sic uxor, quæ promittit se fore dote sua contentam, nec paterna bona petituram, tenetur stare promissis, modo non faciat præjudicium filiis suis, licet leges civiles ejus promissum rescindant. Idem dicendum de alienatione fundi dotalis, de donatione inter virum & uxorem, inter filium & patrem, de contractu minoris absque curatore: idem de promissione solvendi pecuniam creditam ludo.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Promissio de re vetita vel jure naturali, vel jure positivo, est nulla, & observari non debet. *In malis promissis fidem observari non expedit*. De reg. jur. in 6. reg. 69. Et D. Th. 2.2. q. 110. a. 3. ad 5. *Si promisit id quod manifeste est illicitum, promittendo peccavit, mutando autem propositum, bene facit*. Ideo si promiseris falsum testimonium, injustam ve-

xa-

xationem, ad nihil teneris. *Quod turpi ex causa promissum est, veluti si quis homicidium vel sacrilegium se facturum promittat, non valet.* Instit. lib. 3. *de inut. stip.* ff. 23.

Consect. 4. Promissio facta de re impossibili est nulla; quia ad impossibile nemo tenetur. *Impossibilium nulla est obligatio.* ff. *de reg. jus.* 185.

Sic, si promiseris aliquid absolute impossibile, v.g. te volaturum, te numquam manducaturum, vel aliquid hypothetice impossibile, v.g. te daturum eleemosynas, quas dare poteras, dum esses dives, quas modo largiri non potes, factus pauper; non ligaris promisso.

Consect. 3. Promissio, quæ per rerum naturam impleri non potest, veluti si promissa sit res, quæ non existit, nec existere potest, ut hypocentaurus, aut res quæ desiit existere, ut jumentum mortuum, aut id quod non est in hominum commercio, est nulla, ut habetur lib. 3. Inst. *de inut. stip.* in prin.

Consect. 4. Promissio facta non sponte, sed coacte, non ligat; etenim qui per vim vel fraudem extorsit promissionem, faciendo alteri injuriam, excidit a jure exigendi, immo & recipiendi quod ei promissum est a promissore, cui vim intulit: & proinde promissarius tenetur promittentem restituere in statum pristinum, & iste habet jus requirendi absolutionem a promisso: deinde promissio, juxta leges, debet esse libera. *Quæ vi metusve causa fiunt, carere debent robore firmitatis.* Cap. *ad audientiam*, de his quæ vi metusve causa, &c. Et D.Th. 2.2. q.89. a. 7. ad 3. *Obligatio, qua quis obligatur homini, cui aliquid promittit, tollitur per coactionem; quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur* .... Sed si promissionem coactam juramento firmaverit, ne sit perjurus debet petere dispensationem juramenti, eique debet concedi juramenti dispensatio: etenim qui ad juramentum injuste coegit, non debet ex juramento emolumentum percipere, ut docet idem Doctor ibidem.

Consect. 5. Promissio facta sine prævisione circumstantiarum, quæ si fuissent prævisæ, facta non fuisset, non ligat in illis circumstantiis non prævisis; quia tunc non censetur libera: de quo ita D.Th. 2.2. q.110. a.3. ad 5. *Ad hoc quod homo teneatur facere quod promisit, requiritur quod omnia immutata permaneant: alioquin nec fuit mendax in promittendo; quia promisit quod habebat in mente, subintellectis debitis conditionibus: nec etiam est infidelis non implendo quod promisit; quia eædem conditiones non extant:* ut si quis, inquit Sylvius, promiserit alicui ensem, & ille postea fiat insanus: se ducere talem, & hæc postea fornicetur: se mittere triticum, & Regis prohibitio superveniat; non tenetur solvere promissum.

Consect. 6. Promissio facta a persona inhabili ad promittendum id, quod promittitur, est nulla; quia in promissis non est major defectus, quam defectus capacitatis in promittente.

Sic promissio facta a persona jure naturali incapaci, v.g. ab amente, a furioso, ab infante, est nulla; quia ex jure naturali sunt incapaces obligandi se. Lib. 3. tit. 20. Inst. *de inut. stip.* §. 1. 8. & 9.

Sic promissio dandi pecunias, facta ab eo, qui vovit paupertatem; promissio famulandi facta ab eo, qui vovit obedientiam; promissio facta sponsalium ab eo, qui vovit castitatem, est nulla: promittens tamen dolose, si damnum pariat promissario, tenetur reparare: unde Sapiens ait: *Non spondeas super virtutem tuam; quod si spoponderis, quasi restituens cogita.* Eccli. 8. v. 16.

Sic, juxta Sylvium, qui post emissum simplex votum castitatis aut Religionis, corrumpit Virginem sub spe matrimonii, non obligatur ad matrimonium, sed debet votum suum implere; quia obligatio voti simplicis major est quam promissio homini facta, etiam juramento firmata: unde votum simplex dirimit sponsalia; potest enim damnum reparare dotando illam Virginem, aut in decenti alio statu collocando.

CAPUT V.

De Contractibus in particulari, & primo de Contractibus, quibus transfertur rerum dominium.

ARTICULUS I.

De emptione & venditione.

NOta 1. Permutatio præcessit emptionem & venditionem; quippe ante monetarum inventionem, omnes contractus fiebant permutationibus; juxta illud juris: *Origo emendi vendendique a permutationibus cœpit.* L. 1. ff. *de contrahenda emptione*. *Unusquisque secundum necessitatem temporum, ac rerum, utilibus inutilia permutabat.* ibid. Sed inventa moneta frequentior esse cœpit emptio & venditio; & ideo ante permutationem agemus de emptione & venditione.

Nota 2. Venditio est contractus, quo traditur

ditur res venalis pro justo pretio, seu, ut alii dicunt, alienatio rei pro justo pretio.

Emptio est contractus, quo acquiritur res venalis per justum pretium, vel, ut alii dicunt comparatio rei pro justo pretio: *Si pecuniam dem ut rem accipiam, emptio & venditio est.* L. 5. § 1. ff. *de præscriptis verbis*.

Res venalis est res quælibet pretio æstimabilis in commercio hominum posita, sive sit immobilis, ut fundus; sive mobilis, ut supellex; sive corporalis, ut fundus, & supellex; sive incorporalis, ut jus in re, & ad rem.

Pretium est certa pecuniæ quantitas, secundum ejus valorem considerata; quippe *pretium in numerata pecunia consistere debet.* Inst. lib. 3. tit. 24. § 2. *de emptione & venditione*.

Pretium aliud est legitimum, aliud naturale.

Pretium legitimum est illud, quod a Republica præscribitur. Pretium hoc consistit in indivisibili, nec augeri potest, nec minui.

Pretium naturale est illud, quod pendet ex vulgari hominum æstimatione. Hoc pretium consistit in aliquo divisibili, & augeri & minui potest.

Illud pretium habet tres gradus, infimum, medium, & supremum: emptor non potest descendere infra infimum: venditor non debet ascendere ultra supremum; pie uterque aget, si sistat in medio

Sic, si modius frumenti veneat viginti ad summum assibus, & ad minus quindecim assibus; vigesimus erit supremum pretium, & decimus quintus erit infimum pretium, at decimus septimus erit medium pretium.

§. I.

De his qui possunt vendere & emere.

Prop. unica. Vendentes proprio nomine debent actu habere dominium, vel possessionem rei quæ venditur, & debent posse acquirere dominium, vel possessionem pretii quod rependitur; venditio enim non semper transfert dominium rei, seu aliquando solum possessionem: ut patet in fure rem furtivam vendente.

Ementes proprio nomine debent actu habere dominium pretii quod rependitur, & debent posse acquirere dominium vel possessionem rei quæ venditur: nec illis venditio, nec illis emptio debet esse per leges prohibita.

Ementes & vendentes alieno nomine, id est jussu alterius, uti procuratores, debent solum habere mandatum sibi a vero domino commissum.

Prob. rat. Cum nemo transferre in alium valeat nisi jus quod habet, cum nemo pariter acquirere possit dominium, vel possessionem cujus est incapax; si emptio & venditio fierent aliter quam exposuimus, emptor non posset acquirere dominium, vel possessionem rei quam emit; nec venditor dominium vel possessionem pretii quod accipit: & ita emptio & venditio suo fine frustrarentur: & proinde emptio & venditio debent fieri ab his solum, qui juxta leges sunt capaces emendi & vendendi, si proprio contrahant nomine.

Consectaria hujus Doctrinæ.

De his qui possunt vendere.

Consect. 1. Vendere non possunt proprio nomine nec valide, nec licite, qui hic subjiciuntur.

1. Servi seu mancipia, sine consensu domini; quia quæcumque habent, domini sunt, & si quid vendant de suo peculio, id faciunt cum clara vel præsumpta voluntate domini.

2. Monachi, sine consensu Communitatis; quia nihil habent proprium in particulari, si quidquid possident, nomine Communitatis possident.

3. Prodigi, tales a judice declarati, sine consensu judicis; quia lex eis vetat venditionem.

4. Pupilli, sine consensu tutoris; quia lex contractus omnes pupilli, initos sine consensu tutoris, irritos declarat, nisi contraherent in sui commodum.

5. Minores, sine consensu curatoris bona immobilia & mobilia pretiosa; quia lex pariter illos contractus, initos sine consensu curatoris, irritos declarat; minores tamen possunt sine consensu tutoris cætera vendere, puta, fructus qui ex prædiis nascuntur, & jure ea bona vendunt, quæ per moram fierent deteriora.

6. Filii familias non possunt vendere ea quorum habent restrictum dominium, etiam cum consensu patris; quia si in tali venditione intervenisset fraus, filius deceptus non haberet actionem in patrem, sicut pupillus læsus habet actionem in tutorem: filii tamen familias possunt vendere ea, quorum habent absolutum dominium, v.g. bona castrensia; bona vero adventitia & profectitia possunt vendere venditione solum post emancipationem valitura.

Consect. 2. Licite vendere non possunt qui ex metu injusto, ex violentia injusta, ex dolo; ex ignorantia terminata ad substantiam rei, adiguntur & coguntur ad vendendum;

dum; quia nequeunt ex dictis contrahere: ergo neque vendere; ideoque qui emunt ab hujusmodi personis, tenentur contractum rescindere, & rem tali emptione acquisitam reddere.

Consect. Possessores malæ fidei non possunt licite vendere rem, quam mala fide possident; qui cum non sint illius rei domini, nudam transferunt possessionem his, qui bona fide credunt acquirere proprietatem.

Sic fures, raptores, non possunt licite vendere rem furto vel rapina acquisitam.

Sic usurarius non potest vendere rem mobilem vel immobilem immediate per usuram acquisitam; quia cum fur non sit dominus rei furtivæ, nec usurarius rei usurariæ, non transfert dominium in emptorem, qui tamen bona fide credit illud acquirere.

Res vero, quas fur & usurarius acquirunt per suam industriam, occasione tamen furti & usuræ vendi possunt; quia fur & usurarius sunt illarum rerum domini, obligati tamen ad restitutionem. Sic, si fur aliquid lucretur pecuniis furto ablatis, & fundum emat, poterit fundum illum vendere, & fructus quos ex illo percipiet, modo reparet damnum furto suo illatum. Item usurarius poterit vendere possessiones, quas usuris comparavit, modo reparet damnum; quia cum res illæ non emanent immediate a furto vel usura, sunt illius a quo acquiruntur, & ita ab eo vendi possunt, modo reparetur integrum damnum. *Possessiones*, inquit D. Th. *quæ de usuris sunt comparatæ non sunt eorum quorum sunt usuræ, sed illorum qui eas emerunt*. 2. 2. q. 78. a. 3. ad 2. *Illud quod acquiritur de pecunia usuraria debetur acquirenti*. Notat tamen idem Doctor, quod res emptæ mediate ex furto & usura, debent vendi, ut fiat restitutio, si aliter fieri nequeat: *& hoc secundum quantitatem usuræ acceptæ*.

Consect. 4. Possessor dubiæ fidei non potest licite vendere absolute, sed solum manifestando suum dubium; quia cum non sit verus dominus, deciperet emptorem.

Consect. 5. Possessor cum onere restituendi, v. g. hæres fiduciarius, non potest rem sibi fiduciario commissam vendere; quia non est illius dominus. L. 7. C. *de rebus alienis non alienandis*.

De his qui non possunt emere.

Consect. 1. Tutores non possunt emere a pupillis, nec Curatores a minoribus; quia præsumitur deceptio. *Tutorrem pupilli emere non potest ... idem porrigendum ad Curatores*. L. 24. ff. *de contrahenda emptione*.

Consect. 2. Procuratores non possunt emere res, quarum curam gerunt, si eas emant a veris dominis, qui eis talem curam commiserunt; quia alias præsumitur deceptio. ibid.

Consect. 3. Judices & omnes, qui juri reddendo incumbunt, non possunt eas lites, quas judicaturi erant, emere; quia præsumitur eos uti authoritate juridica ad deceptionem: ita Regum Galliæ edicta.

§. II.

De his quæ emi & vendi possunt.

Prop. unica. Ea solum emi, & vendi possunt, quæ juxta leges acquiri possunt; alia vero nec emi, nec vendi possunt.

Prob. 1. Ex jure civili. *Omnium* inquit, *rerum, quas quis habere, vel possidere, vel persequi potest, venditio recte fit; quas vero natura, vel gentium jus, vel mores civitatis commercio exuerunt, earum nulla venditio est*. L. 35. ff. §. 1. ff. *de contrahenda emptione*.

2. *Rat*. Venditio & emptio non alio fine fiunt, quam ut rerum venalium acquiratur dominium, vel saltem possessio: ergo ea solum & emi & vendi possunt, quorum dominium, vel saltem possessio acquiri potest.

Consectaria hujus Doctrinæ.

De his quæ emi & vendi possunt.

Consect. 1. Vendi & emi possunt quæ hic subjiciuntur. Res mobiles, ut supellectilia, fructus, &c. Res immobiles, ut fundus, v. g. vinea, ager, &c. Res incorporales, ut jus in re & ad rem: Debita, hæreditates, res nondum existentes, sed futuræ, v. g. *fructus futuri, & partus futuri recte emuntur*. L. 8. ff. *de contrahenda emptione*. Res in spe, ut cum emitur certus piscium captus, vel avium; *quia tum spei emptio est*. ibid. Principale & accessorium, res simul congestæ, & res disjunctim sumptæ; quia horum omnium dominium acquiri potest, vel possessio.

De his quæ emi & vendi nequeunt.

Consect. 2. Vendi & emi nec licite, nec valide possunt quæ hic subjiciuntur. Res quæ non sunt in commercio hominum, v. g. res communes, aer, scilicet, & mare: res Universitatis, ut viæ publicæ: res spirituales, ut Sacramenta: res spiritualibus annexæ, ut Beneficia: bona dotalia, etiam consentiente uxore: bona substituta, durante substitutione.

Con-

Consect. 3. Licite vendi non possunt res perniciosæ, & optimis moribus contrariæ, vel ex se, vel ex pravo ementium usu, quando prævidetur pravus ille abusus; non quod res venales non sint, cum suum habeant pretium, sed quia sunt perniciosæ ementibus. Contractus autem debet esse in bonum, & non in perniciem contrahentium.

Sic idola non possunt vendi paganis, Synagogæ Judæis, libri obscæni proclivibus ad impudicitiam, venena his, qui prævidentur eis abusuri vel ad homicidia causanda, vel ad abortus procurandos: nec cibi vedendi sunt eis, qui sunt fracturi jejunium, vinum his qui eo sunt inebriandi, arma his qui præliantur in bello injusto, pigmenta utentibus ad lasciviam ... fuci vero, aleæ, & taxilli, cartæ lusoriæ, quia his uti possunt homines ob honestum finem, vendi possunt sine peccato iis, qui probabiliter judicantur talibus rebus non abusuri. Ita Sylvius in D. Th.

§. III.

De modo secundum quem res emi & vendi possunt.

Prop. unica. Res emi vel vendi possunt absolute, vel conditionate, vel in perpetuum, vel ad certum tempus, vel conjunctim, vel disjunctim, modo inter contrahentes conveniat.

Prob. rat. Contractus possunt fieri juxta rationalem voluntatem contrahentium: ergo possunt fieri modo supra explicato; quia prædictæ intentiones rationales sunt, & nullis legibus contrariæ.

Consect. 1. Venditio absoluta & in perpetuum non est illicita, modo fiat justo pretio.

Sic necessario & semper apud omnes res consistentes in solo usu, qualia sunt vinum, frumentum, oleum, venduntur absolute; quia hæc, utpote ipso usu consumenda, non possunt vendi ad certum tempus.

Sic aliquando & pro libito contrahentium res non consistentes in solo usu, quales sunt, fundus, supellex, jus in re, & ad rem, venduntur absolute; quia ita placet contrahentibus.

Consect. 2. Venditio conditionata, & ad certum tempus, non est illicita, modo fiat justo pretio.

Sic apud Judæos venditio fundi ruralis erat conditionata ex præscripto legis Mosaicæ, ut perennis esset in Tribu & familia quælibet possessio fundi, quem Deus dederat. *Cuncta*, inquit Deus per Moysen, *regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vendetur*. Lev. cap. 25. v. 24.

Ut autem venditio ad certum tempus sit licita, res vendita easdem debet subire vices toto illo tempore, quo vendita manet, quas subit proportionaliter res absolute vendita; quia hoc facit venditio conditionalis pro certo tempore, quod in perpetuum facit venditio absoluta: & ita sicut res vendita absolute, fructificat, & perit perpetuo emptori, ita res vendita conditionate, debet pro illo tempore perire, & fructificare emptori.

Consect. 3. Res acervatim congestæ possunt vendi vel in universum, vel in singula.

Sic cum totum vinum, totum frumentum, grex integer venditur, venditio in universum vocatur.

Sic cum certæ mensuræ vini, frumenti venduntur, certa capita gregis, venditio in singula dicitur..... Emptio facta in universum completur post conventum pretium..... Emptio facta in singula non completur, nisi cum vendita *annumerata, appensa & admensa sunt*: ut dicitur L. 35. ff. §. 5. *de contrahenda emptione*.

Consect. 4. Principale & accessorium possunt vendi, sed diversimode: vendito principali accessorium censetur vendi, sed vendito accessorio non censetur vendi principale, quia accessorium sequitur naturam principalis, minime vero principale naturam accessorii.

Sic cum immobilia venduntur, simul etiam cum eis venduntur quæ eis sunt annexa, nisi expresse ex venditione distrahantur: v.g. vendito fundo, fructus pendentes censentur venditi; juxta illud: *Fructus pendentes pars fundi videntur*. L. 44. ff. *de rei venditione*.

Vendito ædificio, res inservientes ædificio venditæ censentur, nisi expresse distrahantur, v.g. claves, portæ, fenestræ, ut docet jus civile. *Labeo generaliter scribit, ea, quæ perpetui usus causa in ædificiis sunt, ædificii esse*: ut dicitur L. 17. §. 7. ff. *de actionibus emptionis & venditionis*.

Sic cum mobilia venduntur, venduntur omnia, quæ eis erant annexa, dum exponerentur venditioni: v. g. si equus exponatur venditioni cum suis ornamentis, dum venditur equus venduntur *& ornamenta*: ut dicitur L. 38. *de ædilitio edicto*.

Consect. 5. Venditio coacta, & renitente irrationabiliter domino, non est illicita, modo fiat authoritate juridica; quia possunt contingere casus, in quibus æquitas exigit rem vendi invito domino, & ejus resistentia est irrationalis, cum sit contra legem.

Sic fundus necessarius publico ædificio, po-

poteſt vendi authoritate judicis, renitente poſſeſſore. L. 3. ff. *de communi prædio*. Idem jubet Philippi edictum anno 1303.

Sic penuriæ tempore qui habent annonam, inviti coguntur eam vendere : ut ſtatuitur L. 2. ff. *de lege Julia de annona*. Ibi enim *pœna ſtatuitur adverſus eum, qui contra annonam fecerit, ſocietatemve coierit, quo annona fiat carior*.

Sic *cum via publica vel fluminis impetu, vel ruina amiſſa eſt, vicinus proximus viam præſtare debet*. L. 14. ff. *quemadmodum ſervitutes amittuntur*.

Sic bona debitorum authoritate judicis venduntur ſub haſta ad ſatisfaciendum creditoribus.

Sic bona, quæ dividi non poſſunt, v. g. domus exigua, munus venale, magiſtratura, ſi ad plures pertineant, venduntur, ut cuilibet jus habenti pro rata ſui juris pretium dividatur.

§. IV.

De pretio.

Prop. 1. Major vel minor rei dignitas non eſt menſura pretii rerum, ſed communis hominum æſtimatio ; ſeu quod idem eſt, pretia rerum, non ſecundum ipſarum naturam æſtimanda ſunt, ſed quatenus veniunt in uſus humanos, & quatenus æſtimantur in foro publico itaque pretium juſtum erit, quod vel a poteſtate publica eſt præſcriptum, vel communi hominum æſtimatione determinatum.

Prob. 1. Authoritate Aug. Res viventes ſunt præſtantiores, quam res inanimatæ; tamen, ut ait Ag. l. 11. c. 16. de civit. Dei, *mallet homo frumentum domi habere quam mures* : Ergo pretium rerum non debet ex earum natura, ſed ex ipſarum uſu & æſtimatione hominum penſari.

2. *Rat.* Cum omnia, quæ in mundo ſunt, propter hominem facta ſint, juxta prudens judicium tanti æſtimari debent, quantum hominibus inſerviunt, vel ad eorum vitam fovendam, uti ſunt victus & veſtitus, vel ad honeſtam voluptatem procurandam, uti viridaria concentus, &c. vel ad ejus dignitatem oſtendendam, uti magiſtratus, munera publica, &c. Ergo pretium rerum deſumi debet vel a poteſtate publica determinante, vel a prudentum hominum æſtimatione.

Conſectaria hujus Doctrinæ.

Conſect. 1. Res viventes, licet præſtantiores rebus non viventibus, non tamen pluris vendi debent, ſed res tum animatæ, tum inanimatæ vendi debent juxta utilitatem, quam homini conferunt juxta prudentum æſtimationem; quia hæc ſola eſt menſura pretii.

Sic domus, licet inanimis, pluris vendi ſolet, quam equus, licet animatus; quia domus eſt equo utilior.

Sic nonnunquam equus venire pluris poteſt quam mancipium; quia licet homo ſit omnibus rebus corporalibus præſtantior, tamen equus poteſt eſſe mancipio utilior.

Conſect. 2. Ad explorandum juſtum pretium multa attendenda ſunt. Sed omnia, habita ratione uſus hominum, æſtimatione prudentum penſanda ſunt: v. g. attendenda ſunt hæc omnia: major vel minor rei venalis utilitas, major vel minor rei venalis copia, major vel minor emptorum & venditorum frequentia ; quia hæc omnia efficiunt, ut res vel pluris vel minoris æſtimetur. Sic major rei venalis utilitas auget pretium, minor vero utilitas minuit pretium; quia reddit eam uſui humano magis accommodatam: v. g. vinum eſt carius aqua : quia eſt rarius & utilius. Sic penuria rei venalis auget pretium; quia reddit rem magis utilem: abundantia vero minuit; quia reddit rem minus utilem : & ita triticum pluris venditur, quando eſt raritas frumenti; minoris, quando eſt abundantia : & ita tempore belli pluris venduntur equi & arma, quam tempore pacis; & hoc provenit vel ex pluralitate emptorum, vel ex eo quod equi tunc ſunt magis neceſſarii. Sic venditorum atque emptorum frequentia minuit pretium, vel auget; quia facit res vel magis, vel minus utiles: v. g. ubi ſunt multi emptores, & pauci venditores, res emuntur carius; ſi ſint multi venditores & pauci emptores, res venduntur vilius.

Prop. 2. Peccat, & ad reſtitutionem tenetur qui ſine cauſa pretio æſtimabili rem pluris juſto pretio vendit, aut minoris juſto pretio emit; non peccat tamen, nec ad reſtitutionem tenetur, ſi id faciat cum cauſa pretio æſtimabili, v. g. ob lucrum ceſſans, vel ob damnum emergens.

Prob. 1. Scriptura. *Quando vendes quidpiam civi tuo, vel emes ab eo, ne contriſtes fratrem tuum; ſed juxta numerum annorum jubilæi emes ab eo & juxta ſupputationem frugum vendet tibi*. Lev. 25. v. 14. Quo denotatur res eſſe vendendas, & emendas juſto pretio.

2. *Rat.* D. Thom. *Quod pro communi utilitate inductum eſt, non debet eſſe magis in gravamen unius, quam alterius : & ideo debet ſecundum æqualitatem rei inter eos contractus* in-

institui. Quantitas autem rei, quæ in usum hominis venit, mensuratur secundum pretium datum .... & ideo, si vel pretium excedat quantitatem valoris rei, vel res excedat pretium, tolletur justitiæ æqualitas; & ideo carius emere, vel vendere rem vilius, quam valeat, est secundum se injustum & illicitum, & proinde obligans ad restitutionem. 2. 2. q. 77. a. 1. & ideo D. Th. addit: *& tenetur ille, qui plus habet, recompensare ei, qui damnificatus est, si sit notabile damnum*. Ibid.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Non licet rem pluris vendere ob commodum, quod emptori accedit, si nullum inde detrimentum venditor accipiat; quia hæc causa non est pretio æstimanda a venditore: ita D. Th. *Utilitas, quæ alteri accrescit, non est ex venditione, sed ex conditione ementis; nullus autem debet vendere alteri quod non est suum, licet possit ei vendere damnum, quod patitur: ille tamen qui ex re alterius multum juvatur, potest propria sponte aliquid vendenti supererogare, quod pertinet ad ejus honestatem*. 2. 2. q. 77. a. 1.

Sic equus non potest vendi pluris justo pretio, ex eo quod sit maxime necessarius emptori, qui longum iter inire cogitur.

Sic pharmacum non potest pluris justo pretio vendi, ex eo quod sit maxime necessarium emptori graviter ægrotanti.

Consect. 2. Licet rem pluris solito vendere ob damnum, quod venditor patitur, ex eo quod privet se re, quam vendit; adeo ut non solum res æstimari possit quanta in se sit, sed etiam quanti venditori valebat; quia hæc causa pretio est æstimabilis a venditore; unusquisque enim potest vendere quod suum est: adde, quod nemo tenetur propriam rerum jacturam pati, ut alteri rem gratam faciat: ita D. Th. ibid. *Alio modo loqui possumus de emptione & venditione, secundum quod per accidens cedit in utilitatem unius, & detrimentum alterius; puta, cum aliquis multum indiget habere rem aliquam, & alius læditur, si ea careat. Et in tali casu justum pretium erit, ut non solum respiciatur ad rem, quæ venditur, sed ad damnum, quod venditor ex venditione incurrit. Et sic licite poterit aliquid vendi pluris, quam valeat secundum se, quamvis non pluris valeat habenti*, præcipue si rogetur ad vendendum, & gratum faciat emptori.

Sic, si fundus absolute in se valeat centum nummos, sed mihi, quia volo hic aut domum construere, aut aliquid aliud moliri, valeat nedum centum, sed etiam viginti supra, possum eo pretio, scilicet viginti supra centum, vendere.

Sic qui habet frumentum mense Octobri quod non vult vendere nisi mense Majo, potest dare frumentum mense Octobri, & tamen illud vendere eo pretio, quo æstimabitur mense Majo; quia damnum illud, quod patitur, est pretio æstimabile: debet tamen aliquid minuere de pretio ob varios casus, quibus frumentum diu servatum minuitur.

Consect. 3. Non licet infra justum pretium rem mobilem, vel immobilem, v.g. agrum, vineam, supellectilia, ob inopiam & necessitatem vendentis emere; quia inopia non debet esse motivum nocendi proximo, sed ei potius opitulandi. *Si quis alicui in necessitate constituto*, inquit D. Th. *venderet rem aliquam multo amplioris quam valeret, idem dic, si emeret vilioris, esset injusta venditio; sicut usurarii mutuatio est injusta*. Div. Thomas de malo quæst. 13. a. 4. ad 7.

Consect. 4. In foro interiori & conscientiæ quodlibet damnum illatum reparandum est, adducendo res ad accuratam & rigidam æqualitatem. In foro exteriori venditiones & emptiones tunc tantum rescinduntur, quando sunt infra dimidium justi pretii; alioquin quod deest justo pretio rependendum est: ita D. Th. *Lex humana populo datur, in quo sunt multi a veritate deficientes; & ideo lex humana non potuit prohibere quidquid est contra virtutem, sed ei sufficit, ut prohibeat ea, quæ destruunt hominum convictum; alia vero habeat quasi licita, non quia ea approbet, sed quia ea non punit. Si ergo* ea lex *habet quasi licitum, pœnam non inducens, si absque fraude venditor rem suam supervendat, aut emptor vilius emat, nisi sit nimius excessus; quia tunc etiam lex humana cogit ad restituendum, puta, si aliquis sit deceptus ultra dimidiam justi pretii quantitatem. Sed lex divina nihil impunitum relinquit, quod sit virtuti contrarium; unde secundum legem divinam illicitum putatur, si in emptione & venditione non sit æqualitas justitiæ observata*. Hanc decisionem ita explicat Sylvius, in 2. 2. q. 77. ar. 1. ad 1.

Licet leges civiles rescindant tantum emptionem & venditionem, quando pretium excedit dimidium justi pretii; tamen in foro interiori non licet emere, vel vendere injusto pretio, etiam infra dimidium justi pretii: v.g. si ager valeat centum libras, non licet centum & triginta, vel centum & quadraginta vendere, licet non excedatur dimidium justi pretii. 1. Quia in tali conventione non servatur æqualitas. 2. Quia conservare justi-

tiam est de necessitate salutis, ideoque per leges civiles talis obligatio solvi non potest. 3. Leges civiles non approbant hujuscemodi conventiones, sed non improbando tolerant: si vero non permittant rescissionem, vel actiones contra fraudatores, ideo est, quia non possunt omnibus casibus providere. Hoc item tolerant in odium litium; quia alioquin valde implicarentur, eisque satisfacere judicem esset impossibile.

§. V.

Quomodo emptores & venditores debeant se gerere in actuali emptione & venditione.

Prop. unica. Dum fit emptio & venditio, contrahentes non debent se mutuis dolis decipere, sed mutuo commercio juvare, venditor tradendo rem venalem emptori utilem & non noxiam, emptor tradendo monetam probatam & non fucatam.

Prob. 1. Script. *Nemo circumveniat in negotio fratrem suum; quoniam vindex est Dominus*. I. ad Thessal. c. 4. v. 16.

2. Ex Ambros. *Regula justitiæ manifesta est, quod a vero declinare virum non deceat bonum, nec damno injusto allicere quemquam, nec doli aliquid annectere*. lib. 3. de offic. cap. 21.

3. *Rat*. Venditio & emptio excogitata sunt, ut homines mutuo se juvent commercio: ergo iniquum est, quod se decipiant.

Consectaria hujus Doctrinæ.

De obligatione manifestandi vitium rei venalis.

Consect. 1. Venditor sciens rei venditæ vitium occultum & damnosum emptori, tenetur illud manifestare, etiamsi non interrogetur ab emptore; quia tenetur ex justitia non ponere causam damni: ita docet D. Th. *Si hujusmodi vitia sint occulta, & ipse non detegat, erit illicita & dolosa venditio, & tenetur venditor ad damni recompensationem*. 2. 2. q. 77. a. 3. Idem habet jus civile. Vendens enim animal, non patefaciens vitium latens, tenetur redhibitoria. L. 1. §. 8. ff. *de ædilitio edicto*. Et ibid. §. 1. dicitur: *Certiores faciant emptores, quid morbi vitii unicuique sit*.

Sic, si mala fide vendatur equus furiosus, domus ruinosa, pharmacum noxium, morbidum pecus, lignum putridum, debita incerta; venditor damna, suo silentio secuta, tenetur reddere, vel rescindere contractum, si emptor voluerit; vel si id emptor non exigat, venditor tenetur restituere quanti minoris res valebat cum tali vitio.

Sic, si bona fide vendatur res vitiosa, tenetur venditor cognito vitio, partem pretii restituere pro rata vitii gravitate, vel levitate, sed non tenetur reparare damna secuta; quia fuit causa non rea, sed innocens damni secuti: de quo ita jus civile: *Si quidem ignorabat venditor illius rei, minime teneri: si sciebat, etiam damni quod ex eo contigit*. L. 45. ff. *de contrahenda emptione*.

Sic, si Architectus vendat, aut adhibeat vitiosa ligna, tenetur ad ædium corruentium restitutionem, quia ex officio tenetur scire vitium rei quam vendit.

Sic, si pastor pecora contagiosa vendat, tenetur ad gregis mortui ex contagione pretium persolvendum; quia tenetur scire id quod vendit.

Sic, si bona fide vendatur res furtiva ab eo, qui eam bona fide emit a fure, hoc ipso quod patet rem esse furtivam, venditor, ut dictum est, tenetur pretium emptori restituere, & rem a se venditam vero domino reddere.... tenetur reddere pretium; quia non acquisivit ejus dominium: tenetur rem reddere domino; quia res domino clamat, nec potest pretium datum furi a domino rei ereptæ exigere: ut habetur L. *incivilem*. C. *de furtis*. *Incivilem rem desideratis*, inquit, *ut agnitas res furtivas non prius reddatis, quam pretium fuerit solutum a dominis. Curate igitur cautius negotiari, ne non tantum in damna hujusmodi, sed etiam in criminis suspicionem incidatis*.

Consect. 2. Venditor de rei vendendæ vitiis, etiam non damnosis, interrogatus vel in genere, vel in specie, expresse, aut tacite, tenetur ea manifestare; quia, si tunc ea occultaret, dolus daret causam contractui; juxta illud juris: *Veteribus placet pactionem obscuram vel ambiguam, venditori & qui locavit nocere, in quorum fuit potestate, legem apertius conscribere*. L. 39. ff. *de pactis*. Exemplum habemus ejus bonæ fidei, quæ in Contractibus vigere debet, inquit Ambros. in Raguele, a quo cum Tobias peteret filiam Saram in conjugem, Raguel nihil eorum tacuit, quæ filiæ contigerant.

Consect. 3. Venditor sciens vitium occultum rei venalis, sed non damnosum, nec periculosum emptori, quodque vitium non reddat notabiliter rem venalem minus utilem ad eum usum, ad quem emitur, non tenetur etiam interrogatus manifestare vitium, sed sufficit si diminuat pretium rei quæ venditur; quia potest quilibet suis commodis consulere, quando nulli fit præjudicium, ut contingit in proposito.

Si tamen interrogetur, vel prævideat rem alteri vænum iri dolose, tenetur aperire; quia nullo in casu licet vel mentiri, vel dare occasionem damni.

Consect. 4. Venditor non tenetur rei venalis vitium manifestum emptori semper aperire, nisi emptor esset rudis & ignarus; nec peccat, modo propter illud vitium subtrahat de pretio quantum oportet; quia nullo modo videtur emptorem decipere, non occultando vitium, cum penes emptorem sit illud cognoscere, non excedendo in pretio, cum pro modo vitii pretium minuat: ita D. Thom. *Si vitium sit manifestum, puta, cum equus est monoculus, vel cum usus rei, etsi non competat venditori, potest tamen esse conveniens aliis, & si ipse propter hujusmodi vitium subtrahat quantum oportet de pretio, non tenetur ad manifestandum vitium rei.* Ibid. a. 3.

Consect. 5. Mercator prænoscens vel casu, vel industria sua futuram magnam copiam mercium, eaque ratione pretium minuendum, reticendo id quod casu vel sua industria cognovit, potest suas merces pretio præsenti vendere, modo fraude aut dolo non impediat, ne innotescat copia mercium superventura, & modo uni soli non venderet omnes suas merces, qui eas merces servaret cum ingenti suo damno, & cogeretur eas revendere longe inferiori pretio; nemo enim tenetur fortuitos casus alteri aperire: deinde præsens pretium est justum. Sic Joseph Gen. 41. cum prævidisset famem futuram in toto Ægypto, frumenta emit vili pretio tunc communi, ut postea idem frumentum carius venderet. Dixi, modo non interveniat fraus; quia nemini fraus sua patrocinatur.

§. VI.

De obligatione vitandi dolum.

Prop. unica. Emptor & venditor debent omnem omnino fraudem & dolum abjicere, & bona fide contrahere.

Prob. 1. Script. Nihil est, a quo Scriptura frequentius homines dehortetur, quam a dolo & fraudibus in contrahendo: sic enim habes Lev. 19. v. 35. *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere & mensura: statera justa, & æqua pondera sint, justus modius, & æquus sextarius. Ego Dominus.* Et Isa. 1. v. 22. *Argentum tuum versum est in scoriam, & vinum tuum mixtum est aqua.* Et demum Paulus ad Thess. 4. v. 6. sic habet: *Ne quis supergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem suum:* Ergo emptor & venditor omnem fraudem vitare, & bona fide contrahere debent.

2. *Rat.* In omni contractu debet bona fides abundare: Ergo a fortiori in emptione, & venditione, quibus contractibus nihil usitatius & magis necessarium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat venditor, & tenetur ad restitutionem, si in venditione decipiat emptorem; vel in *substantia* rei venalis, v. g. dans aquam pro vino, auricalcum pro auro, vitrum pro gemma; vel in *qualitate*, dans animal infirmum pro sano, carnes corruptas pro incorruptis & integris, aromata antiquata pro recentibus; vel in *pondere, & mensura*, dans, v. g. minus modio pro modio, minus libra pro libra; quia in his singulis casibus decipit emptorem, eique damnum affert, quod tenetur reparare.

Consect. 2. Peccat emptor, & tenetur ad restitutionem, si decipiat venditorem, vel in *substantia*, vel in *pondere*, vel in *quantitate* monetæ, quam tradit pro pretio rei, quam accepit a venditore. In qualitate, si tradat monetam veri metalli, & æqui ponderis, sed falsam quoad formam, non cusam scilicet, regia nota. Contrarium exemplum habemus in Abrahamo emente agrum in sepulturam Saræ uxoris suæ. *Appendit enim pecuniam, quam Ephron postulaverat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ.* Gen. 23. v. 16.

Consect. 3. Peccant emptor & venditor, cum subornant & interponunt personas, quæ sub dolosis & fictis conditionibus efficiunt, ut res væneant vel infra, vel ultra debitum pretium; quia fraus omnis a contractibus exulare debet: ita D. Th. 2. 2. q. 77. a. 1. *Fraudem adhibere ad hoc, quod aliquid plus justo pretio vendatur, omnino peccatum est, in quantum aliquis decipit proximum in damnum ipsius.* Unde Tullius dicit lib. 3. de offic. *Tollendum est ex rebus contrahendis omne mendacium. Non licitatorem venditor, nec qui contra se licitetur emptor opponat.*

Consect. 4. Peccant monopolium privata authoritate exercentes, & toties ad restitutionem tenentur, quoties damnum inferunt: ita jus civile. *Si quis autem monopolium ausus fuerit exercere, bonis propriis spoliatus perpetuitate damnetur exilii.* Lib. 4. C. tit. 59. *de monopolio.* L. unica.

1. Peccant contra justitiam legalem; quia lex prohibet monopolium.

2. Peccant contra caritatem; quia non faciunt proximo quod sibi vellent fieri.

 3. Pec-

3. Peccant contra justitiam commutativam, si excedant justum & vulgare pretium.

Monopolium autem privatum fit pluribus modis.

1. Quando mercatores conspirant, ut nullus eorum emat supra certum pretium, quod ipsimet statuunt: neque ullus vendat infra pretium, de quo inter ipsos convenit.

2. Quando unus vel plures emunt omnes merces unius generis, ut postea soli vendant certo pretio.

3. Quando unus vel plures impediunt, ne aliæ merces advehantur, atque ita suas vendant.

4. Quando artifices conspirant, ne opus inceptum ab uno, & ab illo derelictum, ab aliquo alio perficiatur.

5. Qui artem Reipublicæ necessariam, etiamsi serventur indemnes, nolunt alios docere, nisi ea conditione, ut non communicetur aliis. Ita Sylvius.

Monopolium authoritate publica est illud, quod exercetur authoritate legitimi superioris: & illud monopolium est justum, si fiat ob causas Reipublicæ utiles; quia expedit Reipublicæ, ut passim ab omnibus non vendantur certæ quædam merces.

§. VII.

Prop. unica. Contractus emptionis & venditionis censetur perfectus & completus, statim atque de pretio, ejusque quantitate, reque tradenda, inter partes convenerit, nisi aliter ex mutuo consensu contrahentes disposuerint, aut usus aliter statuat.

Prob. 1. Ex jure civili. *Emptio & venditio*, inquit Justinianus, *contrahitur, simul atque de pretio convenerit, quamvis nondum pretium numeratum sit, ac ne arrha quidem data fuerit*. l. 3. inst. t. 24.

2. *Rat.* Emptio & venditio sunt de numero illorum contractuum, qui solo consensu perficiuntur: ergo perficiuntur ex solo consensu, nisi aut conventione aliter cautum sit, aut usu aliter statuatur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Emptiones & venditiones quæ scriptura conficiuntur, non censentur completæ, nisi instrumenta emptionis fuerint conscripta vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem scripta: & si per tabellionem fiunt, nisi & completiones acceperint, & fuerint partibus absoluta: donec enim aliquid deest ex his, pœnitentiæ locus est, & potest emptor & venditor recedere ab emptione & venditione sine pœna..... Emptor tamen perdit quod dedit; venditor vero duplum restituere compellitur: ita Just. ibid. Consensus enim non censetur plenus, nisi hæc omnia accesserint.

Consect. 2. Licet res vendita non fuerit tradita, nec pretium acceptum, tamen in utroque contrahente certæ quædam oriuntur obligationes, a quibus non possunt citra peccatum se eximere. 1. Neutra pars potest, invita altera, contractum illum rescindere, ut habetur L. 5. C. de obligat. & actionibus. 2. Periculum & commodum rei venditæ transit ad emptorem, ut habetur ff. L. 8. *De periculo & commodo rei venditæ*. 3. Denium emptor & venditor debent initis conventionibus stare, quod magis constabit ex paragrapho sequenti.

§. VIII.

De his, ad quæ tenetur emptor & venditor completo Contractu.

Prop unica. Completo contractu emptionis & venditionis, contrahentes debent mutuo sibi promissa exequi, venditor rem venditam tradendo, emptor vero justum pretium aut dando aut assecurando: qui pacto non steterit peccat, & tenetur ad restitutionem damni.

Prob. 1. Ex jure civili. *Et in primis ipsam rem præstare venditorem oportet, hoc est tradere*. L. 11. §. 2. ff. *De actionibus emptionis & venditionis*. *Quod vendidi non aliter fit accipientis, quam si aut pretium nobis solutum sit, aut satis eo nomine factum*. Lib. 19. ff. *De contrahenda emptione*.

2. *Rat.* Emptio & venditio non fit nisi eo fine, ut emptor rem emptam possideat, & venditor promissum pretium assequatur: ergo ille debet rem tradere; iste vero pecuniam vel tradere, vel securam præstare.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Præstanda a venditore.

Consect. 1. Venditor debet omnia, quæ sequuntur, fideliter exequi.

1. Rem venditam tradere, ut supra dictum est. 2. Debet tradere talem qualem vendendam proposuit, & si non tradiderit talem, tenetur ad evictionem, id est tenetur rem a se venditam coram judice tueri, si quis occasione illius litem emptori intentaverit. 3. Debet tradere loco & tempore condicto: juxta illud:

Is, *qui certo loco dare promittit, nullo alio loco, quam in quo promisit, solvere invito stipulatore potest*. L. 9. ff. *De eo qui certo loco*. Si de loco, de tempore non conventum fuerit, tenetur statim tradere eo in loco, ubi facta fuit conventio; juxta illud juris: *Quoties in obligationibus dies non ponitur, præsenti die pecunia debetur*. L. 4. ff. *de verborum obligationibus*, Et rursus: *Ibi dari debet, ubi est quod legatur*. L. 33. *de judiciis*. Idem dic de re, quæ venditur. 4. Si venditor non tradat rem debitam in loco & tempore condicto, tenetur restituere damnum juxta probabile nocumentum quod contrahenti contulit; juxta illud: *Si res vendita non tradatur, in id, quod interest emptoris, agitur*. L. 1. ff. *De actionibus emptionis & venditionis*. Damnum autem illatum emptori debet pensari, non ex eo solum quod ipse venditor acquisivit, sed ex eo quod emptor acquisiturus fuisset. L. 21. ff. *De actionibus emptionis & venditionis*: v. g. tenetur restituere fructus, quos percepisset ex fundo. Si emptor, v. g. coactus est emere frumentum ingenti pretio, venditor reparare illud damnum tenebitur. Si autem venditor non tradat rem venditam ex justa causa, puta, quia periculum est, ne pretium statutum non solvatur, potest rem venditam in pignus retinere, & tunc ad nihil tenetur, ut docet jus civile. *Venditor pignoris loco quod vendidit, retinet, quoad emptor satisfaciat*. L. 31. ff. §. 8 *De ædilitio edicto*. 5. Venditor, ut bonus paterfamilias, debet rem venditam quandiu retinet, curare; quia non alio fine in manibus ejus relinquitur: ita jubet jus civile. *Talis custodia desideranda est in venditore, qualem bonus paterfamilias suis rebus adhibet*. L. 35. §. 4. ff. *De contrahenda emptione*.

Sic, si venditoris incuria res empta perierit, tenebitur venditor restituere, nisi conventum fuerit venditorem teneri tantum ex dolo, aut nisi emptoris mora aut culpa causa fuerit rem venditam traditam non fuisse; juxta illud: *Dolum, & culpam recipiunt, mandatum pignore acceptum, locatum, commodatum, & venditum*. L. 23. ff. *De reg. juris*.

De modis, quibus fit traditio a venditore.

Consect. 2. Toties res vendita tradita censebitur, quoties non censetur amplius sub custodia venditoris; & ita traditur sequentibus modis.

Mobilia traduntur. 1. Traditione, ut si frumentum quod emisti, in eum, quem indicasti locum, translatum fuerit. 2. Clavis datione, ut si quis merces in horreo depositas vendiderit simul atque claves horrei tradiderit emptori. L. 2. Inst. *De rerum divis*. §. 45. 3. Solo externo consensu, ut si rem tibi locatam, commodatam, aut apud te depositam vendidero, vel rem translatu difficilem, qualis est columna marmorea, tibi venditam declarem. L. 18. §. 2. ff. *De acquisitione vel rerum possessione*.

Immobilia traduntur. 1. Libera possessione, ut si libere permittam te possidere fundum meum tibi a me venditum. 2. Instrumentorum traditione, quibus constat ad me pertinere fundum, quem tibi vendidi. 3. Publico contractu, aut intuitu rei, quam tibi vendidi, ut si duxerim te in fundum tibi a me venditum, & declarem fundum illum jam tuum esse.

Incorporalia traduntur. 1. Cessione, ut si cedam alteri jus quod mihi debetur. 2. Patientia, ut permittam te uti servitute, quam tibi vendidi.

Præstanda ab emptore.

Consect. 3. Emptor debet omnia quę sequuntur exequi. 1. Debet pretium condictum, aut æquivalens venditori tradere; quia non ad alium finem res venditur, nisi ut ejus pretium obtineatur; unde ait jus civile: *Quod venditur, non aliter fit accipientis, quam si aut pretium nobis solutum sit, aut satis eo nomine factum*. L. 19. ff. *De contrahenda emptione & venditione*.

2. Debet pretium statutum loco & tempore condictis tradere; quia res tali conditione vendita est.

3. Si emptor ex culpa pretium statutum non tradiderit, tenebitur damnum reparare: quod damnum emergens, ubi clare non constiterit, pensatur secundum interesse præscriptum a Principe; juxta illud: *Venditori, si emptor in pretio solvendo moram fecerit, usuras dumtaxat præstabit, non omne omnino, quod venditor mora non facta consequi potuit*. L. ult. ff. *De periculo & commodo rei venditæ*. Ubi vero clare constiterit, tenebitur emptor omne damnum ex mora culpabili reparare.

4. Emptor debet solvere usuras ob dilatam solutionem. 1. Si ita cum causa conventum sit, supposito titulo damni emergentis vel lucri cessantis. 2. Si venditor solutionem coram judice cum justo titulo exegerit. 3. Si res empta sit frugifera, v. g. ager, animal, vinea, &c. quia in illis casibus venditor damnum patitur.

5. Si emptor ex mora, vel culpa sua rem emptam apud se non recipiat condicto loco & tempore, si ea perierit, perit emptori;

ri; quia res domino perit. Si res fuerit empta cum pacto retro venditionis, si incuria emptoris res empta vel perierit, vel deterior facta fuerit, tenebitur eam reparare; quia res vendita sub pacto retrovenditionis, est quasi sub custodia acquirentis, & proinde tenetur eam reparare, si ex incuria deterior fiat.

§. IX.

De rescissione venditionis.

Prop. unica. Toties rescindi potest venditio, quoties facta fuerit non servatis conditionibus contractus; & si non rescinderetur, non servaretur rationalis intentio emptoris & venditoris.

Prob. ex dictis. Toties contractus rescindi possunt, quoties non observatæ sunt conditiones contractus; & si persisterent, non servaretur rationalis intentio contrahentium: Ergo toties debet rescindi emptio & venditio, quoties non observatæ sunt conditiones contractus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Venditio rescindenda est, si non tradatur a venditore res vendita, vel pretium rei venditæ ab emptore loco condicto, & tempore condicto; juxta illud: *Non impleta promissi fide, dominii tui jus in suam causam reverti conveniat.* L. 6. C. *De Pactis inter emptorem & venditorem compositis.*

Consect. 2. Venditio rescindi debet, 1. Si vitium non patens sed occultum, non tenue sed insigne, & emptori periculosum, usumque rei venditæ impediens, occultatum fuerit, juxta illud: *Si quid tale fuerit vitii, sive morbi, quod usum ministeriumque hominis impediat, id dabit redhibitioni locum.* L. 1. §. 8. ff. *De ædilitio edicto.*

Sic, si fundi pestilens exhalatio, si servitus incommoda occultata fuerit, rescissio habeat locum: sed si res fuerit vendita bona fide, *propter minimam causam inempta fieri non debet*: ut dicitur L. 54. ff. *De contrahenda emptione.*

2. Quando duo connexa veneunt, v. g. jumenta paria, si alterum sit inutile, potest venditio rescindi quoad singula; quia jumenta non separantur: ut dicitur L. 38. ff. *De ædilitio edicto* §. ult.

3. Si res fuerit vendita cum pacto retrovenditionis, modo intra tempus præscriptum redimatur, venditio rescinditur, si pretium acceptum restituatur; quia ea conditione facta est emptio & venditio.

4. Rescissio venditionis sine ulla causa potest fieri mutuo partium consensu, ut dictum est: *etenim quod consensu contractum est, contrariæ voluntatis adminiculo dissolvitur.* L. 1. C. Lib. 4. Tit. 45.

5. Cum fit redhibitio, aut rescissio venditionis, *oportet ut omnia in integrum restituantur, perinde ac si neque emptio, nec venditio intercessit*, ut dicitur L. 60. ff. *De ædilitio edicto.* Et ita emptor reddet fructus rei emptæ: venditor pretium, & lucrum ex pretio perceptum.

Monit. 1. Venditio, vel emptio, quæ fit authoritate publica, non potest rescindi, si forma juris observetur, quia hæc venditio censetur semper justa, & rationalis, juxta illud juris: *Dictum illud non pertinet ad venditiones fiscales.* L. 1. ff. ibid.

Monit. 2. Quando rescissio commode fieri non potest, & emptor aut venditor deceptus est, tunc per jus aliud offertur supplementum, scilicet *actio quanti minoris*, qua fit ut pretium & res vendita ad justam æqualitatem reducantur, & damnum quod alter contrahentium patitur, reparetur.

§. X.

De Jure retractus.

Nota. Jus retractus est jus, quod habet aliquis, ut præferatur emptori ratione consanguinitatis, quam habet cum vendente.

Prop. unica. Jure retractus potest res vendita retrahi e manu emptoris, invito emptore & venditore.

Prob. rat. Toties res vendita potest retrahi e manu emptoris, quoties id legibus permittitur; quia contractus debent juxta leges iniri: Atqui legibus permittitur, ut jure retractus res vendita possit retrahi a manu emptoris per consanguineos venditoris, ut bona familiæ in ea familia permaneant: Ergo jure retractus res vendita potest retrahi e manu emptoris.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ex parte rerum: quæ res possint retrahi & quæ non possint retrahi. Res tantum immobiles possunt retrahi: his adjunguntur annui redditus, census, pensiones perpetuæ, ususfructus venditus, modo hæ res sint de genere & familia & de majorum bonis, & non recenter acquisitæ a venditore: Ita Gregorius Tolosan. Lib. 26. Cap. 1. Retrahi non possunt res etiam immobiles, quæ hic subjiciuntur. 1. Res limitaneæ Regni

gni non possunt retrahi a parente proximiori, cui Princeps minus fidit; quia bonum Principis præfertur bono privato. 2. Res Regi venditæ, aut ad fiscum delatæ sive ob crimen, sive per contractum; quia bonum Regis bono privato præfertur. 3. Res venditæ Ecclesiæ, vel ab Ecclesia; quia hæc proximos non habet. 4. Res hæredibus venditæ; quia jus familiæ non videtur mutatum. 5. Res venditæ pro augendis Scholis & Ecclesiis; quia utilitati publicæ privata cedit. 6. Feuda vendita, ne vasalli cogantur habere dominium, quem nolunt. 7. Res donatæ, mutuatæ, commodatæ, locatæ, datæ in solutionem, res permutatæ, nisi in fraudem fieret permutatio, non possunt retrahi; quia solus contractus venditionis dat jus retractus: ita Gregorius Tolos. ibid.

Consect. 2. Ex parte personarum: quinam possint uti jure retractus, & quinam non possint.

Jure retractus uti potest proximus, non remotior, sed propinquior; & si plures sint eodem gradu, omnes possunt, non modo ipsi proximi, sed etiam eorum hæredes necessarii, imo & extranei, si propinquus defunctus vel cœperit, vel dixerit se velle retrahere; cedere vero jus retractus extraneo proximus non potest.

Jure retractus uti non possunt qui hic subjiciuntur. 1. Hi, qui sunt conjuncti cum venditore sola adoptione, vel affinitate. 2. Spurii non possunt bona patris naturalis retrahere. 3. Qui jure civili pro mortuis habentur, ut deportati. 4. Hi, qui res redhibendas emere non possunt; unde non retrahunt qui munera & officia, quæ rebus retrahendis hærent, præstare non possunt; v. g. femina feudum non femineum, persona Ecclesiastica feudum temporale: ita Gregorius Tolos. ibid.

Consect. 3. De modo utendi jure retractus. Proximus retrahere volens rem venditam debet primo extra judicium emptorem interpellare, ut secundum consuetudinem loci huic juri satisfaciat, & si recuset, instituere actionem in rem scriptam. 2. Pretium æquale cum legitimis impensis restituere, vel saltem offerre realiter in pecunia numerata; idque in domo emptoris, vel eo absente, debet pecuniam deponere apud personam publicam; & hoc nomine & jure retractus; totumque illud fieri debet intra annum & diem a tempore venditionis, nisi brevius vel longius tempus consuetudo admittat: ita idem Gregorius Tolos. ibidem.

§. XI.

De Jure evictionis.

Nota. Jus evictionis est jus, quod habet verus dominus rei, ut rem suam ab alio venditam authoritate judicis recuperet.

Prop. unica. Jure evictionis legitimus dominus rei potest rem suam ab alio venditam e manu emptoris judicis authoritate retrahere.

Prob. Quilibet potest authoritate judicis rem suam, ubicumque fuerit persequi: Ergo potest eam recuperare, quando, ipso invito, vendita est a non vero domino; quia nemo potest in alium transferre plus juris, quam ipse habet.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ex parte rerum. Res quælibet sive mobilis, sive immobilis, vendita a non vero domino, potest per verum dominum evinci, idest, authoritate judicis retrahi; quia res quælibet domino suo clamat.

Consect. 2. Quoad personas. Quando quis vendidit rem alienam, sive bona fide, sive mala fide vendiderit, solus dominus rei venditæ potest eam evincere; quia ille solus jus habet rem illam exigendi.

Consect. 3. Ex parte modi evincendi. Quando res a vero domino exigitur per evictionem ab emptore, emptor debet præmonere venditorem, ut justis defensionibus utatur; si id omittat, venditor non tenebitur ab evictione: quia emptor in causa est, cur se venditor non defenderit.

Monit Ideo ea, quæ pertinent ad venditionem & emptionem, multis executus sum; quia scilicet hæc singula possunt esse regula eorum omnium, quæ dicenda sunt de aliis contractibus, ut patebit ex dicendis.

ARTICULUS II.

De Permutatione.

Nota. Permutatio est contractus, quo res cum alia re vel ejusdem speciei, vel alterius permutatur, v. g. vinum cum vino, vinum cum oleo, &c.

Prop. unica. Eædem requiruntur conditiones in permutatione, quæ in venditione, his exceptis, quæ distinguunt permutationem ab emptione & venditione.

Prob. rat. Permutatio est vicina emptioni, ut habetur L. ultima. ff. de rerum per-

mutatione: *Aristo ait, quoniam permutatio vicina est emptioni:* Ergo iisdem conditionibus constare debet, quibus emptio & venditio, sive res, sive personæ, sive modus permutandi examinentur, modo excipias ea, in quibus permutatio differt ab emptione & venditione.

Convenit autem permutatio cum emptione & venditione sequentibus modis.

1. Utrobique transfertur dominum, aut possessio rei. 2. Utrobiq; debetur evictio. 3. Utrobique debet dari id, de quo conventum est.

Differt autem permutatio ab emptione & venditione sequentibus modis.

1. Emptio & venditio perficiuntur solo consensu; permutatio vero rei traditione. 2. In emptione & venditione datur pretium pro re; in permutatione vero res pro re. 3. Vendi res aliena potest; permutari non potest.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quoad permutantes. Permutantes debent habere dominium rerum, quas exponunt permutationi; quia per permutationem transfertur rerum dominium. *Ideoque Pedius ait, alienam rem dantem, nullam contrahere permutationem.* L. 1. ff. *de rerum permutatione* §. 3.

Consect. 2. Quoad res permutandas. Hæ solum res possunt permutari, quæ sunt in commercio hominum, quæque sunt in nostra potestate, & quæ ad æqualitatem redactæ sint; alias contractus vel foret nullus, vel illicitus, ut dictum est de contractibus in communi.

Consect. 3. Quoad modum permutandi. In actuali permutatione permutantes non debent se mutuis dolis decipere, sed debent vitia rerum permutandarum, si quæ habeant, manifestare, ut dictum est de emptione & venditione.

ARTICULUS III.

De cambio monetarum.

Cambium est permutatio pecuniæ pro pecunia. Illequi in gratiam alterius cambit, dicitur campsor: is vero in cujus gratiam fit cambium, campsarius appellatur.

Campsor alius est publicus, alius privatus.

Campsor publicus est ille, qui authoritate Reipublicæ statuitur, & hic tenetur cambire pecunias omnibus, & singulis postulantibus.

Campsor privatus est ille, qui quibus vult, & non aliis cambit pecunias. Si Respublica statuat campsores publicos, privati non possunt exercere artem cambiendi; quia standum est legibus Reipublicæ.

Prop. 1. Toties cambium est licitum, quoties diversæ monetæ, cambio expositæ reducuntur ad æqualitatem, quoties campsoris cura justo pretio compensatur, & lucrum cessans, aut damnum emergens reparatur.

Prob. rat. Justitia nihil aliud exigit, quam ut res, quæ sunt materia contractuum, reducantur ad æqualitatem, & proinde quod labor contrahentium compensetur & lucrum cessans, aut damnum emergens reparetur. Ergo toties cambium monetarum erit licitum, quoties prædictæ conditiones observabuntur: & proinde cambium erit licitum in sequentibus casibus, licet aliquod lucrum moderatum accipiatur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

De casibus, in quibus licitum est cambium.

Consect. 1. Licitum est cambium minutum in quo pecuniæ pretiosiores cum vilioribus commutantur, aut viceversa, cum viliores cum pretiosioribus commutantur: v. g. aurum datur pro argento, argentum pro ære, pecunia unius loci pro pecunia alterius, v. g. moneta Galliæ pro moneta Hispaniæ, aut viceversa, diverso utriusque monetæ pensato pretio; quia in tali cambio campsori justus est titulus sumendi aliquid. 1. Labor campsoris in numeranda pecunia. 2. Diligentia in conquirenda pecunia omnis generis, ut præsto sit dare omni exigenti monetam, quam postulaverit. 3. Officium cambiendi, in quo necessarii sunt famuli, subeunda pericula, & alia hujusmodi: quæ singula sunt prætio æstimabilia.

Consect. 2. Licitum est cambium per litteras, in quo campsarius, cui opus est, ut pecunia alio invehatur, eam pecuniæ summam hic, v.g. Tolosæ, campsori prius ipse campsarius numerat, quam postea campsor, litteris datis, alibi, v.g. Parisiis refundit per suos, ut loquuntur, correspondentes: etenim hoc in casu campsor justum habet titulum sumendi aliquid. Titulus ille est. 1. Realis, aut virtualis transvectio pecuniæ. 2. *Assecuratio*, ut dicunt, pecuniæ acceptæ; suscipit enim in se onus *assecurandi* pecuniam per vias vel longas, vel difficiles transvehendam. 3. Officium campsoris est onus habendi correspondentes; quæ omnia sunt prætio æstimabilia: licet autem non transferat pecunias, sed quas jam habet, alibi exhibeat; tamen semper potest aliquid

quid

quid accipere; quia hoc per accidens se habet; & id fructus est ejus industriæ.

Confect. 3. Cum eædem monetæ sunt inæqualis valoris in diversis locis propter copiam monetarum in uno loco,& penuriam in alio; tunc licitum est,inquit Soto, pecuniam ab uno in alterum locum cambire,habito respectu copiæ,quæ est in uno, & inopiæ quæ est in alio:ita scilicet,ut hic, v. g. Tolosæ, ubi est inopia argenti, dem minorem summam; & illic, v. g. Parisiis, ubi est copia argenti, majorem summam recipiam; dummodo non pallietur usura, nihilque recipiatur ratione temporis; tunc enim dati,& accepti æqua est æstimatio: nam potest contingere, quod hic Tolosæ,ubi est raritas monetæ,centum nummi pluris æstimentur, quam centum & decem Parisiis: sicuti centum cadi olei, hic Tolosæ, ubi est penuria olei, pluris valent, quam centum & decem cadi olei Narbonæ, ubi est copia olei: ergo sicuti absque injustitia, centum & decem cadi olei, quos Narbonæ habes, possunt mutari cum centum cadis olei, quos hic Tolosæ habeo; ita & de moneta idem dici potest,inquit Soto: & quamvis ego video disparitatem esse maximam, quia moneta valorem habet statutum a Principe, qui nec crescere, nec decrescere potest per voluntatem contrahentium; res vero usualis valorem habet, qui crescere, & decrescere potest: tamen non videtur omnino sententia Soti reprobanda, eamque ego lectori vel approbandam, vel improbandam relinquo.

De casibus, in quibus illicitum est cambium.

Confect. 1. Illicitum est cambium, in quo datur præsens moneta, & intra certum tempus restituenda est eadem quantitas monetæ cum aliquo fœnore ratione expectati temporis; tunc enim non servatur æqualitas inter monetas, quæ commutantur: sicut usura esset, si mutares frumentum cum frumento ejusdem speciei & valoris, & ratione temporis aliquid supra datam mensuram exigeres; tunc enim in cambio illo palliatur usura; etenim hic contractus verum est mutuum, in quo recipitur aliquid ultra sortem ratione dilatæ solutionis.

Confect. 2. Illicitum est cambium, in quo mutans monetam cum moneta,dat monetam minoris valoris, & exigit monetam valoris majoris, vel ratione figuræ, v. g. si dares nummum gallicum, & exigeres nummum anglicum, qui, ut dicunt, constat ex puriore & altiore metallo; tunc enim non servaretur æqualitas in monetis: sicuti si permutans triticum, dares commune, & exigeres longe melius.

Confect. 3. Illicitum est cambium, in quo, imminente diminutione pretii monetarum, nolles dare, neque accipere monetam pretio statuto a Principe, sed dares computando altiori pretio, & reciperes computando inferiori pretio; quia non servaretur æqualitas: moneta enim legitimum habet a Principe pretium, quod nefas est vel excedere, vel non pertingere.

Prop. 2. Justum pretium campsoris publici est illud, quod statuitur a Principe. Justum pretium campsoris privati est illud, quod vulgo sumitur a viris probis ejusdem artis.

Prob. rat. Cambium mensurari potest ad instar emptionis & venditionis: atqui in venditione justum pretium est vel illud quod statuitur tum a lege, tum a Principe, vel illud quod statuitur communiter a viris probis: ergo & in cambio.

Confect. unic. Sicut illicita est venditio vel emptio, quoties non servatur pretium vel statutum a Principe, vel determinatum ab hominum æstimatione; ita cambium erit illicitum, quoties campsor plus accipiet, quam vel consuetudo, vel leges statuerint.

CAPUT VI.

De Contractibus, in quibus non transfertur dominium rei, sed transfertur usus fructus rei.

ARTICULUS UNICUS.

De emphyteusi & feudo.

NOta. Emphyteusis est contractus, quo sub onere pensionis annuæ transfertur ususfructus, seu dominium utile rei immobilis, retento dominio directo. L. 1. & 2. C. de jure emphyteusis. Dans fundum vocatur dominus: recipiens vocatur emphyteuta. Feudum est contractus, quo sub onere fidelitatis, & obsequii personalis transfertur dominium utile rei immobilis, retento dominio directo. Ibid.

Dans fundum vocatur dominus: accipiens fundum vocatur feudatarius, seu vassallus.

Prop. unica. Dans fundum in feudum, vel emphyteusim, conservat tantum dominium directum, & solum potest exigere pensionem ab emphyteuta, fidelitatem vero vel obsequium personale a feudatario. Accipiens vero fundum vel in feudum, vel in em-

emphyteusim, acquirit solum dominium utile, & tenetur solvere per pensionem, si sit emphyteuta, obsequium vero personale, si sit feudatarius.

Prob. rat. Hæc est natura contractus feudi, vel emphyteuseos: cum enim, nec vera venditio sit, nec vera locatio, non traditur dominium directum rei, ut vulgo fit in venditione, non traditur solus usus rei, ut vulgo fit in locatione ad certum tempus; sed feudator retinet dominium directum rei, & feudatarius acquirit usumfructum, seu dominium utile, sub onere obsequii personalis. Item emphyteuta retinet dominium directum rei, emphyteutarius acquirit usumfructum, seu dominium utile, sub onere pensionis: ergo dans fundum debet retinere dominium directum, & accipiens debet solvere quod promisit; quilibet enim debet stare conditionibus contractus a se initi. Totum illud colligitur ex L. 1. C. de jure emphyteutico.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quoad personas. Hi soli possunt dare in feudum, qui sunt veri domini fundi: & hi solum possunt accipere in feudum, qui possunt acquirere dominium utile; quia ille contractus non fit ob alium finem.... & ita qui sunt incapaces dominii nequeunt dare, vel accipere in feudum.

Consect. 2. Quoad res. Res solum immobiles, quæ cultu possunt fieri meliores, possunt dari in feudum vel emphyteusim, v. g. agri, vineæ, imo ædificia; minime vero res mobiles, v.g. vestimenta, equi &c. ....quæ usu possunt fieri deteriores; quia finis feudi, & emphyteuseos est, ut fundi inculti, & steriles per culturam fiant meliores; ædificia vero conserventur, & domino directo pensio solvatur.

Consect. 3. Quoad modum & effectus, qui feudum comitantur tam respectu domini, quam emphyteutæ. Dominus 1 Retinet semper dominium directum fundi. 2. Quotannis in recognitionem illius dominii pensionem accipit. 3. Sine illius consensu fundus non alienatur, & si velit, emptori præfertur. 4. Cum alienatur, laudemium ei solvitur, Gallice *Lots & ventes*.

Emphyteuta 1. Habet dominium non directum, sed utile, & percipit omnes fructus fundi. 2. Tenetur ad meliorationes, & earum pretium potest exigere, dum invitus fundum dimittit. 3. Fundum potest sine consensu domini permutare, donare, legare, oppignorare. 4. Potest eo fundo non secus ac proprio uti.

Ex parte vero utriusque, scilicet domini, & emphyteutæ, hæ observandæ sunt leges.

Si fundus datus in feudum, vel emphyteusim casu aliquo pereat, v. g. inundatione, incendio, perit domino fundi. Si fructus pereant, pereunt feudatario; quia res quælibet domino suo perit. Feuda seu feudator, vel emphyteutans est dominus fundi: feudatarius, vel emphyteuta est dominus fructus.

Si fundus pereat ex toto, feudatarius eximitur a totali obsequio, & emphyteuta a totali pensione: si pereat ex parte, potest petere diminutionem vel obsequii, vel pensionis, vel fundum superstitem dimittere; quia pensio & obsequium fundantur supra fundum, sicut accessorium supra principale.

Consect. 4. De dissolutione, rescissione contractus feudi, & emphyteuseos. Feudatarius & emphyteuta possunt privari fundo, si violent statutas conditiones feudis aperte contrarias; quia omnis contractus dissolvitur, si non stetur conventis: & ita cessat feudum, & emphyteusis, si negetur pensio vel obsequium personale. Si emphyteuta per triennium cessaverit a solutione, cadit suo jure. L. 2. C. de Jure emphyteusis. Si emphyteuta Ecclesiasticus cesset per biennium, cadit suo Jure. Nov. 7. tit. 1. cap. 3. §. 2. si vendatur res emphyteutica sine consensu domini: si non solvatur laudemium Gallice *Lots & ventes*: si feudatarius, & emphyteuta sit insigniter ingratus erga dominum: si fundum deteriorem faciat. Hæc omnia colligo ex Nov. 120. tit. 3. c. 8.

Si feudatarius, vel emphyteuta fundum meliorem fecerint, si ex culpa sua fundum deserant, vel quia sponte volunt deserere fundum, vel quia nolunt solvere pensionem, vel obsequium; tunc non poterunt meliorationis pretium exigere, sicuti de usufructuario dicitur.

CAPUT VII.

De contractibus, quibus transfertur solus usus rei, v.g. de locatione & conductione, commodato & precario.

NOta. Usus rei transfertur aliquando gratis, aliquando pro pretio: usus rei transfertur gratis per commodatum & precarium: transfertur vero pro pretio per locationem & conductionem.

AR-

ARTICULUS I.

De locatione & conductione.

NOta. Qui dat usum rei, dicitur locator: qui accipit, dicitur conductor. Locatio est contractus, quo res, vel persona ad usum justo pretio conceditur.

Conductio est contractus, quo res vel persona ad usum justo pretio comparatur.

§. I.

De conditionibus requisitis ad locationem & conductionem.

PRop. unica. Eædem requiruntur conditiones in locatione & conductione, quæ in emptione & venditione, his exceptis, quæ possunt emptionem & venditionem a locatione & conductione distinguere.

Prob. Jure civili .... *Locatio & conductio est proxima emptioni, & venditioni, iisdemque regulis consistit: nam ut emptio, & venditio ita contrahitur, si de pretio convenerit; sic & locatio & conductio ita contrahi intelligitur, si merces constituta sit; & competit locatori quidem locati actio, conductori vero conducti actio*. Inst. lib. 3. tit. 25. Ergo iisdem conditionibus constare debet, quibus constat emptio, & venditio.

Conductio & locatio conveniunt cum emptione, & venditione in sequentibus modis. 1. Uterque contractus est contractus bonæ fidei, ultro citroque obligatorius. 2. Uterque perficitur consensu. 3. Ut in emptione & venditione consensus est in rem, & pretium: sic hic in rem, & mercedem. 4. Quod ut ibi pretium, sic hic merces in arbitrium tertii conferri potest. 5. Sicut in pecunia pretium rei, sic in pecunia merces rei consistit.

Conductio, & locatio differunt ab emptione, & venditione: 1. Quod in emptione res tantum datur; hic non res tantum, sed facta veniunt. 2. In contractu emptionis, & venditionis proprietas alienatur; in locatione usus tantum venit. 3. Pretium tantum consistit in pecunia numerata; merces potest consistere in omni re fungibili. 4. Venditor indigens re vendita a traditione non excusatur; bene tamen locator, si ea egeat. 5. Post contractum emptionis, & venditionis casus fortuiti ad emptorem spectant; non rei conductæ ad conductores. Hæc omnia educuntur ex toto titulo locati, & toto titulo de contrahenda emptione.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quoad locantes, & conducentes. Locans & conducens debet habere dominium rei, quam exponit contractui: ille rei quam locat, ille pretii quod rependit; quia nemo potest contractibus exponere quæ sui juris non sunt.

Consect. 2. Quoad res, quæ sunt materia locationis, & conductionis. Res locatæ debent esse utiles, & non perniciosæ conducenti; quia res perniciosæ ex commercio hominum excludi debent. Sic locari possunt 1. Res soli usui inservientes, ut domus habitanda, liber legendus, &c.: ... 2. Res frugiferæ, ut agri, vinea, prata, stagna piscifera, fodinæ, &c...... 3. Operæ artificum, instructio magistrorum.

Locari non possunt res, quæ solo usu totaliter consumuntur, ut oleum, vinum, frumentum, moneta ipso usu consumenda; quia in his rebus usus non differt ab ipsa re; juxta illud juris: *Commodari non potest id, quod usu consumitur, nisi forte ad pompam, & ostentationem quis accipiat*. L. 3. ff. commodati vel contra §. 6. Eadem ratione locari nequeunt domus usurariis, lenonibus, & aliis hujusmodi, ut vetant leges tum civiles, tum Canonicæ.

Consect. 3. De æqualitate servanda in locatione & conductione.

Usus, & utilitas rei locatæ debent reduci ad æqualitatem cum pretio dato a conductore; quia alias contractus esset injustus, si pretium non æquivaleret usui, & utilitati, & utilitas & usus pretio. Sic totum pretium debet restitui, si res locata nulli usui esse potuerit; debet vero reddi ex parte, si ex parte solum utilis fuerit, v.g. si domus pestilens locata fuerit, si equus inutilis locatus fuerit.

Sic pensio debet ex toto remitti, si citra culpam conducentis res frugifera omnino sterilis fuerit, ut dicit jus civile. *Si labes*, inquit, *facta sit, omnemque fructum tulerit, damnum coloni non esse .... sed damnum domini futurum*, ut habetur L. 15. ff. locati §. 3. Debet remitti ex parte, si ex parte sterilis fuerit, nisi aliter conventum fuerit inter contrahentes; juxta hanc regulam: colono unius tantum anni fit quædam remissio, si ingens sterilitas contingat; nulla vero fit remissio, si exigua sterilitas eveniat. *Modicum damnum debet ferre colonus, cui immodicum lucrum non aufertur*. L. 25. ff. locati §. 6. Sic colono multorum annorum nulla fit remissio pensionis ob sterilitatem etiam ingentem unius anni; quia sterilitas unius anni per ubertatem

tatem multorum annorum compensatur. *Si uno anno remissionem quis colono dederit ob sterilitatem, deinde sequentibus annis contingit ubertas, nihil obesse domino remissionem, sed integram pensionem etiam ejus anni, quo remisit, exigendam*. L.15. locati §.4

Si locator & conductor contractum ineunt, quo, servata æqualitate, & pensatis omnibus, minori pretio fundi conductor suscipiat in se omnem casum, omnem sterilitatem, standum est contractui, nullaque ei fieri debet remissio ob sterilitatem ex causis naturalibus provenientem. *Si quis*, inquit Jus Civile, *fundum locaverit, ut etiam si quid vi majori accidisset, hoc ei præstaretur, pacto standum esse*. L. 9. ff. *locati* §. 2.

Consect. 4. Circa modum locandi, & conducendi. Si locationi, & conductioni admisceantur alii contractus, qui non sint contra naturam locationis, & conductionis, pacta, & statuta illorum contractuum observanda sunt; quia nihil tam rationi congruum, quam statuta pacta observari.

Sic, si dominus locator fundi, & colonus conductor quandam societatem ineant, *Partiarius colonus, quasi societatis jure & lucrum & damnum societatis jure patitur cum domino fundi*. L. 24. ff. *Locati* §. 6.

§. II.

Quid præstandum a conductore.

Prop. unica. Conductor non potest uti re conducta, nisi juxta vel pactum vel consuetudinem; & si ea abutatur, tenetur reparare damnum culpa sua, vel dolo suo proveniens; si vero ea non abutatur, non tenetur reparare damnum, quod solo casu evenit.

Prob. ex jure civili. *In judicio tam locati, quam conducti, dolum & custodiam, non etiam casum, cui resisti non potest, venire constat*. L. 28. C. De locato: ergo si conductor vel contra pactum, vel contra consuetudinem, vel dolose, vel culpabiliter agat, tenetur damnum reparare.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Sequitur, conductorem peccare, & teneri ad restitutionem in sequentibus casibus. 1. Si contra pactum agat: v. g. si ignem habeat, ubi non haberi conventum est, & incendium contingat, tenetur reparare damnum; *quia*, inquit jus civile, *non debuit ignem habere*. L. 11. ff. *Locati* §. 1. Si fœnum paleamve ponat, ubi conventum erat non poni.... Si servus ignem deferens succendat, tenetur reparare; *quia ipse causam præbuit, inferendo contra conductionem*, inquit jus civile. L. 11. ff. *Locati* §.4. Si mulas, equos &c. rumpat opprimendo insueto onere. L.30. ff. *Locati* §. 2. Si colonus fundum ante præfixum tempus deserat. L. 24. ff. *Locati* §. 2.

2. Si ex culpa sua, vel suorum, res conducta pereat, vel deterior fiat, tenetur reparare; quia culpam debuit præcavere. *Periculum*, inquit lex, *præstat, si qua ipsius, eorumque, quorum opera uteretur, culpa acciderit*. L. 25. ff. *Locati*. §. 7.

Si conductor inimicum injuste provocavit, & hic ex ira excidat fundi conducti arbores, conductor tenetur reparare. L.25. ff. *Locati* §. 51. Si conductor levi metu percussus, latronibus, militibusve diripiendam exponat rem locatam, tenetur reparare; minime vero, si justo fuerit metu percussus. L. 27. ff. *Locati* §. 1.

3. Si res conducta casu pereat, vel deterior fiat, conductor ad nihil tenetur; quia nemo tenetur casibus improvisis. Sic, si extra culpam, & dolum res conducta pereat ignibus, aquis, latronibus, ad nihil tenetur conductor; quia *incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum a nullo præstantur*, ut habetur. L. 23. ff. *de reg. jur.*

§. III.

Quid præstandum a Locatore.

Prop. unica. Locator tenetur efficere, quantum in se est, ut conductor pacifice, & commode juxta pactionem re conducta fruatur: si hanc curam sine causa omittat, tenetur damnum hinc secutum reparare.

Prob.ex jure civili. Hæ sunt leges Locationis. *Plane, si forte dominus frui non patiatur, quod interest, præstabitur*. L. 15. ff. *Locati* §. 8.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Ex quo sequitur, locatorem peccare, & teneri ad restitutionem in casibus sequentibus.

1. Si non stet pactis. *Si quid in lege conductionis convenit, si hoc non præstatur, ex conducto agetur*, ut dicitur L. 15. ff. *Locati* §. 1.

2. Si res locata talis detur, ut ea uti pacifice & commode conductor non valeat; vel quia res non datur integra, sed solum ex parte, ut si non domus integra, sed solum aliqua ejus pars detur; vel quia non datur commoda:

da: v.g. si fenestræ sint effractæ, ostia corrupta. L.25. ff. *Locati* §.2.

3. Si res conducta, ex dolo, vel culpa locatoris, sit noxia conductori: v.g. *Si dolia vitiosa locaverit, deinde vinum effluxerit, tenebitur in id, quod interest, nec ignorantia ejus erit excusata*. L. 19. ff. *Locati*. §. 1. quia debebat examinare dolia, antequam ea locaret. *Si saltum pascuum*, inquit lex, *locasti, in quo herba mala nascebatur .... quod interest, præstabitur, si scisti: si ignorasti, pensionem non petes*. Ibid.

4. Si res locata sine causa ante præfixum tempus a conductore auferatur, tenetur damnum hinc sequens reparare, quia pacta non servat. Potest tamen res locata auferri a conductore, minuendo pretium pensionis pro rato tempore, quo conductor re locata spoliatur. 1. Si res locata sit propriis usibus ipsius locatoris necessaria: v.g. si ipse locator velit domum suam, quam locavit, habitare. L. 3. C. De re locata. 2. Si res locata vendatur, vel legato donetur. ibid. 3. Si conductor pensionem non solvat, vel re conducta male utatur, & non tanquam bonus paterfamilias. L. 3. C. ibid. 4. Si conductor pensionem non solvat... colonus ejicitur tunc pensionum debitarum nomine. Ibid.

§. IV.

De locante suas operas.

Prop. 1 Qui locat suas operas, tenetur opus susceptum juxta regulas artis perficere: si non faciat, tenetur damnum, ex ignorantia sua, vel negligentia, vel dolo proveniens, reparare.

Prob. ex jure civili, ubi sic habetur: *Poterit ex locato cum eo agi, qui vitiosum opus fecerit*. Lege 51. ff. *Locati*. §. 1. Ergo qui suas locat operas, tenetur opus susceptum juxta regulas artis perficere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Sequitur, quod hi omnes, qui hic subjiciuntur, peccant, & ad restitutionem tenentur.

1. Colonus, qui intempestivo tempore culturam adhibet: *quia*, inquit lex, *colonus curam debet, ut opera rustica suo quoque tempore faciat, ne intempestiva cultura fundum deteriorem faceret*. L. 25. ff. *Locati*. §. 5.

2. Pastor negligenter armenta custodiens: quia qui mercedem accipit pro custodia alicujus rei, is ejus periculum præstat.

3. Vectores publici, v.g. nautæ, muliones, rhedarii, qui res a loco in locum deferendas suscipiunt, & integras non exhibent, habetur contra eos actio ex locato. L. 13. ff. *Locati*. §. 2. & L. 25. §. ibid.

4. Fullones, sartores, qui non reddunt integra, quæ eis commissa sunt, etiam si vulgari casu perierint. *Si fullo vestimenta polienda acceperit, eaque mures roserint, ex locato tenebitur; quia debuit ab hac re cavere: & si pallium fullo permutaverit, & alii, quod est alterius, dederit, ex locato actione tenebitur, etiam si ignarus fecerit*. C. 13. ff. *Locati*. §. 6.

5. Artifices demum omnes, qui opus vitiosum efficiunt; quia locarunt se ut artifices. L. 9. ff. *de Locato* §. 5.

Prop. 2. Artifex non tenetur ea damna reparare, quorum nullatenus est causa.

Prob rat. Tunc artifex nullatenus est in culpa: ergo non debet damnum pati.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Sequitur, quod artifices ad nihil tenentur in subjectis casibus.

1. Si dominus voluerit artefactum fieri contra regulas, invito artifice præmonente; tunc enim debet vitium operis sibi imputare. L. 51. ff. *Locati* §. 1.

2. Si dominus materiam dederit, circa quam artifex artem suam exercere coactus fuerit: si opus vitiosum fuerit ex conditione materiæ, & non ex incuria artificis. *Si gemma*, inquit lex, *includenda, aut insculpenda data sit, eaque fracta sit, siquidem materiæ vitio factum sit, non erit ex locato actio, si imperitia facientis, erit .... Nisi periculum in se artifex susceperit*. L. 13. §. 5. ff. *Locati*.

3. Si casus omnino imprævisus opus corruperit: v.g. si ædificium pene perfectum motu terræ conciderit: *Si soli vitio id acciderit, locatoris erit periculum; si operis vitio acciderit, tuum*, idest artificis, *erit detrimentum*. L. ult. ff. *Locati*. In priori casu, in quo scilicet non est culpa, compensandæ erunt artificis operæ; minime vero in posteriori, in quo est culpa.

ARTICULUS II.

De commodato & precario.

Commodatum est contractus, quo res aliqua ad solum usum gratuito conceditur pro determinato usu, & pro determinato tempore, ea conditione, ut res eadem in individuo restituatur. Precarium est contractus, quo res aliqua ad solum usum gratuito

tuito conceditur, non determinando usum vel tempus. Diciturque precarium, eo quod precibus petentis utendum conceditur, quamdiu is, qui concessit, patitur. L. 1. ff. de precario.

Prop. unica. Eædem requiruntur conditiones in commodato, & precario, quæ requiruntur in donatione, paucis exceptis, quæ distinguunt donationem a commodato & precario.

Prob. rat. Commodatum non est pignus, aut depositum; quia in pignore res datur securitatis gratia, in deposito custodiæ gratia. Non est mutuum: quia in mutuo accipiens fit dominus rei acceptæ, in commodato accipiens potest tantum uti re accepta. Non est locatio; quippe locatio fit sub certa mercede, commodatum autem fit gratuito. Ergo commodatum est gratuita donatio hujus rei, quæ commodatur: ergo eædem requiruntur conditiones in commodato, quæ in donatione.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quoad personas. Illi omnes commodare possunt, non solum qui habent dominium rei, sed etiam ejus possessionem, sive liberi, sive servi, sive patres, sive filiifamilias: & quidem possunt commodare unicuique, modo speretur, quod res commodata non futura sit ipso usu deterior; quia nihil ultra requiri potest a domino, nisi ut res ipsa reddatur. *Commodare possumus*, inquit jus civile, *rem etiam alienam, quam possidemus: tametsi scientes alienam possideamus*. L. 15. ff. *Commodati vel contra*.

Consect. 2. Quoad res. Ea solum possunt commodari, quorum usus distinguitur ab ipsis rebus; qualia sunt omnia, quæ usu non consumuntur, sive mobilia sint, ut vestis, &c. sive moventia, ut equus, &c. sive immobilia, ut domus &c.

Consect. 3. Quoad modum, Modus commodati præfigitur a commodante; cum enim commodatum sit donatio usus, donatoris est modum beneficio suo præscribere. *Modum*, inquit jus civile, *finemque præscribere, ejus est qui beneficium tribuit*. L. 17. ff. *Commodati* §. 3.

Si modus commodati & quoad usum, & quoad tempus non præscribatur a commodante, consuetudine mensurabitur; quia consuetudo est contractuum interpres, sicut & legum. Sic, si equum commodavero, si librum, &c. eis utendum est ad usus solitos & non insolitos, v. g. equo ad iter agendum, libro ad legendum; minime vero ad oppignorandum.

Si modus commodati nec expresse per conditionem a commodante impositam, nec per consuetudinem cognosci possit, per æquitatem judicari debet. Sic commodatum potest repeti ante præfixum tempus, etiam cum damno commodatarii, si simile damnum impendeat commodanti; quia æquitas postulat, ut dominus rei potius re sua utatur, quam alius. Sic commodatum non potest repeti ante tempus præfixum, vel nondum expleto usu, ad quem datum est; quia alias commodatum magis noceret, quam prodesset.

Consect. 4. De obligat. commodatarii. Commodatarius tenetur servare commodatum præ rebus suis, si sit pretiosius vel æque pretiosum; æquitas enim postulat, ut commodatarius, in cujus utilitatem cedit commodatum, damnum patiatur potius quam commodans. Sed si res commodatarii sint longe pretiosiores re commodata, poterit commodatarius præferre res suas commodato; æquitas enim postulat, ut nemo patiatur ingentem jacturam in rebus suis, ut vitet minorem in alienis.

ARTICULUS III.

De Mandato.

Mandatum est quasi manudatum; fit enim cum quid alteri gerendum committitur.

Mandatum est contractus, quo negotium aliquod alicui gratuito gerendum committitur, & suscipitur. Qui committit negotium, dicitur mandans, seu mandator: qui suscipit negotium, dicitur mandatarius.

Prop. unica. Eædem requiruntur conditiones in mandato, quæ requiruntur in locatione operarum, hoc solum discrimine, quod locatio operarum non est gratuita, mandatum vero debet esse gratuitum.

Prob. rat. desumpta ex jure civili. *In summa sciendum est, mandatum, nisi gratuitum sit, in aliam formam negotii cadere; nam mercede constituta incipit locatio esse & conductio*, ut dicitur Lib. 3. Inst. tit. 27. §. 14. Ergo ob affinitatem, quam mandatum habet cum locatione & conductione operarum, eædem requiruntur conditiones in mandato, quæ in locatione, & conductione operarum; hoc excepto, quod locanti operas ex justitia debetur compensatio, mandatario autem ex gratitudine solum debetur honorarium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *Quoad personas.* Mandans habere debet authoritatem circa rem, quam mandat: mandatarius vero debet habere dominium operarum, quas promittit; quia nemo potest exponere contractui nisi quæ ipsius sunt.

Sic nemo potest aliena negotia alicui committere; quia ad id non habet authoritatem. Sic qui non sunt sui juris, v.g. Monachus, servus, &c. non possunt aliena negotia suscipere; quia non sunt domini suarum operarum.

Sic actus legitimi per solemnes legis actiones coram judice expediendi, mandari non possunt privato homini; quia debent fieri per personam publicam: v.g. Aditio hæreditatis. L. 9. ff. *De acquirenda hæreditate*. Adoptio. L. 24. ff. *De adoptione*. Emancipatio. Lib. 3. Inst. tit. 1. §. 12. Tutoris datio. L. 6. ff. *De Tutoribus*. Accepti latio. L. 13. ff. *De accepti latione*, non possunt committi nisi personis ad id per jura destinatis.

Consect. 2. *Quoad res*. Illa solum possunt mandari, quæ sunt honesta & licita, non turpia vel injusta; mandatum enim de re turpi non est obligatorium, etiamsi firmaretur juramento, ut habetur de reg. jur. in 6. *Non est obligatorium*, inquit regula, *contra bonos mores præstitum juramentum*. Reg. 58.

Consect. 3. *Quæ æqualitas servanda in hoc contractu*. Honorarium datum a mandante, & mandatarii operæ non debent ex justitia, sed solum ex decentia reduci ad æqualitatem; quia mandatum debet esse gratuitum: & si honorarium interveniat, debet esse non merces operarum, sed gratuita compensatio, quæ promissa accipi valeat, negata vero exigi non permittatur; nam ex jure civili L. 1. ff. §. 4. ff. Mandati vel contra, *Mandatum, nisi gratuitum, nullum est; nam originem ex officio atque amicitia trahit*. Mandans tamen tenetur ex justitia restituere mandatario omne damnum, quod passus est mandatarius in mandati executione, modo mandatarius mandantem de damno, quod passurus erat, præmonuerit. *Sumptus*, inquit lex, *bona fide necessario factos, etsi negotio finem adhibere procurator non potuit, judicio mandati restitui necesse est*. L. 56. ff. Mandati vel contra. §. 4. *Ne*, ut eodem titulo dicitur L. 15. *damno afficiatur is, qui suscipit mandatum*.

Consect. 4. *De modis, quibus mandatum potest fieri*. Mandatum variis modis dividitur. Aliud est voluntarium, quod sponte suscipitur. Aliud necessarium, quod suscipitur imperio Magistratus. Aliud expressum, quod committitur expressa voluntate mandantis. Aliud generale, quod universa negotia mandatoris complectitur. Aliud tacitum, quod committitur per patientiam mandantis. Aliud speciale, quod non nisi certum aliquod negotium attingit. Aliud mandantis causa, ut si mando, quod mihi fundum emas. Aliud mandatarii causa, ut si mando tibi, quod tibi fundum emas. Aliud extranei causa, ut si mando Petro, quod fundum emat Paulo. Aliud simplex, ut si mandem, quod unius tantum geras negotium. Aliud mixtum, ut si mandem, quod multorum geras negotia, v.g. tua & aliena, mea & tua: & in omnibus mandatis mandans & mandatarius debent juxta regulas mandati se gerere.

Consect. 5. *De obligatione mandantis & mandatarii*. Mandans debet permittere, ut mandatarius negotium susceptum fideliter exequatur, & mandatarius debet illud exequi secundum formam præscriptam; quia hæc sunt utriusque contrahentis munia. Sic mandans potest, re adhuc integra, revocare mandatum; minime vero jam incepta, modo mandatarius non excedat fines mandati. Sic mandatarius, re integra, potest renuntiare mandato; minime vero intempestive, & re jam incepta.

CAPUT VIII.

De Contractibus, quibus sola res traditur vel custodienda, ut in deposito, vel pro securitate debitorum, ut in oppignoratione.

ARTICULUS I.

De Deposito.

§. I.

Quid & quotuplex depositum.

Depositum est contractus, quo res aliqua alicui custodienda traditur, ut integra restituatur. L. 1. ff. *Depositi vel contra*.

Depositum est duplex: judiciale, & privatum. Depositum judiciale est, cum res aliqua litigiosa committitur alteri, ut eam custodiat, donec cognita causa constet cui debeatur. Depositum privatum est, quando res aliqua committitur apud privatam aliquam personam, cui fidimus.

Persona quælibet, cui prudenter fidere possumus, potest depositum servare; res vero quælibet, quæ custodiri potest, est materia depositi.

§. II.

§. II.

De munere Depositarii.

Prop. unica. Depositarius debet semper rem depositam quasi suam inspicere, ut eam custodiat; debet vero eam quasi non suam inspicere, ne eam contrectet contra expressam, vel tacitam deponentis voluntatem.

Prob. rat. Nec proprietas, nec usus rei conceduntur depositario, sed tantum res illa traditur custodienda: ergo depositarius debet eam illæsam deponenti servare.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Depositarius peccat, & ad restitutionem tenetur, quoties ex ejus dolo, vel negligentia damnum aliquod deponenti enascitur; quia est in culpa, v.g. 1. Si res deposita dolo, aut negligentia pereat, aut deterior fiat. C. *Bona fide*, de deposito. Si non adhibeat tantam curam in custodiendo deposito, quantam adhibet in rebus suis; quia præsumitur dolus. Si hæres inscriptus rem testatori suo depositam dolose distrahat; quia nemini sua fraus patrocinatur. 4. Si re deposita, v.g. argento, utatur depositarius contra expressam voluntatem deponentis, si in tali usu lucretur aliquid, tenetur damnum illatum reparare; quia est in culpa. L. 24. ff. *Depositi vel contra*. Et C. L. 4. ejusdem tituli, ubi sic habetur. *Si deposita pecunia, qui eam suscepit, usus est, non dubium est etiam usuras debere præstare*.

Consect. 2. Depositarius non peccat, nec ad restitutionem tenetur, quoties seclusa ejus negligentia & dolo, damnum aliquod enascitur deponenti; tunc enim, ut supponitur, non est in culpa: v.g. si res deposita pereat casu, puta, incendio, inundatione. 2. Si depositarius non valens simul & rem suam, & rem sibi depositam servare, præferat conservationem rerum suarum deposito. 3. Si hæres scriptus bona fide depositum distrahat; quia bona fides excusat; si tamen vendiderit depositum, tenebitur dare pretium acceptum; quia non potest locupletari re aliena: si non acceperit pretium, tenebitur dare deponenti actionem exigendi vel pretium, vel depositum; quia debet impedire, ne deponens nocumentum patiatur. Si depositarius utatur re deposita cum expressa vel tacita voluntate domini, si aliquid lucretur, poterit retinere; quia dominus censetur solum exigere rem depositam sibi integram reddi.

Monit. Sequestratio est rei litigiosæ sequestro commissa custodia authoritate judicis; ideo ad eadem tenetur sequester, ad quæ tenetur depositarius. Insuper, si res deposita sit immobilis, puta, fundus, tenetur sequester eam rem frugiferam efficere, & fructus deductis expensis vendere, & pretium in manu judicis collocare. Si res vero sit mobilis; v. g. fructus fundi, supellectilia, & alia hujusmodi, quæ servando, ut dicunt, servari nequeant, tenetur ea authoritate judicis vendere, & pretium in manu publica deponere, ut cedat in bonum illius, ad quem res sequestro commissa pertinet. Totum illud colligitur ex L. 2. ff. *Depositi*.

CAPUT II.

De pignore & hypotheca.

HYpotheca est contractus, quo res immobilis obligatur creditori in solutionem debiti, non facta traditione rei obligatæ. Pignus est contractus, quo res mobilis obligatur creditori in solutionem debiti, facta traditione rei oppignoratæ; juxta illud juris: *Proprie pignus dicimus quod ad creditorem transit, hypothecam, cum non transit*. L. 9. ff. de pignoratitia actione §. 2.

Prop. 1. Traditio & acceptio pignoris & hypothecæ easdem fere requirunt conditiones, quas exigunt venditio & emptio, his exceptis, quæ venditionem & emptionem ab actione pignoratitia distinguunt.

Prob. rat. Traditio & receptio pignoris quandam habent affinitatem cum emptione & venditione: etenim sicuti venditor tradit rem emptori, & ab eo accipit pretium; ita oppignorans tradit rem creditori, & ab eo accipit pretium, cujus est debitor, eo solum discrimine, quod emptor accipiat rem in dominium, creditor vero accipiat rem solum in securitatem debiti: ergo traditio & acceptio pignoris & hypothecæ easdem fere debent habere conditiones, quas habent emptio & venditio.

Con-

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *Quoad personas*. Illi solum possunt tradere rem in hypothecam & pignus, qui possunt vendere: & illi solum possunt accipere rem in pignus vel hypothecam, qui possunt mutuo dare; quia oppignorans est quasi venditor, & accipiens pignus & hypothecam est mutuator: & ita qui non possunt vendere, non possunt oppignorare: & qui non possunt mutuo dare, non possunt res sub pignore vel hypotheca accipere. Vide dicta de venditione & mutuo.

Consect. 2. *Quoad res*. Illæ res solum possunt dari in hypothecam & pignus, quæ sunt in commercio hominum, quæque sunt in nostra potestate, & quæ habent æqualitatem cum debito; si enim non sint in commercio hominum, si non sint in nostra potestate, & si non adæquent debitum, decipitur creditor; si vero longe excedant debitum, fraudatur debitor.

Sic res omnes, quæ emi & vendi possunt, v.g. res mobiles & immobiles, res corporales & incorporales, res actu existentes & futuræ, uti emi possunt, ita & in pignus vel hypothecam accipi; juxta illud juris: *Quod emptionem venditionemque accipit, etiam oppignorationem accipere potest*. L. 9. ff. de pignoribus & hypothecis.

Sic res omnes, quæ emi & vendi non possunt, tradi pariter nequeunt in pignus, vel hypothecam: tales sunt, v.g. res sacræ. *Omne enim*, inquit Scriptura, *quod Domino consecratur, sive homo fuerit, sive animal, sive ager, non vendetur, nec redimi poterit: quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino*. Lev. 27. v. 28. Sicuti vendi non poterit, ita nec oppignorari: de quo ita etiam Jus civile. *Sancimus*, inquit, *nemini licere sacratissima, atque arcana vasa vel ad venditionem, vel pignus trahere*. L. 21. C. de Sacro-sanctis Ecclesiis. Id tamen licitum erit authoritate publica, pro causa publica, vel ad nutriendos pauperes tempore famis, vel ad repellendos hostes tempore belli, ut dicitur ibid.

Sic res alienæ, sicuti non possunt a nobis vendi, dissentiente domino, ita nec oppignorari; bene tamen consentiente domino, ut habetur L. 20. ff. de pignoratitia actione.

Sic res omnes, quas leges vetant vel alienari, vel oppignorari, etsi essent in nostra potestate, nequeunt tradi in pignus vel hypothecam; & ita oppignorari non possunt. 1. Res feudales; eas enim alienari lex vetat, de prohibita feudi alienatione per Fridericum. 2. Res dotales C. L. unica de rei uxoriæ actione. Res litigiosæ L. 1. ff. *quæ res pignore vel hypotheca datæ*. 4. Res minorum. L. 1. C. *de prædiis & aliis rebus minorum, &c.* 5. Res Fideicommisso obnoxiæ. L. finali. C. *communia de legatis*. 6. Res bello partæ, instrumenta artis, v.g. instrumenta aratoria, &c. L. 1. C. *quæ res obligari possunt pignori vel non*.

Consect. 3. *Quoad modum oppignorandi*. Modus dandi & accipiendi pignus, talis debet esse, ut nec creditor rem sibi debitam perdat, nec debitor bis eamdem summam restituat; is enim est pignorum & hypothecarum finis, ut creditor dormiat securus, & debitor servetur illæsus.

Sic *debitor* peccat, & ad restitutionem damni illati tenetur in sequentibus casibus. 1. Si rem viliorem loco pretiosioris oppignoret, v. g. vitrum pro gemma, cuprum pro auro, rem sterilem pro re frugifera; quibus fraudibus fit, ut debitum reddatur minus securum: uti enim peccat, & ad damni restitutionem tenetur venditor, qui rem viliorem pretiosiori substituit; ita ad idem tenetur qui similem fraudem committit oppignorando. 2. Si rem jam obligatam alicui creditori, novo creditori obliget, non præmonendo priorem creditorem, præcipue si res non sit utroque debito pretiosior: uti enim peccat qui, re jam vendita uni, eamdem vendit alteri; ita & qui rem uni oppignoratam alteri oppignorat. 3. Si rem pignori datam distrahat, dilapidet, vendat; etenim per hujusmodi fraudes creditor decipitur, & summa ab eo mutuo data, minus secura redditur: & juxta Jus civile, debitor sic decipiens creditorem, tamquam stellionatus aut furti reus puniendus est. L. 36. ff. de pignoratitia actione. Et si conventum sit, quod debitori non licebit hypothecam vendere, si contra pactionem vendiderit; *certum est*, inquit Jus, *nullam esse venditionem, ut pactioni stetur*. L. 7. ff. de distractione pignorum & hypothecarum.

Sic *creditor* peccat, & ad restitutionem damni illati tenetur in sequentibus casibus. 1. Si rem pignori datam non custodiat tamquam bonus pater-familias; ait enim Jus civile: *Ea igitur, quæ diligens pater-familias in rebus suis præstare solet, a creditore exiguntur*. L. 14. ff. de pignoratitia actione. 2. Si rem pignori datam, tamquam suam habeat; non enim illius est dominus, sed custos; ait enim Jus civile: *Pignus manente proprietate debitori, solam possessionem transfert ad creditorem*. L. 35. eodem titul. 3. Si re pignori data utatur usu quo fiat deterior; tunc enim debet damnum illud compensare: ita enim jube-

jubetur L. 2. C. de pignoratitia actione, ubi sic habes: *Quod ex operibus ancillæ, vel ex pensionibus domus, quam pignori detineri dicis, perceptum est, debiti quantitatem relevabit*. Et L. 3. ejusdem tit. dicitur: *quod si agrum deteriorem constituit*, eo quoque nomine pignoratitia actione obligatur: quæ singula, ut fusius pateant, sit

§. III.

Quotuplex hypotheca & oppignoratio: quæ licita, & quæ illicita.

PRop. 1. Duplex præcipue distingui potest hypotheca & oppignoratio: legalis scilicet, quæ a lege independenter a nostro consensu statuitur: & conventionalis, quæ libera contrahentium voluntate firmatur.

Prob. rat. Hypotheca & oppignoratio venditionem imitantur ex dictis: atqui duplex est species venditionis, altera legalis, quæ fit authoritate legis, etiam contra voluntatem possessoris, altera conventionalis, quæ fit ex conventione partium; ita & duplex est oppignoratio, altera legalis, altera conventionalis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1 Toties intervenit hypotheca & oppignoratio legalis, quoties sunt bona, quæ ex æquitate naturali obligantur aliis; æquitas enim postulat, ut authoritate legis sint certæ res, quæ alias securas efficiant, ut sic bono tum publico, tum privato provideatur, & sceleratorum hominum fraudes, quantum fieri potest, impediantur. Sic ex vi legis, omni seclusa conventione, bona, quæ hic subjiciuntur, nexu hypothecæ aliis obligantur.

1. Bona singulorum debentium tributa obligantur fisco; decet enim tributa esse secura & firma. L. 1. C. ex quibus causis pignus & hypotheca contrahantur. 2. Bona Tutoris & Curatoris obligantur pupillis & minoribus, ne scilicet qui res suas non gerunt ab aliis fraudentur. L. 20. C. de administratione Tutorum. 3. Bona consulum, & bona eligentium consules, Reipublicæ obligabantur, ne scilicet publicæ res male administrarentur. L. 4 C. quo quisque ordine conveniatur. 4. Bona mariti obligantur pro dote uxoris, ut dos uxoris servetur indemnis. L. l. §. 5. de rei uxoriæ actione. Bona mariti, qui ducit in uxorem viduam, habentem filios pupillos, si hæc susceperit eorum tutelam, obligantur iisdem pupillis, si ante initas nuptias non petatur alius tutor. L. 6. C. in quibus causis pignus & hypotheca tacite contrahitur. 6. Bona patris obligantur pro bonis adventitiis filiorum, ne filii incuria patris fraudentur. 7. Bona defuncti obligantur pro expensis omnibus tum morbi, tum funeris. L. penultima ff. de religiosis & sumptibus funer. ne scilicet ægrotantes sine curatione decedant, & cadavera sint sine sepultura. 8. Domus ædificata vel reparata manet obligata mutuatori, qui dedit pecuniam ad hujusmodi constructionem vel reparationem. L. 7. C qui potiores in pignore. 9. Bona testatoris manent obligata legatariis, ut scilicet legata non inutiliter absorbeantur. L. I. C. communia de legatis. 10. Fundus emptus non soluto pretio manet obligatus venditori; injustum enim esset venditorem privari & re, & pretio rei. L. 13. ff. §. 8. de actionibus empti & venditi. Eadem ratione fundus emptus pecuniis mutuo acceptis, manet obligatus mutuatori, modo constet pecunias, numeratas esse eo fine, ut emeretur fundus, & de hoc fiat mentio in instrumentis emptionis. 11. Fundus feudalis manet obligatus domino, cum ejus fundi habeat directum dominium. 12. Supellectilia detenta in domo locata manent obligata pro pretio locationis: *illata & invecta pignori erunt obligata*, inquit jus civile L. 2. ff. quibus causis pignus vel hypotheca tacite contrahatur. Demum generali ratione, quodlibet opus est obligatum suo artifici, meliorationes fundi colono, merces transvectæ vectori, &c.

Consect. 2. Toties intervenit hypotheca conventionalis, quoties contrahentes specialiter paciscuntur se velle bona sua obligare: & hæc hypotheca est talis, qualem contrahentes iniri volunt, cum omnino dependeat ab eorum arbitrio.

Multiplex assignatur: alia est universalis, alia particularis, alia communis, alia specialis.

Hypotheca universalis ea est, qua omnia bona debitoris obligantur, ea scilicet, quæ alienari possunt, v. g. res præsentes, & futuræ: nam res non venales, ut jus patronatus, feudum, &c. non subjiciuntur hypothecæ universali

Hypotheca particularis ea est, qua bonum aliquod in particulari obligatur, & ultra illud bonum obligatio non extenditur: v. g. censualis pensio obligat sibi fundum, in quo fundatur.

Hypotheca communis ea est, quæ non præfertur alteri, nisi ratione temporis, juxta hanc regulam: qui prior est tempore, potior est jure.

Hy-

Hypotheca specialis ea est, quæ ex speciali privilegio præfertur alteri, qua fit, ut qui est posterior tempore, si tamen potior jure.

Monit. Hypotheca legalis semper justa præsumitur; lex enim nihil nisi justum præcipit: sed hypotheca & oppignoratio conventionalis possunt esse injustæ; quia homines in suis contractibus solent iniquas conditiones aliquando apponere, nisi per legem corrigantur: quæ iniquitas sequenti propositione apparebit.

Prop. 2. Toties illicita est hypotheca, vel oppignoratio, quoties creditor, præter securitatem summæ mutuo traditæ, aliquid aliud exigit a debitore.

Prob. 1. ex jure civili. *Creditor,* inquit jus, *qui pignus accepit, possessor non est, tametsi possessionem habeat aut sibi traditam, aut precario debitori concessam:* ergo non sibi, sed debitori tenet: ergo non potest uti pignore, nisi ad solam securitatem debiti.

2. Ratione desumpta ex jure civili. Illud est privilegium pignoris & hypothecæ, ut det solum securitatem creditori, nullum vero damnum afferat debitori: Ergo toties erit injusta hypotheca & oppignoratio, quoties apponetur aliqua conditio onerosa debitori. *Quod* enim *ex lege,* inquit jus, *datum est lucrum, privatus auferre modis omnibus non valet. Novella 22. Cap.* 33.

3. Alia ratione. Toties injusta est conventio, quoties legibus est contraria; quia, ut dicitur L.38. ff. de pactis, *jus publicum privatorum pactis mutari non potest.* Atqui juxta leges creditor nihil potest exigere a debitore, nisi securitatem debiti: Ergo injuste agit, si conditiones onerosas imponat debitori.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Peccat creditor, & ad restitutionem tenetur, si absque conventione utatur pignore, vel hypotheca, lucrumve aliquod percipiat, si lucrum illud non computet in solutionem debiti; quia tunc contra legem fructus percipit ex pignore: de quo ita jus Can. C. *quoniam* de usuris, ubi sic habetur: *Authoritate præsentium duximus injungendum, ut eos, qui de possessionibus, vel arboribus, quas tenere in pignore noscuntur, sortem, deductis expensis, receperunt, ad eadem pignora restituenda, sine usurarum exactione, Ecclesiastica districtione compellas.* Et C. *Cum contra. De pignoribus* dicitur: *Nos igitur attendentes, quod in talibus perceptio fructuum in solutione sortis accedat, cum secundum Canonicas sanctiones fructus restitui, & in sortem debeant computari .... ipsas possessiones restituendas esse decrevimus.* Illud idem expresse docet jus civile. L.1. *de pignoratitia actione. Fructus,* inquit, *ex pignore percepti imputantur in sortem, & si sufficiant ad totum debitum, solvitur actio, & redditur pignus. Quod si fructus debitum excedant, superflui redduntur, videlicet mota actione pignoratitia.*

Consect. 2. Illicita est conventio, in qua per *pactum legis commissoriæ* convenit inter debitorem & creditorem, quod res tradita in pignus, vel hypothecam, ad creditorem pertinebit, si intra certum tempus non persolvatur argentum mutuo traditum: hæc enim conditio onerosa debitori est contra naturam oppignorationis, cujus est solum securum reddere debitum. Ideo pactiones illas reprobat Jus Can. *Significante* de pignoribus, ubi sic decernitur: *Cum igitur pactum legis commissoriæ sit in pignoribus improbatum.* Illud idem expressius improbat Jus civile. L. 3. C. *de pactis pignorum,* ubi sic Constantinus populum alloquitur. *Quoniam,* inquit, *inter alias captiones, præcipue commissoriæ, pignorum legis crescit asperitas, placet infirmari eam, & in posterum omnem ejus memoriam aboleri. Si quis igitur tali contractu laboret, hac sanctione respiret.*

Consect. 3. Illicitum est pactum, in quo convenit, quod debitor non potest rem hypothecæ, aut pignore traditam, vendere, & debitum luere; hæc enim conventio non esset traditio pignoris, sed alienatio: ideo Constantinus lege supra citata hanc conventionem invalidam declarat, & jubet pignus reddi debitori, & summam mutuo traditam solvi creditori: *creditores enim,* inquit, *re hypothecaria amissa, jubemus recuperare quod dederunt.* Imo jus civile eam conventionem, qua debitori interdicitur pignus a se datum vendere, ut æquitati naturali contrariam reprobat; sic enim habet L.7. *de distractione pignorum & hypothecarum. Quæritur,* inquit, *si pactum sit a creditore, ne liceat debitori hypothecam vendere vel pignus; quid juris sit, & an pactio nulla sit talis, quasi contra jus sit posita, idque veniri possit, certum est venditionem esse nullam, ut pactioni stetur.* Ubi Jus fatetur conditionem illam a creditore impositam debitori nullam esse.

Consect. 4. Aliquando licitum, aliquando illicitum est pactum *antichreseos,* in quo convenit, ut fructus pignoris cedant pro usuris pecuniæ mutuo datæ.

Illicitum est, si creditor nullum habeat titulum sumendi interesse; tunc enim *antichresis* est usura palliata, cum sumatur aliquid supra sortem, sine ullo titulo lucri cessantis,

vel damni emergentis: atque ideo fructus percepti desinent computari in sortem, ut dictum est.

Illicitum pariter est idem pactum, si creditor habeat titulum sumendi interesse, & fructus excedant usuras legitimas, ut loquitur Jus civile. *Si plus acceptum est, quam usurarum legitimarum ratio colligit, minime oportet*. L. 14. C. *de usuris*.

Licitum vero est pactum *antichreseos*, si creditor titulum habeat sumendi interesse, & fructus ex pignore percipiendi, deductis expensis, non excedant interesse; tunc enim fructus inserviunt ad compensandum vel lucrum cessans, vel damnum emergens. Eam conventionem licitam credit Papinianus, L. 10. ff. *de pignoribus & hypothecis*, eamque comparat cum venditione conditionata. *Nam*, inquit, *cum emptorem usus fructus tuetur Prætor, cur non creditorem tuebitur?* Et L. 17. C. *de usuris*, eadem conventio his verbis confirmatur. *Si ea*, inquit, *lege possessionem mater tua apud creditorem suum obligavit, ut fructus in vicem usurarum consequeretur, obtentu majoris percepti emolumenti, propter incertum fructuum eventum, rescindi placita non possunt*. Ubi lex duo exigit, & quod fructus sint incerti, & quod legitimas usuras non excedant.

Consect. 5. Creditor aliquando licite, aliquando illicite agit, quando exigit, quod ad solutionem summæ mutuo datæ vendatur pignus pro assecuratione debiti traditum.

1. Illicite agit, si exigat venditionem pignoris, etiamsi egeat pecuniis mutuo traditis, peccatque contra caritatem, durius exigendo quod debitum est, & immisericorditer vendendo pignus, quo forte debitor indiget, de quo ita Scriptura Exod. 22. v. 26. *Si pignus*, inquit, *a proximo tuo acceperis vestimentum, ante Solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum, quo operitur, indumentum carnis ejus, nec habet aliud, in quo dormiat. Si clamaverit ad me, exaudiam eum; quia misericors sum*. Et Deuteron. 24. v. 12. *Sin autem* debitor *pauper est, non pernoctabit apud te pignus, sed statim reddes ei ante Solis occasum, ut dormiens in vestimento suo benedicat tibi, & habeas justitiam coram Domino Deo tuo*.

2. Illicite agit creditor exigens vendi pignus, etiamsi egeat pecuniis mutuo datis, si in pignoris venditione non observet modum constitutum a lege: de qua ita Justinianus. L. 2. inst. tit. 8. *Ne creditores*, inquit, *justum persequi impedirentur, neque debitores temere suarum rerum dominium amittere viderentur, nostra constitutione constitutum est, & certus modus impositus est, per quem pignorum distractio possit procedere*. Itaque creditor in vendendo pignore, quæ sequuntur debet observare.

1. Sive conventum sit, sive non, quod res oppignorata vendi possit; tamen creditor illam licite potest vendere, debitore existente in mora solvendi.

Si nihil de ea venditione convenerit, post unam denunciationem debitori testato factam, ut solvat debitum, & post expectatum biennium, creditor pignus vendere poterit. Si expresse inter partes convenerit de pignore non distrahendo, post factam trinam denunciationem, cum cursu biennii, fiet condemnatio per judicem, petente creditore, ut pignus distrahatur. Si pignus non inveniat emptorem, nec luat debitor, creditor jure dominii poterit pignus retinere. Totum istud colligitur ex Cod. toto Tit. *De jure dominii impetrando*.

ARTICULUS III.

De fide-jussione.

Fide-jussio est contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam, si principalis contrahens non faciat, quod spopondit. *Qui alieno nomine obligatur*, inquit jus civile, *fide-jussor vocatur*. L. 1. ff. §. 8. *De obligationibus & actionibus*.

Prop. unica. Eædem requiruntur conditiones in fide-jussore, quæ in principali contrahente.

Prob. rat. Fide-jussio est quasi accessorium contractus initi ab eo, qui principaliter obligavit: ergo easdem subit obligationes; accessorium enim sequitur naturam principalis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *Quoad personas*, Illi omnes possunt fide-jubere, qui possunt contrahere, nisi a lege prohibeantur; quia fide-jussio est contractus specialis, qui aliquibus interdicitur.

Sic generaliter omnes, qui sunt sui juris, si per legem specialem non obest, possunt fide-jubere; quia possunt contrahere

Sic fœminæ, licet contrahere possint pro seipsis, tamen prohibentur fide-jubere pro aliis, per Senatus-Consultum Vellejanum, ob sexus imbecillitatem; quia levitate magis, quam libertate mulier videtur consentire. Non adjuvatur tamen mulier Vellejano, si ei renuntiet, si post biennium iterum se obstringat, & pignora det ad firman-

mandam fide-jussionem; quia tunc plena libertate videtur fide-jubere.

Sic milites non possunt fide-jubere; quia, cum armis incumbant, non est æquum, *ut privatis negotiis occupentur*. L.31. C. *De locato & conducto*. Sic minores non possunt fidejubere propter privilegium, quod habent, restitutionis in integrum.

Consect.2. Quoad res. Fide-jussio potest fieri pro re honesta, minime vero pro re inhonesta, sicuti pro re honesta, non vero inhonesta potest fieri contractus.

Sic fide-jussio contrahi potest. 1. Pro obligatione naturali & civili; quia id honestum est. *Fide-jussor*, inquit jus, *accipi potest, quoties est aliqua obligatio civilis, vel naturalis*. L. 16. ff. *De fide-jussoribus* §. 3. Item pro obligatione præsenti & futura. *Fide-jussor futuræ quoque actionis accipi potest*, ut dicitur L. 50. ff. *de peculio* Imo etiam pro mulcta pecuniaria, quibuscumque hominum delictis inflicta, fide-jussio dari potest, quia hæc solutio nihil continet inhonesti: sed pro delicto personali fide-jussio non potest dari; quia inhonestum est spondere pro crimine, ut innuitur L. 46. *De fide-jussoribus*. Æquum enim est, ut reus personaliter puniatur; injustum vero, si alius pro illo puniatur.

Consect.3. Quoad modum. Fide-jussio talis est quoad modum, qualis est contractus; quia utpote accessorium contractus, naturam sequitur contractus.

Sic regulariter loquendo, fide-jussor ad idem se obligat, ad quod obligatur principalis contrahens; ita ut plus non debeat fidejussor, sive quantitatis, sive rei, sive loci, sive temporis, quam debet principalis contrahens, ne plus sit in accessorio, quam in principali, juxta illud juris L. 34. ff. *De fide jussoribus*. *Qui accessionis loco promittunt, in leviorem causam accipi possunt, in deteriorem non possunt*.

Sic liberato principali debitore, liberatur fide-jussor; quia fide-jussor est in supplementum debitoris principalis, juxta illud juris: *Fide-jussor obligari non potest ei, apud quem reus promittendo obligatus non est*.

Sic, si contractus principalis debitoris metu aut dolo initus fuerit, aut aliquo casu invalidus sit, si non ligetur principalis contrahens, non ligabitur fide-jussor. Sic demum, si ipse debitor principalis solverit, liberabitur & fide-jussor; juxta illud: *Non est ambigui juris, electo reo & solvente, fide-jussorem liberari*. L.2. *de fide-jussoribus tutorum*.

CAPUT IX.

De contractibus, quibus intervenit aliquod periculum, seu aliqua sors circa eas res, quæ sunt materia contractus.

QUatuor sunt contractus, circa quorum materiam intervenit semper aliqua sors, seu aliquod periculum. Hi contractus sunt ludus, assecuratio, sponsio, & societas: de quibus singulis in hoc capite agendum.

ARTICULUS I.

De Ludo & Loteria.

§. I.

De Ludo.

NOta. Ludus est triplex, recreativus, lucrativus, & mixtus ex utroque.

Ludus recreativus est ille, in quo sola intenditur mentis relaxatio, semperque est licitus, modo fiat in debitis circumstantiis. De eo agemus infra, ubi de vario hominum statu.

Ludus pure lucrativus est ille, in quo intenditur solum lucrum, & semper est illicitus, ut docet Silvius post Div. Th. 2.2. qu. 158. art.3. *Ludus enim*, inquit, *ad honestam recreationem ordinatur*; *culpa ergo est hoc ipso, quod per ludum magis intenditur lucrum, quam recreatio; & si lucrum ita ardenter intendatur, ut totam mentem occupet, est peccatum mortale*, inquit Tostatus in c. 6. Mat. *Qui*, inquit, *hac sola lucrandi intentione ludit, peccat mortaliter*: si lucrum minus ardenter expectatur, erit peccatum veniale; quia mens tunc non sistit in lucro, ut in fine ultimo.

Ludus mixtus ex lucrativo & recreativo est ille, in quo primario intenditur mentis relaxatio, secundario vero modicum lucrum expectatur: & de eo solum ludo hic agimus, soletque definiri contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat quod uterque deposuit.

Ludus mixtus potest esse triplex. Primus est, qui ex sola industria pendet, ut ludus pilæ, ludus globorum, &c. Secundus est, qui solo casu & fortuna regitur, ut certus quidam ludus taxillorum & chartarum, diciturq; alea. Tertius est, qui partim fortuna, partim industria nititur, ut nonnulli chartarum ludi.

Prop. 1. Ludus mixtus, in quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat quod uter-

ut si quem vici contigerit, gravem casum non sustineat. Non enim solum bella ordinamus, sed res ludricas.

Nota, quod post examen diligens reperi, solidum argenteum circa tempus legis conditæ non excessisse valorem triginta assium nostræ monetæ.

Consect. 3. *Quoad naturam ludi.* Licet eo solum ludo mixto mentem recreare, qui legibus non interdicitur; quia leges, utpote in hac materia justæ, obligant in conscientia

Sic ludi, in quibus vita corporalis præsenti periculo exponitur, non sunt liciti; quia legibus interdicuntur: tales sunt ludi, in quibus homines vel contra alios homines, vel contra feras, cum magno vitæ corporalis discrimine decertant, ut sunt hasti-ludia, funambulorum ludus, & hujusmodi.

Consect. 4. *Quoad æqualitatem.* Illi ludi mixti sunt illiciti, in quibus non servatur æqualitas vel quoad personas ludentes, vel quoad res ludo expositas.

Sic qui in ludendo est altero colludente longe peritior, non potest licite cum eo ludere ludo lucrativo: & si aliquid lucretur, tenetur reddere: tunc enim non esset æqualitas: & cum error dederit causam contractui, quod in eo ludo exponitur, injuste acquiritur, & proinde reddendum est.

Sic qui ludit sine pecunia præsente, vel sine animo solvendi quod ludendo promittit, illicite ludit, nec potest lucrari pecuniam præsentem, quam alter colludens exponit; quia non est æqualitas in illo contractu: & si perdat quod promisit, modo modicum sit, tenetur solvere; quia promissio ligat in conscientia. Sed si debitum ludo contractum esset ingentis valoris, non teneretur solvere; quia leges vetant tales promissiones: ita edictum Ludovici XIII. *Declaramus omnia debita per aleam contracta, omnesque obligationes, ac promissiones propter ludum factas, quocumque fuco illitæ, aut persona tectæ fuerint, nullas esse, omnique effectu carere, & omnibus civilibus, atq; naturalibus obligationibus vacuas esse.* Et jus civile C. L. 3. tit. 43. de aleatoribus, ubi sic habetur: *Nulla sequatur condemnatio, sed solutum reddatur.*

Sic qui exponit lucro lucrativo pecunias, quarum non habet dominium, v. g. Religiosus, Clericus, uxor, filius-familias, illicite ludit, nec potest alterius colludentis pecunias ludo acquirere. & si quid ipse lucratus fuerit, tenetur reddere; quia pecunia, cujus non erat dominus, acquisivit, & proinde injuste: & si quid in ludo perdiderit, qui lucrati sunt tenentur reddere; quia pecunia illa ludo exposita, non erat Clerici, Religiosi, filii-familias, uxoris, sed ad alterum pertinebat, contra cujus voluntatem nec potest ludo exponi, nec a colludente accipi, vel retineri.

Consect. 5. *Quoad modum ludendi.* Qui in ludo lucrativo mixto vim, fraudem, & dolum intermiscent, peccant, & id quod ludo acquirunt, tenentur restituere; quia contractus, ubi vis, fraus, & dolus interveniunt, nulli sunt, & dominium rei non transferunt.

Sic qui vi aperta alium ad ludendum cogit, metu injusto, dicteriis, &c. adigit, illicite ludit, & ludo rem acquisitam tenetur reddere; quia contractus tunc non est voluntarius. Si vero precibus ad ludum attrahat, ludus erit voluntarius, proinde retinere poterit quod ludo citra fraudem acquiretur.

Sic qui fraude, dolo alium ludendo insigniter decipit, rem ludo acquisitam tenetur reddere; quia dolus & fraus circa substantiam contractus nullum efficiunt. Si vero, inquit Silvius, intervenit solum ea industria, eaque solertia, quæ juxta leges ludi solent prudentum arbitrio permitti, res ludo acquisita servari potest.

Prop. 2. Ludus lucrativus, in quo vel sola intervenit sors, vel sors insigniter industriæ prævalet, est omnibus Christianis illicitus, præcipue quando in eo exponitur ingens pecuniæ summa.

Prob. 1. Ex jure Canonico; sic enim habet Concilium Quinisextum Can. 50. *Nullum omnino, sive Clericum, sive Laicum, ab hoc deinceps tempore alea ludere jubemus: qui secus fecerit, excommunicetur.*

2. Ex jure civili L. 1. ff. *De aleatoribus*, ubi sic habetur: *Senatus-Consultum vetuit in pecuniam ludere, præterquam, si quis certet hasta, vel pilo jaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando, quod virtutis causa fiat.*

4. Ex jure Gallorum; sic enim decernit Sanctus Ludovicus Gallorum Rex. *Inhibemus*, inquit, *districte, ut nullus omnino ad taxillos ludat, sive ad aleas, & scacbos.* Idem dicendum de chartis.

4. *Rat.* Ludus, in quo sors dominatur, aut insigniter industriæ prævalet, est ex natura sua prohibitus, quando ingens pecunia ludo exponitur: tum quia non decet Christianos sortibus dirigi, sed oportet eos divina providentia gubernari, & in ludis non fortunam spectare, sed industriam suam exhibere: tum quia ingens pecunia non ludo exponenda est, sed vel familiæ nutriendæ & educandæ insumenda, vel in eleemosynas expendenda.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ludus alearum est omnibus Christianis interdictus, & proinde ab ipsis etiam Laicis non est sectandus: ideo Concilium Eliberitanum Can. 79. subjicit pœnitentiæ aleatores. *Si quis fidelis*, inquit, *alea luserit, post annum poterit communione reconciliari.* Et jus civile, C. de aleatoribus. Lib. 3. tit. 43. L. *Finali. Hac generali lege decernimus, ut nulli liceat in publicis vel privatis domibus vel locis ludere, neque in genere, neque in specie.*

Consect. 2. Ludus alearum districtius prohibetur Clerici quam Laicis; Laicis enim prohibetur sub pœna excommunicationis comminatoriæ, Clericis vero sub pœna excommunicationis simul & suspensionis comminatoriæ, & in Clericis ebrietati æquiparatur, ut patet ex Can. 42. & 43. *Apostolorum*, ubi sic habetur: *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe communione privetur. Subdiaconus, aut lector similia faciens, aut desinat, aut communione privetur.* Et titulo *de vita & honestate Clericorum*, sic habetur: *Clerici ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.* Quos Canones innovat & confirmat Trid. sess. 22. c. 1. *de reform.*

Consect. 3. Ludus alearum strictius adhuc prohibetur his, qui domos suas ad prohibitos hujusmodi ludos fovendos locant; id enim prohibetur lege civili loco citato Codicis, & jure Gallorum: sic enim habet Sanctus Ludovicus. *Scholas*, inquit, *deciorum prohibemus, & prohibere volumus omnino, & tenentes ea districtius puniantur. Fabricæ etiam deciorum prohibeantur.* Et edictum Ludovici 13. sic habet an. 1629. *Omnibus subditis nostris prohibemus, interdicimusque, ne domi suæ lusorum conventus admittant atq; habeant aleatorum receptacula, quæ Accademiæ vulgo appellantur; eosque omnes, qui secus fecerint, vel qui adeo perniciosæ consuetudini domos suas prostituerint, ex hoc tempore infames, intestabiles, omniumque regiorum officiorum obtinendorum incapaces declaramus.* Illud ibidem prohibetur jure Canonico, hoc ipso quod prohibetur ludus; quod adeo verum est, ut Escobar tract. ex am. c. 4. ita pronuntiet. *In foro*, inquit, *exponentem ludos aleæ, non solum peccare mortaliter, sed etiam, si lusores ad restitutionem teneantur, ipsum teneri satisfacere.* Ejus ratio haud dubie hæc est; quia locans domum suam ad ludendum, injustitiis quæ in ludo committuntur, cooperatur. Ideo S. Carolus Borromæus in suis instructionibus ad Confessarios, prohibet, ne absolutio impendatur locantibus domos suas ad ludendum.

Prop. 3. Qui alearum ludo deserviunt, seu, ut dicunt, ex professo incumbunt, hi etiam a fortiori, qui quibuscumque aleatoribus domos suas ad ludendum locant, sunt in statu peccati mortalis, & absolvi non debent, nisi prius resipuerint.

Prob. 1. Ex jure Canonico. In allegatis supra Canonibus Ecclesia excommunicationem minatur Laicis, excommunicationem simul & suspensionem Clericis, qui aleæ deserviunt: ergo status illorum est status peccati mortalis; quia excommunicatio & suspensio non nisi peccato mortali infligi debent.

2. Ex jure civili. Aleatores vocantur *infames, intestabiles, regiorum officiorum obtinendorum incapaces:* cum ergo pœnæ illæ sint graves, arguunt legislatorem sub pœna peccati mortalis frequentem alearum usum voluisse interdicere.

3. Ex Patribus. Author operis de aleatoribus vocat aleam *diaboli venabulum, delicti vulnus insanabile; crimen mortale, mali alveum, ubi dementia sine consideratione.* Sanctus Ephrem de abrenuntiatione sic habet: *Væ alearum lusoribus; quando quidem se corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi alienos reddunt, sicut Spiritus Sanctus admonuit per Sanctos Apostolos*, idest, per Canones Apostolis adscriptos. Sanctus Basilius homilia 8. in Hexameron ait, loquens de aleis. *Juramenta sunt illic, contentionesque pergraves, ac avaritiæ partus. Spiritus malignus assistit, furorem punctis & assibus illis ludentium, insaniamque accendens.* Et Chrys. hom. 15. ad populum, sic ait: *Aleas tractare non videtur multis esse peccatum, sed infinita vitæ mala solet inferre.*

4. Ex Theologis. D. Bonaventura in speculo referens causas, cur ludus alearum prohibetur sub mortali, sic habet: *Cum autem ludus satis videatur ex radice habere rationem peccati mortalis; quia scilicet ex avaritia videtur procedere; & quia ludo multa communicantur peccata, scilicet fraus, mendacium, perjurium, blasphemia, scandalum, amissio temporis, & ira frequenter.* Et Cajetanus in summa loquens de ludo alearum ait: *Etsi nullo jure positive hujusmodi ludus interdictus foret, adhuc tamen lex naturalis manet prohibens, ne quis absque rationabili causa quidpiam assumat, cui sit annexum probabile peccati periculum, cujusmodi est ludus alearum, præsertim si principaliter ob lucrum instituantur.* Et D. Raim.

in

in summa lib. 2. tit. 2. sic habet: *Ex Canone Apostolorum colligitur, quod peccatum eorum, qui aleæ deserviunt, sit mortale, & grave, cum tales pœnæ non sint imponendæ cum levi crimine.*

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Laici debent ludum alearum, ut peccatum mortale habere, præcipue si frequenter illi insistant; sic enim habet Toletus lib.3.cap.27. *Profecto ludus ratione multarum circumstantiarum frequentius est peccatum mortale; cum tamen magna est summa pecuniarum, vix a mortali excusatur.*

Et Angelus a Clavasio in sua summa, loqnens de alea a Laicis etiam exercita, ait: *Alea est ludus diabolicus, qui operatione diabolica inventus est ad inducendum homines ad peccatum.*

Consect. 2. Clerici & Monachi debent ludum alearum ut peccatum mortale habere, & hoc potiori jure quam Laici: de hoc ita Soto lib.4. de Justitia & jure q. 5. a. 2. *Sacerdotibus*, inquit, *vix citra mortale uti licet ludis vetitis, ac præsertim Religiosis & Antistibus.... Accidit, ut ludus sit peccatum propter scandalum personæ, qua ratione Clericis ob eorum honestatem interdicti sunt ludi alearum: debent namque luctui potius esse dediti, quam effusis gaudiis*. Et Navarrus in Manuali c. 20. docet: *Quod lege ad mortale obligante prohibeatur Monachi, & Clerici Beneficiarii, vel in sacris Ordinibus constituti, ludere hujusmodi aleæ ludis, sive fortunæ illicitis notabilem quantitatem, præsertim de fructibus Ecclesiasticorum Beneficiorum .... quia in profanum & malum usum redditibus in pium destinatis utuntur.*

§. II.

De Loteria.

Nota. Loteria est pactum multorum aliquid in commune deponentium, cessurum his, quibus signa aliqua contigerint.

Prop. unica. Loteria non est de se illicita, sed potest fieri illicita ex circumstantiis. Ita docent Sylvius in D. Th. 2.2.q.95. Natalis Alexand.lib.3.de pec.Reg.18.

Prob. Loteria potest considerari multipliciter. 1. Ut ludus, quo ludentes exponunt aliquid cessurum illis, quibus aliquæ schedulæ sorte obvenerint: ludus non est illicitus ex se: ergo neque loteria. 2. Ut Contractus emptionis, quo inferentes certam pecuniam emunt jus sortiendi & acquirendi illud, quod sorte contigerit: emptio rei incertæ non est illicita: ergo neque loteria. Ut donatio conditionalis, qua inferentes certam pecuniam donant sortientibus illud, quod sors obtulerit: donatio non est illicita: ergo neque loteria. Potest tamen esse illicita ex circumstantiis, si fiat aliter, quam debeat fieri; ex quo inferes, loteriam esse illicitam in sequentibus casibus.

1. *Quis*. Ratione personæ. Sic loteria, etsi secundum se licita, potest tamen esse illicita Primo Monachis & Monialibus, quibus ratione voti paupertatis nihil licet nomine proprio acquirere, & proinde nihil licet per loteriam comparare. Secundo Clericis, quibus non licet loteriæ exponere eam pecuniam, quæ ex justitia debetur pauperibus, sunt tamen casus; in quibus nec Monachis nec Clericis illicita erit loteria, v.g. si Monachi non proprio nomine, sed nomine communitatis exponant aliquid loteriæ. Item si Clerici exponant loteriæ id solum, cujus veri sunt domini.

2. *Quid*. Ratione objecti. Ut si res, quæ per loteriam acquirenda proponitur, sit contraria religioni, v.g. libri hæretici, fuci, pigmenta, &c.

3. *Ubi*. Si fiat in loco sacro.

4. *Quibus auxiliis*. Ratione rerum, quæ a ludentibus in loteriam inferuntur: ut si quis non habens rerum dominium exponat res pretio æstimabiles, v.g. Monachus sine licentia Superioris, infantes sine licentia patris, uxores sine licentia mariti; vel si qui habent rerum dominium, exponant id, quod necessarium est sibi vel familiæ.

5. *Cur*. Ratione finis. Ut si quis non alio motivo quam cupiditatis & avaritiæ ducatur.

6. *Quomodo*. Ratione modi. Ut si privatus instituat loteriam, & velit notabiliter plus lucrari per loteriam, quam per alium contractum. Imo illicita est loteria, quando Respublica eam instituit ob publicam causam, & lucrum non insumit in eam causam, pro qua statuta fuerat loteria. Illicita pariter est loteria, si non absit omnis fraus.

7. *Quando*. Ratione temporis. Si loteria fiat indebito tempore, ut de ludo dictum est.

ARTICULUS II.

De Contractu assecurationis.

Assecuratio est contractus, quo quis alienæ rei periculum in se suscipit, v. g. periculum ratis, difficile æquor navigantis, periculum mercium, aut aliarum rerum periclitantium.

Prop. unica. Contractus assecurationis certo

certo pretio initus, easdem requirit conditiones, quas requirit contractus emptionis & venditionis.

Prob. ratione. In assecuratione assecurans vendit certo pretio obligationem illam, qua obstringit se securam reddere rem aliunde maxime periclitantem. Assecuratus emit certo pretio certitudinem illam, qua res aliunde periculis exposita, & salva & secura redditur: ergo assecuratio habet rationem emptionis & venditionis: ergo easdem requirit conditiones, quas emptio & venditio.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *Quoad personas.* Illi solum possunt assecurationis contractum inire, qui possunt emere & vendere; quia assecuratio est quædam species emptionis & venditionis.

Consect. 2. *Quoad res.* Illæ solum res possunt exponi assecurationi, quæ possunt exponi venditioni; quia assecuratio est venditio.

Consect. 3. *Quoad modum* contrahendi in assecuratione. Modus essentialis huic contractui est, quod uterque contrahens sit incertus circa rem, quam exponit; quia assecuratio fundatur in incertitudine.

Sic si assecurans certus esset rem esse in tuto non posset pretium exigere, & si reciperet, teneretur restituere; quia falso titulo acciperet.

Sic si assecuratus certus esset rem jam periisse, non posset paci sci, & si aliquid lucraretur vi illius pactionis, teneretur reddere; quia falso titulo acciperet.

Consect. 4. *Quoad pretium.* Pretium in assecuratione debet pensari secundum periculi proportionem; quia cum major vel minor incertitudo sit ratio vel augendi vel minuendi pretium, debet crescere vel minui juxta periculi proportionem.

ARTICULUS III.

De sponsione.

Sponsio est contractus, in quo duo de veritate aut eventu alicujus rei certantes, sibi invicem aliquid spondent, ut id ejus sit, qui veritatem assecutus fuerit: v.g. certo tecum centum libris urbem talem obsessum iri.

Sponsio est quasi quædam donatio conditionalis, qua contrahentes victori donant rem propositam. Victor ille dicitur, juxta cujus assertionem res evenit.

Prop. unica. Eædem requiruntur conditiones in sponsione, quæ in donatione conditionali.

Prob. ratione. In sponsione spondentes mutuo donant rem propositam victori, id est illi, juxta cujus assertionem res dubia eveniet: ergo est donatio conditionalis: ergo easdem requirit conditiones, quas donatio conditionalis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *Quoad personas.* Illi solum possunt spondere, qui possunt donare, v.g. qui sunt domini rei, quam spondent; quia sponsio est quædam donatio.

Consect. 2. *Quoad res.* Res, circa quas fit sponsio, debent esse tales, ut jure naturali & positivo sponsioni exponi possint, alias illicita esset sponsio. Sic sponsiones sunt illicitæ, in quibus datur occasio spondentibus faciendi aut optandi aliquid contra legem: v.g. si spondeas cum meditante aliquod crimen, quod non audebit illud exequi, inflammas enim illum ad crimen re proposita: si spondeas de vita aut morte alicujus; das enim ansam aut optandi, aut machinandi mortem illius.

Consect. 3. *Circa modum*, quo fieri debet sponsio. Modus essentialis contractui sponsionis est, quod uterque contrahens sit æque incertus de re, pro qua spondet; quia sponsio fundatur in æquali incertitudine ex parte utriusque contrahentis.

Sic, si alter spondentium esset certus de re, pro qua spondet, alter incertus, contractus esset illicitus; quia non esset æqualitas: unus enim exponeret se periculo, minime vero alius.

Sic, si stante æquali incertitudine unus exponeret longe majorem summam quam alius, illicitus esset contractus; quia esset inæqualitas.

ARTICULUS IV.

De Contractu societatis.

Societas est conventio plurium ad negotiationem, quæstumque communem aliquid conferentium, v.g. pecuniam, operam, industriam, eo onere, ut damnum & lucrum sit commune; juxta illud juris *Societas cum contrahitur, tam lucri, quam damni communio initur.* L. 67. ff. pro socio.

Societas est multiplex: alia est in mercibus vendendis & emendis: alia in agris colendis: alia in nutriendis animalibus, vel præcise ad culturam & usum inservientibus, quales sunt equi, muli, boves; vel præcise ad fœturam inservientibus, quales sunt oves, capræ, porci; vel ad culturam & usum simul & fœtu-

turam inservientibus, quales sunt vaccæ, equæ, asinæ: alia est in redditibus & vectigalibus colligendis: alia est universalis, ceu omnium bonorum: alia particularis, ceu aliquorum tantum bonorum & negotiorum.

Contractus societatis alius est simplex, alius mixtus.

Contractus societatis simplex est ille, in quo reperitur solum societas. Contractus societatis mixtus est ille, in quo contractui societatis alius adjungitur.

§. I.

De Contractu societatis simplici.

Prop. 1. Contractus societatis non est de se illicitus.

Prob. 1. Ex c. *per vestras* de donat. inter vir. & mulier. ubi Inn. III. approbat contractum societatis his verbis: *Mandamus dotem restitui, vel saltem alicui mercatori committi, ut de parte honesti lucri dictus vir onera matrimonii possit sustentare.*

2. Ex jure civili. *Societatem coire & re, & verbis, & per nuntium posse nos, dubium non est.* L. 4. ff. pro socio.

3. *Rat.* Negotiatio non est illicita, imo maxime utilis, ut commercium inter homines foveatur: ergo contractus societatis negotiationem fovens non est illicitus in se spectatus.

Prop. 2. Ut contractus societatis sit licitus, debet fieri 1. Inter personas habiles ad societatem. 2. Debet esse de rebus aptis ad societatem. 3. Debet servari æqualitas vel absoluta, vel proportionalis. 4. Capitale utriusque debet esse periculo obnoxium.

Prob. ratione. Ex principiis supra statutis, ut contractus sit licitus, debet 1. Fieri inter personas habiles. 2. Debet esse de rebus, quæ sint apta materia contractuum. 3. Debet servari æqualitas. 4. Si capitale pereat, debet domino perire, & si fructificet, debet domino fructificare; juxta illud: *Res domino perit, res domino fructificat:* ergo illud idem debet in societate reperiri; & proinde contractus societatis toties erit licitus, quoties prædicta quatuor includet.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *Quoad personas.* Si attendantur contrahentes, contractus societatis potest iniri a quibuscumque personis sive æqualibus, sive inæqualibus, modo quatuor prædicta observentur.

Sic pauperes ineunt aliquando societatem cum divitibus, v.g. colonus cum nobili, rusticus cum mercatore, &c.

Consect. 2. *Quoad modum contrahendi.* Societas potest iniri vel absolute, vel conditionate, vel aliquorum bonorum, vel omnium, prout libuerit contrahentibus, modo quatuor prædicta observentur; quia quilibet contractus, ac proinde contractus societatis, potest fieri juxta voluntatem contrahentium.

Sic societas fit aliquando in omnibus bonis, aliquando in certis bonis, ut docet jus civile: *Societates contrahuntur sive universorum bonorum, sive negotiationis alicujus, sive vectigalis, sive etiam rei unius.* L. 5. ff. pro socio. *In societate omnium bonorum omnes res quæ coeuntium sunt, continuo communicantur.* L. 1. ff. pro socio. In societate vero speciali sola bona societatis communicantur.

Sic societas potest fieri licite vel absolute, vel sub conditione; vel ad tempus, vel in perpetuum; vel apponendo pœnam contra infractores societatis, vel non apponendo pœnam; quia contractus quilibet pendet a voluntate contrahentium. *Societas iniri potest sub conditione.* L. 1. ff. pro socio. *Societas coiri potest vel in perpetuum, vel dum vivunt, vel ad tempus vel ex certo tempore.* Ibid. Imo, si quis a socio pœnam stipulatus fuerit, pœna subeunda est.

Consect. 3. *Quoad res.* Si attendantur res, quæ sunt materia contractuum, societas fieri potest circa eam materiam, ex qua potest aliquod lucrum percipi, modo observentur quatuor prædicta; quia contractus quilibet, & proinde societas, circa debitam materiam est licitus.

Sic societas circa merces vendendas & emendas est licita, servatis servandis, & fieri potest, 1. Ita ut unus conferat totam pecuniam, & alius conferat totam industriam. 2. Ita ut uterque conferat æqualem pecuniam, & æqualem industriam. 3. Ita ut unus conferat majorem pecuniæ summam & minorem industriam, & alius e contra conferat majorem industriam & minorem pecuniæ summam, & uterque juxta proportionem rei, quam exhibet, lucrum recipiat, & periculum subeat.

Sic societas circa agros colendos est licita servatis servandis, & fieri potest, 1. Ita ut unus conferat totum fundum, alter totam industriam & semina omnia. 2. Ita ut uterque conferat & mediam partem fundi, & mediam partem culturæ & seminum. 3. Ita ut unus & fundum totum exhibeat, & mediam partem seminum, & mediam partem animalium necessa-

cessariorum ad arandum, & quilibet juxta proportionem recipiat lucrum, damnumque subeat.

Sic societas circa animalia ad solam fœturam inservientia, quales sunt oves, capræ, porci, &c. est licita, servatis servandis. Fieri potest multipliciter. 1. Ita ut unus conferat totum capitale animalium, & alter totum capitale pascui & curæ. 2. Ita ut uterque conferat mediam partem capitalis animalium & mediam partem pascuorum & curarum. 3. Ita ut unus conferat totum capitale animalium & pascuorum, alter vero solam curam adhibeat, & uterque juxta proportionem recipiat lucrum, & damnum subeat.

Sic societas circa animalia ad solum usum inservientia, quales sunt equi, muli, boves, est licita, servatis servandis. Fieri potest multipliciter. 1. Ita ut unus totum capitale animalium conferat, alter vero totum capitale pascuorum & curarum, & quilibet lucrum proveniens vel ex incremento, si adsit, vel ex usu animalis, juxta suam proportionem recipiat. 2. Ita ut uterque mediam partem capitalis, pascuorum, & curarum apponat. 3. Ita ut unus totum capitale animalium & pascuorum ponat, alter vero solam curam, & quilibet lucrum juxta suam proportionem recipiat, & damnum subeat.

Sic societas circa animalia ad fœturam simul & usum inservientia, quales sunt vaccæ, equæ, asinæ, est licita, servatis servandis. Fieri potest multipliciter, uti dictum est de animalibus vel ad solum usum, vel ad solam fœturam inservientibus.

Sic societas circa vectigalia colligenda, & redditus, & census congregandos, est licita, servatis servandis. Fieri solet, cum multi operas suas uniunt, ut vectigalia, vel censuales redditus colligant, & lucrum & damnum commune sentiunt.

Prop. 3. Toties contractus societatis est illicitus, quoties non servatur æqualitas inter ea, quæ utrimque præstantur.

Prob. 1. Jure civili. *Societas cum contrahitur, tam lucri quam damni communio initur.* L. 67. ff. Pro socio.

2. *Rat.* Rerum æqualitas requiritur in omni contractu; quia justitia violatur, quoties res, quæ sunt materia contractus, non reducuntur ad æqualitatem: ergo æqualitas in societate specialiter requiritur; quia est quædam quasi fraternitas; juxta illud: *Societas jus quodammodo fraternitatis in se habet.* L. 63. ff. Pro socio.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Illicita est societas, in qua alter sociorum nihil ponit, nec pecuniam, nec operas, nec instrumenta, v. g. navem, currus, nec animalia, ut equos, boves, oves, &c. & tamen lucrum aliquod percipit; quia non est æqualitas, & vocari solet societas leonina, ut habetur L. 29. ff. §. 2. *Pro socio.*

Sic nobiles, qui volunt aliquid lucri percipere ex societate mercatorum, vel eorum, qui colligunt vectigalia, ex eo solum, quod vel spondeant pro illis, vel eos sua auctoritate tueantur; peccant, & ad restitutionem lucri accepti tenentur.

Consect. 2. Illicita est societas, in qua uterque sociorum ponit aliquid, lucrum vero & damnum non est commune: adeo ut uterque lucrum accipiat, alter vero sociorum nullum damnum sentiat; quia non est æqualitas. *Iniquissimum societatis genus est,* inquit jus civile, *ex qua quis damnum, non etiam lucrum, expectat.* L. 67. ff. *Pro socio.*

Consect. 3. Illicita est societas, in qua uterque sociorum lucrum & damnum non partiuntur juxta legitimam proportionem; quia tunc non servatur æqualitas. *Æquum enim est,* inquit lex, *ut cujus æque participabit lucrum, æque participet & damnum.* L. 67. ff. *Pro socio.*

Consect. 4. Illicita est societas, in qua capitale utriusque socii æqualiter non periclitatur; quia tunc non servatur æqualitas. *Neque fiat pactio,* inquit Concilium Mediolanense primum, *ut sors salva sit, fructus vero communiter dividantur.*

Sic pecunia debet perire deponenti pecuniam, industria debet perire apponenti industriam, lucrum expectatum tum ex pecunia, tum ex industria, debet perire utrique, si non eveniat, sicut cedit utrique, si contingat. *Sicuti lucrum, ita damnum quoque commune esse oportet.* L. 52. §. 4. ff. *Pro socio.*

Prop. 4. Ut distributio damni, vel lucri ad justam æqualitatem redigatur, debet fieri cumulus cujuscumque sortis, v. g. pecuniæ, operarum, industriæ; & singulis æstimatis juxta suum valorem, assignari debet cuilibet deponenti tantum lucrum, & tantum damnum, quantum exigit sors deposita.

Prob. 1. Constitutione Sixti V. quæ incipit *detestabilis. Contrahentes societatem fructus, expensas, & damna in commune conferant; & prout æquum & justum fuerit, sibi communicent atque dividant.*

2 Jure civili. *Ita coiri posse societatem non dubitatur, ut alter pecuniam conferat, alter non conferat; & tamen lucrum inter eos commune sit; quia sæpe opera alicujus pro pecunia valet.* L. 3. Inst. tit. 26. §. 2. *De societate. Quia sæpe quorumdam ita pretiosa est opera in societate,*

ut

ut eos justum sit conditione meliori in societatem admitti. Ibid.3. Quia justa æqualitas, nec aliter cognosci, nec aliter pensari potest, quam facto illo cumulo & illo examine.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect.1. Si pecunia deposita sit pretiosior opera, deponens pecuniam majus lucrum percipiet.

Si e contra industria sit pretiosior, apponens industriam majus lucrum percipiet; si utrumque sit æquale, uterque æquale percipiet lucrum, & æquale sentiet damnum; quia in hoc sita est æqualitas.

Consect.2. Quidquid alter sociorum apposuerit ad societatem sive pecuniæ sive industriæ, computabitur in sortem, si datum vel factum fuerit causa societatis; minime si ob aliam causam vel factum, vel datum fuerit: de quo ita jus civile: *Eos dumtaxat sumptus imputabit societati, qui in eam pensi sunt*. L.52. ff. *Pro socio*. §. 15. In hoc enim servatur æqualitas.

Sic, si alter sociorum causa societatis damnum aliquod patiatur, vel quia iter agens pro societate a furibus comprehensus est, vulneratus est, spoliatus est, &c. debet damnum illud expensis societatis compensari; quia vacabat negotiis societatis: si vero id contigerit, dum sua, & non societatis negotia gereret, damnum illud non compensabitur.

Consect. 3. Lucrum, damnumve per se sequens ex societate, commune erit; sed lucrum damnumve sequens per accidens ad societatem, & non ex societate, non erit commune, sed illius cujus occasione contigit vel lucrum, vel damnum: in hoc enim servatur æqualitas.

Sic, si quis vel pecunia, vel industria sua apposita societati, aliquid lucretur, vel damnum aliquod patiatur, totum erit societatis; quia pecunia, & industria apposita societati & perit, & fructificat societati.

Si quis vero vel pecunia, vel industria sua, sed non apposita societati, aliquid lucretur, vel damnum aliquod patiatur, totum illud ejus erit, & non societatis: pecunia & industria non apposita societati perit & fructificat domino, & non societati.

Sic, si quis non ob societatem, sed occasione societatis, quia cognitus est vir probus, vir gratus, &c. ab aliquo institutus est hæres, aut quid ei donatum sit, illud non debet venire in medium societatis, sed in utilitatem propriam. L. 60. ff. *Pro socio*. Hoc ultimum non habet locum in societate omnium bonorum, in quo omnia fiunt communia sociis.

§. II.

De Contractu societatis mixto.

Prop.1. Contractui societatis non potest adjungi alius contractus, qui leges societatis destruat; & si adjungatur, contractus ille mixtus erit illicitus. Ideo illicitus est contractus, in quo primo initur societas: secundo securum redditur capitale unius socii ab altero socio: tertio venditur lucrum incertum expectatum pro certo etiamsi minori.

Prob.1. Constitutione Sixti V. quæ incipit, *Detestabilis. Damnamus*, inquit, *& reprobamus omnes & quoscumque contractus, conventiones, & pactiones post hæc ineundos, vel ineundas, per quos seu quas cavebitur personis pecunias, animalia, aut quaslibet alias res societatis nomine tradentibus, ut etiam si fortuito casu quamlibet jacturam, damnum, aut amissionem sequi contigerit, sors ipsa seu capitale semper salvum sit, & integrum restituatur a socio recipiente, sive ut de certa quantitate vel summa in singulos annos, vel menses durante societate respondeatur; statuimusque hujusmodi contractus, conventiones, pactiones usurarios & illicitos censeri debere*.

Nec dici potest, eam Constitutionem editam fuisse a Papa, non prout est caput Ecclesiæ, sed prout est Dominus temporalis; quippe ibi summus Pontifex explicat jus divinum omnium prohibens usuram, & mandat Ordinariis, ut eam Constitutionem publicam reddat: *& inviolate observari curent*, & contra inobedientes, *tamquam in publicos usurarios procedant*. Nec eludi pariter potest hæc Constitutio, asserendo, quod non fuerit ab Episcopis recepta; quippe Clerus Gallicanus, an. 1578. & Conc. Burd. an. 1583. idem ex professo docent quod summus Pontifex: ergo signum est eam Constitutionem receptam esse in Gallia. Cujus acceptionis signum, quod leges municipales Bituricenses tit.17 a.4. & Nivernens c.21. art. 3. & Borbonienses societatem illam, in qua omne periculum animalium est accipientis, tamquam leoninum declarant.

2. Ex Facultate Parisiensi, quæ an. 1665. damnavit sequentem propositionem tamquam falsam, & scandalosam: *Si contractui societatis superaddantur contractus assecurationis capitalis, & venditionis lucri incerti pro lucro certo, ex vi horum licitum est exigere lucrum certum salva sorte*.

3. Ex

3. Ex D. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5. *De ratione Contractus societatis est, quod sors deposita periclitetur deponenti : ergo non potest secura reddi ab altero socio ;* quia alias iste contractus assecurationis destrueret contractum societatis. En verba sancti Doctoris: *Ille, qui committit pecuniam suam vel mercatori, vel artifici per modum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniae suae in illum, sed remanet ejus, ita quod cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur : & ideo licite potest partem lucri inde provenientis expetere tamquam de re sua.*

4. Ex D. Antonino par. 2. tit. 7. §. 3. ubi sic habet : *Talis contractus est illicitus, ex quo periculum spectat ad recipientem.*

5. *Rat.* Contractus ille societatis mixtus pluribus titulis est illicitus. 1. Palliatur sub illo contractu usura; quoties enim mutuum a me petieris, dicam: nolo mutuare, sed dabo tibi mille nummos ad societatem ; addam postea pactum de assecuratione sortis & lucri moderati, donec sortem restituas : quid est aliud, nisi dare mutuum, & ex vi mutui lucrum percipere, quod usurarium est ? 2. In illo contractu societatis mixto res non perit domino, & tamen illi fructificat : quod injustum est. 3. In eodem contractu societatis mixto conditio utriusque socii est inaequalis, cum sors unius periclitetur, minime vero sors alterius, quod iniquum est, & societati repugnans.

Nec est quod dicas: sortem posse reddi securam a tertia persona, cur idem non poterit fieri a socio? Solutio aperta est. 1. Id non prohibetur fieri a tertia persona, bene tamen a socio. 2. Persona existens extra societatem non potest uti societate ad palliandam usuram, cum ipsa nihil mutui det; sed ille tantum qui societatem iniit, eo contractu utitur ad tegendam usuram, quam percipit re vera ex mutuo sub ficto nomine societatis.

Consectaria hujus Doctrinae.

Consect. 1. Illicitus est contractus societatis mixtus, in quo datur pecunia mercatori eo pacto, ut secura reddatur per mercatorem, & tamen qui dedit eam pecuniam lucrum aliquod percipiet. 1. Enim lucrum non potest percipi vi mutui; quippe hoc est usurarium. 2. Non potest pariter percipi vi societatis; ibi enim non est societas justa, ubi sors non perit deponenti : ita videtur determinatum cap. *Naviganti de usuris*, ubi sic habetur : *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniae quantitatem, pro eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius censendus est.*

Consect. 2. Illicitus est contractus societatis, in quo datur fundus excolendus ab agricola, eo pacto, ut juxta proportionem dividantur fructus inter agricolam & fundi dominum : & insuper additur ea conditio, quod persolvatur aliquid a colono, etiamsi casu, v. g. grandine, nebula, &c. fructus fundi perierit ; quia tunc industria coloni periclitatur, minime vero fundus domini.

Consect. 3. Illicitus est contractus ille societatis mixtus, in quo dantur animalia in societatem ea conditione, ut capitale vel in toto, vel in parte securum reddatur per recipientem, etiamsi citra dolum & negligentiam recipientis solo fortuito casu perierit ; res enim debet domino perire : de quo ita Concilium Mediolanense I. P. 2. tit. de usuris. *In societate*, inquit, *animalium, quae inaestimata alicui dantur ad custodiam, sive ut operas praestet, omnes casus etiam fortuiti semper sint periculo ejus, qui dederit, nisi id alterius socii dolo, vel magna negligentia accidisse constiterit ; nec fiat pactum, ut sors sit semper salva etiam ex primis foetibus, neve quidpiam certum praeter sortem ex fructibus animalium quotannis solvatur.*

Consect. 4. Illicitus est ille contractus societatis mixtus, in quo ad salvandum capitale post societatem initam, supervenit fictus alius contractus vel mutui, vel venditionis ; quia illi contractus sunt oppositi, unusque per alium destruitur.

Sic illicitus est contractus, quo primum dantur animalia in societatem, secundo dantur mutuo eadem animalia cum eo onere, ut talia restituantur, qualia data sunt, adeo ut ex vi mutui debeant reddi mutuatori eadem, vel similia animalia, ex vi vero societatis dans animalia possit partem lucri percipere. Talis quippe pactio est injusta : nam si vigeat contractus societatis, aequum est, ut lucrum juxta dantis & accipientis proportionem dividatur ; sed oportet, ut capitale pereat domino, si casu perierit.

Si vero vigeat mutuum, justum est, ut res pereat mutuatario recipienti, sed totum lucrum est mutuatarii ; quia sicut res domino perit, ita & fructificat.

Sic illicitus est contractus, quo primo dantur animalia in societatem, secundo aestimantur, & venduntur socio cum eo onere ut eorum pretium restituat, & interim lucrum proveniens ex societate dividatur. Talis pactio est injusta : quia si vigeat contractus societatis, lucrum debet dividi secundum propor-

por-

portionem dantis & accipientis stante tali contractu; si capitale pereat casu, debet perire domino.

Si vero vigeat contractus emptionis, post emptionem capitale pertinet ad emptorem: ideo si pereat, debet perire emptori, si vero fructificet, totum lucrum est emptoris; quia sicut res domino perit, ita res domino fructificat.

Consect. 5. Illicitus est contractus societatis mixtus, in quo capitale securum redditur ab uno ex sociis, quamvis deponens capitale illud faciat non animo conservandi, & exigendi capitale, si casu pereat, sed animo reddendi socium cautiorem in conservando capitali. 1. Quia non licet mentiri maxime in contractu publico; hic autem deponens mentitur, fingens velle se exigere capitale, cum revera non vult. 2. Quia contractus ille, ut pote usurarius, scandalum parit. 3. Quia si contrahens decedat ab intestato, hæredes inscii intentionis testatoris juxta rigorem contractus exigent capitale, quamvis casu perierit.

Prop. 2. Contractus societatis potest uniri cum aliis contractibus, modo illi contractus leges veræ societatis non destruant.

Prob. rat. Contractus societatis potest fieri juxta beneplacitum contrahentium: ergo potest fieri vel solus, vel simul cum aliis contractibus, modo illi contractus leges veræ societatis non destruant.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Licitus est contractus societatis mixtus, quo quis valens inire societatem cum alio, qui non habet pecunias, quibus societatem ineat, 1. Dat illi mutuo pecuniam, v. g. centum nummos. 2. Ille similiter centum nummos apponit, & ex ducentis illis nummis emuntur vel merces, vel animalia, &c. quæ post emptionem nec sunt mutuatarii, nec mutuantis, sed indivisim utriusque: & si pereant, pereunt utrique, & tamen mutuatarius remanet debitor centum nummorum. Ille contractus societatis, etsi mixtus, est licitus, modo servetur æqualitas, & communio sit lucri & damni juxta proportionem dati & accepti; quia mutuum præcedens societatem non destruit societatem.

Consect. 2. Licitus est contractus societatis mixtus, in quo quis, v. g. dives, volens inire societatem cum alio, v. g. paupere, qui non habet materiam, qua ineat societatem, dives dat pauperi non pecuniam, sed rem, v. g. dat merces mercatori, dat animalia rustico. Hæ merces, & hæc animalia æstimantur ab æquis æstimatoribus, & per talem æstimationem a divite implicite venduntur pauperi quoad mediam partem, & retinentur a divite quoad aliam mediam partem; quia æstimatio facta intuitu venditionis facit venditionem. Per contractum illum venditionis pauper remanet in omni casu obligatus ad solvendum pretium illius medietatis, quam emit, postea & pauper & dives ineunt societatem, & quilibet ponit suam medietatem in societate; tunc totus fundus societatis pertinet indivisim ad utrumque, & si perierit, perit utrique. Ille contractus est licitus, modo servetur æqualitas, & communio lucri & damni juxta proportionem dati & accepti; venditio enim præcedens societatem, non destruit societatem, fundaturque supra hanc legem: *Æstimatio venditio est.* L. *æstimatio* ff. soluto matrimonio & L. *plerumque* ff. de jure dotium.

Initur plerumque societas hoc modo potissimum circa animalia. 1. Dives dat animalia non habenti. 2. Ea animantia æstimantur absque intuitu expressæ venditionis. 3. Dans animantia se habet ut eorum dominum etiam post æstimationem, ita ut neque aperte, neque tacite velit transferre eorum dominium in accipientem, quamvis non explicite dicat: nolo tibi vendere animantia, volo semper esse eorum dominus, & si indiguero, vendam, cum libuerit; sed dicit tantum: do tibi animalia in societatem, do, inquam, animalia ea conditione, ut si etiam fortuito casu perierint, mediam eorum pretii partem solvas; lucrum vero, si quod eveniat, æqualiter inter nos dividemus. Hunc contractum Gallice vocant, *Cazaille, seu societas, ex qua dimidium damni, dimidiumque lucri percipitur.* Mitto alias circumstantias, quæ respiciunt, æqualitatem, vel inæqualitatem, in quibus potest servari, vel violari justitia, quæque circumstantiæ variæ sunt juxta varias locorum temporumve rationes.

Sisto in discutiendo prædicto contractu, qualem exposui, & dico, hunc contractum esse illicitum hoc ipso, quo quis retento sibi totius rei in societatem traditæ dominio, vult ut accipiens animalia mediam eorum partem etiam fortuito casu, & nulla sua culpa pereuntem, indemnem servet; est enim ille contrarius huic principio juris: *res domino perit*; nam quæcumque interveniat æstimatio, res non potest dici vendi nolente domino.

Si

Si tamen dominus vellet vel expresse vel tacite per æstimationem accipienti vendere mediam partem animalium, & accipiens nosceret se per prædictam æstimationem fieri dominum medietatis emptæ & traditæ in societatem, per quam animalia collective sumpta æque ad accipientem ac ad tradentem pertinerent; tunc contractus ille esset licitus, modo in aliis circumstantiis servaretur æqualitas; tunc etiam posset dividi licite inter utrumque lucrum & damnum, ut supra dictum est. Quod de societate animalium in isto casu diximus, de aliis rebus in societatem traditis intelligi debet, scilicet, quod sors æstimata absque intuitu venditionis domino pereat.

§. III.

De mutua obligatione ineuntium societatem.

Prop. unica. Statutis pactis & conventionibus, legibus societatis consentaneis, statuta æqualitate rerum, de quibus initur societas, sociorum quilibet debet inspicere fundum societatis quasi rem suam, ut eum conservet & adaugeat, & inspicere eumdem fundum societatis quasi rem alienam, ne sibi aliquid fundi appropriet: qui secus egerit, peccat, & si damnum afferat, tenetur ad restitutionem.

Prob. 1. Ex jure civili. *In contractibus societatis fides exuberet.* L. 3. C. *pro socio.* In prædictis autem Officiis sita est illa fidei exuberantia: ergo prædicta debent observari ab his, qui societatem inierunt.

2. *Rat.* Sumptis simul diversis sortibus ejusdem societatis, nempe hinc pecunia, animantibus, pascuis, & similibus; inde industria, cura, labore, & hujusmodi pretio æstimabilibus, quæ omnia simul collecta universum fundum societatis constituunt: ille cumulus exurgens ex singulis sortibus est omnium sociorum collective, & disjunctive nullius: ergo tenetur quilibet res illas quasi suas curare, & ab illis quasi alienis abstinere. Quando autem damnum teneatur reparare qui fidem in societate non servat, his verbis compendiose explicat Antoninus *In societate damnum procedens ex natura rei traditæ pertinet ad tradentem, sequens ex culpa negligentiæ ad suscipientem, ex fortuito casu spectat ad utrumque.* P. 2. tit. 1. cap. 7. §. 39. Nempe, ut quælibet pars sortis, quæcumque sit, suo domino pereat, scilicet, pecunia apponenti pecuniam, animal apponenti animalia, industria apponenti industriam.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Pro eo, qui tradit rem, quæ est materia societatis. Qui apponit res, v.g. pecuniam, merces, pecora, debet res sanas, & non corruptas apponere, v.g. pecuniam veram, & non adulteratam, merces bonas, & non fucatas, pecora sana, & non morbida: quod si quod conventum est non attulerit, tenetur damnum & societati & Reipublicæ enascens reparare; quia ex D. Th. *Qui dat occasionem damni, & peccat, & tenetur ad restitutionem.*

Sic qui apponit res corruptas, si vitio suo pereant, damnum omne refunditur in eum, qui res adulteratas apposuit: v. g. si moneta adulterata fisco addicatur, si merces fucatæ putrescant, si animalia morbida pereant, totum illud imputabitur deponenti; juxta illud S. Antonini: *Damnum procedens ex natura rei traditæ pertinet ad tradentem.*

Consect. 2. Pro apponente industriam in societate. Qui apponit industriam, talem debet apponere, qualem suis rebus adhiberet; quia caussa societatis non ipsius solius est, sed omnium simul sociorum: sic si res pereant vel culpa, vel dolo ipsius, tenebitur restituere.

Sic, si pastor pecora sibi commissa negligentia perire permittat, si mercator merces sibi traditas vel incuria corrumpi, vel indiligentia subripi sinat, ad restitutionem tenebitur; quia *custodiam præstare debuit.* L. 52. ff. *pro socio.* §. 23.

Sic, si pastor ex dolo pecora morbida pro sanis substituat, aut ea inscio domino vendat, & mortua mentiatur: si mercator merces sibi traditas bonis adulteratas substituat, & eas labefactatas fingat, aut eas inscio socio vendat, & casu periisse simulet, ad restitutionem tenebitur, quia *socios inter se dolum & culpam præstare oportet.* L. 52. ff. *pro socio.* §. 3. Si vero socius non minorem adhibeat industriam, quam rebus suis, tunc ad nihil tenetur, imputentque sibi socii, quod negligentem socium elegerint. *Sufficit enim talem diligentiam communibus adhibere socium, qualem suis rebus adhibere solet quilibet homo prudens.* §. ult. instit. de societate lib. 3. tit. 26.

Consect. 3. Pro utroque socio. Neuter sociorum potest se gerere, quasi solus esset dominus fundi cumulum societatis constituentis, sed solum quasi dominus una cum sociis; quia revera res societatis nullius est disjunctive, sed est omnium sociorum collective.

Sic neuter sociorum potest sibi privatim res societatis attribuere; si secus fecerit, reus furti habebitur. *Rei communis nomine cum socio*

furti

furti agi potest, si per fallaciam dolo malo amovit, vel rem communem celandi animo contrectavit, inquit jus civile L. 43. ff. *pro socio*.

Sic neuter sociorum potest damnum caussatum societati debitis officiis erga societatem compensare; quia compensatio non potest fieri ex aliunde debitis. *Non compensatur*, inquit lex, *compendium cum negligentia*. L. 26. ff. *pro socio*.

Sic neuter sociorum potest totum fundum societatis obligare, nisi deputetur a societate. *Nemo ex sociis potest plus parte sua alienare*. L. 68. ff. *pro socio*.

Sic neuter sociorum debet pati solus totum damnum societatis obveniens casu, sed omnes collective; quia omnes collective sunt domini. *Fatalia autem damna socii non coguntur præstare*.

Sic neuter sociorum potest quotam suam portionem nisi finita societate distrahere.

Consect. 4. *Circa dissolutionem societatis*. Neuter sociorum potest intempestive sine causa legitima dissolvere societatem, & qui injuste dissolvit, tenetur ad restitutionem damni; quia in omni contractu servandæ sunt pactiones: & qui violat justitiam, tenetur restituere. *Si intempestive renuntietur societati, esse pro socio actionem*. L. 14. ff. *pro socio*. Dissolvitur autem justa de causa sequentibus modis.

1. Mutuo sociorum consensu; quia res iisdem causis dissolvitur, quibus constituitur. *Diximus, dissolvi societatem dissensu*, inquit lex, *hoc ita est, si omnes dissentiant*. L. 65. ff. *pro socio* §. 3.

2. Si tempus desierit, quia non ultra extenditur obligatio societatis. *Quod si tempus finitum est, liberum est recedere; quia sine dolo malo id fit*. L. 65. ff. *pro socio* §. 6.

3. Si negotiis societatis impositus sit finis; quia non ultra patet obligatio. *Item si alicujus rei societas fit, & finis negotio impositus, finitur societas*. L. 65. ff. *pro socio* §. 10.

4. Si alter sociorum fiat insufficiens ad societatem persequendam, puta, quia egestate premitur, bonis suis cessit, morbis laborat, &c. quia tunc non potest pactis stare. *Dissociamur*, inquit lex, *egestate* L. 4. ff. *pro socio*. *Item bonis a creditoribus venditis unius socii distrahi societatem Labeo ait*. L. 65. ff. §. 1. *pro socio*. Item *si quis bonis suis cesserit .... Sed hoc casu, si adhuc consentiant in societatem, nova videtur incipere societas*. Lib. 3. inst. tit. 26. *de societat*. §. 8.

5. Morte alterius sociorum; quia tunc non potest pactis stare. *Morte unius societas dissolvitur, etsi consensu omnium coita sit, plures vero supersint, nisi in coeunda societate aliter convenerint*. L. 65. ff. §. 9. *pro socio*. Hæres autem socii lucro & damno negotiorum ante mortem initorum communicat; minime vero negotiis post mortem testatoris initis seu ineundis, nisi novo consensu admittatur in societatem. *Hæres*, ait lex, *socius non fit, nisi fuerit adscitus; verumtamen omne emolumentum societatis ad eum pertineat, simili modo & damnum agnoscat*. L. 63. ff. *pro socio* §. 8.

6. Finita vel dissoluta societate fit computatio omnium expensarum, sortium, &c. ut cuilibet detur lucrum juxta debitam proportionem, & damnum pariter juxta eamdem proportionem quilibet patiatur; quia æqualitas non potest aliter observari: ideo ait lex: *Et si distracta esset societas, nihilominus divisio rerum superest*. L. 65. ff. *pro socio* §. 13.

§. IV.

De societate in matrimonio & in bonis dotalibus.

Matrimonium contractus est, qui societas conjugalis dicitur; quatenus contractus eisdem muniri debet conditionibus, quas in contractibus exigimus; quatenus vero societas eisdem legibus subjacet, quibus aliæ societates: sed quia speciales possunt esse difficultates circa bona dotalia, ideo de his hic agemus.

Dum femina init matrimonium, potest habere bona dotalia, & bona paraphernalia. Bona dotalia sunt ea, quæ marito dantur ad sustinenda onera matrimonii, quorum usumfructum habet maritus. Bona paraphernalia sunt ea, quæ extra dotem sunt, quorum dominium & usum habet mulier. De utrisque agendum.

Prop. 1. Vir non habet proprietatem bonorum dotalium, sed usumfructum, & eorum tutelam. Itaque mulier habet bonorum illorum dominium proprietale; vir vero dominium utile, & curam bonorum illorum gerere debet.

Prob. 1. Ex jure civili. *Quamvis in bonis mariti dos sit, mulieris tamen est*. L. 75. ff. de jur. dot. *Dotis fructum ad maritum pertinere debere æquitas suggerit*. L. 7. ff. de jure dot. *In rebus dotalibus virum præstare oportet tam dolum quam culpam; quia causa sua dotem accipit*. L. 17. ff. de jure dot. Ergo maritus non habet rerum dotalium dominium, sed solum usumfructum, & eorum tutelam.

2. *Rat*. Illa omnia exigit, 1. Natura bonorum dotalium, quæ illæsa conservari debent. 2. Debilitas sexus feminei; femina quippe rebus gerendis impar, curatorem rerum sua-

suarum virum habere debet. 3. Illud pariter exigit officium viri erga uxorem; cum caput sit mulieris, sicut mulierem, ita & mulieris bona gubernare debet. Demum illa est intentio dotem constituentium; quippe si pater dotem constituat, ad eum dos reversura est, si dotata filia sine liberis decesserit: ergo dos debet præstari indemnis a viro. Si alii constituant, ut plurimum eamdem apponunt conditionem: ergo dos debet semper præstari indemnis cura viri.

§. V.

Vir non est proprietarius feudi dotalis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Vir consentiente uxore, aut uxor consentiente viro, nequeunt bona dotalia vendere, nec oppignorare, nec eadem nova servitute onerare, vel ea bona servitute, qua gaudent, privare, nisi in ingenti necessitate, & hoc authoritate juridica: ita jubet jus civile: *Fundum dotalem non solum hypothecæ titulo dare ne consentiente muliere maritus possit, sed nec alienare, ne fragilitate suæ naturæ in repentinam deducatur inopiam.* L. unic. C. *de rei uxoriæ act.* §. 15. *Neque jus permittit servitutes fundo debitas posse maritum amittere, neque ei alias imponere.* L. 5. ff. *de fund. dotal.* Quod tamen illud liceat urgente necessitate. *Uxori*, inquit lex, *ob has causas dos reddi potest, ut sese suosque alat, ut parenti præstet alimoniam, aut egentem virum, fratrem, sororemve sustineat.* L. 13. ff. *de jure dotium* §. 1.

Consect 2. Soluto matrimonio, citra mortem alterius conjugatorum, maritus non potest dotem retinere, quia non est illius dominus; sed debet eam filiis conservare, si nati sint filii ex matrimonio; vel eam reddere uxori, si sit sui juris; aut ejus heredibus, si defuncta est; aut eis, a quibus profecta est dos, si sit reversibilis, ut docet jus: *Soluto matrimonio, solvi*, inquit, *mulieri dos debet*, L. 2. ff. *de soluto matrimonio. Si sui juris mulier est, dos ab ejus patre profecta, reverti ad eam debet. Si vero defuncta sit, ejus danda est heredibus.* Ibid.

Conf. 3. Maritus, soluto matrimonio, debet restituere non solum dotem, sed etiam accessoria dotis; quia non est eorum dominus, sicuti nec dotis. *Quia ipse fundus*, inquit jus, *est in dote, quodcumque propter eum consecutus fuerit a muliere maritus, quandoque restituet mulieri de dote agenti.* L. 52. ff. *de jure dotium.*

Conf. 4. In restituenda dote, marito adjudicabuntur dona, si quæ ei facta sint ab uxore, & omnes expensæ non annuæ, sed extraordinariæ, factæ, non ad voluptatem, sed ad utilitatem vel necessitatem; quia in omni restitutione æquum est ut fiat compensatio eorum, quæ data sunt, cum his, quæ accepta sunt.

Sic, si conventum fuerit, quod dos in toto vel in parte apud maritum remanebit, conventio observanda erit.

Sic, si maritus expensas necessarias, v. g. ædificia ruitura, sustinuerit, vel utiles, v. g. si novalia in fundo facta sint, hæ omnes expensæ compensari debent. *Ego non tantum necessarias, sed etiam utiles impensas præstandas a muliere existimo*, inquit jus civile. L. ult. ff. *de fundo dotali.*

Sic expensas nec necessarias, nec utiles, sed ad solam factas voluptatem, jus jubet non debere compensari. *In voluptuariis vero, si voluntate mulieris factæ sunt, exactionem petere lex permittit.* C L. 1. §. 5. *de rei uxoriæ actione.*

Sic annuæ expensæ vel ad arandum fundum, vel ad colligendos fructus, vel ad solvenda tributa, compensari non debent; quia, ut ait lex, *onus fructuum hæc impendia sunt.* L. 13. *de impen. usufruct.*

§. VI.

Maritus est usufructuarius bonorum dotalium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Conf. 1. Maritus rebus dotalibus quasi suis fruitur: sic habet jus: *Dotis fructum ad maritum pertinere debere æquitas suggerit; cum enim ipse onera matrimonii subeat, æquum est etiam eum fructus percipere.* L. 7. ff. *de jure divino.*

Consect. 2. Maritus contra detentores bonorum dotalium habet actionem, etiam dissentiente uxore, non secus ac si res propriæ essent. *De his*, ait lex, *quæ in dotem data ac direpta commemoras, mariti tui esse actionem nulla est dubitatio.* L. 2. cap. *de jure dotium.*

Consect. 3. Maritus acquirit dominium fructuum e dotalibus bonis provenientium; quia sunt quædam accessoria dotis, sed non fructuum extraordinariorum, qui non sunt accessoria dotis.

Sic annui redditus pertinent ad maritum, v. g. arbores caducæ, modo novæ conserantur: sic lapides in fundo crescentes quasi fructus habentur. Contra vero arbores ingentes, lapides ædificiorum non habentur quasi fructus; & nummi ex ea venditione recepti sunt dotis. L. 32. ff. *de jure dotium.*

Con-

Consect. 4. Maritus non acquirit dominium fructuum a bonis paraphernalibus provenientium; quia uti non est ususfructuarius illorum bonorum; ita nec eorum fructus debet suos facere, ut habetur in jure civili: *Hac lege decernimus, ut vir in his rebus, quas extra dotem mulier habet, quas Græci parapherna dicunt, nullam uxore prohibente habeat communionem* L. 8. C. *de pactis conventis super dote.*

§. VII.

Maritus est curator bonorum dotalium ex officio, & bonorum paraphernorum ex decentia, si hanc curam ei mulier commiserit.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Maritus tenetur dotem præstare indemnem, si dolo, culpa, vel negligentia perierit; tum quia est curator, tum quia est societas in rebus dotalibus. *Virum*, inquit jus, *præstare oportet tam dolum quam culpam; quia causa sua dotem accepit.* L. 17. ff. *de jure dotium.*

Consect. 2. Maritus tenetur dotem rigore juris ab injustis detentoribus exigere, a patre vero, vel liberali donatore precibus postulare: si neglexerit, tenebitur præstare; quia tale est officium curatoris. *Si non petierit*, inquit lex, *maritus, tenebitur hujus culpæ nomine, si dos exigi potuerit.* L. 20. ff. *de pact. dotal.* §. 2.

Consect. 3. Si mutet dotem in deterius, periculo suo mutabit; quia id periculi sequitur personam curatoris. *Dotem, a patre & a quovis alio promissam, si vir novandi causa stipuletur, cœpit viri esse periculum, cum ante mulieris fuisset.* L. 35. ff. *de jure dotium.*

Consect. 4. Si maritus uxori debita sinat negligentia sua præscribi, tenebitur solvere; si negligat interesse exigere, tenebitur compensare; quia hæc cura spectat ad curatorem. *Si petere neglexerit vir, cum id facere posset, rem periculi sui fecit.* L. 16 ff. *de fund. dot.*

Consect. 5. Quoties res æstimata in dotem datur, toties maritus summam statuti prætii præstare tenetur indemnem; quia æstimatio hæc facit venditionem, & societas conjugalis reddit maritum tutorem pretii æstimatarum rerum. *Maritus quasi emptor & commodum sentiat, & dispendium subeat, & periculum expectet.* L. unica C. *de rei uxoriæ actione.*

Consect. 6. Si uxor marito bonorum paraphernorum curam dederit, decet maritum eas res quasi suas gerere, & de dolo & de culpa teneri; quia ad hæc teneretur erga extraneum, a fortiori erga uxorem. *Dum autem*, ait lex, *apud maritum remanent eædem cautiones, & dolum & diligentiam maritus circa eas res præstare debet, qualem circa res suas habere invenitur.* L. ult. in fin. C. *de pactis conventis super dote.*

CAPUT X.

De Mutuo & Usura.

ARTICULUS I.

Quid sit mutuum, quid usura: an sit peccatum, & quale.

§. I.

Quid sit mutuum.

Mutuum, si nomen spectes, est contractus faciens aliquid de meo tuum. Si rem consideres, mutuum est contractus, per quem mutuans transfert in mutuatarium dominium & usum rei, quæ per ipsum usum integre consumitur, ea lege, ut postea tantumdem ejusdem generis vel valoris restituat.

Res usu consumptibiles sunt illæ, quarum usus est earum consumptio; sicut vinum & panem consumimus eis utendo ad victum. Monetam ipso usu quasi consumimus, dum ea utimur ad commutationes faciendas: unde in talibus non debet seorsim computari usus rei a re ipsa; sed cuicumque conceditur usus, hoc ipso conceditur & ipsa res.

Res usu alteratæ, sed non consumptæ, sunt illæ, quarum usus non est earum consumptio, ut sunt ædes, vestes, equi, &c. & in iis non consistit, nec fieri potest mutuum.

Qui dat mutuo, dicitur mutuator, & creditor.

Qui accipit mutuo, dicitur mutuatarius, & debitor.

§. II.

Quid, & quotuplex sit usura.

Usura, late sumpta, est *quælibet accessio vel augmentum, vel fructus, qui ex aliqua re percipitur:* ita jus civile ff. de usuris.

Usura, stricte sumpta, est *lucrum ex vi solius mutui proveniens.*

Usura alia est aperta, alia palliata.

Usura aperta est *Contractus mutui, cum pacto expresso lucri vi mutui*.

Usura palliata est ea, *Cujus turpitudo velatur aliquo praetextu honesto*.

Usura tam aperta, quam palliata, alia est realis, alia mentalis.

Usura realis est *Pactum externum accipiendi aliquod lucrum ex mutuo vel expresso, vel implicito*.

Usura mentalis est *Voluntas interna accipiendi aliquod lucrum vi mutui*.

Usura mentalis, alia est pure mentalis, alia mixta.

Usura pure mentalis est *Interna intentio percipiendi lucrum ex mutuo, absque exteriori datione, vel receptione*.

Usura mentalis mixta est *Intentio interna percipiendi aliquid ex vi mutui, conjuncta cum exteriori datione & receptione rei, quae datur mutuo*. His positis sit

§. III.

Quale peccatum sit usura.

Prop. unica. Usura, seu lucrum proveniens ex vi solius mutui, est peccatum contra justitiam, ut docet Scriptura, monent Concilia, ratio naturalis dictat, jus civile & jus Gallorum ostendunt.

Prob. 1. Ex Script. Deut. 23. v. 19. *Non FOENERABIS fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno*. Et Psal. 14. ubi dicitur: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? ... qui jurat proximo suo, & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad USURAM*. Et ex Psal. 54. ubi, dum describitur urbis Babylonicae iniquitas, dicitur: *Non defecit de plateis ejus USURA & dolus*. Et Ezech. cap. 18. v. 13. *Ad USURAM dantem, & amplius recipientem numquid vivet? non vivet ... morte morietur & sanguis ejus in ipso erit*. Et c. 22. v. 12. civitati Jerusalem scelera ab ipsa commissa his verbis exprobrat: *USURAM & SUPERABUNDANTIAM accepisti, & avare proximos tuos calumniabaris, meique oblita es, ait Dominus*. Et Luc. c. 6. v. 34. *Si mutuum*, inquit, *dederitis his, a quibus speratis accipere; quae gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus foenerantur, ut recipiant aequalia .... mutuum date nihil inde sperantes*. *MUTUUM DATE, hoc ponitur inter consilia*, inquit D. Th. *NIHIL INDE SPERANTES*, *hoc cadit sub ratione praecepti*. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 4. Ergo ex Scriptura est peccatum contra justitiam.

2. Ex Patribus. Usura a multis Patribus comparatur cum homicidio, cum furto & rapina; sic enim habet Gregorius Nyssenus: *Malignam foenorum excogitationem si quis appellet furtum & homicidium, non peccabit. Nam quid refert suffosso pariete quemquam erepta possidere, ac foenorum necessitate illicita possidere?* Ambrosius vero idem habet lib. de bono mortis, c. 12. relatus 14. qu. 5. Can. 10. *Si quis*, inquit, *usuram acceperit, rapinam facit, vita non vivit*. August. autem ibidem relatus, Can. 11. ita scribit ad Macedonium Epist. 54. *An crudelior est qui subtrahit aliquid, vel eripit diviti, quam qui trucidat pauperem foenore?* Demum D. Th. 2. 2. q. 78. art. 1. in C. sic concludit. *Dicendum*, inquit, *quod accipere usuram pro pecunia mutuata, est secundum se injustum; quia venditur id, quod non est, per quod manifeste inaequalitas constituitur, quae justitiae contrariatur*. Atqui homicidium, furtum, rapina, injustitia, cui usura comparatur, est peccatum: ergo usura est etiam peccatum.

Respondent quidam his authoritatibus, eas usuras esse illicitas, quae extorquentur a pauperibus; minime vero eas, quae ex conventione exiguntur ab his, qui re nostra mutuata utuntur vel ad negotiandum, vel ad vivendum splendide.

Sed haec assertio omnino falsa est. Primo Scriptura & Patres, ut patet ex locis allatis, vituperant omne genus usurae, eamque cum furto & rapina comparant: furtum autem peccatum est, sive diviti, sive pauperi res auferatur: ergo & usura, sive a paupere sive a divite eam accipias. Confertur etiam cum homicidio, quo pateat illicitam esse omnino, & in singulis casibus usuram, nisi fiat authoritate Dei, quales erant usurae, quas Judaei a gentibus poterant exigere: sicuti in omni casu illicitum est homicidium. Ideo dicit Ambr. lib. de Tobia c. 15. quod non minus crudeliter impetimur usuris, quam gladiis. *Sine ferro dimicat*, inquit, *qui usuram flagitat: sine gladio se de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius exactor inimici*. Nec aliter Ambrosius excusat Judaeos ab usuris, quas exigebant ex permissu Dei ab illis gentibus, quas deleturi erant, nisi supponendo, quod usurarum exactio sit certum genus belli. *Ubi*, inquit, *jus belli, ibi etiam jus usurae*. Ibid. Demum & Scriptura, & Patres, & Concilia damnant etiam eas usuras, quae a negotiatoribus exiguntur, ut docet Ambr. ibidem. *Plerique*, inquit, *refugientes praecepta legis, cum dederint pecuniam negotiatoribus, non in pecunia usuras exigunt, sed de mercibus eorum tanquam emolumenta percipiunt*. Et ut indicet omnibus.

bus quascumque usuras esse interdictas, addit illud Scripturæ: *Neque usuram accipi*, scilicet a quocumque, *neque omnium rerum*.

3 Ex Conciliis. Nicæno, Can. 18. Clerici *usuram* accipientes dejiciuntur e Clero. Ex Illiberitano Can. 2. & Clerici & Laici *usurarii* ab Ecclesia projiciuntur. In Concil. Lateran. 2. & 3. omnes *usurarii* a Sacramentis arcentur, infames habentur, Christiana sepultura privantur, eorum oblationes rejiciuntur. Can. 13. in Conc. Viennensi, omnes puniendi sunt, ut hæretici, qui affirmaverint *usuram* non esse peccatum: ergo usura & omnibus & erga omnia interdicitur.

4. Ex jure civili. Juxta jus civile triplex est usura. *Lucratoria*, qua aliquid sumitur ex vi mutui. L. 17. ff. de pactis. *Punitoria*, qua aliquid sumitur, non propter avaritiam petentium, sed propter moram culpabilem non solventium. L. 17. ff. §. 2. *Compensatoria*, qua præstatur justum interesse. L. *Ead.* §. 1. de usur. *Lucratoriæ usuræ* improbæ illicitæque sunt. L. 20 C. ex quibus causis infamia irrogatur. *Quia lucrum non est quærendum*, inquit lex, *ex ea re, cujus damnum aut periculum ad nos non spectat*. L. 67. ff. §. 1. *Pro socio*. *Punitoriæ usuræ* non sunt licitæ, nisi cum adest damnum præsumptum ex parte creditoris, & culpa ex parte debitoris: ergo ex jure civili illicita est usura, seu lucrum ex vi mutui.

Istud adeo verum est, ut ipsimet Pagani usuram longe magis noxiam habuerint, quam furtum, quam homicidium, quam seditionem. *Majores nostri*, inquit Cato de re rustica, *sic se habuerunt, & ita legibus posuerunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli*. Et idem Cato apud Ciceronem 2. de offic. cum ille, qui quæsierat, dixisset: *Quid fœnerari? Tum Cato: quid hominem*, inquit, *occidere?* insinuans *usuram esse speciem homicidii*. Quo circa Tacitus Lib. 5. annalium vocat usuram *vetus urbis malum*, eo quod ex usuris seditiones oriantur, artes quiescant. Et ut ait Plinius, vigeat solum *excogitata fœnore quæstuosa segnitia*. Usura ergo vermis est, qui mutuatoris, & mutuatarii hereditatem corrodit: mutuatoris quidem, ejus segnitiem fovendo: mutuatarii vero, ejus omnem industriam consumendo; cum id omne, quod suo labore lucratur, vix solvendis usuris sufficiat.

Demum Justinianus L. unica. C. de Sententiis, quæ pro eo quod interest proferuntur, usuras omnes ad titulum lucri cessantis, & damni emergentis restrinxit. *Cum*, inquit, *pro eo quod interest, dubitationes antiquæ in infinitum productæ sint. Sancimus itaque in omnibus casibus, qui certam habent quantitatem, vel naturam, veluti in venditionibus, locationibus, & omnibus contractibus*, & proinde in mutuo, *hoc, quod interest, dupli quantitatem non excedere:* Ergo non debentur usuræ, nisi cum intervenit *interesse*, seu damnum. *In aliis autem casibus, qui incerti esse videntur, judices, qui causas dirimendas suscipiunt, per suam subtilitatem requirere teneantur, ut hoc, quod REVERA INDUCITUR DAMNUM, HOC REDDATUR, & non ex quibusdam machinationibus, & immodicis perversionibus in circuitus inextricabiles redigatur .... & hoc non solum in DAMNO, sed etiam in lucro nostra amplectitur Constitutio*: Ergo ex jure civili illicita est usura, quæ non fundatur in LUCRO cessante, vel DAMNO emergenti.

5. Ex jure Gallorum prohibita est etiam *usura;* sic enim S. Ludovicus edicit an. 1254. *Prohibemus*, inquit, *districte, quod nullas usuras faciant Barones, Senescalli nostri, vel aliæ quæcumque personæ. Usuram intelligimus quidquid est ultra sortem*. Eadem sanxit Philippus IV. an. 1312. his verbis: *Edictum nostrum confirmantes, quodcumque usurarum genus interdicimus, utpote a Deo, Sanctisque Patribus prohibitarum*. Similem legem tulit Ludovicus XII. anno 1510. a. 4. *Ad evitandum ne quæ usura in Regno nostro patretur, omnibus Juri dicendo præfectis, Judicibusque præcipimus .... ut in eos, quicumque usuræ labe fuerint infecti, juxta legum præscripta animadvertant*. Art. 65. *Probibemus, ne quis Notarius ullum usurarium contractum recipiat, alioquin de officii gradu deturbandus, atque mulcta arbitraria puniendus*. Eadem præcepit Carolus IX. an. 1567. *Usuram interdicimus ad publicum bonum, atque Regni nostri utilitatem, nec non ad subditorum nostrorum solatium, ut vivere, & negotiari valeant, quin usuris obruantur; quemadmodum nonnulli in Regno nostro malo dæmone acti, nulloque Dei metu coerciti quotidie facere consueverunt*. Et Henricus III. sic statuit in Comitiis Blesiis habitis: *Omnibus, & singulis cujuscumque generis, conditionisque fuerint, inhibemus, ne per se vel per interpositas personas fœnora exerceant*. Hinc patet usuras & jure civili Romanorum & jure Gallorum prohiberi.

6. *Rat.* 1. Si aliquid juste exigeretur supra sortem in mutuo, vel hoc esset pro mutuatione, vel pro re mutuata, vel pro usu: non pro mutuatione; quia mutuatio non auget pretium rei mutuatæ, sicut nec venditio auget pretium rei venditæ: non pro re mutuata; quia modo restituatur eadem in genere, vel alia prorsus æquivalens, ponitur æqualitas, ut

cum mutuo dedisti centum, & redduntur tibi centum: non pro usu rei mutuatæ; quia usus in rebus mutuatis non distinguitur a re mutuata: adde, quod completa mutuatione, usus rei mutuatæ non est mutuatoris, sed mutuatarii: Ergo in mutuo nihil accipi potest supra sortem ex vi solius mutui.

2. Vel res mutuo data est frugifera ratione sui, ut animalia; vel frugifera ratione industriæ, ut argentum; vel omnino sterilis, uti panis, vinum, &c. Si res mutuata sit frugifera ratione sui, fructus debet cedere in utilitatem mutuantis, qui est dominus rei mutuatæ; res enim domino fructificat. Si res mutuata est frugifera ratione industriæ mutuatarii, fructus debet cedere in utilitatem mutuatarii; quia est causa fructus enascentis ex sua ipsius industria. Si res sit omnino sterilis, injustum est exigere fructus ex re omnino sterili.

3. Qui accipit usuram, bis eamdem rem vendit, v. g. rem quatenus rem, & rem quatenus usualem: cum tamen res mutuo data ab usu non differat; & ita contra justitiam agit, & proinde peccat.

Ergo patet ex Scriptura, ex Patribus, ex Conciliis, ex jure civili tum Romano, tum Gallorum, & ex ratione, quod usura sit peccatum mortale contra justitiam commutativam.

ARTICULUS II.

Quinam sint tituli sumendi, ut dicunt, interesse, *idest aliquid supra sortem.*

PRop. 1. Toties mutuans potest aliquid supra sortem exigere a mutuatario, quoties ratione mutui perit aliquid mutuanti de bonis, quæ actu habebat, vel quæ probabiliter acquisiturus erat.

Prob. 1. Æquitas naturalis postulat, ut qui confert beneficium, præstetur indemnis: *iniquum enim est, ut aliis benefaciendo, nobis noceamus*: Ergo mutuans potest aliquid exigere supra sortem, quando aliquid damni patitur ratione mutui.

2. In omni contractu, res, quæ sunt materia contractuum, debent reduci ad æqualitatem; adeo ut contrahentes ita se habeant, ut unus tantum rependat, quantum alter ratione contractus vel dedit, vel amisit; alias enim justitia læderetur. Ergo in contractu mutui mutuatarius tantum debet rependere, quantum mutuator ratione mutui vel dedit, vel amisit: ergo si mutuator ratione mutui vel verum damnum passus sit, vel lucrum revera eventurum (idque ex causa mutui) non recepit, de hoc præmonitus mutuatarius tenetur reparare illud damnum; & ita mutuans potest aliquid exigere supra sortem in his casibus, in quibus mutuum fuit causa *damni emergentis*, *vel lucri cessantis*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Licitum est ratione *damni emergentis* ex mutuo recipere aliquid supra sortem, servatis certis conditionibus infra recensendis: etenim si damnum emergens mutuanti, & nascens ex vi solius mutui, non repararetur, res, quæ sunt materia contractus mutui, non reducerentur ad æqualitatem; quia mutuatarius non tantum rependeret quantum mutuans ex vi mutui vel dedit, vel amisit.

Dixi, servatis certis conditionibus; quia, seclusis illis conditionibus, *usuram* sapit aliquid recipere ratione damni emergentis.

Prima conditio est, ut mutuum sit causa damni: nam si damnum veniat aliunde, v. g. ex negligentia mutuantis, mutuatarius non tenetur reparare damnum, sed mutuans debet illud sibi imputare ob suam negligentiam.

Secunda conditio, ut mutuans præmoneat mutuatarium de damno, quod patitur ex vi mutui; quia forte posset iste meliori conditione alibi res mutuo accipere, & si casu imprævisio damnum eveniat post mutuum jam peractum, præmonendus est mutuatarius, ut indemnem servet mutuatorem.

Cons. 2. Licitum est ratione *lucri cessantis* ex mutuo recipere aliquid supra sortem, servatis certis conditionibus infra recensendis; quippe si lucrum proxime venturum mutuanti, & cessans ex vi mutui, non reparetur a mutuatario, res, quæ sunt materia contractus mutui, non reducerentur ad æqualitatem; quia mutuatarius non tantum rependeret, quantum mutuans ex vi mutui amisit; quippe lucrum cessans aliquo est pretio æstimabile, sicut damnum emergens: neque enim mercator paratam habens pecuniam ad negotiationem, ex qua lucrum ut centum sperat, minus aliquando æstimat lucrum illud in spe, quam lucrum in re: & sicuti, si fureris triticum paratum ad statim seminandum, plus aliquando noces, quam si aliud furatus fueris; quia triticum seminale censetur pluris valere quam aliud: ita pecunia parata ad negotiationem plus aliquando æstimanda est, quam alia pecunia actu possessa.

Dixi, servatis conditionibus; quia, seclusis his conditionibus, usura esset aliquid accipere ratione lucri cessantis,

Pri-

Prima conditio est, ut mutuum sit unica causa lucri cessantis, v.g. si non habeas nisi certam pecuniam vel negotiationi, vel emendo prædio destinatam, eamque des mutuo; tunc cessat tibi lucrum, quod mutuatarius debet compensare.

Secunda conditio est, ut non tantum exigatur ex mutuo, quantum potest in rigore sperari; quia debent deduci expensæ: & lucrum in spe non tanti debet æstimari, quanti æstimatur lucrum in re.

Prop. 2. Sistendo intra jus naturale, quando certa est quantitas lucri cessantis, & damni emergentis, tantum præcise potest recipi, & debet dari supra sortem, quantum est damnum emergens, vel lucrum cessans; quando vero incerta est hæc quantitas, sistendo intra terminos juris civilis, tantum potest recipi, & debet dari, quantum determinat jus civile.

Prob. prima pars. Quando aperta est omnino & mutuatario, & mutuanti quantitas damni emergentis, & lucri cessantis, sistendo intra jus naturale, sufficit, quod mutuatarius reddat mutuanti valorem nocumenti, quod mutuator passus est ex vi mutui, vel ratione lucri cessantis, vel ratione damni emergentis; quia in mutuo, sicut & in aliis contractibus, satis est, quod res utriusque contrahentis reducantur ad æqualitatem.

Et ita dum statuta & edicta decernunt certam aliquam præstationem, v. g. quinque pro centum, non potest illa accipi a mutuante, si lucrum cessans, vel damnum emergens ex mutuo sit manifeste minus, quam quinque; quia edictum Principis supponit esse in mutuante titulum ad quinque, & semper includit hanc tacitam conditionem: ergo si non cessat mutuanti lucrum, ut quinque ex centum mutuatis, usurarius est accipiendo quinque, & tenetur restituere id, quod accepit supra damnum emergens, vel lucrum cessans; manet enim semper obligatio naturalis.

E contra potes accipere plura quam quinque, si manifeste lucrum cessans, vel damnum emergens ad plura quam ad quinque assurgat: etenim Regum edicta non prohibent fieri in foro interno quod fieri naturalis æquitas postulat; naturalis autem æquitas postulat, ut res, quæ sunt materia contractuum, reducantur ad æqualitatem exactam, quando ea certo & distincte potest cognosci.

Prob. secunda pars. Quando incerta est quantitas lucri cessantis, & damni emergentis, tunc commodius est contrahentibus, ut paciscantur de certa summa ad viri prudentis arbitrium, & hæc certa summa debet accipi juxta edicta Regum, & juxta terminos præscriptos a jure civili.

In hoc enim casu nihil fit contra æquitatem naturalem, & hic contractus utrique parti contrahenti commodus est; æstimatio autem præfinita ab edictis regiis debet censeri prudentissima, quippe nullus præsumi potest valorem pecuniarum examinasse exactius, quam examinarunt ii, qui præsunt constituendis Regum edictis.

Sic quoties incerta est quantitas lucri cessantis, vel damni emergentis, toties mutuans potest exigere a mutuatario interesse juxta præscriptum Principis; quia præscriptum illud censetur prudens, legitimum, & justum.

Præscriptum autem Principis est hujusmodi; ita enim sanxit Carolus IX. in Comitiis Aurelianensibus a. 60. cujus hæc sunt verba: *Iis autem, qui certa quadam pecuniæ summa damnati fuerint per syngraphas, aut obligationes debitas, adjudicabitur damnum atque interesse requisitum ob solutionis dilationem, recensendum a die, qua vadimonium illis fuerit denuntiatum, idque inter mercatores quidem ratione denarii duodecimi, inter ceteros vero decimiquinti: exceptis tamen agricolis, olitoribus, & conductitiis, erga quos debitores solvere tenebuntur duplum summæ illius, cujus debitores extiterint, quin judicibus liceat mulctam hanc moderari....* Ubi nota, quod debitor tenetur solvere non usuras, sed damnum, & interesse compensare: & hoc solum post petitionem factam coram judice.

Et circa hanc petitionem non eadem est in Gallia consuetudo. In curia Burdigalensi mutuatarius condemnatur ad solvendum interesse ab eo die, quo mutuans juridice petiit debitum, etiamsi in sua petitione nullam fecerit expressam mentionem illius interesse. In curia Tolosana, si mutuatarius expresse obligaverit se se ad solvendum interesse, & in obligatione aperte appareat justa causa sumendi interesse, tunc a die conventionis mutuatarius damnum emergens vel lucrum cessans solvere compellitur; si vero causa justa sumendi interesse non constat, solvere cogitur solum a die petitionis juridicæ. In Curia vero Parisiensi præter petitionem juridicam requiritur sententia judicis, & usuræ non nisi a die sententiæ solvuntur.

Monit. Stipulatio inter mutuantem & mutuatarium, quæ apud Tolosates sufficit ad exigendum interesse cum aperto titulo, petitio illa juridica, quæ apud Burdigalenses sufficit ad exigendum interesse, & illa sententia judicis, quæ apud Parisienses requiritur ad percipiendum interesse, non sunt titulus justus accipiendi interesse coram Deo, si aliunde

non adsit lucrum cessans, vel damnum emergens; quia & stipulatio, & petitio, & sententia adscribentes coram hominibus interesse mutuanti, supponunt eum vere pati aut *lucrum cessans*, aut *damnum emergens*; alias interesse non adjudicarent. tunc enim non est *interesse*, sed *usura*, ut infra dicetur.

ARTICULUS III.

De usura mentali.

PRop. 1. Quicumque sine pacto exteriori optat recipere aliquid supra sortem ex vi mutui, est usurarius mentaliter.

Prob. rat. Ex dictis usurarius est quicumque accipit aliquid ex vi mutui: quia usura est lucrum ex vi solius mutui proveniens: ergo qui mente solum lucrum illud meditatur recipere, est usurarius mentaliter.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. unic. Usuram pure mentalem committit qui nihil dat exterius, sed interius optaret habere aliquid, quod daret mutuo, v. g. frumentum, vinum, argentum, &c. ut ex mutuo lucrum faceret, & ditior fieret; quia usuram nutrit in mente.

Prop. 2. Usuram committit non pure mentalem, sed in aliquo realem, qui de facto dat aliquid mutuo, v. g. frumentum, vinum, argentum, &c. ea intentione, ut sibi aliquid pretio æstimabile rependatur ex vi mutui, quamvis non exprimat suam mentem exterius.

Prob 1. Est usurarius in mente, ut patet ex Consectario præcedenti: & si quid recipiat ex vi mutui, tenetur restituere.

2. Urbanus Papa ait: *Qui non alias mutuo traditurus, eo proposito mutuam pecuniam credit, ut licet omni conventione cessante, plus tamen sorte recipiat, pro hujusmodi lucri intentione, quam habet, judicandus est male agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta, restituenda in animarum judicio efficaciter inducendus.* cap. *Consuluit* extra. *De usuris.*

Consect. unic. Usuram simul & simoniam non mere mentalem, sed etiam in aliquo realem committit, qui aliquid dat mutuo, v. g. frumentum, vinum, &c. ea intentione, ut sibi, vel filio, vel amico conferatur Beneficium Ecclesiasticum: hic enim mente & usurarius, & simoniacus est; quia & usuram, & simoniam interius fovet, & re aliquo modo exequitur.

ARTICULUS IV.

De usura exteriori & aperta.

PRop. unic. Usuram exteriorem & apertam committunt quicumque paciscuntur sibi dari aliquid pretio æstimabile ex vi mutui.

Prob. rat. Primo usuram committunt; quia intendunt aliquid sibi dari ex vi mutui. Secundo usura illa est exterior; quia pacto externo statuta est. Tertio usura illa est aperta & patens; quia nullo involucro tegitur. Ergo illi omnes, qui paciscuntur sibi dari aliquid pretio æstimabile ex vi mutui, veram, realem, & apertam usuram committunt.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Usuram realem & apertam committit qui de facto dat mutuo aliquid, v. g. argentum, frumentum, &c. paciscens sibi aliquid dandum supra sortem, sive illud sit munus a manu, sive a lingua, sive ab obsequio; quia ex pacto exigit aliquid ex vi mutui: ita D.Th. 2.2. q. 68. art. 2. ad 3. *Si aliquis ex pecunia mutuata ex pacto expectet, vel exigat, quasi per obligationem pacti taciti, vel expressi, recompensationem muneris ab obsequio, vel a lingua, perinde est ac si exigeret, ac expectaret munus a manu; quia utrumque pecunia æstimari potest, ut patet in iis, qui locant operas suas, quas manu vel lingua exercent: si vero munus ab obsequio, vel a lingua, non quasi ex obligatione rei exhibeatur, sed ex benevolentia, quæ sub æstimationem pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, & exigere, & expectare.*

Consect. 2. Usuram realem, & apertam committit, qui dat mutuo eo onere & pacto, quod mutuatarius emat merces apud se, quod molat in suo molendino, quod agros suos colat, &c. est *usurarius* juxta Antoninum; quia hæc obligatio non sequitur necessario gratiam mutui, præcipue si ultra justum exigat: & tunc tenetur ad restitutionem totius damni ille, qui onus illud imposuit .... Ita Antonin. par. 2. tit. 1. c. 7. §. 5. & 8. *Si quis mutuat alteri ea intentione, vel pacto, ut eat ad molendinum suum, furnum, vel apothecam suam ad emendum, vel ut intret scholas sub eo, & hujusmodi, alias non mutuaturus, usuram committit, etiamsi non majori pretio vendit propter hoc, seu plus ab eo, quam ab aliis petit: ratio est, quia commoditatem seu utilitatem inde recepit, quæ pretio æstimari potest.*

Consect. 3. Usuram apertam committit qui Principi vel Magistratui mutuum dat eo pacto,

cto, quod accipiat aliquod officium a Rege, vel ut eximatur a tributis solitis; quia accipit aliquid pretio æstimabile ex vi mutui: ita D. Th. opusc. de regimine Judæorum ad Ducissam Brabantiæ: *Quod si hoc pacto mutuum dant, ut officium accipiant, absque dubio pactum est usurarium; quia pro mutuo accipiunt officii potestatem.*

Consect. 4. Reus usuræ clamantis, ut dicunt, & apertæ est, qui dat mutuo argentum, frumentum, &c. & cogit mutuatarium dare aliquid præter id, quod mutuo accepit: v.g. mutuans dat centum, & exigit centum & quinque, vel exigit schedulam obligatoriam, qua teneatur solvere plus, quam accepit: quia tunc accipit aliquid ex vi mutui. Ideo damnata est hæc propositio per facultatem Parisiensem tanquam falsa, scandalosa, & usuraria: *Majori cum animositate quam ratione condemnari obligatorias promissiones ad solvendum lucrum supra capitale.*

Consect. 5. Usuram pariter realem committit qui mutuat fruges, argentum, &c. eo onere & pacto, ut sibi idem, aut simile aliquando mutuo detur; quia accipit aliquid ex vi mutui: ita D. Th. 2.2. q.68. art.2. ad 4. *Licet mutuanti unum, scilicet simul aliquid aliud mutuum recipere; non autem licet eum obligare ad mutuum in posterum faciendum.* Gratitudo tamen exigit, ut similia officia rependamus, & ita ut mutuanti, cum indiguerit, mutuemus, ut notat ibid. D. Th.

Consect. 6. Reus est usuræ apertæ qui mutuo dat onere, quod mutuatarius non exiget reparationem honoris & famæ, quam juste potest exigere: licet enim fama non sit pecunia æstimabilis, tamen obligatio restituendi famam potest pretio æstimari, cum homines sæpe illud onus argento redimant.

Dixi juste; nam si injuste exigeretur, posset quis mutuum dando absque usura se redimere ab injusta vexatione.

Conf. 7. In crimen usuræ apertæ labitur qui mutuo dat fruges, argentum, quod alibi habet, eo onere, quod cum majoribus sumptibus ad se deferantur: v.g. habes frumentum ruri, das illud mutuo, & exigis, quod mutuatarius vehat tibi frumentum in urbe reddendum; quia accipis aliquid ratione mutui, nimirum expensas necessarias ad vehendum frumentum.

Consect. 8. Non est immunis ab usura aperta qui mutuum dat ea conditione, ut mutuatarius, vel alius fidejubeat, vel spondeat pro ipso in aliquo negotio; quia sponsionem pecunia æstimabilem ex vi mutui reportat: & si fidei-jussio damnum afferat mutuatario, mutuans tenebitur damnum reparare.

Consect. 9. Non excusari potest ab usura aperta qui pecunias mutuo dat ea conditione, ut eædem pecuniæ reddantur eo tempore, quo sunt pluris valituræ; quia accipit aliquid ratione mutui, nimirum majus pretium pecuniarum. Vide legem *Rogasti* de præscriptis verbis.

Consect. 10. Veram & apertam usuram exercent qui dant mutuo vinum, frumentum, &c. ea conditione, ut sibi venundetur ager, vinea, aut alia res, quæ alias non venderetur a mutuatario; accipiunt enim aliquid pro mutuo, nimirum utilitatem, quæ provenit ex fundo vendito: & si fundus involuntarie vendatur, tenentur contractum rescindere: si vendatur infra justum pretium, tenentur damnum reparare.

Conf. 11. Usurarii aperti & publici censendi sunt qui dant mutuo argentum, aurum &c. ea conditione, ut ab ipsis emantur quædam sua jura desperata, aut inutilia, v.g. agri steriles, aut aliud quidpiam id genus; quia ex vi mutui imponunt onus mutuatario. 1. Onus emendi, quod nollet emere. 2. Onus emendi aliquid, quod non est utile emptori. 3. Onus emendi aliquid pluris, quam valeat; quo in casu ad reparationem omnis damni tenentur.

Consect. 12. Rei usuræ apertæ habendi sunt qui mutuo dant cum eo pacto, ut mutuatarius vel totum mutuum, vel ejus partem a debitoribus ad solvendum tardis & difficilibus accipiant, ipsi vero mutuum solvant præsenti pecunia: ita Baldus: ita pariter Conc. Med. *Ne cui*, inquit, *liceat cum altero ita contrahere, ut is totam pecuniæ summam ei, qui dederit, solvat, cum ille partim pecunia dederit, partim nominibus debitis, quæ difficile exigi possunt, vel in rebus pluris, quam valeant, æstimatis.*

Consect. 13. Inter usurarios adnumerandi sunt publicani, & regiorum tributorum collectores, qui vel a civitatibus, vel a privatis civibus accipiunt aliquid pretio æstimabile, non ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, sed ratione dilationis, vel ex eo quod mitius cum illis agant; quia accipiunt aliquid ex vi mutui. Ad illud redit, quod diximus ex D. Th. consect. 5. & 6.

Consect. 14. Toties usura committitur, quoties aliquid ex vi mutui accipitur, sive mutuum detur pauperi, sive detur diviti, etiam si dives utatur pecunia mutuata vel ad lucrum, vel ad delicias. 1. Quia usura nihil est aliud, quam lucrum ex vi mutui, undequaque veniat lucrum illud, sive a paupere, sive a divite. 2. Sicuti furtum semper est peccatum,

sive

sive diviti, sive pauperi, rem, quæ tua non sit, auferas, quamvis gravius sit furari pauperi, quam diviti; ita exigere lucrum propter mutuum, peccatum est, sive illud exigas a paupere, sive a divite, quamvis gravius sit usuram exigere a paupere, quam a divite. 3 Div. Th. docet, quod in necessitate licitum sit accipere mutuum ab eo, qui usuras exercet, *propter aliquod bonum, quod est subventio suæ necessitatis vel alterius*; peccare vero eum, qui sine necessitate acciperet pecuniam ad usuram, quia cooperaretur peccato usurarii. Ergo supponit S. Doctor quod mutuatarius & mutuator peccant, quando ex mutuo consensu unus dat, alter vero recipit pecunias ad usuram. quod enim est ab intrinseco malum, ex mutuo contrahentium consensu permitti non potest; usura autem est ab intrinseco malum, ut docet D. Th. qu. 13. de Malo a. 4. reducitur enim ad furtum. Et Alex. III. cap. *Super eo* de usuris, docet expresse, *quod crimen usurarum utriusque testamenti paginæ detestentur*.

ARTICULUS V.

De usura exteriori, sed palliata sub involucro alterius Contractus diversi a mutuo.

P*Rop. unica*. Toties usura palliata committitur, quoties mutuans & mutuatarius varios ineunt contractus, quibus id, quod mutuo datur, quod vocant capitale, salvum servatur, & interesse percipitur.

Prob. ratione. Tunc enim aliquid accipitur ex vi mutui sub aliquo alio contractu involuti: ergo usura palliata committitur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Reus est usuræ palliatæ quicumque ratione anticipatæ solutionis præcise minus solvit, quam debeat: de quo ita D. Th. his verbis: *Ille, qui ad certum terminum debet, si ante terminum solvat, ut ei de debito aliquid remittatur, usuram committere videtur; quia manifeste tempus solutionis vendit, unde ad restitutionem tenetur*. Op. 67.

Consect. 2. Ille etiam reus est usuræ palliatæ, qui ratione anticipatæ solutionis conjunctæ cum emptione aliquid emit minori pretio ob anticipatam solutionem, ut docet etiam D. Th. *Si quis emptor*, ait, *velit rem emere vilius, quam sit justum pretium, eo quod pecuniam ante solvit, quam possit ei res tradi, est peccatum usuræ; quia etiam istæ anticipatæ solutiones pecuniæ habent rationem mutui, cujus quoddam pretium est, quod diminuitur de justo pretio rei*. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 7.

Consect. 3. Usurarius est usuræ palliatæ quicumque plus accipit, quam ei debeatur, & hoc ob dilatam solutionem; tunc enim accipitur aliquid ob dilatam solutionem, quæ est quasi quoddam mutuum: etenim non exigere mutuum, cum solvi debet, quid est aliud, quam dare mutuum pro certo tempore?

Consect. 4. Usuram palliatam exercet quicumque ratione dilatæ solutionis junctæ cum venditione, carius vendit merces suas ob dilatam solutionem, vel qui cogit emptorem ad solvendum plura, quam emerit; quia accipit aliquid ex vi mutui. *Si aliquis carius velit vendere*, inquit D. Th. *quam sit justum pretium, ut de pecunia solvenda emptorem expectet, manifesta usura committitur, palliata tamen sub involucro venditionis; quia hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem mutui*. Ibid.

Consect. 5. Usuram palliatam committit qui contractum *Mohatra* vocatum init. *Qui vendit aliquid alicui certo pretio*, inquit Papa, *cum onere, quod idem sibi iterum vendatur minori pretio, qui contractus solet vocari mohatra, usuram committit*. Ita Inn. XI. Et Antonin. ait: *Talis contractus usurarius est, & omni malignitate, & duplicitate plenus*. 2. part. tit. 1. c. 8. §. 3. Eumdem contractum damnat c. 5. *Usura*. *Quia*, inquit, *geminata illa venditio non fit, nisi pallietur usura*.

Consect. 6. Usuræ palliatæ reus est qui nolens pecunias petenti mutuo dare, citra lucrum ex mutuo perceptum, cum petentis consensu simulat ab eo fundum emere, eumque fundum nomine non re emptum eidem locare, ut per palliatam emptionem & locationem lucrum ex mutuo percipiat, v. g. quinque pro centum. *Ibi enim*, inquit Cajet. *non est vera venditio, nec vera emptio, sed mutuum palliatum sub dictis contractibus; secus esset, si super domo, vel agro constitueretur perpetuus census*.

Consect. 7. Usura palliatur sub contractu venditionis conditionatæ in sequentibus casibus. 1. Si venditio non fiat justo pretio. 2. Si venditor rem venditam redimere cogatur intra certum tempus, & nisi redemerit, res conditionate vendita censeatur absolute vendita. 3. Si res vendita debeat redimi majori pretio, quam fuerit vendita; quia in his omnibus casibus usura latet sub illis simulatis contractibus. Ita Conc. Med. sub Carolo Borrom. tit. de usura. *Ne*, inquit, *fiant contractus, ubi non antecedat emptio certæ rei immobilis pretio justo, vel ubi venditor redimere cogatur,*

vel-

vel ubi non possit redimere, nisi post certum tempus. Quomodo licita sit retrovenditio, dictum est supra, ubi de venditione.

Confect.8. Non excusatur ab usura palliata quicumque mutuo dat, & accipit pignus pro assecuratione mutui, & ex pignore accipit aliquod emolumentum: usuram enim vere committit, si non computet fructus in solutionem capitalis. *Si quis*, inquit D. Th. *pro pecunia sibi mutuata, vel alia re usuali*, v. g. *pro frumento, pro vino mutuato, obliget rem aliquam, cujus usus pretio æstimari potest, debet usum illius rei ille, qui mutuavit, computare in restitutionem ejus, quod mutuavit; alioquin si usum illius rei, quasi gratis sibi superaddi velit, idem est ac si pecuniam reciperet pro mutuo, quod est usurarium*. 2.2.q.68. art.2 ad 6. Idem dicitur c. *Conquestus* de usuris: *Et retinens pignus, nedum fructus receptos debet computare in sortem, imo eos, quos percepisset verus possessor*.

Confect: 9. Usuram palliatam exercent quicumque mutuo dant, sed ea conditione, quod si intra certum tempus non reddatur mutuum, nec recuperari, nec repeti poterit pignus traditum pro assecuratione mutui: de his ita Conc. Parisien. *Qui tempore necessitatis nihil commodare pauperibus volunt, nisi acquirant fundum aliquod in pignus, fœneratores sunt*. C.53. Et Conc. Mediolan. sic habet: *Prohibetur, ne res detur pignori ea conditione, ut si ad dictum tempus res redempta non sit, res libera sit emptoris, vel ejus, qui pignori accepit*. Idem vetat jus civile c. de Pact. Pig. & jus Can. cap. *Significante* de Pignoribus.

Confect. 10. Usuram sub ficto cambio tegit qui mutuo dando pecuniam idem recipit lucrum, quod solent campsores recipere, qui pecunias hic datas cum aliis pecuniis in loco longe remoto dandis permutant; quia cambium illud est fictum ad palliandam usuram excogitatum: ita de hoc cambio Carol. Borrom. *Ne fiant cambia*, ait, *cum litteræ ad locum destinatum non mittuntur, & ibi non fit solutio, sed uno & eodem loco pecunia datur, & accipitur*. Conc. Mediol. de usuris..... De cambio sicco, minuto, & locali, dictum est supra, ubi de cambio monetarum.

Confect.11. Usuram sub ficta societate tegit qui dans pecunias suas in societatem, ut dicunt, vult tamen, ut salva sit sors principalis, & ei aliquid quolibet anno pro emolumento pecuniæ in societatem traditæ persolvatur; quia ficta est societas, quoties sors principalis non periclitatur. Sic docet Concil. Mediol. I. *Ne*, inquit, *in societate, in qua alter pecuniam confert, alter operas, lucri distributio constituatur, nisi per quotas partes*. 2. *Ne ultra eas certa pecuniarum summa, vel quid aliud conferenti pecuniam persolvatur*. 3. *Ne fiat pactio, ut sors salva sit, fructusve communiter dividantur*. Conc. Mediol. ibid. Quomodo ineunda sit societas, dictum est supra.

Confect. 12. Ratione injustæ æstimationis. Usurarius est contractus, quo dantur animalia, vel merces æstimatæ ultra debitum pretium; quia æstimatio pro venditione habetur. L. *Plerumque* ff. de jure dotium. Cum ergo venditio ultra pretium debitum sit usura palliata: ergo & æstimatio ultra debitum pretium.

Conf 13. Ratione æstimationis conjunctæ cum simulata societate. Usurarius est contractus, quo animalia & merces æstimantur debito pretio, sed æstimata debito pretio traduntur societati eo pacto, quod integrum capitale non periclitabitur, sed fructificabit deponenti; quia si æstimatio sit vera venditio, res æstimata est vendita: si vendita, est emptoris: si est emptoris, debet fructificare emptori, & non venditori; quia res domino fructificat: & ille, qui animalia vel merces emit, tenetur solum reddere pretium, de quo conventum est.

Conf. 14. Palliatur usura sub involucro cessionis quoties accipitur aliquid supra sortem ex vi solius cessionis alicujus summæ, cui debebatur interesse ratione lucri cessantis aut damni emergentis: cessionarius vero sine titulo damni emergentis vel lucri cessantis, vult aliquid ultra sortem accipere; quia generalis regula est, quod non detur titulus sumendi interesse, nisi vel lucrum cessans, vel damnum emergens.

Sic Titius vendidit fundum frugiferum Sempronio: iste non habens pecuniam, qua solvat fundum, quem emit, promisit solutionem interesse Titio, qui licite illud interesse accipit, titulum enim habet; quia scilicet privatur fructibus fundi a se venditi. Titius cedit Mœvio debitam sibi summam a Sempronio: Mœvius ex vi solius cessionis non potest licet interesse accipere, nisi aliunde habeat titulum damni emergentis, vel lucri cessantis. Ita Cabassutius. Lib. Theoricæ praxis. c. 7. n. 17.

Sic socer cedit genero summam sibi debitam, & ex ea summa constituit dotem: gener pro dote non soluta, & quam potest & vult modo aliquo utili collocare ad sustinenda onera matrimonii, potest interesse accipere; sed si maritus eam summam alteri cesserit, ex vi solius cessionis, cessionarius non potest interesse accipere.

Confect. 15. Palliatur usura sub specie pe-

pecuniæ realiter numeratæ, & mutuo traditæ, quoties pecuniæ nondum persolutæ convertuntur in capitale, ex quo novum adhuc interesse percipiatur; hoc enim merito prohibet jus utrumque & civile & Ecclesiasticum, ne usuræ usuris supernascentes debitores opprimant: sic enim habet jus civile, L. *ut nullo modo* C. de usur. *Hac apertissima lege definimus, nullo modo licere cuiquam usuras præteriti temporis, vel futuri in sortem redigere, & earum iterum stipulari; sed & si hoc fuerit usuras subsecutum, usuras quidem semper usuras manere, & nullum usurarum aliarum incrementum sentire, sorti autem antiquæ tantummodo incrementum usurarum accedere.* Et Pius V. Constitutione de censibus, prohibet, ne census antea constitutus augeatur ex pensionibus debitis quidem, sed non solutis, quamvis ex jam solutis augeri possit.

ARTICULUS VI.

De aliquibus titulis sumendi aliquid supra sortem.

Hi tituli vulgo referuntur a Canonistis.

PRæter titulum damni emergentis, & lucri cessantis, solent a quibusdam assignari alii tituli sumendi interesse: de quibus titulis hic agemus, non eos rejiciendo, sed explicando. Illi tituli possunt his carminibus comprehendi.

Funda, fide-jussor, pro dote, stipendia Cleri,
Sponte datum, sors indemnis, conventio pœnæ.

Prop. unica. Quando in mutuo suscipitur ex pacto aliquid supra sortem, toties debet intervenire vel damnum emergens, vel lucrum cessans, vel novus aliquis contractus superadditus mutuo, qui tamen non destruat naturam gratuiti mutui.

Prob. 1. Ex jure civili. Usuræ *lucratoriæ* sunt illicitæ: solæ usuræ *compensatoriæ* permittuntur: ergo non est alius titulus sumendi interesse, nisi lucrum cessans, vel damnum emergens. Unde aptissime ait Corvinus in suis Aphorismis. ff. lib. 22. tit. *Itaque*, inquit, *quotiescumque creditoris nihil interest, idest nihil patitur damni, sciat toties se contra officium facere, & indulgentia legum abuti, si ex officio mutuationis, quod debet esse gratuitum, vel ante, vel etiam post moram, lucrum aucupetur.*

2. D. Th. 2. 2. q. 78. a. t. 2. ad 1. non alios titulos percipiendi interesse admittit, nisi quando mutuator occasione mutui aut damnum patitur, aut non lucratur quod posset lucrari: qui duo tituli solent denominari, lucrum cessans, aut damnum emergens: ergo omnes alii tituli suspecti habendi sunt, nisi ad istos reducantur.

3. *Rat.* In omni contractu res, quæ sunt materia contractuum, debent reduci ad æqualitatem, alias violaretur justitia commutativa: ergo & in mutuo; v. gr. ego mutuatarius non debeo plura rependere, quam accepi; si acceperim centum, debeo centum rependere: Ergo si quid ultra rependam ex pacto, hoc ideo rependo, ut reparem vel damnum emergens, vel lucrum cessans mutuatoris; alias mutuator non habet jus exigendi quod rependo.

Quod si absit titulus lucri cessantis, vel damni emergentis, debet necessario intervenire novum pactum, quo adstringar rependere aliquid supra sortem: quod pactum justum erit, si non destruat gratuitum mutuum; injustum vero, si destruat gratuitum mutuum; quia contractus de una & eadem re inter personas easdem exerciti, sunt injusti, quando unus destruit alium.

Consectaria hujus doctrinæ, in quibus explicantur singulæ voces prædictorum carminum.

Consect. 1. In quo explicatur hæc vox, *funda*. Cum dominus mutuo dat vassallo argentum, &c. & a vassallo suo remissis ei servitiis feudum in pignus accipit, potest fructus fundi sui licite accipere, nec tenetur eos computare in sortem; quia ex tali mutuatione, & oppignoratione dominus damnum patitur, privat enim se servitiis sibi a vassallo exhibendis: deinde dominus habet dominium directum supra fundum sibi oppignoratum: Ergo potest licite fructus ejus accipere; quia res domino fructificat. Ita habetur c. *Insinuatione* de feudis. *Insinuatione præsentium declaramus, quod gageria, quam de fundo Ecclesiæ tuæ dignosceris recepisse, a te potest libere detineri, fructibus non computatis in sortem; ita videlicet .... ut M. servitio feudi sit immunis.*

Consect. 2. In quo explicatur hæc vox, *fidejussor*. Qui pro alio spondendo damnum aliquod patitur, vel quia solvit debitum, vel quia labores subiit, &c. potest pro mutuo dato aliquid supra sortem accipere; quia fidejussor (ut supponimus) damnum passus est. Ita docetur cap. *Pervenit* de fide-jussoribus: *Moneatis eosdem, ut memorato Clerico pecuniam, quam pro iis solvit, restituente, ipsumque servent indemnem, & damna etiam, quæ propter hoc pertulit, resarciat.*

Si vero fide-jussor nullum damnum patere-

retur spondendo, usurarius esset, si aliquid acciperet.

Confect. 3. In quo explicatur hæc vox, *pro dote*. Quando gener ob onera matrimonii sustinenda damnum patitur, potest accipere interesse, vel vice dotis accipere feudum, non computando fructus in sortem; quia nutriendo uxorem sine dote, damnum patitur: onerosa quippe res est mulier nutrienda sine dote. Ita docetur c. *Salubriter* de usuris: *Tunc generum ad fructus possessionum, quæ sibi a socero sunt pro numerata dote pignori obligatæ, computandos in sortem, non credimus compellendum, cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii sustinenda*.

Quod si nihil damni pateretur, vel quia nulla sustineret onera matrimonii, vel quia lubens voluisset accipere uxorem sine dote, vel quia fructus vel ex toto, vel in parte excederent onera matrimonii, tunc usurarius esset; quia non haberet titulum damni emergentis, vel lucri cessantis, nisi expresse conventum esset, quod loco pecuniæ dotalis numerandæ daretur fundus frugifer.

Ideo heredes non sustinentes onera matrimonii debent computare fructus in sortem: vidua pariter, si non sustineat onera matrimonii; sed si vidua sustineat onera matrimonii, nec habeat, unde vivat, potest accipere interesse: ita Sylvius; dos enim est fundus debitus viduæ, sicut legitima debetur filiis: ergo sicut legitima non mutuo data, sed remanens in manu heredis, est fundus ex natura sua dans interesse; ita & fundus dotalis, non quidem datus mutuo, sed remanens in manu ejus, qui dotem constituit.

Confect. 4. In quo explicantur hæ voces, *stipendia Cleri*. Cum Clericus fundum Ecclesiasticum aliter redimere nequit, quam mutuando, & prætextu pignoris illum suscipiendo de manu Laici; tunc potest citra usuram, vel non computare fructus fundi in sortem, vel dominium ipsius fundi exigere pro mutuo; quia tunc damnum patitur, nimirum iniquam detentionem fundi proprii: deinde mutuo utitur, non ad lucrandum, sed ad injustam vexationem redimendam. Ita habetur cap. *Plures de usuris in fin.*

Confect. 5. In quo explicantur hæ voces, *sponte datum*. Citra usuram potest accipi quod sponte offertur; quia usura est, cum aliquid, non ex gratitudine, sed ex necessitate & pacto exigitur: sed ne sub nomine spontaneæ obligationis usura lateat, attendat quisque ad hæc verba Hilarii super illud Psal. *Qui munera super innocentem non accepit*. *Ita David eam in muneribus docet servandam esse rationem, ut sumantur a nobis quæ sint grata & utilia offerentibus, non quæ nos faciant venales, nec insidiosa innocentibus sint, nec munerantibus sumptuosa, officio potius, quam cupiditate sumpta, honore magis ingesta, quam metu, caritate magis suscepta, quam lucro*.

Confect. 6. In quo explicantur hæ voces, *sors indemnis*. Postquam mutuator gratis mutuo dedit pecunias, frumentum, &c. si rogetur mutuans a mutuatario, ut mutuans sponte & nequaquam invitus suscipiat in se per novum contractum periculum sortis, potest absque vitio usuræ aliquid recipere, non ratione mutui, sed ratione periculi in se suscepti; quia suscipere periculum est contractus assecurationis, qui non est illicitus, ut infra dicetur; & hic contractus assecurationis non destruit contractum mutui: quippe mutuatarius potuisset susceptionem periculi tertiæ personæ proponere, & aliquid pro suscepto in se periculo offerre: Ergo & potest eamdem conditionem proponere mutuatori; quia non est pejoris conditionis, ex eo quod gratis mutuum contulerit. Totum istud debet provenire a mutuatario, & non a mutuante; quia si veniat a mutuante, ibi est usura palliata, ut dicitur cap. *naviganti vel eunti ad nundinas* de usuris. Ita tenet Fagnanus explicans prædictum caput, tamen melius & tutius est nunquam pacisci de servando capitali indemni.

Confect. 7. In quo explicantur hæ voces, *conventio pœnæ*. Postquam mutuator gratis mutuo dedit argentum, aurum, &c. si timeat mutuatarium non soluturum ad condictum tempus, potest pœna conventionali cogere morosum debitorem ad solvendum condicto tempore, & aliquid exigere ultra sortem, si non solvat, non ratione mutui, sed ratione novi contractus, nimirum conventionalis pœnæ; quia interest publicæ utilitatis; ut pacta serventur, & pœnæ, de quibus voluntarie conventum est, subeantur, non ante declarationem judicis; sed post declarationem juridicam, ut diximus ubi de lege pœnali. Punitorias ergo usuras duæ causæ licitas reddunt: ex parte creditoris præsumptum damnum, quod interesse vulgo nominant: ex parte debitoris mora, non innocens, sed culpabilis, quæ cum delictum sit, puniri debet. Ita habetur C. L. 22. *de usuris*.

Nota tamen, quod si creditor mallet debitorem potius incurrere pœnam, quam in termino solvere, esset usura, ut ait Scotus in 4. dist. 15. a. 2.

Si pœna apposita excedit interesse, præsumi-

mitur usura. Leg. *prædia* de actionibus empt. & vendit.

Præsumitur pariter usura, quando apponens pœnam consuetus est fœnerari. Leg. *Julianus*.

Quando mutuatarius non solvit in termino præfixo, non ex dolo, sed sine culpa, non potest in conscientia ab eo exigi pœna conventionalis; quia innocens non debet puniri.

Demum in praxi, tituli de periculo sortis, & de pœna conventionali, debent esse suspecti, & nonnisi raro permittendi, scilicet, quando constat mutuatorem non lucrum quærere, sed solam mutuatarii utilitatem peroptare, & solam capitalis assecurationem intendere.

ARTICULUS VII.

De variis titulis sumendi interesse, excogitatis a quibusdam authoribus.

PRæter prædictos titulos excogitatos a Canonistis, quidam alios titulos excogitarunt, quos omnes recensebimus, & refutabimus.

Prop. unica. Falsus est omnis titulus sumendi interesse, nisi interveniat vel lucrum cessans, vel damnum emergens, ut patet ex dictis: ergo falsi sunt sequentes tituli, quos sola avaritia excogitavit.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Utilitas, quam capit mutuatarius ex mutuo, non est titulus sumendi interesse: ex eo enim quod mutuatarius accipiat aliquid utilitatis ex re mutuata, nulla est ratio mutuatori recipiendi lucri; quippe illa utilitas debet cedere non in bonum mutuantis, sed in bonum mutuatarii: sicut iniquum esset aliquid exigere supra justum pretium rei venditæ propter utilitatem, quæ emptori ex re empta eveniret.

Consect. 2. Delectatio, quæ provenit mutuatario, ex eo quod res mutuo data aliquam delectationem sibi pariat, mutuatori eadem delectatio quasi eripiatur, est titulus falsus; quia valor rei mutuatæ non debet pensari ex privata & inordinata privatorum hominum cupiditate, sed ex rationali hominum æstimatione: & sicut venditor non potest rem vendere supra justum pretium propter delectationem, quam capit in possessione rei; ita nec mutuans potest ob similem delectationem, qua privat se mutuando, aliquid exigere supra sortem.

Consect. 3. Dilatio solutionis ad certum tempus non est justus titulus sumendi aliquid supra sortem; quia de ratione mutui est, ut mutuator non possit repetere mutuum, nisi ad condictum tempus; quia dilatio seu tempus non est aliquid, quod ad mutuantem pertineat, & proinde pro eo nihil potest accipere; etenim Alex. VII. damnavit hanc propositionem: *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.*

Consect. 4. Venditio rei usualis non est titulus sumendi interesse. Quidam exigunt aliquid supra sortem, respicientes mutuationem quasi venditionem, & dicentes, quod sicuti in venditione potest res vendi supremo, medio & infimo pretio, v. g. vendi supremo pretio, & emi infimo; ita & res mutuata potest dari infimo pretio, & recipi supremo, & sic mutuatarium teneri aliquid dare supra sortem. Titulus ille est injustus; quia hic contractus non esset mutuatio, sed venditio.

Consect. 5. Locatio rei mutuatæ est falsus titulus. Quidam exigunt interesse ratione locationis rei mutuatæ, dicentes, quod res mutuata locatur, sicut equus locatur: & sicut dari aliquid pro locatione equi, ita & dari debet aliquid pro locatione pecuniæ. Ille titulus est falsus; quia aliud est mutuare, aliud locare: quia qui locat, est dominus rei locatæ, & ita potest ratione usus aliquid accipere; sed qui mutuo dat, non remanet dominus rei mutuatæ, & ita non potest pro illius usu aliquid recipere.

Consect. 6. Major æstimatio pecuniæ numeratæ, quam numerandæ, est falsus titulus. Quidam accipiunt aliquid ex mutuo, dicentes, quod pecunia numerata est pretiosior numeranda. Ille titulus est falsus; quia idem est valor pecuniæ numeratæ & numerandæ: ideo damnata fuit sequens propositio: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid supra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.*

Cons. 7. Periculum sorti intrinsecum est falsus titulus sumendi interesse. Quidam recipiunt interesse, dicentes, quod res mutuo data præcipue pauperi homini non satis noto, periculo est obnoxia, & ita ratione illius periculi potest sumi aliquid supra sortem. Sed titulus ille est falsus, 1. ut dicit D. Th. opuscul. 42. de usuris c. 6. *Ratio periculi etiam circa sortem non tollit rationem usuræ in mutuo*, ut probatur in capitulo *naviganti* de usuris. 2. Si fas esset usuram sumere ob periculum intrinsecum sortis, nunquam a divite, semper

ve-

vero a paupere liceret usuras accipere, quia sors semper periclitatur apud pauperes, raro vero apud divites. 3. Nihil aliud requiritur ex vi justitiæ, nisi ut res, quæ sunt materia contractus mutui, reducantur ad æqualitatem: Ergo injuste se gerit mutuator, qui ob periculum sortis exigit aliquid; aut saltem cum redditur mutuum, debet computare in sortem, quidquid a tempore mutuationis datum est.

Conf. 8. *Constitutio regia* est falsus titulus. Quidam exigunt interesse; quia Rex ita permittit; sed Rex non permittit, ut sumatur aliquid supra sortem, nisi quatenus supponit mutuatorem habere justum titulum vel damni emergentis, vel lucri cessantis: & dato quod permitteret, illa licentia non excusaret coram Deo, ut optime docet D.Th. *Leges humanæ dimittunt aliqua peccata impunita propter conditiones aliquorum hominum imperfectorum, in quibus multæ utilitates impedirentur, si omnia peccata districte prohiberentur pœnis adhibitis; & ideo usuras lex humana concessit, non quasi æstimans eas esse secundum justitiam, sed ne impedirentur utilitates multorum. Et Inst.* l. 2. tit. 4. *Res, quæ usu consumuntur, neque ratione naturali, neque ratione civili accipiunt usumfructum.*

Conf. 9. *Status pupillorum* est falsus titulus sumendi interesse. Tutores vel Curatores pecuniam pupilli, vel minoris non possunt mutuo dare, exigendo aliquid supra sortem: ita docet Conc. Mechliniense post Conc. Mediol. tit. de usuris. *Quoniam usura jure divino & canonico omnibus Christianis sub pœna peccati mortalis interdicitur, neque facienda sunt mala, ut eveniant bona, Synodus statuit, & ordinat, ne quis Tutor, aut Curator sub prætextu augendi patrimonii pauperum pupillorum, aut sub eorum curatela existentium, pecunias illorum sub certo lucro singulis annis ultra sortem recipiendo, mutuo det, retenta facultate repetendæ sortis*, declaratque hujusmodi contractus usurarios. Et constitutiones Aurelianenses a. 102. sic habent: „Tutores, atque Curatores Minorum statim ac perfecerint inventarium bonorum ad pupillos suos spectantium, curare tenentur, ut publica Judicum auctoritate vendantur peritura illorum mobilia, atque collectas inde pecunias consanguineorum, & amicorum consilio in bonorum immobilium, vel census emptione impendere.“ Ubi dicitur, bona mobilia pupillorum, non in mutuum esse collocanda, sed in emptione vel census, vel bonorum immobilium. Idem docet Sylvius in Binsfeldium, & probat multis Conciliis Provincialibus. Et talis est usus in Gallia juxta Bochelum in sua bibliotheca, ubi sic habetur: *Hæc usuræ proscriptio Gallica lege lata generalis est, neque in pupillorum, aliorumque gratiam ullam exceptionem admittit. Ita post causam dictam cautum fuit edicto die 13. Junii, Curia ad Augustinianorum ædes sedente.*

ARTICULUS VIII.

De casibus, in quibus videtur usura committi, nec tamen revera committitur.

PRop unica. Ut committatur usura, debet intervenire contractus vel explicitus, vel implicitus mutui, & ex mutuo debet immediate percipi res pretio æstimabilis.

Prob. Usura est lucrum ex vi mutui immediate proveniens: ergo si res proveniens ex mutuo non sit pecunia æstimabilis, qualis est amicitia, non erit usura: vel si lucrum reperiatur, & non sit mutuum, vel si lucrum veniat aliunde quam ex mutuo, non erit usura; usura enim est lucrum ex vi mutui, & non aliunde proveniens.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Non est usurarius qui mutuat, ut sibi conciliet amicitiam & gratitudinem mutuatarii; quia amicitia & gratitudo non sunt res, quæ soleant apud homines pecunia æstimari. *Recompensationem eorum, quę pecunia non mensurantur, licet pro mutuo exigere, puta, benevolentiam, amorem ejus, cui mutuatur, vel aliquid hujusmodi, ait* D.Th. 2.2. q.78. a. 2.

Consect. 2. Non est usurarius qui mutuat, ut recuperet rem sibi injuste detentam, aut ut se liberet ab injusta vexatione, v.g. a litibus injustis: *quia* ut optime ait Cajet. *mutuator non acquirit alienum, sed in primo casu acquirit suum, in secundo conservat.*

Conf. 3. *Si quis*, inquit Sylvius in Binsfeld. *mutuet, intendens sibi comparare amicitiam alterius, ex qua deinde lucrum expectet, non est usura, immo nec alterius generis peccatum; quia lucrum non sequitur immediate ex mutuo.*

Conf. 4 Contractus census annui redimibilis ex parte recipientis pecunias, & irredimibilis ex parte dantis non est usurarius, quamvis tantum lucrum recipiatur ex pecunia data, quantum recipitur ex pecunia mutuata; quia talis contractus non est verum mutuum, sed vera emptio pensionis.

Consect. 5. Mons pietatis, in quo quibuscumq; egenis mutuo datur, & accipitur tantum aliquid pro expensis; si fiat juxta Constitutio-

tutiones Pontificum, non est usura. Sed ut magis pateat quid de censu & de monte pietatis sentiendum sit, fusius de utroque agendum.

ARTICULUS IX.

De pensione censuali.

§. I.

De natura census annui.

Census, ut contractus, est pactum, quo acquiritur jus ad exigendam annuam pensionem. Qui obligatur ad solvendam illam pensionem, dicitur *censuarius*. Qui habet jus percipiendæ pensionis, dicitur *censualista*. Hæc definitio non aliter probatur, quam communi omnium Doctorum consensu, qui censum ita definiunt.

§. II.

De varia census divisione.

Census potest dividi multipliciter. 1. Ex parte rei, supra quam fundatur. Census alius est realis, alius personalis, alius mixtus. Census realis est jus percipiendæ pensionis ex re frugifera, v.g. ex domo, ex agro, ex prato, & perit pereunte re, supra quam fundatur.

Census personalis est jus percipiendæ pensionis ex persona industria sua lucrum afferente, & perit mortua persona, supra quam fundatur.

Census mixtus est jus percipiendæ pensionis ex re simul & persona; etenim res simul & persona obligantur.

2. Ex parte durationis. Census alius est perpetuus, alius temporalis. Census perpetuus est ille, qui nullo tempore definito circumscribitur. Census temporalis est ille qui ad certum tantum tempus est duraturus, v.g. ad decem annos, ad vitam.

3. Ex parte modi. Census alius est consignativus, alius reservativus. Census consignativus est ille, quo quis retento bonorum suorum dominio directo & utili, assignat alteri aliquam pensionem ex illis eisdem bonis. Census reservativus est ille, quo quis transfert dominium utile bonorum suorum in alterum, reservata sibi annua pensione super illis bonis.

4. Ratione cessationis. Census alius est redimibilis, alius irredimibilis. Census redimibilis est ille, qui refusione certæ pecuniæ redimi potest. Census irredimibilis est ille, qui refusione pecuniæ redimi non potest.

5. Ratione rei, quæ percipitur. Census alius est pecuniarius, alius fructuarius. Census pecuniarius est ille, qui pecunia solvitur. Fructuarius est ille, qui fructibus penditur, v.g. vino, frumento, oleo.

Prop. 1. Censuus annuus potest absque vitio usuræ emi, & vendi, modo observentur certæ conditiones.

Prob. 1. Authoritate Martini V. & Calixti III. Qui Pontifices interrogati de hujusmodi contractibus, dixerunt, licitos esse, servatis quibusdam conditionibus, ut patet ex eorum Bullis.

2. *Rat.* Jus exigendi pensionem annuam est pretio æstimabile: ergo potest & emi & vendi absque vitio usuræ. Quando autem emitur pensio, non emitur pecunia, sed emitur jus exigendi talem pecuniæ quantitatem quolibet anno solvendam; sicuti qui emit agrum, non emit fructus agri, sed jus percipiendi fructus, quolibet anno nascituros: & licet pensiones collective sumptæ sint longe majoris pretii, quam summa, qua emptæ sunt, tamen emptio non est injusta; quia non emuntur pensiones exigendæ, sed jus exigendi pensiones. Sicut licet fructus e predio aliquo colligendi, sumpti simul intra omne tempus, quo fundus potest fructificare, possint esse in majori quantitate & valore, quam pretium, quod pro fundo datum est, tamen emptio non censetur injusta; quia non emuntur fructus successive colligendi, sed jus percipiendi fructus quolibet anno nascituros.

Prop. 2. Quando statuitur pensio annua, eædem requiruntur conditiones, quæ in emptione & venditione.

Prob. rat. Talis contractus est vera venditio. Qui dat argentum, ut acquirat jus pensionis, seu censualista, est verus emptor; quia emit tale jus. Qui accipit argentum, seu censuarius, subjiciendo se oneri solvendi pensionem, est venditor; quia vendit talem obligationem: ergo, cum talis contractus sit emptio & venditio, debet habere conditiones emptionis & venditionis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consf. 1. Quoad personas. Censualista debet habere dominium argenti, quod numeratur; quia est emptor. Censuarius debet habere dominium pensionis, quæ solvitur; quia est venditor.

Consect 2. Quoad res. Si census sit realis res, super quam constituitur, non debet esse alteri obligata; quia sicuti res jam vendita non potest vendi, ita neque res jam obligata potest de novo obligari: Debet insuper res esse pensioni assecurandæ sufficiens;

quia

quia alias fraudaretur censualista, sicut fraudaretur emptor, si res venalis non responderet pretio.

Si census sit personalis, persona, in qua fundatur, debet sua industria esse sufficiens assecurandæ pensioni; alias jus pensionis esset nullum, utpote non fundatum: sicut iniqua esset venditio, si venderetur id, quod non est.

Confect. 3. Quoad pretium. Jus pensionem percipiendi debet vendi & emi justo pretio, quod tale judicatur vel per legem a Republica statutam, vel per consuetudinem. Solitum pretium est modo dare quinque pro centum.

Confect. 4. Quoad modum statuendi pensionem. Census debet esse irredimibilis ex parte censualistæ, & redimibilis ex parte censuarii; quia ita determinarunt Pontifices: etenim si censualista posset annuam pensionem recipere, & insuper pro nutu capitale exigere, talis contractus degeneraret in mutuum conjunctum lucro, atque ita contractus esset usurarius.

Confect. 5. Quoad necessitatem numerandi pecuniam. Dum census creatur, tunc pecunia debet actu & realiter coram testibus & Notario numerari. Hoc exigit Bulla Pii V. ad præcavendos diversos modos fœneratorum, qui numerant nonaginta & scribunt centum, qui numerant revera centum, & centum scribunt, sed ex numerata summa subtrahunt decem aut plura: item centum constituunt ex mercibus venditis & pro arbitrio taxatis, ex usuris non solutis, & aliis variis modis, quibus avaritia tegitur, & palliantur usuræ. Non peccaretur tamen contra justitiam, si pecunia olim fuisset vel certo numerata, vel aliquo justo titulo debita: sed cavendum esset, ne quid falsi enuntiaretur in instrumento publico; quia numquam licet mentiri.

Confect. 6. De rebus, super quas constituitur census. Falsum est, quod census nequeat constitui, nisi super unam rem determinatam, quia ex usu communiter recepto constituitur generaliter super omnia bona censuarii. Falsum pariter, quod census nequeat constitui super personas; quia usus contrarius prævalet, qui cum nihil habeat iniqui, observari potest. Ita Soto Lib. 6. q. 5. Bullæ Pp. non exigunt has conditiones, sed Bartholomæus Miranda eas suo judicio induxit.

ARTICULUS X.

De Monte Pietatis,

Mons Pietatis est cumulus rei usu consumptibilis, v. g. pecuniæ, frumenti, &c. ad mutuandum egentibus, ad certum tempus, sub idoneo pignore, in quo vel nihil accipitur, vel aliquid moderatum accipitur quolibet mense pro expensis necessariis.

Prop. unica. Montes pietatis sunt liciti, modo fiant cum conditionibus supra statutis.

Prob. 1. Ex Constitut. Paulii II. Sixti IV. Innocen. VIII. Alexandri VI. Concil. Lateranensis sub Leone X. ubi illi montes habentur ut liciti.

2. *Rat.* Tunc non committitur usura, quando aliquid sumitur ultra sortem pro indemnitate mutuantis; quia damnum emergens est titulus legitimus percipiendi interesse: atqui ita est in proposito: Ergo non committitur usura in montibus pietatis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. Ut mons pietatis nomini suo plene responderet, mutuatarii nihil deberent dare præter pignus, quod refusa sorte intra annum, aut circiter, integrum ipsis restitui debet. Ita docent Constitutiones supra citatæ.

Confect. 2. Mons pietatis retinet adhuc nomen suum, quando aliquid moderatum accipitur pro solis expensis necessariis ad conservandum montem. Ibid.

Confect. 3. Mons pietatis in impietatem & usuram degenerat, si sumatur aliquid pro mutuo, pro adaugendo monte pietatis, aut pro fictitiis aliis titulis. Ibid.

Confect. 4. Mons pietatis veram impietatem continet, si sub prætextu juvaminis egenorum fiat illis gravamen vel in fraudulenta subhastatione pignorum, vel in enormi pensitatione menstrua, vel in immoderato impendio ædificiorum, vel in excedenti numero ministrorum, & excedenti eorum stipendio. ibid. quia tunc sub nomine pietatis palliatur usura.

ARTICULUS XI.

In quo explicatur, quid requiratur in contractu mutui quoad personas, quoad res, quoad modum contrahendi.

Prop. *unica.* Ut mutuum sit validum. 1. Mutuator debet habere rei, quam mu-

mutuo dat, dominium, & administrationem; mutuatarius vero debet posse mutuatæ rei dominium recipere. 2. Res mutuo data & acceptata debet esse ipso usu consumptibilis. 3. Mutui datio & acceptatio nihil debet habere, quod legibus adversetur.

Prob.rat. Ex dictis de contractibus in communi. 1. Personæ contrahentes debent esse habiles ad contractum, quem ineunt. 2. Res, quæ sunt materia contractus, debent esse in eo commercio, quod requiritur ad finem contractus, qui initur. 3. Modus contrahendi debet esse juxta leges: ergo ut contractus mutui sit validus debet habere prædictas conditionis. 1. Enim, cum per mutuum transferatur rei mutuo datæ dominium, mutuator debet habere & rei illius dominium, & administrationem; mutuatarius vero debet posse illud recipere. 2. Cum finis mutui sit, quod res usu consumptibiles ab uno contrahente in alium transferantur, res mutuo datæ debent ipso usu consumi. 3. Demum, cum nullus contractus legi contrarius sit validus, si mutuum contra leges ineatur, nullius erit vigoris.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *Quoad personas.* Illi solum possunt mutuo dare, qui possunt transferre dominum; quia contractus mutui non fit, nisi eo fine, ut mutuatarius acquirat rei mutuatæ dominium. Illi vero non possunt mutuo dare, qui non habent rerum dominium vel administrationem.

Sic pater-familias potest mutuo dare res suas, filius-familias bona castrensia, uxor bona paraphernalia; quia hi omnes habent rerum prædictarum dominium, & administrationem.

Sic e contra pater-familias non potest mutuo dare bona uxoris, nec uxor bona mariti, nec filius bona familiæ.

Sic tutores possunt res pupilli mutuo dare, & curatores res minoris, modo faciant conditionem pupilli, & minoris meliorem; quia etsi non habent dominium earum rerum, habent tamen illarum administrationem; & agentes nomine vel pupilli, vel minoris, una cum pupillo & minore vere habent rei mutuo datæ dominium.

Administratores Reipublicæ possunt mutuo dare, modo ad id mandatum habeant, & modo conditionem Reipublicæ meliorem faciant; quia nomine Reipublicæ agentes, vere habent dominium rei, quam dant mutuo. L. 27. ff. de rebus creditis.

Sic si tutor, & curator, & administrator Reipublicæ conditionem pejorem faciant illius, cujus curam gerunt, id damno suo faciunt, ut dicemus ubi de officio tutorum & curatorum. Illi iidem, qui possunt mutuo dare, quia habent rei mutuatæ dominium, possunt etiam mutuo accipere, quia possunt rei mutuo datæ dominium accipere. L. 2. ff. de rebus creditis §. penultimo.

Consect. 2. *Quoad res.* Illæ solum res possunt mutuo dari, quæ ipso usu consumuntur. *Mutui datio*, inquit jus civile, *consistit in his rebus, quæ pondere, numero & mensura consistunt*, id est, quæ ipso usu consumuntur. L. 2. ff. de rebus creditis.

Sic vinum, oleum, frumentum &c. possunt mutuo dari; quia ipso usu consumuntur.

Sic etiam moneta, utpote excogitata ad commutationes faciendas, potest mutuo dari; quippe ipso usu quasi consumitur: & licet in se ipsa non pereat, dum ea utimur, perit tamen utenti; eam enim amplius non habet in sua potestate, ubi ea usus est.

Consect. 3. *Quoad modum.* Mutuum, quod est contra leges irritantes, est nullum: illud vero quod est contra leges prohibentes, est illicitum; quia ad leges solum pertinet vel irritare, vel prohibere contractus, qui Reipublicæ nocere possunt.

Sic contractus mutui manifeste usurarii, & ut tales declarati per leges, sunt in utroque foro nulli & invalidi: tales sunt contractus, quos supra recensuimus, tamquam manifestam usuram continentes.

Sic contractus palliatam usuram continentes, sunt illiciti in foro interiori; & in foro exteriori fiunt invalidi, si per sententiam judicis declarentur usurarii.

Sic contractus, quo mutuo datur argentum filio-familias utriusque sexus ab eo, qui scit eum esse filium-familias, est invalidus & nullus; & filius familias, qui mutuo accepit pecunias, non cogitur coram judice eas solvere, ex vi *Senatus Consulti Macedoniani*, in his scilicet casibus, in quibus viget Senatus-Consultum Macedonianum, cujus hæc sunt verba: *Placere, ne cui, qui filio-familias pecuniam mutuam dedisset, etiam post mortem parentis ejus, cujus in potestate fuisset, actio petitioque daretur; ut scirent, qui pessimo exemplo fœnerarent, nullius posse familias bonum nomen expectata patris morte fieri.* Quod ut clarius pateat, sit

§.

De Senatus-Consulto Macedoniano.

Hujus Senatus-Consulti Macedoniani causam

ſam præbuit fœnerator Macedo, qui filiis-familias mutuam pecuniam credere ſolebat ad luxum; unde tandem flagitiis obruti, ad quodvis flagitium impellebantur: quo Senatus-Conſulto prohibitum eſt, ut non liceret pecuniam creditam petere poſt mortem patris, nec a filio-familias ſui juris facto, nec etiam ab ejus ſucceſſoribus, aut ſociis; ut ſic improbi fœneratores eas pecunias perderent, quas prava fœnerandi intentione contra bonos mores filiis-familias mutuo dediſſent. Ita L. 1. ff. de Senatus-Conſulto Macedoniano.

Ceſſat tamen Senatus-Conſultum Macedonianum in ſequentibus caſibus.

1. Si filius-familias pro patre-familias publice habeatur, & in eo errore fuerit bona fide ille, qui pecuniam mutuo dedit. *Si quis*, inquit jus, *patrem-familias eſſe credidit, quia publice pater-familias pleriſque videbatur, ſic agebat, ſic contrahebat, ſic muneribus fungebatur, ceſſabit Senatus-Conſultum*.

2. Si volente patre, filius-familias pecuniam mutuo acceperit, vel mutuationem pater ratam habuerit. *Hoc amplius ceſſabit Senatus-Conſultum*, inquit Lex 7. §. 15. *ſi pater ſolvere cupit, & quod filius-familias mutuum ſumpſerit, quaſi ratum habuerit*.

3. Si pecunia accepta a filio inſumpta fuerit his oneribus, quæ patri incumbebant, v. g. nutriendæ familiæ, ſolvendis debitis paternis. *Proinde*, inquit jus civile, *ſi accepit pecuniam, & in rem patris vertit, ceſſat Senatus-Conſultum; patri enim, non ſibi accipit*. L. 7. ib. §. 12.

4. Si filius-familias, factus ſui juris, debitum agnoverit, novaque ſtipulatione ſe obligaverit. L. 20. ff. ibid. *Si pater-familias factus*, inquit jus, *novatione facta, eam pecuniam expromiſit*.

5. Si debitum contraxerit erga creditorem, non pecunias accipiendo mutuo, ſed emendo aliquid ſibi neceſſarium, puta, veſtes neceſſarias, libros neceſſarios, arma neceſſaria, &c. *Quia tamen*, inquit jus civile, *pecuniæ numeratio non occurrit, ceſſat Senatus-Conſultum; quod ita eſt intelligendum, ſi non fraus Senatus-Conſulto ſit excogitata*. L. 3. ibid. §. 3.

6. Si mutuo pecunias acceperit vel ad liberalem, vel ad mechanicam artem addiſcendam. *Quod dicitur in eo*, inquit eadem lex, *qui ſtudiorum cauſa abſens mutuum acceperat, ceſſare Senatus-Conſultum: ita locum habet, ſi probabilem modum in mutuo non exceſſit*. §. 13.

Monit. 1. In his tamen caſibus, in quibus in foro exteriori viget Senatus-Conſultum Macedonianum, *manet*, inquit jus, *obligatio naturalis*. L. 10. ff. ib. Atque ideo, ſi ſolutæ ſint pecuniæ mutuo acceptæ, *ſolutum non repetunt*, inquit jus, *qui ob pœnam creditorum actione liberantur*. L. 9. ff. § 4. lib. 2. Id, in quo mutuatarii facti ſunt ditiores, reſtituendum eſt; quia nemo poteſt damno alterius fieri locupletior. 3. Si filius-familias mutuando ſincere promiſerit ſolutionem, tenetur ſtare promiſſis, ut diximus ubi de promiſſione.

ARTICULUS XII.

De pœnis uſurariorum.

Uſurariis aliæ deſtinantur pœnæ jure naturali, aliæ jure civili, aliæ jure Canonico.

Jure naturali. 1. Uſurarii tenentur reſtituere omne damnum, quod per uſuras cauſatum eſt, quia juxta regulam juris: *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*. 2. In eorum defectu eorum hæredes ad eam reſtitutionem tenentur. Cap. *Tua nos*, de uſuris, ubi ſic habetur: *Filii ad reſtituendas uſuras ea ſunt diſtrictione cogendi, qua parentes ſui, ſi viverent, cogerentur. Idipſum etiam contra hæredes extraneos credimus exercendum*. 3. *Poſſeſſiones, quæ de uſuris comparatæ ſunt, debent vendi, & ipſarum pretia iis, a quibus uſuræ ſunt extortæ, reſtitui*. Cap. *Cum tu*, de uſuris.

Jure Canonico uſurarii, ſi non reſtituant, ad communionem altaris non admittuntur; ſi in hoc peccato deceſſerint, Chriſtiana ſepultura privantur, eorum oblationes ab Eccleſia non accipiuntur: ita habetur cap. *Quia in omnibus*, de uſuris. *Conſtituimus*, inquit, *ut uſurarii manifeſti*, id eſt, ut explicat Gloſſa, qui vel confeſſi ſunt uſuram, vel condemnati ſunt ut uſurarii, vel uſuram nulla tergiverſatione celare poſſunt, *uſurarii*, inquam, *manifeſti nec ad communionem admittantur Altaris, nec Chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, accipiant ſepulturam; ſed nec oblationes eorum quiſquam accipiat*: & qui eos ſepelierit, ipſo facto excommunicationem incurrit; & ab hac pœna uſurarius morti proximus non ſolvitur, niſi ſatisfactionem exhibuerit competentem: ita cap. *Eos*, de ſepulturis Clement. 1. ubi ſic habetur: *Qui uſurarios manifeſtos ſcienter ſepelire præſumit, ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubjacere decernimus*. Et cap. *Quia fruſtra*, de uſuris, dicitur: *Uſurarius ... niſi prius ipſe reſtituerit uſuras, quas ab aliis noſcitur recepiſſe, nullatenus audiatur*.

Jure civili uſurarii infames habentur: ita L. 20. C. ex quibus cauſis infamia irrogatur.

Improbum fœnus, inquit jus, *excercentibus, & usuras usurarum illicite exigentibus, infamiæ macula irroganda est.*

CAPUT XI.

De quasi contractibus.

Proœmium.

EA est hominum conditio, ut necessario alii aliis indigeant, & proinde aliqui interdum cogantur permittere res suas geri etiam ab his, cum quibus nihil expresse contraxerunt. Sic, qui vel ob teneram ætatem, ut pupilli, vel ob valetudinem, ut infirmi, vel ob longinquitatem, ut absentes, res suas curare non possunt, coguntur permittere easdem res ab illis administrari, qui præ summa, qua pollent, vi & industria, & sibi, & aliis invigilare possunt. Hinc enascitur mutua obligatio inter eos, qui ministrant, & eos, quibus ministratur: quæ obligatio dicitur quasi contractus, eo quod ab obligatione contractuum non longe distat. De obligatione orta ex quasi contractibus hic agemus.

§.

Quid & quotuplex sit quasi Contractus.

Quasi contractus est negotium, quod inter aliquos tacite, & sine expresso consensu gestum, obligationem parit simillimam obligationi contractum.

Quasi contractus est multiplex: tutelæ administratio, negotiorum gestio, rerum communio, hæreditatis aditio.

Tutelæ administratio est quasi contractus, quo tutor & pupillus ad invicem obligantur; tutor, ut gerat vicem parentis; pupillus, ut subeat vices filii.

Negotiorum gestio est quasi contractus, quo ministrator, & is, cui ministratur, obligantur, sicut mandans & mandatarius.

Rerum communio est quasi contractus, quo qui habent res communes, obligantur ad invicem, sicut hi, qui inierunt simul societatem.

Hæreditatis aditio est quasi contractus, quo qui adit hæreditatem, & legatarii, obligantur ad invicem, sicut donator & donatarius.

ARTICULUS I.

De munere Tutorum & Curatorum.

TUtor est ille, qui tuetur personam pupilli, qui se præ ætate defendere non potest; tutor enim personæ, non rei, datur.

Curator est ille, qui res minoris administrat. Juxta praxim juris tum Gallicani, tum Romani in paucissimis distant tutores a curatoribus; ideo de tutoribus & curatoribus hic simul agemus.

Pupillus est ille, qui nondum est assecutus annos pubertatis. Annus pubertatis in masculis accedit post annum 14. in feminis post 12. completum. Minor est ille, qui nondum assecutus est annum 25.

§. I.

De necessitate Tutorum & Curatorum.

Prop. 1. Necessitas publica postulat, ut stabiliantur tutores & curatores, qui erga pupillos & minores vices parentum gerant, & quod pupilli & minores tutores & curatores quasi parentum loco habeant.

Prob. 1. Scriptura. D. Paulus necessitatem statuendi tutores pro pupillis, & curatores pro minoribus, & mutuam eorum obligationem, satis aperte indicat his verbis: *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium; sed sub tutoribus & actoribus est usque ad præfinitum tempus a patre.*

2. *Rat.* Experientia constat, quod pupilli præ ætate se defendere non possunt, neque minores præ inscitia res suas administrare: Ergo ad communem matrem, scilicet ad Rempublicam spectat, ut tutores pupillis, & curatores minoribus provideat: cum illo tamen onere, ut tutoribus & curatoribus debitus honor exhibeatur, pupillis & minoribus debita cura impendatur; alias insufficienter his defectibus provideretur: ergo necessitas publica postulat, ut stabiliantur tutores & curatores.

Ex hoc generali principio sequentes inferuntur propositiones.

§. II.

De his, qui tutela & curatela indigent.

Prop. illata ex superiori propositione.

Hi omnes tutela indigent, qui se & sua defendere non possunt.

Hi

Hi omnes curatela indigent, qui bona sua administrare non possunt.

Prob. rat. Tutores non ob alium finem a Republica statuuntur, quam ut personam & rem pupilli tueantur, curatores vero statuuntur, ut eorum tueantur bona, qui suis rebus invigilare non possunt. Ex quo sequitur, quod hi, qui hic subjiciuntur, egent tutela vel curatela.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Infantes tam masculi quam fœminæ egent tutela, donec pervenerint masculi ad annum 14. completum, fœminæ vero ad annum 12. completum; quia tempus pubertatis ita præfixum est a jure. Lib. 1. instit. titul. 21. Impuberes autem censentur se defendere non posse.

Consect. 2. Minores tam masculi quam fœminæ, qui 25. annum non excedunt, egent curatela; quia tempus minoritatis ita præfixum est a jure, & minores censentur rebus suis invigilare non posse. Lib. 1. instit. tit. 23.

Consf. 3. Amentes & furiosi curatoribus indigent; hi enim ob furiam vel amentiam res suas curare non valent. *Mente captis, quia rebus suis*, inquit Justinianus, *superesse non possunt, curatores dandi sunt.* L. 1. instit. titul. 13. *Furiosi licet majores viginti quinque annis sint, tamen in curatione sunt.* Ibidem. Furor autem & dementia debet juridice probari; quia posset quis dementiam fingere, ut onera civilia detrectaret; vel malitiose posset alicui amentia affingi, ut bonis suis spoliaretur.

Consect. 4 Curatores statuendi sunt pro prodigis, quibus juridice interdicitur bonorum suorum administratio; quia male res suas administrant. *Lege*, inquit jus civile, *duodecim tabularum prodigo interdicitur bonorum suorum administratio.* L. 1. ff. de curat.

Consect 5. Curatores dandi sunt his, qui surdi sunt & muti, & ob morbum debiles; hi enim ob infirmitatem naturalem rebus suis superesse non possunt. *Surdis & mutis*, inquit Justinianus, *& qui perpetuo morbo laborant, quia rebus suis superesse non possunt; curatores dandi sunt.* Institut. lib. 1. titul. 23. de curat.

Consect. 6. Bona testatoris, cujus hæreditas nondum suscipitur, item bona illius, qui ære alieno gravatus est, vel qui rebus suis cessit; hæc, inquam, bona sub cura curatoris alicujus juridice statuuntur, ne bona illa pereant, neve legitimi hæredes hæreditate debita & creditores bonis suis orbentur.

Consect. 7. Communitas sive Ecclesiastica sive civilis eget tutoribus & curatoribus, quia utpote coalescens ex pluribus, singuli nequeunt res suas gerere, sed aliquem debent præponere rebus gerendis idoneum: ideo civitates reguntur per consules, collegia per syndicos, &c. eædem autem sunt obligationes consulum, & syndicorum, quæ curatorum.

§. III.

De his, quibus tutela & curatela potest vel non potest committi.

Prop. unica. Hi tutores & curatores debent institui, qui sufficienter valent & personam, & res pupilli defendere, & negotia minorum administrare.

Prob. rat. Tutores & curatores non ob alium finem statuuntur a Republica, & destinantur ab Ecclesia, quam ut provideant his, qui se vel sua custodire non possunt: ergo debent his dotibus præmuniri, quibus & personam pupilli tueri, & bona minoris valeant administrare.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Hi jure naturali & civili tutores esse debent, qui utilius & personæ & rebus pupilli providere possunt, quia hi utilius vices parentum gerunt. Sic pupillo dantur.

1. Tutores *Testamentarii*, id est ii, qui a patre testatore nominati sunt; juxta illud juris: *permissum* enim *est parentibus liberis suis testamento tutores dare.*

2. Tutores *legitimi*, id est, consanguinei proximiores, quales sunt mater si velit, avia si velit, propinquior cognatione masculus: *ut qui sperant successionem minorum, iidem eadem tueantur bona, ne dilapidentur.* L. 1. ff. de leg. tut.

3. Tutores *dativi*, id est hi, qui a magistratu donantur: *magistratus* enim *civitatis tutores & curatores quam primum dare curabunt*, si jam non dati fuerint, uti jubet jus civile. Ibid.

Consect. 2. Hi jure naturali & civili eximuntur a tutela & curatela, qui sufficienter pupillis & minoribus providere non possunt; quia alias non satis per Rempublicam provideretur his, qui nec se, nec sua custodire possunt. Et ita sequentes personæ liberantur a tutela.

1. Fœminæ; quia sunt negotiis gerendis parum idoneæ. *Fœminæ tutores dari non*

non possunt; quia, ut docet jus civile, *id munus masculorum est*. Leg. ult. ff. de tut. Mater tamen & avia filiorum tutelam suscipere possunt; quia amor matris erga filios, & aviæ erga nepotes, supplet sexus infirmitatem.

2. A tutela & curatela excluduntur pupilli & minores, ut docet lex: *qui enim ab aliis reguntur, aliorum tutelam vel curam subire non possunt*. lib. 1. inst. de excus. Tut.

3. Tutores esse non possunt amentes, surdi, cæci, muti, perpetuo morbo laborantes; quia, inquit lex, eos qui suis rebus invigilare non possunt, aliis rebus non decet præfici: quod his verbis jus civile expressit: *Cæcus, surdus, mutus, furiosus, aut valetudinarius deponere tutelam potest*. L. 40. ff. de excus. Tut.

4. Septuagenarii propter eamdem rationem. *Excusantur a tutela & curatela*, inquit jus civile, *qui septuaginta annos compleverunt*. L. 2. ff. de excus. Tut.

5. A tutela excusantur qui quinque liberos legitimos viventes habent, qui tribus diversis tutelis onerantur, qui litteras nesciunt: ibid. quia hi omnes censentur pupillis vacare non posse. Personæ regio vel Ecclesiastico privilegio exemptæ, quales sunt Religiosi, Clerici, Episcopi, & demum qui gerendis Reipublicæ negotiis occupantur, & multi alii, quos jus eximit a tutela. lib. 1. Inst. titul. 25.

Consect. 3. Tunc finitur tutela, quando vel pupilli non egent defendi, vel tutores non possunt eos tueri; quia tunc lex statuens tutores fine suo frustraretur. Sic tutela finitur sequentibus casibus.

Ex parte tutoris. 1. Morte naturali & morte civili; quia utraque mors impedit, ne rebus pupilli vacare possit. 2. Excusatione vel remotione juridica; quia tunc pariter non potest rebus pupilli invigilare. *Desinunt*, inquit jus, *esse tutores qui vel removentur a tutela ob id, quod suspecti visi sunt, vel quia ex justa causa se excusant, & onus administrandæ tutelæ deponunt*. L. 40. ff. de excus. tut.

Ex parte pupilli. 1. Morte naturali & civili ejusdem pupilli; quia utraque mors reddit pupillum incapacem possessionis. *Finitur tutela morte pupilli*. lib. 1. instit. quibus modis finit, tit. 22. 2. Pubertate pupilli vel ejus majoritate, cum pupilli & minores ad eam ætatem perveniunt, in qua nec tutela, nec curatela opus est. Ibid.

§. IV.

De munere Tutoris quoad personam.

Prop. unica. Tutores debent necessaria tum corpori, tum animæ, pupillo ex ejus bonis providere.

Prob. rat. Tutores non possunt aliter obire vices parentum erga pupillos.

Non decet tamen, ut tutor id suis expensis faciat; quia non est vere pater: ideo sic habet Justinian. *Si egeni sint pupilli, tutor de suo eos alere non compellitur*. Instit. de educ. pupil.

Consectaria hujus Doctrinæ.

1. Tutores debent exequi subjecta munia. Providere victum & vestitum pupilli juxta ejus facultatem. *Modum autem patrimonii spectare debet Prætor, cum alimenta decernit*. Inst. ibid.

2. Præceptores pupillo educando providere, cum tutor non rebus dumtaxat, sed etiam moribus pupilli præponatur. *In primis præceptoribus mercedes non quam minimas poterit, sed pro facultatibus patrimonii, pro dignitate natalium constituet*. L. 22. de admin. Tut.

§. V.

De munere Tutoris & Curatoris quoad res temporales.

Prop. unica. Tutor & curator ea tantum gerere possunt, quæ prosunt pupillis & minoribus; minime vero ea, quæ eis officiunt.

Prob. Tutor & curator dati sunt loco parentum: ergo ea tantum possunt, quæ sunt utilia pupillis & minoribus; minime vero ea, quæ eis sunt noxia. *Tutor in re pupilli tum domini loco habetur, cum tutelam administrat, non cum pupillum spoliat*. L. 7. §. 3. ff. pro empt.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Tutor & curator possunt isthæc omnia, quæ cedunt in bonum pupilli & minoris.

1. Lites incipere, inceptas persequi, & finire. 2. Debita activa pupilli & minoris exigere, debita vero passiva solvere. 3. Bona mobilia vendere, v.g. supellectilia, debita incerta, &c. & eorum pretium utiliter statuere, iis mobilibus exceptis, quæ sunt necessaria vel ad agrorum culturam, vel ad messis collectionem. 4. Bona immobilia vendere tunc tan-

tantum, cum mobilium venditio non sufficit ad solvendum creditori, qui non contentus usuris exigit sortem capitalem.

Confect. 2. Tutor & curator non possunt isthæc omnia; quia sunt contra bonum pupilli, vel minoris.

1. Fundo pupilli novam servitutem imponere, vel remittere servitutem, quam habet supra fundum alienum. 2. Actiones pupillis, vel minoribus calumniosas instituere. 3. Prædia pupillis vel minoribus inutilia acquirere. 4. Hæreditatem pupillis vel minoribus onerosam acceptare vel adire. 5. Bona pupilli vel minoris gratuita largitione donare.

§. VI.

De securitate bonorum Pupilli & Minoris.

Prop. unica. Tutor & curator tantam debent in rebus pupilli & minoris administrandis curam adhibere, ut si quid de dolo, vel culpa negligant, ad restitutionem teneantur; minime vero, si casu detrimenti aliquid eveniat.

Prob. 1. Ex jure civili. *Quidquid pupilli, dolo, vel lata aut levi culpa tutoris, aut curatoris, minores ve amiserint, vel cum possent, non acquisierint, hoc in tutela seu negotiorum gestorum utile judicium venire non est incerti judicis* L. 7. C. cert. tut.

2. *Rat.* Tutor & curator, iste minoris, alter pupilli res ex officio administrare debent: ergo si quod damnum ex illorum culpa patiantur pupillus & minor, tutor & curator ad restitutionem tenentur; omissio enim debiti officii obligat ad restitutionem.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Tutor & curator tenentur ad restitutionem in sequentibus casibus. 1. Si mobilia dolose vendita fuerint aut ipsi tutori, aut alicui interpositæ personæ. 2. Si mobilia vendi potuerint, & ex negligentia tutoris vel curatoris vendita non fuerint; debuerunt enim confestim officio suo defungi. 3. Si quod ex expensis necessariis anno quolibet residuum fuerit, utiliter non collocent, ad usuras solvendas tenebuntur. *Si comparare prædia tutores neglexerint, incipiunt in usuras conveniri.* Ibid. 4. Si plures tutores simul tutelam gesserint, omnes in solidum tenebuntur; si disparate, quilibet tenetur pro rata parte illius rei, quæ ei commissa est. *Et si quidem omnes simul gesserunt tutelam, & omnes solvendo sunt; æquissimum erit actionem dividi inter eos pro portionibus virilibus, exemplo fide jussorum.* L. 1. §. 11. ff. de tut. & rat. distrah. 5. Si quid casu contigerit, tutor & curator ad nihil tenentur. *Sufficit tutori bene & diligenter negotia gessisse, etsi eventum adversum habuit quod gestum est.* L. 3. §. 7. de contr. Tut.

Qua ratione gerendæ sint tutelæ & curatelæ.

Prop. unica. Tutor & curator eam prudentiam adhibere debent in rebus gerendis, ut nec sibi, nec pupillis, vel minoribus noceant, vel nocere præsumantur.

Prob. rat. Tutor & curator parentum personam sustinent erga pupillos & minores: ergo quemadmodum parentes debent liberorum facultatibus consulere; ita & tutores & curatores: cum autem ex Apostolo providere debeamus bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus, ita se gerere debent tutor & curator, ut etiam hominibus certo constet de recta facultatum pupilli & minoris administratione. Quare quæ hic subjiciuntur ab illis accurate servanda sunt.

Consectaria hujus Doctrinæ.

1. Initio tutelæ inventarium facere. Tutores vel *curatores mox quam fuerint ordinati, sub præsentia personarum publicarum inventarium rerum omnium & instrumentorum solemniter facere curabunt.* L. 24. C. de admin. tut. ut constet, quid receperint, quid non receperint.

2. Durante tutela nihil agent sine consensu parentum & arbitrio judicum, ut constet, quo pacto se gesserint.

3. Finita tutela rationem reddent. *In omnibus, quæ fecit tutor, cum facere non deberet, item in his, quæ non fecit, rationem reddet, & hoc judicio.* L. 1. ff. de tut. & rat. distrah.

4. Finita tutela & curatela, si tutor & curator rebus pupilli & minoris *offecerint* vel dolo, vel negligentia, restituere conabuntur; quia rem pupilli salvam & indemnem esse decet.

5. Si tutor & curator solvere nequeant, id per hæredes tutoris & curatoris, vel per eorum fidejussores præstabitur; quia res pupilli numquam perire præstat.

De hæredibus ita jus loquitur: *Hæredes eorum, qui tutelam vel curam administraverunt, si quid ad eos ex re pupilli vel adulti pervenit, restituere coguntur; in eo etiam, quod tutor, vel curator administrare debuit, nec administraverit, rationem reddere eos debere non est ambigendum.* L. ult. C. de hæred. tut.

De fide-jussoribus sic habet: *Manet fide-jussor obligatus ad supplendam indemnitatem*. L.2.C. de fidejuss. tut.

6. His deficientibus nominator tutoris & curatoris tenebitur restituere.

§. VII.

De his, quæ pupilli & minores debent tutoribus & curatoribus.

Prop. unica. Pupilli & minores debent curatoribus, & tutoribus solvere quidquid juste pro illis impensum est.

Prob. rat. Iniquum est tutores & curatores causas aliorum gerere suo ipsorum periculo: ideo ait jus civile, si egeni sint pupilli, de suo eos alere tutor non compellitur: ergo pupilli & minores debent tutoribus & curatoribus solvere quod eorum causa impensum est.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Debent ratas habere omnes justas expensas. *Si Tutela quis conveniatur*, inquit jus, *reputare potest id, quod in rem pupilli impendit.* L.1.ff. de contrac. tut. act. v.g. quod consumptum est decenti educatione, cura tutelæ, victu & vestitu matris & sororis pupilli & minoris, si hi non habeant aliunde, unde vivant.

Consect. 2. Debent damna omnia resarcire quæ tutor & curator passi sunt ob administrationem tutelæ vel curatelæ; quia iniquum est tutores & curatores pupillorum & minorum causa egenos fieri.

ARTICULUS II.

De negotiorum gestione.

NEgotiorum gestio fit, cum quis negotium absentis & quidem ignorantis gerit sine mandato, & sponte suscipit sine mandato; quia si mandatum interveniat, mandatarius dici debet, & non procurator voluntarius: sponte debet suscipere; quia si jussus faciat, curator dici debet, & non negotiorum gestor.

Prop. unica. Negotiorum gestores, & hi quorum negotia geruntur, eadem sibi mutuo debent, quæ curatores, & minores.

Prob. rat. Procurator voluntarius est quasi curator rei, quam administrat: ergo ad eadem tenetur ad quæ curator: & ille, cujus negotium geritur, est quasi minor: ergo ad eadem tenetur erga procuratorem, ad quæ minor erga curatorem. *Cum quis negotia absentis gerit, ultro citroque inter eos nascuntur actiones.* Inst. de obl. ex quasi contract.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Hi egent procuratore voluntario, qui ignari rerum suarum, nemini possunt res suas committere; quia bonum publicum postulat, ut bona absentium & ignorantium administrentur.

Consect. 2. Hi possunt esse procuratores voluntarii, qui possunt utiliter rebus aliorum providere; minime vero qui eis providere non possunt, ut dictum est de tutoribus.

Consect. 3 Procuratores voluntarii ea solum possunt, quæ prosunt his, quorum gerunt negotia; minime vero quæ eis officiunt, ut dictum est de tutoribus.

Consect. 4. Procuratores voluntarii tenentur ad restitutionem, si dolose vel negligenter negotium susceptum administrent. *Si negotia absentis & ignorantis geras, & culpam & dolum præstare debes.* L.ff.21. de neg. gest. Tenetur insuper lucrum cessans, & damnum emergens solvere, qui aliena negotia gerit. *Usuras præstare cogitur, ejus scilicet pecuniæ, quæ purgatis necessariis sumptibus superest.* L.13. ibid. .... Sive sint masculi, sive fœminæ, si negotia gesserint, possunt coram judice conveniri, ut rationem reddant gestionis: *nam & mulieres negotiorum gestorum agere posse, & conveniri non dubitatur.* L.31. ibid.

Consect. 5. Quorum negotia geruntur, eadem debent, quæ minores erga curatores: & ita tenentur 1. Rata habere, quæ gesta sunt. *Quod utiliter gestum est, necesse est apud judicem pro rato haberi.* L.9. ff. ibid. 2. Restituere lucrum omne cessans, & damnum omne emergens ob negotii alieni gestionem. *Sumptuum factorum usuras præstare bona fides suasit.* L. 18. C. 16. Expensæ inutiles vel liberaliter concessæ non restituuntur. *Si quid utiliter ... & non materna liberalitate expendisti*, inquit jus civile, *id negotiorum gestorum actione consequi potes.* L.11.C. ibid.

ARTICULUS III.

De rerum communione.

REum communio fit, cum extra societatem expresse initam plures habent aliquid commune vel ex donatione, vel ex testamento, vel ex legato.

Prop. unica. Hi, qui secum habent rerum communionem, ad eadem tenentur, ad quæ obligantur hi, qui societatem inierunt.

Prob.

Prob. rat. Rerum communio est implicita & interpretativa quædam societas : ergo ad eadem tenentur qui secum habent rerum communionem, ad quæ tenentur qui societatem inierunt.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Hi dicuntur habere rerum communionem, quibus aliquid dono, vel testamento, vel legato datum est; & hi, quibus nequit fieri donatio, sunt incapaces communionis rerum.

Consect. 2. Rerum communitas potest esse vel in rebus mobilibus, vel in rebus immobilibus; quia potest esse earum rerum donatio.

Consect. 3. In rerum communione res debent reduci ad æqualitatem pro rata sui juris parte. In re communi & commodum & incommodum, lucrum & damnum debet æqualiter distribui : bona omnia communia debent in cumulum redigi : nihil debet abscondi : fructus omnes percepti debent computari : quilibet jus habens in re communi debet bonum commune, quasi rem suam inspicere, ut eam conservet; & quasi rem alienam habere, ne eam sibi adscribat.

Neuter potest intempestive rem communem dissolvere, sed tenetur eam dividere juxta præscriptum donantis, si donator diviserit; si non diviserit, juxta consensum possessorum, si inter ipsos ita conventum fuerit, vel juxta sententiam judicis, si inter ipsos non fuerit conventum.

ARTICULUS IV.

De hæreditatis aditione.

Hæreditatis aditio est, cum quis hæres suscipit hæreditatem sibi debitam.

Prop. unica. Qui adit hæreditatem, eo ipso omnibus se obligat, quibus aliquid ex illa hæreditate debetur.

Prob. rat. Aditio hæreditatis est quasi contractus, quo hæres sumit in se omnes obligationes hæreditatis : ergo qui adit hæreditatem obligatur erga omnes, quibus hæreditas aliquid debet.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Omnis, qui hæreditatem adit sine prævia inventarii cautione, insolidum obligatur omnibus creditoribus & legatariis. L. 34. ff. de jure deliber. æquum enim ut qui unam cum testatore personam sustinet, omnia ejus debita solvat, quantumvis ei damnosa futura sit hæreditas.

Consect. 2. Qui vult damnosam non sibi fore hæreditatem, potest uti indulto Justiniani, qui permisit, ut intra tricesimum ab adita hæreditate diem confici queat inventarium, qui confecto, non ultra vires hæreditatis creditoribus & legatariis obligatur. C. L. fin. de jur. delib.

CAPUT XII.

De Donatione.

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit donatio.

Donatio a nonnullis recensetur inter contractus; ideo post contractus hic agemus de donationibus.

Juxta jus civile donatio est mera liberalitas, quæ nullo jure cogente ex sola animi liberalitate defertur ad accipientem. L. 29. ff. de donationibus. Unde donatio sic potest definiri : *Donatio est libera alicujus rei datio*; dicitur enim L. 10. C. de donationibus : *Nec ignorans, nec invitus quisquam donat.*

Donatio alia est absoluta, alia conditionata.

Donatio absoluta ea est, qua aliquid donatur absolute & sine conditione; qualis est ista his verbis concepta : do agrum meum Titio.

Donatio conditionalis ea est, qua aliquid donatur sub conditione; talis est ista his verbis concepta : do agrum meum Titio, si lauream in Theologia consequatur.

Donatio iterum alia est omnino gratuita, alia remuneratoria.

Donatio gratuita ea est, qua res donatur omnino gratuito.

Donatio remuneratoria ea est, qua aliquid donatur in prœmium accepti officii.

Donatio iterum alia est inter vivos, alia mortis causa.

Donatio inter vivos ea est, qua quis vult se vivo rem donatam alterius esse : v.g. rem dat ea mente, ut statim velit accipientis fieri id, quod datur. L. 1. ff. de donationibus.

Donatio mortis causa ea est, qua quis sic donat, ut velit rem datam esse donatarii, non per vitam ipsius dantis, sed post ejus mortem. ibid.

Iterum assignatur a Juristis donatio propter nuptias : & hæc triplex est,

1. Donatio sponsalitia, qua sponsi ante nuptias sibi aliquid donant intuitu matrimonii.

2. Donatio favore matrimonii, qua pater, vel extraneus dat aliquid alteri conjugum, conjugii, non conjugis nomine.

3. Donatio in favorem superstitis, qua conjux donat aliquid parti sibi superstiti.

ARTICULUS III.

Quæ conditiones requirantur, ut donatio sit valida.

PRop. unica. Ut donatio sit valida, quædam requiruntur conditiones & ex parte donatoris, & ex parte donatarii: quædam & ex parte rei donatæ, & ex parte modi donandi.

1. Donator debet habere & dominium & administrationem rei, quam donat, debetque eam sponte, & non coacte donare. 2. Donatarius debet esse capax recipiendi dominii rei, quæ donatur, debetque eam, si sit adultus, libere acceptare. 3. Res danda debet esse in commercio hominum. 4. Modus per legem præscriptus in donationibus debet exacte observari.

Prob: rat. Donatio est modus acquirendi & transferendi dominium rerum: ergo requirit certas conditiones authoritate legum constitutas; acquisitio enim & translatio dominii fieri nequit, nisi juxta modum præscriptum a legibus; & ita

1. Donator debet habere & dominium & administrationem rei dandæ. Debet habere dominium; quia nemo potest in alium transferre plus juris, quam ipse habet, defectu cujus conditionis tutores, & curatores non possunt donare res pupilli aut minoris, quarum habent administrationem, minime vero dominium. Debet insuper donator habere administrationem una cum dominio, defectu cujus conditionis pupilli & minores res suas dare non possunt, quarum quidem habent dominium, minime vero administrationem.

2. Donatarius debet esse capax dominii recipiendi; quippe eo fine fit donatio, ut res data possideatur a donatario, defectu cujus conditionis res pretio æstimabilis data tali Religioso in particulari est nulla; quia ex Trident. Religiosus in particulari nihil potest habere proprium. Donatarius debet insuper habere libertatem, ut libere acceptet donationem; *liberalitas* enim *non potest nolenti acquiri*. leg. 19. §. 2. ff. de donationibus.

3. Res donata debet esse in commercio hominum; quæ enim extra commercium sunt, possideri non possunt, ut habetur L. 9. §. 3. ff. de donationibus. *Donari non potest, nisi quod ejus sit, cui datur*, inquit jus civile.

4. Modus donationis debet esse conformis legibus; donatio enim, quamvis sit jure gentium, tamen per jus civile dirigitur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ex parte donatoris. Ut donator valide donet, debet habere & dominium, & administrationem rei, quam daturus est: ergo valide donare non possunt qui hic subjiciuntur.

1. Infantes, & deliri senes; intellectu enim carent, inquit Aristoteles, & proinde libertate, & administratione, quæ est necessaria ad donandum. L. 23. ff. de donationibus.

2. Furiosi, & mente capti: quia his, ut dicit Clementina *Si furiosus*, deest & animus dandi, & potestas administrandi.

3. Mancipium, sive sit servus vel jure belli, vel jure nativitatis, vel jure emptionis, quia non habet nec rerum dominium, nec rerum administrationem. L. 28. ff. de pactis.

4. Monachus; quia voto abdicavit dominium rerum temporalium.

5. Pupillus, & minor non possunt donare res suas etiam consentiente tutore & curatore; quia utpote exclusi a rerum suarum administratione res suas contractu lucrativo possunt augere, minime vero minuere donationibus. Id colligitur ex lege 7. ff. de donationib.

6. Filius familias, qui donare quidem potest bona castrensia & quasi castrensia, minime vero bona profectitia aut adventitia, quia bonorum castrensium habet dominium, & usumfructum, bonorum vero profectitiorum nec proprietatem habet, nec usum; bonorum vero adventitiorum proprietatem habet, & non usumfructum. L. 7 ff. de donat.

7. Uxor non potest donare res dotales etiam consentiente marito; quia non habet rerum dotalium administrationem, & quia oportet rem dotalem manere indemnem, & donationibus non perire. L. 21. C. de donat. & toto titulo de fundo dotali ff. & Cod.

8. Prodigus dare non potest; quia per judicem ei interdicta est bonorum suorum administratio. L. 28. de pact.

9. Surdus simul & mutus a nativitate, quia ei per legem interdictum est donare, & insuper bona sua administrare: administratio quip-

quippe requirit, ut & verba audiantur, & proferantur. L. 1. ff. de obligationibus & actionibus. Si tamen nutibus & scriptis agant, valide paciscuntur.

10. Illi donare non possunt, quorum bona ob infandum crimen juridice obligata sunt: quales sunt illi, qui damnati sunt morte, vel exilio perpetuo, vel ad metalla, vel ad triremes. Reus etiam criminis capitalis post latam sententiam, nisi ab hac sententia appellaverit. L. 25. hi enim omnes non censentur habere rerum suarum dominium.

11. Dare non possunt fures, & raptores eas res, quas furto acquisierunt; quia non habent earum rerum dominium.

12. Donatio facta ab eo, qui est ære alieno gravatus, est nulla; quia dat quod suum non est: aut si est valida, bona data manent semper subjecta hypothecæ creditorum. Sic donatio facta a tutore, a consule &c. aut invalida est, aut si valida, bona illius manent subdita hypothecæ creditoris. L. 6. C. de administratione & periculo tutorum.

Consect. 2. *Ex parte donatarii*. Donationes fieri non possunt nisi iis, qui sunt capaces acceptandi libere donationem, & acquirendi dominii; unde non potest fieri donatio his, qui hic subjiciuntur.

1. Infantibus, & quidem ob defectum deliberatæ acceptationis; hi enim donationem acceptare non possunt, inscii an donatio illis nocitura sit, vel profutura. L. 5. de regulis juris.

2. Furiosis; hi enim infantibus comparantur. Infantes tamen & furiosi donationes acceptare valent, non quidem per se ipsos, sed per tutores, modo hujusmodi donatio futura sit ipsis utilis, & non damnosa. L. 26. C. de donat. & toto titulo ff. de administratione, & periculo tutorum.

3. Demum donatio facta Monacho, pupillo, minori, est nulla, nisi acceptetur ab iis, sub quorum cura isti subjacent; quia Monachi, pupilli, & minores, ut pote aliis subditi, donationem acceptare nequeunt, inscii an sit profutura, vel nocitura Communitati, cujus nomine agunt.

His vero, qui hic subjiciuntur, defectu dominii non potest fieri donatio.

1. Donatio facta alienigenæ jure Galliæ est nulla; quia alienigena non est capax dominii accipiendi in Gallia. 2. Donatio facta mortuis civiliter est nulla, v. g. damnatis ad triremes; quia hi non possunt acquirere rerum dominium.

Consect. 3. *Ex parte rei donatæ*. Res donata debet esse in commercio hominum, & in possessione donatoris; unde donari non possunt ea, quæ hic subjiciuntur; vel quia non sunt in commercio hominum, vel quia non sunt in possessione donatoris.

1. Donari non potest res sacra, res religiosa, nisi eo fine, ut serviat in finem sacrum, quia non est in commercio hominum. L. 83. ff. de verborum obligationibus.

2. Donari non possunt bona Ecclesiastica; quia utpote extra commercium hominum posita, non nisi certis conditionibus alienari possunt, ut patet ex cap. *nulli* de rebus Ecclesiasticis non alienandis. 3. Res aliena furto vel rapina detenta, aut deposito accepta, donari non potest, quia non est in possessione donatoris; & hæc actio non esset donatio, sed furtum; non esset liberalitas, sed rapina. 4. Donatio omnium bonorum præsentium & futurorum est nulla; quia homo non ita est dominus rerum suarum, ut possit omnia sua dare, nihil sibi reservando, quod per testamentum suum dare possit. Ita Doctores juris communiter docent.

Consect. 4. *Ex parte modi donandi*. Res donanda dari debet juxta præscripta legum; homo enim est dominus rerum suarum cum subordinatione ad Rempublicam: ergo invalida est donatio, quæ non est juxta præscripta legum: & ita nullæ sunt sequentes donationes. 1. *Ex parte donatarii*. Nulla est donatio facta alienigenæ; quia alienigena jure Gallorum est incapax dominii acquirendi in Gallia, ut supra diximus. Item donatio facta concubinæ, nisi sit remuneratoria, & constet de servitio, est nulla; quia concubina censetur indigna omni donatione gratuita. L. 2. C. de donationibus inter virum & uxorem. Donatio facta tutori per pupillum, curatori per minorem, Medico per ægrotum, Procuratori, Advocato, Judici per Clientem, Magistro per discipulum, Confessario per pœnitentem, est nulla; quia hæ donationes censentur extortæ. Donatio facta per patrem filio suo ex adulterio nato, item filio spurio, exceptis alimentis, est nulla.

Item ex parte donatarii donatio non valet, nisi tacite vel expresse acceptetur coram donatore per donatarium ipsum, vel per ejus procuratorem vel naturalem, qualis est pater, vel per alium ad hoc specialiter deputum: sicuti enim non est contractus, nisi ex consensu mutuo partium; ita non est donatio, nisi ex consensu mutuo donatoris & donatarii. Vult enim Justinianus donationem se habere *ad exemplum venditionis*, in qua requiritur utriusque contrahentis consensus.

2. Ex

2. *Ex parte modi donandi*. Donatio est nulla, si non fiat juxta conditiones præscriptas a Principe. Sic donatio mortis causa est nulla, si non fiat mentio expressa vel tacita mortis, vel periculi mortis. L. 31. ff. de donationibus mortis causa. Item est nulla si desit præsentia dantis & donatarii ob acceptationem requisitam. L. 38. ff. Ibidem. Item donatio mortis causa est nulla, si fiat ea conditione, quod erit irrevocabilis; quia privat donatorem factione testamenti. Denium in Gallia nulla est donatio sive gratuita, sive remuneratoria, sive reciproca, sive non reciproca, sive intuitu matrimonii, sive non, si careat insinuatione: idque jubetur C. L. 30. de donationibus. Est autem insinuatio coram competente judice legitima donationis factæ publicatio

Valet tamen donatio in sequentibus casibus sine insinuatione. 1. In magistro militum, cum res mobiles tam suas quam ex spoliis hostium habitas donat militibus. L. 34. C. de donationibus. 2. Cum quis donat pro reparatione domus. L. 36. ibid. 3. Cum donat pro redemptione captivorum, vel pro causa pia. ibid.

ARTICULUS III,

De revocatione donationis.

P*Rop. unica*. Toties revocari potest donatio, quoties donator vel coacte, vel irrationabiliter censetur donasse.

Prob. rat. Lex utrumque requirit in donatore, scilicet, quod sponte donet, & quod rationabiliter, & justa de causa bona sua largiatur: ergo toties potest revocari, quoties vel coacte, vel irrationabiliter censetur facta donatio.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Donatio potest revocari in sequentibus casibus. 1. Quando donator excessit in donando, & adeo prodigus fuit, ut nihil sibi retinuerit, ut testetur; quia hæc donatio censetur irrationalis, Leg. Finali. *C. de revocanda donatione*, quia donator debet posse testari, & filii debent posse succedere portioni legitimæ. 2. Si donatarius enormiter esset ingratus erga donatorem, v. g. si donatori atroces inferat injurias, si inopia pressum non alat, si incarcerato non succurrat: quæ ingratitudo debet prius probari coram judice, nam ante sententiam judicis donatarius non tenetur restituere. Ibid. *Generaliter sancimus, omnes donationes*, inquit jus, *lege confectas, firmas, illibatasque manere, si non donationis acceptor ingratus erga donatorem inveniatur*. L. ultima. C. de revocandis donationibus. Hæc regula locum non habet in donationibus factis Ecclesiæ; quia ingratitudo Prælati non potest officere Ecclesiæ, neque animæ donatoris, in cujus bonum censetur facta donatio. Non valet pariter eadem regula, cum donatio est remuneratoria; quia censetur facta ad compensandum acceptum officium. Nec valet pariter, cum donator de ingratitudine non conquestus est, & per vitam non retractavit donationem. Ibid. 3. Cum non servantur a donatario justæ & honestæ conditiones appositæ a donatore; quia donator non censetur donasse nisi hac conditione. Ibid. 4. Si donator prole carens non exiguam, sed magnam partem bonorum gratuito, & non remuneratorie donavit, postea nascatur ei proles, aut filii absentes redeant, aut filius naturalis illegitimus fiat legitimus per sequens matrimonium; quia ex justa juris dispositione inest huic donationi hæc tacita conditio: res donata tua erit, nisi nascantur mihi liberi, aut redeant quos credebam periisse, aut illegitimi efficiantur legitimi. Ita vulgo Doctores juris civilis. 5. Si donatio facta est extraneo, tota revocari potest: si facta sit alicui ex parentibus, vel Ecclesiæ, revocari potest, non ex toto, sed ex parte, quantum necessarium est, ut proles nata congruam habeat hæreditatem. *Si donator postea susceperit liberos*, inquit jus, *totum quidquid largitus fuerat revertatur in ejusdem donatoris arbitrio, ac ditione mansurum*. L. 18. C. de revocandis donationibus. In Gallia filii adoptati supervenientes non revocant donationem. 6. Si donatio fuerit inofficiosa, idest contra officium paternæ pietatis; ut si pater tantum donet, ut filii priventur sua portione legitima; tunc enim pater donator potest revocare donationem; & si pater id non faciat, filii possunt exigere a judice revocationem donationis; quia jus habent, vivente patre, ut conservetur hæreditas, & ut mortuo patre eis adjudicetur.

Consect. 2. Donatio potest revocari, si fuerit facta errore terminato ad principale motivum donandi, minime vero errore terminato ad secundarium motivum donandi; quia error circa substantiam rei facit involuntarium; error vero circa accidentia non tollit voluntarium. Sic donatio facta ob causam præteritam vel præsentem, quæ vere non est, est nulla: v. g. si dem tibi aliquid, quia egisti causam meam apud Principem: si dem tibi aliquid, quia es pau-

pauper; si res ita non est, donatio est nulla, quia error est circa principale motivum. Item donatio facta per novitium monasterio, si ei voveat, revocatur hoc ipso quod non facta est professio.

Donatio vero valet, si cesset secundarium motivum: v.g. si dem, quia es pauper; licet simules pietatem, ut excites meam misericordiam, donatio valet, modo sis vere pauper, licet non sis vere pius; quia error est circa motivum secundarium.

Donatio isto modo præfixa: lego tibi talem fundum triginta jugerum, talibus finibus conterminum: valet donatio totius fundi, licet sint sive plura, sive pauciora jugera; quia error est circa accidentia. Donatarius non potest jugera plura exigere, si sint pauciora, nec tenetur reddere, si sint plura; quia, ut optime ait Baldus, mensura in tali casu non est limitans, vel præfigens extensionem fundi, sed solum designans locum & situm fundi. Idem dic de ista donatione: lego talia jocalia Petro, quæ æstimantur centum nummis; si pluris valeant, non tenetur donatarius excessum reddere hæredi: si minoris valeant, non potest exigere defectum ab hærede; quia error est circa accidentia, nimirum circa valorem. Si vero donatio isto modo præfigatur: lego tot tibi jugera in tali fundo, lego tibi tot nummos ex argento, quod est in tali arca; donatarius non potest ultra exigere, quia mensura tunc est limitans, & præfigens rem legatam, & non solum manifestans.

Confect. 3. Donatio extorta per metum ad id incussum injuste, non valet, nisi juramento firmetur; quia est involuntaria. Tunc donator tenetur donare, quia juravit; sed donatarius tenetur restituere, quia per metum coegit.

Confect. 4. Donatio mortis causa revocatur, si donatorem pœniteat, si donatarius moriatur ante donatorem; quia censetur facta hac conditione, quod donatarius non potiatur donatione, nisi supervivat donatori.

ARTICULUS IV.

De variis conditionibus, quæ donationi apponi possunt.

PRop. unica. In donatione possunt variæ apponi conditiones, modo non sint substantiæ donationum contrariæ.

Prob. rat. desumpta ex jure. Donatio est contractus. L. 7. C de donat. Ergo cum in omni contractu possint apponi conditiones, modo non sint contra substantiam contractus, illud poterit pariter fieri in donatione.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. *Quæ conditiones non sint contrariæ donationi.* 1. Donator potest rem suam donare vel absolute, vel conditionate, vel quoad proprietatem, vel quoad usum: usum vero potest donare, vel ad semper, vel pro certo tempore; quia quilibet liber est in suis donis. 2. Potest donator rem suam donare vel expresse obligando se oneri evictionis & solutionis interesse, vel nihil expresse dicendo de utroque onere; quia est liber in suis donis. 3. Si expresse se ad illud onus obligaverit, tenetur: si expresse se ab illo onere exemerit, non tenetur; quia nemo potest invitus per contractum obligari. Si expresse de illo onere nihil dixerit, juxta æquitatem eximitur; quia non æquum est liberalitatem nocere donatori. Propter eamdem rationem, si quis mihi rem alienam donavit, & hæc evincatur, nulla mihi actio competit contra donatorem. Item, si quis mihi summam aliquam, ut rem frugiferam promisit, is non tenetur usuras solvere. *Cum quis*, inquit jus civile, *donationis causa pecuniam, vel aliquid aliud promisit, de mora solutionis pecuniæ usuras non debere summæ æquitatis est.* L. 18. ff. de donationibus. Si tamen dolus intercesserit, & damnum donatario accesserit, tenetur donator damnum reparare, ut dicit Labeo. Ibid. *Si quis mihi rem alienam donavit, inque eam sumptus magnos fecero, & sic evincatur, plane de dolo me posse adversus eum*, id est donatorem, *habere actionem constat.*

Confect. 2. *Quæ conditiones donationi sint contrariæ.* 1. Donatio non potest fieri ea conditione, quod pro libito donatoris sine consensu donatarii eadem donatio revocari possit; quia hoc est contra naturam donationis, *Si donationes perfectæ fuerint, temere revocari non possunt.* L. 2. inst. tit. 7. de donat. 2. Donatio non potest fieri ea conditione, quod res donata non poterit exigi a donatario; quia donatio completa vim habet venditionis, & transfert rem ad donatarium, ita ut traditionis necessitas incumbat donatori. L. 35. C. de donationibus 3. Donatio non potest fieri ea conditione, ut post completam donationem possint a donatore sine consensu donatarii novæ apponi conditiones; *Quia perfecta donatio conditiones postea non capit.* L. 4. C. de donationibus, quæ sub modo, &c.

CAPUT XIII.

De Testamentis, Codicillis, & Legatis.

ARTICULUS I.

Quid Testamentum, Codicillus, & Legatum: & quæ requirantur in Testamenti factione.

DOnatio mortis causa ea est, ut diximus, qua quis sic donat, ut velit rem donatam esse donatarii post mortem donatoris; quia donatio mortis causa habet affinitatem cum Testamento, Codicillo, Legato Fidei-commisso. Ideo de his omnibus hic agemus.

Testamentum, si nomen attendas, est testatio mentis: si rem inspicias, testamentum est ultimæ voluntatis dispositio, directaque hæredis institutio; itaque testamentum duo importat. 1. Ultimam voluntatis dispositionem. 2. Hæredis institutionem. Institutio hæredis est nominatio successoris in universum jus testatoris.

Codicillus est ultima voluntatis dispositio sine institutione hæredis.

Legatum est testatoris particulare donum ab hæreditate selectum.

Fidei-commissum est ultima voluntatis dispositio, qua testator hæredis sui fidei committit aliquid alteri tradendum, v. g. vel integram hæreditatem, vel aliquid de hæreditate.

Testamentum est duplex, aliud in scriptis, aliud nuncupativum. Testamentum in scriptis, seu clausum, est testamentum, quod testator, vel a se, vel ab alio scriptum, sed sua semper manu subscriptum, tradit Notario coram septem testibus idoneis, declarando ibi contineri ultimam voluntatis suæ dispositionem.

Testamentum nuncupativum est illud, quo testator coram testibus idoneis articulata voce declarat ultimam voluntatis suæ dispositionem, & hæredem suum nominat.

ARTICULUS II.

De requisitis ad valorem Testamenti.

PRop. *unica*. Eædem requiruntur conditiones in testamento, quæ requiruntur in donatione.

Prob. rat. Testamentum est species donationis: ergo eædem requiruntur conditiones in testamento, quæ in donatione: & ita aliæ sunt conditiones ex parte testatoris, aliæ ex parte hæredis, aliæ ex parte rei donatæ, aliæ ex parte modi faciendi testamentum. Quæ omnia sigillatim percurremus.

ARTICULUS III.

De his, qui testamentum valide facere possunt.

PRop. *unica*. Hi omnes testamentum possunt valide facere, qui domini sunt rerum suarum, & qui liberam habent rerum suarum dispositionem.

Prob. rat. Testator per testamentum transfert in hæredem bonorum suorum dominium: ergo debet habere & dominium, & liberam bonorum suorum dispositionem.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Hinc sequitur, quod valide testari queant qui hic subjiciuntur. 1 Reges & subditi: quia illi altum, isti vero subordinatum habent rerum suarum dominium. 2. Domini, & vassali; quia illi directum, isti vero utile habent rerum suarum dominium. 3. Quicumque sunt extra potestatem alterius; quia habent & dominium & liberam rerum suarum dispositionem. Sic minores possunt facere testamentum sine consensu curatorum, licet contrahere nequeant sine eorum consensu; quia contractu conditionem suam pejorem facere possunt, minime vero testamento. Sic spurii possunt facere testamentum sine consensu patris naturalis. Sic bello capti possunt facere testamentum; quia captivitas bellica apud Christianos non inducit veram servitutem. 4. In Gallia excommunicati, hæretici tolerati possunt facere testamentum; quia habent & dispositionem, & dominium rerum suarum. 5. In Gallia Clerici possunt facere testamentum de bonis ex præbenda provenientibus, quia censentur coram hominibus habere bonorum illorum & dominium & dispositionem: relinquitur enim eorum conscientiæ horum bonorum dispositio. 6. Cæcus a nativitate cum octo testibus valide testamentum facit. 7. Mutus simul & surdus, si sciat scribere, valide testamentum conficit. 8. Spurii, modo alium a patre & avo, alium a matre & avia hæredem instituant; & si intestati decedant, bona eorum addicuntur Regi, aut Domino, cujus sunt vassalli. Prædicti omnes, sive sani, sive ægri, possunt valide testamentum condere.

AR-

ARTICULUS IV.

De his, qui Testamentum non possunt valide facere.

PRop. 1. *Ex defectu dominii*. Testamentum valide facere nequeunt hi omnes, qui rerum suarum non habent dominium.

Prob. rat. Testator per testamentum transfert in hæredem rerum suarum dominium: ergo testamentum facere nequit qui illud dominium non habet.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Hinc sequitur, quod testamentum facere nequeunt qui hic subjiciuntur. 1. Servi, idest mancipia, sive sint servi a nativitate, sive sint bello capti, sive se venire passi sint; quia hujusmodi servi nullum habent rerum suarum dominium. Vigebat olim triplex illa servitus, sed jam apud Christianos abolita est. 2. Religiosus professus; quia per votum solemne renunciat dominio rerum temporalium; bene tamen ante professionem: ita jus Gallorum. *Ordonnances d'Orleans* art. 19. *de Blois*. art. 28. Religiosus extra Galliam, v.g. in Italia, potest cum licentia Papæ facere valide testamentum. 3. Filius-familias sive sit conjugatus, sive non, si non sit extractus e potestate paterna, vel per emancipationem, vel per mortem naturalem, aut civilem patris, non potest, etiam consentiente patre, valide testamentum facere de bonis non castrensibus, aut quasi castrensibus; quia non habet bonorum illorum absolutum dominium: de quo ita jus civile: *Qui in potestate parentis est, testamenti faciendi jus non habet*. L. 6. ff. *qui testamentum facere possunt*. Ratio Ulpiani hæc est, *quia nihil suum habet*. Bene tamen de bonis castrensibus, idest bello acquisitis, aut quasi castrensibus, idest Clericatu, aut Magistratu, aut arte liberali comparatis; quia modi hi liciti comparandi militiæ assimilantur: de quo ita jus civile: *Omnes omnino, quibus quasi castrensia peculia habere ex legibus concessum est, habeant licentiam in ea tantummodo ultimas voluntates concedere*. L. ult. C. qui testamenta facere possunt. 4. Per supremam curiam damnatus vel ad mortem naturalem, vel ad mortem civilem, v.g. ad perpetuas triremes, ad perpetuum exilium; quia hi non habent rerum suarum dominium. Miles tamen damnatus ad mortem ob delictum præcise contra regulas militiæ, valide testari potest. De utroque casu jus civile sic habet. *Edicto Prætoris bonorum possessio his denegatur, qui rei capitis damnati sunt, neque in integrum restituti sunt*. L. 13. ff. de bonorum possessionibus. Si tamen non damnatus sit, sed solum accusatus, vel a sententia appellaverit, Testamentum facere potest. *Si quis post accusationem, in custodia fuerit defunctus indemnatus, testamentum ejus valebit*. L. 9. ff. qui testamenta facere possunt, & L. 13. Ibidem. 5. Alienigena non potest facere testamentum in eo regno, in quo est alienigena, sed bona ejus addicuntur fisco. Sicuti enim peregrini capere non possunt hæreditatem, L. 1. C. de hæredibus instituendis; ita nec testamentum facere: bene tamen, si litteris Principis factus fuerit regnicola. In Occitania omnes extranei habentur pro regnicolis. Item mercatores extranei Lugduni commorantes. Hi licet extranei valide Testamentum faciunt; *Quia cives allectio facit*. L. 7. C. de incolis. 6. Fugitivus a Regno, si extra Regnum domicilium elegerit, non potest testari de bonis, quæ possidet in Regno, quod deseruit; quia aufugiens amittit bonorum suorum dominium: bene tamen, si discesserit e Regno animo redeundi; quia discessio ad tempus non aufert rerum dominium.

Prop. 2. Defectu libertatis & plenæ deliberationis. Testamentum facere nequeunt quicumque non habent plenum usum libertatis, neque liberam bonorum suorum dispositionem.

Prob. 1. Ex jure civili. *In eo qui testatur*, inquit, *ejus temporis, quo testamentum facit, integritas mentis, non corporis sanitas exigenda est*. L. 2. ff. qui testamenta facere possunt.

2. *Rat.* Testator per testamentum transfert in hæredem bonorum suorum dominium: ergo libere debet illud efficere: ergo si plena libertate non fruatur, non potest facere testamentum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Hinc sequitur, quod testari non possunt qui hic subjiciuntur.

1. Amens, nisi per lucida intervalla, furiosus, phreneticus, ebrius; quia hi omnes carent usu rationis: testamentum tamen factum ante furorem, amentiam, ebrietatem, &c. firmum & ratum est. L. 9. Cod. eodem titulo. 2. Pupillus, etiam si doli capax; quia non censetur habere usum rationis: de quo ita Justinianus: *Testamentum non possunt facere impuberes; quia nullum eorum animi judicium est*. L. 2. institutionum tit. 12. quibus

non

non est permissum facere testamentum §.1.3. Qui in testamento condendo deceptus est errore terminato ad substantiam; quia testator tunc non censetur libere voluisse, v. g. si loco Titii hæredis scribatur Sempronius: minime vero, si deceptus fuerit errore terminato ad accidentia, v. g. si scribatur: Titius nobilis hæres esto, licet Titius non sit nobilis. 4. Qui in testamento condendo coactus est timore injuste incusso; quia tunc non censetur libere voluisse: attamen preces & blanditiæ non reddunt testamentum invalidum. 5. Testamentum non facit, qui proponens testamenti factionem, eam non complevit, sed testamentum sine subscriptione, sine temporis designatione, Gallice, *sans datte*, deseruit; quia non censetur complete voluisse. 6. Mutus simul & surdus non casu, sed a nativitate, non potest valide testari; quia non censetur plenam habere libertatem: bene tamen, si sit surdus solum, vel mutus solum, modo ipse suum scribat testamentum. De utroque casu ita jus civile: *Surdus & mutus testamentum facere non possunt; sed si quis post testamentum factum valetudine, aut quolibet alio casu mutus aut surdus esse cœperit, ratum nihilominus permanet testamentum*. L. 6. §. 1. ff. qui test. facere poss. *Si ponamus hujusmodi litteras scientem, omnia quæ priori interdicimus, hæc ei manu sua scribenti permittas*. L. 10. Cod. eodem tit. 7. Prodigus, cui per Magistratum interdicta est bonorum suorum dispositio; quia non censetur plenam habere libertatem; & quia Reipublicæ interest, ne quis re sua male utatur: de quo ita Jus: *Is, cui lege bonis interdictum est, testamentum facere non potest; sed & si fecerit, ipso jure non valet. Quod tamen interdictione vetustius habuerit testamentum, hoc valebit*. L. 18. ff. qui test. fac. poss.

Tamen in favorem causæ piæ testari potest prodigus; quia non censetur rebus suis male uti, si in causas pias impendat. Id possunt etiam mutus & surdus; quia si signis exprimant se velle res suas Deo consecrare, lex nedum vetat, sed permittit testamenti factionem.

Item in favorem filiorum testari possunt. 1. Filiusfamilias; quia dando filiis dat iis, quibus pater, cui subjicitur, dare tenetur. 2. Pupillus; quia dando filiis, quos aliquando suscipiet, dat iis, quibus ut demus, natura suggerit. 3. Prodigus; quia dando filiis, non censetur rebus suis male uti.

ARTICULUS V.

De his, qui institui possunt hæredes.

PRop. unica. Ut testamentum sit validum ex parte hæredis, is qui heres instituitur, debet posse recipere rerum dominium & tempore, quo fit testamentum, & quo moritur testator, & quo aditur hereditas.

Prob. rat. Testamentum fit eo fine, ut hæres accipiat hæreditatem: ergo is, qui instituitur heres, debet posse accipere rerum dominium; & ita heredes institui possunt omnes, qui possunt accipere rerum temporalium dominium.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Hinc sequitur, quod heredes institui possunt, qui hic subjiciuntur.

1. Liberi, & nati, & nascituri, modo in lucem edantur. *Sancimus*, inquit jus civile, *si vivus perfecte natus est, licet illico postquam e terra cecidit, vel in manibus obstetricis decessit, nihilominus testamentum rumpit*, scilicet, si præteritus fuerit. L. 3. cod. de posthumis heredibus instituendis. Cogniti & incogniti; nam ut dicit idem jus: *extraneum penitus ignotum heredem quis instituere potest*. L. 11. C. de heredibus instituendis. Si extraneum ignotum possit quis heredem instituere, a fortiori propinquum: de quo ita habetur lib. 2. inst. t. 14. §. 12. *Is, quos nunquam testator vidit, heredes institui possunt, veluti si fratris filios peregrinantes, ignorans qui essent, heredes instituerit: ignorantia enim testantis inutilem institutionem non facit*. 3. Non modo privati institui possunt heredes, sed etiam & Communitas, cum onere amortizationis, ut dicunt; quia Communitas dominium rerum valide acquirit, modo privilegium ad hoc a Principe obtinuerit: de quo ita Justinianus C. de heredibus instituendis L. 8. *Collegium*, inquit, *si nullo speciali privilegio subnixum sit, hereditatem capere non posse dubium non est*: ergo si habeat privilegium, id poterit. 4. Exules ad certum tempus e Regno, imo & exules in perpetuum non quidem a Regno, sed e Provincia heredes institui possunt; quia dominium possunt acquirere. 5. Homo accusatus, sed nondum damnatus, sive sit innocens sive reus; quia si absolvatur, sibi acquirit hereditatem; si condemnetur, acquirit fisco. 6. Spurius potest esse heres alterius testatoris a patre, vel avo, matre, vel avia; quia soli patri & avo, matri & aviæ prohibetur constituere here-

hæredem spurium suum, & spurius potest instituere hæredem alium quemcumque a patre, & avo. 7. Homo, qui vovit paupertatem extra Religionem approbatam, v. g. devoti aut devotæ viventes extra claustra. Ita Chopinus. Item Eremitæ, Hospitalarii, non viventes intra claustra. Ita Fevretus. 8. Communitas politica, Communitas Ecclesiastica, Communitas Monastica, nisi lex aliqua obstet potest hæres institui. *Collegium, si nullo speciali privilegio subnixum sit, hæreditatem capere non posse dubium non est*. L. 8. cod. de hæredibus instituendis. 9. Institui hæredes possunt hi etiam, qui testamentum facere non possunt, modo dominium vel sibi, vel aliis possint acquirere, v.g. furiosi, muti, infantes, servi: de quo Justinianus: *Furiosus, & mutus, & posthumus, & infans, & filiusfamilias, & servus alienus testamenti factionem habere dicuntur: licet enim testamentum facere non possint, attamen ex testamento res sibi vel aliis acquirere possunt.* L. 2. inst. tit. 19. §. 4.

ARTICULUS VI.

De his, qui hæredes institui non possunt.

PRop. *unica*. Illi hæredes institui non possunt, qui vel ex jure naturali, vel ex jure positivo non possunt acquirere bonorum temporalium dominium.

Prob. Testamentum fit eo fine, ut hæres acquirat dominium bonorum pertinentium ad testatorem: ergo illi hæredes institui non possunt, qui sunt incapaces acquirendi dominii vel ex se, vel ex statuto legum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Hinc sequitur, quod omnes, qui hic subjiciuntur nequeunt hæredes institui. Ex vi juris naturalis, aut gentium hæredes institui non possunt, 1. Amentes; quia ob defectum perennem rationis sunt incapaces dominii, & ad Rempublicam spectat eis tutores eligere. 2. Religiosi; quia jam ob votum paupertatis, inquit Rebuffus, pro mortuis habentur, & nullus Religiosus potest bona temporalia possidere, nisi ad summum in communi. In Regno Franciæ Monasteria numquam successerunt, neque succedunt, ut docet Fabri. Sic Monachi facti Episcopi non possunt succedere; quia sunt Religiosi. Sic mendicantes Religiosi, sic Clerici regulares, sic Jesuitæ, sic milites Jerosolymitani non possunt succedere. Religiosi tamen jure antiquo Justiniani poterant succedere, nullo impedimento ex sanctimoniali conversatione generando, sive soli, sive cum aliis ad successionem vocantur. L. 56. C. de Episcopis & Clericis. 3. Testatoris mancipia non a se manu missa; quia servi non habent dominium.

Ex vi juris positivi hæredes institui non possunt. 1. Filius spurius, idest, natus ex ea, cum qua testator non poterat habere conjugium, non potest institui hæres sui patris, nec sui avi: & vice versa pater & avus non possunt esse hæredes filii spurii; quia jus illicitam illam copulam punire voluit. Novell. 89. c. ult. Attamen parentes collaterales possunt habere eos & hæredes, & testatores. Novell. 89. cap. 15. Ita jus civile incestuosos filios perhorrescit, ut vetet illos a suis parentibus nutriri; in quo tamen corrigitur a jure Canonico. 2. Apostatæ, Hæretici, & eorum fautores post latam sententiam; quia jus voluit incapaces esse dominii qui recedunt ab Ecclesia. Ita Auth. *credentes*, ubi sic habetur: *Hæreticus aut fautor Hæreticorum, &c. sit intestabilis, ut nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditates succedat*. C. de Hæret. 3. Civitas hostium, quia cives *non debent bonis suis hostes Reipublicæ adjuvare*. 4. Communitas Judæorum; quia hostis est Ecclesiæ. 5. Damnatus per supremam curiam morte naturali vel civili; quia est incapax dominii. L. 17. ff. de pœnis. 6. Hæres aut legatarius, qui convincitur testatorem occidisse, ad ejus uxorem accessisse, ei insigniter nocuisse, vel decumbenti in lecto, aut in carcere detento non succurrisse; quia meretur ob ingratitudinem destinata hæreditate privari. 7. Servus adulterii convictus cum domina sua, ejusdem dominæ hæres institui non potest. Ita Inst. lib. 12. tit. 14.

Ex vi præsumptæ suggestionis testamenti hæredes institui non possunt.

1. Qui scripserunt testamentum non possunt ejus testamenti, quod scripserunt, emolumentum aliquod percipere. 2. Tutores, non possunt institui hæredes pupillorum, nec curatores suorum minorum. 3. Medicus non potest institui hæres sui ægroti, nec judex sui clientis, nec magister sui discipuli, nec concubina sui amasii, nec Communitas religiosa novitii, qui in ea suscipitur. Ita Brodeau in notis ad Lovetum.

ARTICULUS VII.

De requisitis in testamento ex parte testium.

PRop. unica. Ut testamentum sit validum ex parte testium, requiritur certus numerus testium, & certæ dotes in testibus.

Prob. Leges determinarunt certum numerum testium in quolibet testamento, & certas dotes in testibus, ut omnis fraus & dolus tolleretur: ergo hæc omnia sunt necessario observanda, ut testamentum sit validum. Ex quo sequentia inferuntur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Numerus testium jure Romano civili, ubi viget, est iste.

1. In testamento cæci requiruntur octo testes. 2. In alio testamento, sive scripto, sive nuncupativo requiruntur septem testes. 3. In testamento rustici rure facto sufficiunt quinque testes. 4. In testamento, sive rure, sive in urbe, si fiat tempore pestis, sufficiunt quinque, imo aliquando duo testes. 5. In testamento patris & matris erga filios legitimos sufficiunt duo testes: vel testamentum a solo patre scriptum, aut a cunctis subscriptum filiis .... si sit scriptum ab extraneo ad minus requiruntur duo testes. 6. In testamento descendentis erga ascendentes: si descendens liberis careat, sufficiunt duo testes, vel testamentum propria manu subscriptum, aut a cunctis ascendentibus subscriptum: minime vero, si sint descendentes. 7. In testamento facto coram Principe, vel coram judice; sufficit unus testis cum Notario. 8. In testamento militari sufficiunt duo testes: miles autem censetur is, qui vel in castris est, vel vadit ad castra, vel exit e castris cum licentia ad tempus, & miles censetur per annum ab obtenta licentia; minime vero ille, qui habet absolutam licentiam. 9. In testamento ob causas pias sufficiunt duo testes. Ita lib. 20. inst. tit. 10. In certis locis, v. g. Tolosæ, Montis-Pessulani sufficiunt duo testes. 11. In testamento, ubi viget Jus Canonicum, sufficiunt duo testes & Parochus, aut quatuor testes sine Parocho. Cap. *cum esset* extra de testamentis. 12. In testamento, in quo instituuntur hæredes ii, quibus competit hæreditas ab intestato, sufficiunt quinque testes.

Dotes testium. Testes in testamento debent esse non cæci, non surdi, non muti, non furiosi, non pupilli: testatoris, vel hæredis nec fratres, nec cognati: qui non sint nec sub hæredis, nec sub testatoris potestate positi: non infames, quales sunt histriones, adulteri, lenones; sed masculi, puberes, ad hoc rogati & vocati, singuli eodem tempore subscribentes, videntes testatorem, omnes proprio sigillo vel communi consignent. Libro 2. inst. tit. 10. Istud ultimum usu contrario abrogatum est, & loco sigilli quisque suum nomen scribit. Quas dotes hic strictim recensuimus, eas habes fuse descriptas apud Justinianum loco citato.

Itaque qui hic subjiciuntur, testes in testamento esse non possunt. 1. Mulier. 2. Impuberes. 3. Servi, idest mancipia. 4. Monachi Professi. 5. Furiosi, nisi in dilucidis intervallis. 6. Prodigi. 7. Muti. 8. Surdi, qui omnino non exaudiunt. 9. Legibus improbi, idest notati infamia. 10. Peregrini; testes enim debent esse cives Romani. 11. Pater in testamento filii, & vice versa filius in testamento patris. 12. Frater in testamento fratris. Demum hæres non potest esse testis in testamento, in quo constituitur, bene tamen legatarius, ut habetur L. 20. qui testamenta facere possint.

ARTICULUS VIII.

De nullitate testamenti ob varias causas.

PRop. unica. Ut testamentum sit validum ex parte formæ, plures requiruntur conditiones, quibus omissis, testamentum est nullum.

Prob. Testamentum est juris publici: ergo nullum erit, si careat conditionibus a jure requisitis.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Ex parte hæredis. 1. Hæres debet nominatim exprimi, & non solis signis designari. L. 29. *jubemus*. C. de testam. 2. Hæres, sive unus, sive multiplex, debet esse universorum bonorum cum onere solvendi legata; quia alias testator partim testatus, partim intestatus decederet: testamentum tamen militis potest esse tantum aliquorum bonorum.

Consect. 2. Ex parte testatoris. Requiritur, quod testator non suspendat suum testamentum conditionibus aut impossibilibus, aut inhonestis; sed si quas apponat conditiones, oportet, ut sint honestæ & possibiles: impossibiles enim & inhonestæ conditiones pro nullis habentur. L. 2. ff. de hæredibus instituendis. Conditio est impossibilis, cum ponitur pro conditione aliquid, quod fieri non potest,

v. g.

v.g. Titius hæres esto, si volaverit. Conditio est inhonesta, cum ponitur aliquid pro conditione, quod lege prohibetur, v. g. Titius hæres esto, si patrem non aluerit.

Consect.2. Ex parte testamenti scripti & nuncupativi. 1. Ut validum sit testamentum scriptum, debet vulgari idiomate scribi, Gallice in Gallia, Italice in Italia, & charactere vulgari. 2. Sufficit, quod sit scriptum vel propria manu testatoris, vel manu alterius; modo non scribatur manu ipsius hæredis, aut manu ipsius Parochi, si Ecclesia instituatur hæres, aut manu alicujus, qui sit membrum ejus Communitatis, quæ hæres instituitur.

Ut testamentum nuncupativum sit validum, testator debet vel per se, vel per alium, quem testator approbet, voluntatem suam declarare coram testibus, non disjunctive, sed collective præsentibus: debetque testamentum nuncupativum intra decem annos a morte testatoris scribi, alias pro nullo haberetur, quia testes censentur non posse firmiter ultra illud tempus revocare quæ facta sunt. .... Si scribatur, vivente testatore, non est necesse, quod obsignetur a testatore.

Testamentum scriptum deficiens suis solemnitatibus non valet pro nuncupativo, nec nuncupativum deficiens suis valet pro scripto, nec testamentum pro codicillo, nisi testator ita expresserit: imo testamentum imperfectum non valebit pro substitutione, etiam si testator expresserit; quia substitutio est accessorium testamento, quo deficiente, debet deficere.

Si testamentum sit multiplex, & non constet, quale sit prius, quale posterius, vel utrumque careat solemnitatibus requisitis, neutrum testamentum est validum.

ARTICULUS IX.

De nullitate testamenti ob præteritionem hæredis, qui juxta leges præteriri non poterat.

P*Rop. unica.* In institutione testamentaria filiorum descendentium, & avorum ascendentium, testamentum est nullum, si non instituantur descendentes, aut his deficientibus ascendentes, nisi reddatur causa, quare non instituantur.

Prob. Jus naturale dictat, quod pater filiis provideat hæreditatem, & quod filius carens posteris patri suo refundat hæreditatem: ergo testamentum est nullum, si reticeantur omnino ascendentes, & descendentes.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Sequitur, quod testamentum est nullum in sequentibus casibus. 1. Si pater prætereat filium legitimum, sive marem, sive fœminam, sive emancipatum, sive non emancipatum, sive natum, sive posthumum; quia jus habent ad hæreditatem. 2. Si mortuis liberis præterea nepotes per virilem sexum genitos, sive neptes, sive nepotes, sive emancipatos, sive non emancipatos, sive natos, sive posthumos; quia habent jus ad hæreditatem. 3. Si mater prætereat filium; quia etsi mater non habeat filium sub potestate, tamen filius habet jus ad hæreditatem matris. 4. Si testator careat descendentibus, si prætereat patrem, vel matrem; quia etsi solatium sit exiguum succedere filio, hoc tamen debitum est patri. 5. Si testator careat omnino descendentibus, nec habeat patrem & matrem. Si habeat avum, vel aviam, atavum, vel ataviam, vel proavum, vel proaviam, &c. debet deficiente proximiore ascendente remotiorem hæredem instituere; quia ascendentes usque ad tritavum & tritaviam habent jus ad hæreditatem. Si autem hæredes necessarios nominare omiserit, hæres necessarius, sive descendens, sive ascendens, potest accusare testamentum, in quo injuste præteritus est, & testamentum declarabitur nullum a judice, & hæreditas dividetur juxta regulas successionis ab intestato. De quibus regulis infra.

Consect. 2. Hæres necessarius præteritus non potest accusare testamentum, quoties fuit causa exhæredandi, aut quoties renunciavit juri suo; quia si dedit occasionem præteritioni debet sibi imputare; si renunciavit juri suo debet pariter sibi imputare: itaque hæres necessarius juste exhæredatus non potest accusare testamentum. Causæ autem exhæredandi sic exprimuntur in novella 125. cap. 3. 1. Si filius parentibus manus violentas injecerit. 2. Si graves eis injurias intulerit. 3. Si criminalibus causis, quæ non sunt adversus Principem, eos accusaverit. 4. Si vitæ parentum insidiari tentaverit. 5. Si novercæ aut concubinæ patris sese immiscuerit. 6. Si calumniator contra patrem extiterit. 7. Si pro patre in carcere existente fide jussor existere noluerit, aut captivum redimere negaverit. 8. Si patrem testamentum condere prohibuerit. 9. Si statum vivendi inhonestum elegerit, v. g. filius histrionicum, filia meretricium exercuerit. 10. Si filius minor triginta annis, & filia minor viginti quinque annis sine consensu patris matrimonium inire tentaverit.

Eædem causæ, quæ valent ad exhæredandum filium, valent ad exhæredandum patrem.

Hæres necessarius, qui renuntiavit hæreditati, non potest accusare testamentum in sequentibus casibus. 1. Si tacuit per triginta annos. 2. Si testamentum, in quo præteritus est, approbaverit, v. g. si fuerit Advocatus pro hærede. 3. Si bona hæreditatis recusavit. 4. Si ut legatarius susceperit legatum a testatore datum per idem testamentum, in quo ut hæres nominandus erat. 5. Si præteritio facta in testamento prosit potius, quam noceat. 6. Si præteritio facta sit non ex industria, sed casu.

Hæres necessarius ascendens, v. g. pater, avus, aut descendens, v. g. filius, nepos, non possunt accusare testamentum, si præteriti non fuerint, licet æquam portionem non acceperint; sed possunt solum postulare a judice supplementum legitimæ.

Frater, & soror possunt accusare testamentum, in quo præteriti sunt, si hæres institutus sit persona inhonesta, quales sunt personæ, quæ hic subjiciuntur, v. g. homo damnatus morte naturali, vel civili, histrio, magus, leno, meretrix, spurius; quia in tali casu frater, & soror sunt hæredes necessarii.

ARTICULUS X.

De revocatione Testamenti.

PRop. unica. Testamentum quibuscumque solemnitatibus munitum potest ad libitum testatoris revocari.

Prob. Testamentum pendet ex libera testatoris voluntate: ergo semper revocari potest, donec mors accesserit.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Testamentum potest revocari, etiam si factum sit coram Principe, etiam si Princeps declaraverit testamentum illud irrevocabile, etiam si testator promiserit, imo juraverit, se non revocaturum, imo etiam si dixerit bona omnia, quæ habet, ad hæredem a se institutum pertinere; quia nemo potest eam sibi legem statuere, ut non possit a priore voluntate recedere. L. 22. ff. de legatis & fidei commissariis. L. 16. 3. Attamen testamentum in contractu matrimoniali conditum non poterit revocari; quia gerit vices donationis.

Consect. 2. Testamentum prius factum in favorem sive hæredum necessariorum, sive extraneorum, revocatur. 1. Donatione inter vivos. 2. posteriori testamento; quia posteriora derogant prioribus.

Consect. 3. Testamentum prius perfectum revocatur per posterius perfectum, sed prius imperfectum non revocatur per posterius imperfectum, sed utrumque nullum est; quia caret solemnitatibus requisitis: a fortiori testamentum perfectum conditum cum septem testibus non revocatur per testamentum imperfectum conditum cum quinque testibus. Tamen testamentum militare imperfectum revocat prius testamentum non militare licet perfectum; quia ex privilegio testamentum militare imperfectum censetur validum. Quod si miles declaraverit se velle utrumque testamentum valere, prius & posterius testamentum valebunt in eo, in quo non opponuntur; quia miles potest decedere cum duplici testamento.

Consect. 4. Testamentum prius factum revocatur per secundum: attamen requiritur specialis derogatio. 1. Si prius testamentum contineat clausulam derogatoriam, quæ debet expresse enuntiari. 2. Si sit in favorem filiorum.

Consect. 5. Ut Testamentum prius factum revocetur, sufficit 1. Ut testator coram septem testibus, aut coram totidem testibus, qui sufficerent ad testamentum, declaret se nolle factum prius testamentum valere; quia res eisdem causis dissolvitur, quibus constituitur. 2. Si decem anni fluxerint, sufficit, ut id dicat coram tribus testibus. 3. Ut testator factum testamentum laceret. 4. Ut universali datione bona sua largiatur.

CAPUT XIV.

De hæreditatibus, quæ ab intestato deferuntur.

HActenus de hæreditatibus, quæ ex testamento deferuntur, egimus; jam de his, quæ ab intestato deferri possunt, agendum.

ARTICULUS I.

In quo traduntur quædam notiones necessariæ ad explicandas hæreditates ab intestato.

§. I.

Quis intestatus, & quot, & qui possint ejus bonis succedere.

INtestatus est ille, qui hæreditatem relinquens, *aut omnino non fecit testamentum, aut non jure fecit, aut quod fecerat, ruptum irri-*

irritumque factum est, aut si ex eo nemo hæres existit. Ita Justinian. lib. 3. Inst. tit. 1.

Sic Titius habens bona temporalia, non cogitat de condendo testamento, & moritur nullo facto testamento; vel facit testamentum sine debitis solemnitatibus juris; aut faciens testamentum cum solemnitatibus juris, reticet posthumum, qui ei annascitur; vel demum hæres designatus recusat hæreditatem. In his singulis casibus Titius dicitur mori intestatus.

Homini intestato succedere possunt. 1. Descendentes. 2. Ascendentes. 3. Collaterales. 4. Maritus, vel uxor. 5. Fiscus. Descendentes sunt hi, qui a nobis ortum ducunt. Ascendentes vero hi, a quibus nos ortum ducimus. Collaterales sunt hi, qui sicut & nos ex eodem sanguine orti sunt. Uxor & maritus sunt hi, qui matrimonio conjunguntur. Fiscus est aut Respublica, aut Regnum, in quo decedit intestatus.

§. II.

Qui & quot descendentes.

Descendentes sunt hi, qui a nobis vel immediate, vel mediate ortum ducunt. Et hi sunt 1. Liberi. 2. Nepotes & neptes. 3. Pronepotes & proneptes. 4. Abnepotes & abneptes. 5. Adnepotes & adneptes. 6. Trinepotes & trineptes.

Liberi, alii sunt naturales solum, alii legitimi solum, alii naturales simul & legitimi, alii legitimati, ut dicunt.

Liberi naturales solum sunt hi, qui ex illegitimo concubitu nati sunt, qui nascuntur ex coitu meretricio, vel incestuoso. Qui nascuntur ex coitu meretricio, idest, ex ea femina, cum qua iniri poterat conjugium, possunt fieri legitimi. Qui nascuntur ex coitu incestuoso, idest ex ea femina, cum qua iniri nequit conjugium, nequeunt fieri legitimi.

Liberi legitimi solum sunt hi, qui nobis sunt filii via legis, scilicet per adoptionem.

Liberi naturales simul & legitimi sunt hi, qui oriuntur a nobis ex legitimis nuptiis.

Liberi naturales legitimati sunt hi, qui orti ex illegitimo, sed non incestuoso concubitu, fiunt legitimi vel per rescriptum Principis, vel per sequens matrimonium initum cum ea, cum qua habitus fuit illicitus concubitus.

§. III.

Qui & quot ascendentes.

Ascendentes sunt hi, a quibus vel immediate, vel mediate ortum ducimus. Et sunt 1. Pater & mater. 2. Avus & avia. 3. Proavus & proavia. 4. Abavus & abavia. 5. Atavus & atavia. 6. Tritavus & tritavia.

Parentes alii sunt naturales solum, alii legitimi solum, alii naturales simul & legitimi, alii legitimati, ut diximus de liberis; eodem enim modo de parentibus ratiocinandum, quo de filiis.

§. IV.

Qui & quot collaterales.

Collaterales sunt hi, qui ex eodem sanguine, ex quo & nos, orti sunt; vel qui ex eodem sanguine oriuntur, ex quo ascendentes nostri nati sunt.

Sic considerando rem descendendo, collaterales sunt 1. Fratres & sorores. 2. Fratrum & sororum filii. 3. Fratrum & sororum nepotes & neptes. 4. Fratrum & sororum pronepotes & proneptes. 5. Fratrum & sororum abnepotes & abneptes.

Sic considerando rem ascendendo, collaterales sunt. 1. Fratres & sorores tum patris & matris meæ, eorumque filii & filiæ, nepotes & neptes, pronepotes & proneptes, abnepotes & abneptes. 2. Fratres & sorores tum avi, tum aviæ, eorumque filii & filiæ, nepotes & neptes, pronepotes & proneptes. 3. Fratres & sorores tum proavi, tum proaviæ, eorumque filii & filiæ. 4. Fratres & sorores atavi & ataviæ.

§. V.

Quid sit in stirpes & in capita succedere.

Successio fit in capita, quando tot partes fiunt hæreditatis, quot sunt capita succedentium, v. g. tot fiunt partes, quot sunt capita filiorum.

Successio fit in stirpes, quando tot fiunt partes hæreditatis, quot sunt capita; & cujuslibet capitis portio dividitur his, qui caput illud repræsentant: v.g. Titius habens duos filios moritur intestatus, alter ex illis filiis moritur relinquens quatuor filios, qui sunt nepotes Titii. Tota hæreditas Titii dividetur in duas

partes æquales; una dabitur filio Titii superstiti; & altera pars dividetur æqualiter quatuor nepotibus: filius succedet in capita, nepotes vero in stirpes.

§. VI.

In quot partes solet dividi hæreditas.

Hæreditas solet dividi in duodecim partes, sicuti *as* dividitur in duodecim denarios. Juristæ solent diversas hæreditatis portiones hoc modo exprimere. *As*, seu qui est hæres ex *asse*, succedit duodecim partibus, seu toti hæreditati. *Deunx*, undecim. *Dextans*, decem. *Dodrans*, novem. *Bes*, octo. *Septunx*, septem. *Quincunx*, quinque. *Triens*, quatuor. *Quadrans*, tribus. *Sextans*, duabus. *Uncia*, uni tantum parti ex duodecim.

ARTICULUS II.

Quis sit ordo successionis ab intestato ex Novella Imperatoris.

§. I.

Quo ordine succedant descendentes.

Regula prima. Si qui decedit intestatus, relinquat solum liberos ex justis nuptiis procreatos, hi omnes liberi sive mares, sive fæminæ ex æquo succedunt, sive in singulos æqualiter dividitur hæreditas: liberi in capita, istorum vero filii in stirpes succedent. Ita Novell. 118. c. 1.

Regula secunda. Si qui decedit intestatus, relinquat solum filios legitimos, sed diversimode legitimatos, isthæc observanda sunt.

Filii legitimati per sequens matrimonium, sive nati ex eadem, sive ex alia matre, una cum filiis naturalibus & legitimis æqualiter succedunt & in allodialibus, & in feudalibus. Novell.89.c.8.

Filii naturales legitimati per rescriptum Principis tantum succedunt patri, nullis extantibus liberis naturalibus & legitimis simul non tamen in feudo, nisi id in rescripto contineatur.

De filiis legitimis per adoptionem, aut legitimatis per oblationem curiæ nihil dico; eorum enim notitia parum inservit in praxi pro casibus conscientiæ.

Regula tertia. Si qui decedit intestatus, relinquat filios naturales non legitimatos, hæc observanda sunt.

Filii incestuosi, idest, nati ex ea, cum qua iniri nequit matrimonium, nec succedunt, nec eis jure civili alimenta debentur. *Authentica ex complexu. C. de incestuosis nuptiis*; sed Jure Canonico ab hæreditate repelluntur, & eis providetur nutrimentum. Et merito quoad hoc jus civile per Canonicum corrigitur: *Naturalia enim jura*, inquit Justinianus, *civilis ratio perimere non potest*. Lib.3. tit.1.§.11.

Filii naturales tantum, non extantibus filiis legitimis, vel legitima uxore, succedunt in duabus unciis una cum matre dividendis. In reliquis partibus succedunt proxime cognati. Novell.89.

Filii naturales tantum, extantibus filiis legitimis, vel uxore legitima, non succedunt; alendi tamen sunt boni viri arbitrio: ita Novell.29. c.12. matri tamen una cum filiis legitimis succedunt.

§. II.

Quo ordine succedant ascendentes.

Regula prima. Si qui decedit intestatus, non relinquat neque descendentes, neque collaterales, idest, neque liberos, neque fratres vel sorores, ascendentes proximiores succedunt: v. g. pater & mater succedunt æqualiter, & quidem in capita; sicuti liberi tam masculi, quam fæminæ succedunt æqualiter in capita: deficiente patre, succedunt avus & avia ex parte patris; & deficiente matre, succedunt avus & avia ex parte matris, sed in stirpes.

Regula secunda. Si, qui decedit intestatus, non relinquat liberos, sed superstites relinquat ascendentes, v.g. patrem & matrem, & collaterales, v.g. fratres & sorores, aut eorum filios; fratres & sorores una cum ascendentibus proximioribus succedunt, nepotibus ulterioribus exclusis.

Regula tertia. Si qui decedit intestatus, non habeat parentes legitimos, sed solum naturales, non extantibus ei liberis & collateralibus, eo modo ei succedunt ascendentes naturales, quo ipse eis succederet.

§. III.

Quo ordine succedunt collaterales.

Regula prima. Si qui moritur intestatus, non relinquat ascendentes, vel descendentes, sed solum fratres aut sorores naturales, vel legitimos, vel legitimatos, vel mortuorum fratrum & sororum filios; & fratres & sorores viventes, & demortuorum fratrum

& so-

& sororum filii, succedunt æqualiter: sed fratres & sorores viventes succedunt in capita; filii vero demortuorum fratrum vel sororum in stirpes succedunt.

Regula secunda. Si qui moritur intestatus, non relinquat neque ascendentes, neque descendentes, neque fratres & sorores, neque fratrum aut sororum liberos; cognati ulterioris gradus, ex sola gradus prærogativa, succedunt in capita.

§. IV.

Quo ordine succedat maritus, & uxor, & fiscus.

Regula unica. Si qui decedit intestatus, non relinquat neque ascendentes, neque descendentes, neque collaterales usque ad decimum gradum, marito succedit uxor, & maritus uxori. Et si qui decedit intestatus, non relinquat nec vir uxorem, nec uxor virum, succedit fiscus.

§. V.

De formula Testamenti publici a Parocho aut ejus Vicario conscribendi.

Quoniam sæpissime contingit, ut Parochi præcipue rurales, eorumque Vicarii cogantur conficere testamenta propter defectum Notariorum; hoc enim eis licet in tali casu per edictum Regium Henrici III. Blesiis datum anno 1579. art. 63. ne errent in hujusmodi confectione testamentorum; ideo placuit hic inserere subjectam formulam.

Formula Testamenti, quod a Curato, vel ejus Vicario excipi potest.

In Dei Nomine hodie &c. in loco &c. ante vel post meridiem coram me NN. Presbytero, & Curato, vel Vicario Parœciæ &c. constitutus fuit NN incola hujus &c. qui in lectulo in tali domus suæ cubiculo ægrotans quidem corpore, sed mente sanus, judicio, & memoria valens, videns, audiens, cognoscens, & loquens, considerans nihil quidem morte certius esse, hujus autem hora nihil incertius, ad prævertendas lites, quæ post decessum suum possent suboriri, facit, vimque habere jubet præsens hoc suum testamentum, ut sequitur. Primum dictus NN. Testator se ipsum signo Crucis signans veniam a Deo deprecatus est, & Sanctos, Sanctasque Aulæ Cælestis obtestatus, ut pro se velint intercedere; dixit se in Parœciæ N. Cæmeterio velle tumulari. &c. Quod spectat ad honores funeris, hujus arbitrium hæredi suo, inferius appellando, relinquit; quoad vero preces pro se effundendas jubet tot &c. Sacrificia celebrari. Donat, & legat NN. summam NN. solvendam &c. qua in re hunc facit instituitque hæredem suum particularem, ita tamen ut velit, eum nihil præterea ex bonis suis petere, & exquirere &c. In omnibus autem, singulisque mobilibus, immobilibusque bonis suis, nominibus, juribus, vocibus, actionibus præsentibus, atque futuris idem NN. Testator fecit, & instituit, ac ore proprio nominavit generalem, universalemque hæredem NN. ut utatur, fruatur, atque disponat tum in vita, cum in morte de universis dicti Testatoris bonis, & hæreditate, prout ipsi visum fuerit, atque placuerit, post obitum ipsius Testatoris, qui dixit, declaravitque superius dicta solam esse, extremamque voluntatem suam, quam vult, ac jubet valere in formam Testamenti, Codicilli, Donationis, & alterius cujuspiam dispositionis mortis causa, eo meliori modo, quo secundum jura valere poterit, delens, revocans, & antiquans alia quæcumque Testamenta, Codicilla, & Donationes mortis causa, quæ antea fecisse potuit, atque explicite omnia legata pia, fundationes, & clausulas derogatorias, quæ in dictis dispositionibus possent contineri, & quas in præsenti exprimeret, si meminisset: volens, atque intelligens præsens hoc esse solum, extremum, validumque suum Testamentum, de quo dictus Testator rogavit tum Testes inferius nominandos ab illo satis cognitos, & quos ipse jussit accersiri, ut hujus acti meminisse velint, tum ipsum me Curatum, *aut* Vicarium, ut illud excipere vellem propter absentiam NN. loci hujus Notarii, *vel* quod hoc in loco nullus adest Notarius: quod egi, recitavi, atque transegi in ejusdem Testatoris domo coram NN., & NN. &c. die, & anno quibus supra.

Qui talia conficiunt testamenta, monendi sunt, 1. Quod debeant adhibere testes septem, qui sciant & possint, quantum fieri poterit, consignare instrumentum, aut saltem debet fieri mentio de causa, propter quam non consignarint, de hoc requisiti. Idem dici debet de Testatore, qui etiam, si fieri potest, debet consignare, aut saltem debet fieri mentio de causa, propter quam non consignavit, de hoc requisitus. 2. Debent observare, quod ipsi non possunt institui hæredes, aut legatarii in eo testamento, quod conficiunt. 3. Debent facere in testamento mentionem de omnibus

filiis & filiabus, etiam posthumis aut posthumabus testatoris, alioquin testamentum nullum esset; aut si desint, debent nominare patrem & matrem, & alios ascendentes & descendentes in linea recta. Quod si Testator exhæredaret quemquam illorum, deberet fieri mentio de causa, ob quam hoc facit. 4. Debent quamprimum hujusmodi testamentum sic confectum tradere alicui ex Notariis publicis, qui illud transcribet in suo chartulario, ut qui indigebunt tali testamento, possint ad illud recurrere.

§. VI.

De formula Testamenti clausi.

Cum possit etiam plerumque fieri, quod iidem Parochi aut eorum Vicarii rogentur aliquando ab iis, qui suam in ipsis collocant fiduciam, ut velint sibi testamentum, quod vocant clausum, conficere, suasque ultimas voluntates in scriptis redigere, operæ pretium visum est etiam hujusmodi testamenti formulam hic subjicere, ne quis in re tanti momenti propter suam imprudentiam aut decipiat alios, aut ipse decipiatur.

Formula Testamenti clausi.

Ego infrascriptus NN. talis conditionis habitans in &c. perfecta corporis valetudine, ac mentis sanitate, *vel* æger corpore, *prout res tulerit*, sensibus omnibus, judicio atque memoria valens, videns, audiens, cognoscens, & loquens ad prævertendas lites, quæ bonorum meorum causa post obitum meum suboriri possent, testamentum meum feci, ut sequitur. Primum me ipsum signo Crucis signavi, a Deo veniam deprecatus sum, Sanctos Sanctasque oravi, ut pro me velint intercedere. Volo humari corpus meum, &c. arbitrio hæredis mei infra nominandi permittens quidquid in funeris honorem pertinet, atque præcipiens ut pro requie animæ meæ tot celebrentur Sacrificia &c. Dono, lego NN. &c. atque in omnibus, singulisque bonis meis mobilibus & immobilibus nominibus, juribus, vocibus, actionibusque cum præsentibus tum futuris facio, instituo, & nomino generalem, atque universalem hæredem meum NN. ut illis utatur, de illis faciat, atque disponat post obitum meum quodcumque ipsi visum fuerit, atque placuerit tam in vita, quam in morte. Et hæc est extrema voluntas mea, quam valere volo in formam testamenti, Codicilli, Donationis, aliorumque dispositionum mortis causa eo meliori modo, quo secundum jura valere poterit, antiquans, revocans, & abrogans alia omnia Testamenta, Codicilla, Donationes, aliasque dispositiones causa mortis, quas antehac fecisse potui; atque explicite omnia legata pia, fundationes, & clausulas derogatorias, quæ illic possent contineri, & quas modo, si meminissem, exprimerem; volens, atque jubens præsens hoc esse solum, extremum, validumque testamentum meum, quod propria manu scripsi, *vel* quod manu amica, fidelique scribendum curavi. Quod postquam legi relegique de verbo ad verbum, cum illud voluntati meæ conforme deprehenderim, in extrema qualibet pagina, nec non in fine totius dicti Testamenti signavi. Factum in loco tali &c. tali die &c.

Supra formulam superius scriptam isthæc observanda veniunt. 1 Necessarium est, ut testamentum clausum valeat, quod Testator sciat legere & scribere, quod ipsum scribat, & consignet suo chirographo omnes ejus paginas; aut si fecerit scribi per manum sibi fidelem, ipse saltem consignet omnes paginas, & sua propria manu conclusionem testamenti scribat, in qua mentionem faciat, quod ipse fecerit scribi testamentum per manum sibi fidelem. 2. Hujusmodi testamentum, sic scriptum, & exacte obseratum, debet superscribi per Notarium publicum, aut saltem defectu Notarii per Parochum, aut ejus Vicarium, si hæc superscriptio fiat in extremo vitæ periculo, & in ea superscriptione debent observari eædem solemnitates, quæ servantur in testamentis publicis conficiendis, & adhibendi testes septem sicut in illis. 3. In isto testamenta, sicut & in publico, omnes filii & filiæ Testatoris nominandi sunt, & iis deficientibus nominandi sunt omnes ascendentes & descendentes in linea recta. 4. Ille, cujus manu utitur Testator ad scribendum testamentum, non potest esse hæres, nec legatarius, sicuti nec ipsius frater aut soror, nec pater aut mater. Quod si ille, qui scripsit testamentum, sit Religiosus, tunc nec ipsa Religio, nec ullus privatus ejusdem Religionis, potest esse hæres, aut legatarius in illo testamento.

TRACTATUS DECIMUS SEXTUS.

De variis speciebus injustæ acceptionis vel detentionis boni alieni.

SI attendamus modum accipiendi vel detinendi injuste rem proximi, duæ sunt genera-

nerales species injustæ acceptionis & detentionis, scilicet, furtum & rapina. Per furtum res proximi occulte accipitur vel detinetur. Per rapinam res proximi palam & renitente domino violenter eripitur.

Si attendamus rem alienam, quæ accipitur vel detinetur injuste, quatuor sunt species injustæ acceptionis, scilicet, peculatus, abigatus, plagiatus, & sacrilegium.

CAPUT I.

De Furto.

NOta. Furtum est occulta & injusta ablatio vel detentio rei alienæ invito rationabiliter domino. Variæ sunt species furti.

1. Furtum simplex est actus, quo quidpiam alicui privato clanculum subripitur.

2. Peculatus est actus, quo quis ex publicis pecuniis intervertit aliquid aut usurpat.

3. Abigatus est actus, quo, non res inanimes, sed pecora e locis, in quibus pascunt, abiguntur & rapiuntur.

4. Plagium est actus, quo non res vel pecora, sed homo, sive servus, sive liber, abducitur.

5. Sacrilegium est actus, quo vel sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro aufertur. Sacra res dicitur ea, quæ cultui divino mancipatur, ut Ecclesia, vel res Ecclesiæ.

ARTICULUS I.

Quod & quale peccatum sit furtum.

PRop. unica. Furtum est peccatum ex suo genere mortale.

Et ita peccat mortaliter quicumque privata authoritate aufert bonum alienum invito rationabiliter domino, si rem auferat deliberate, & res ablata sit notabilis.

Prob. 1. Scriptura. *Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ; quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur, & omnis jurans similiter judicabitur.* Zachariæ 5. Paulus vero ait: *neque fures, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* 1. ad Corinth. 6. Ergo cum furtum mereatur Dei maledictionem, & excludat a Regno Cælorum, est peccatum mortale.

2. Furtum in omni lege tamquam grave peccatum prohibetur, ut patet inductive; nam in lege naturali sola instigante conscientia Jacob vult furtum morte puniri; ita enim Laban alloquitur: *Quod autem furti me arguis, apud quemcumque inveneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris.* Gen. 31. Fratres Joseph eidem pœnæ se addicunt. *Apud quemcumque*, inquiunt, *fuerit inventum servorum tuorum quod quæris, moriatur.* Genes. 44. In lege Mosaica dicitur: *Non furtum facies.* Jus civile fures pœnis corporalibus addicit. Jus Canonicum Epist. ad Amphilochium Canone 61. fures a communione per longum tempus excludebat: Ergo cum furtum tam gravibus pœnis subjiciatur, debet esse ex suo genere mortale peccatum.

3. Furtum est contrarium justitiæ, quæ suum unicuique tribuit: ergo cum justitia sit virtus ad salutem necessaria, furtum contrarium justitiæ debet esse peccatum mortale.

Hinc patet, enumeratas omnes species furti in materia gravi, & cum plena deliberatione, esse peccata mortalia.

Consectaria hujus Doctrinæ.

De speciebus Furti.

Consect. 1. Furtum simplex est peccatum mortale: de quo ita Abacuc cap. 2. *Væ qui multiplicat non sua, usquequo & aggravat contra se densum lutum:* innuens quod sicut homo infixus luto emergere non potest; ita fur ex peccato suo vix potest emergere.

Consect. 2. Peculatus est peccatum mortale: de quo ita Joannes apud Lucam 3. *Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis.*

Consect. 3. Abigatus, de quo titul. 47. digest. est etiam peccatum mortale.

Consect. 4. Plagium est peccatum mortale: de quo Exod. 21. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ, morte moriatur.*

Consect. 5. Sacrilegium est etiam peccatum mortale, de quo ita Josue loquens de sacrilegio Achan: *Anathema in medio tui Israel, non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui hoc contaminatus est scelere.* Josue 7.

ARTICULUS II.

In quo percurruntur varii casus, in quibus furtum committitur.

§. I.

De furtis commissis ab extraneis omnino.

COnsect. Peccant peccato furti hi, quos hic subjicio.

1. Pauperes, qui aliquid subripiunt diviti-

tibus, quamvis divites ob rem subtractam grave non ferant incommodum. Catechismus Trid.

2. Pauperes, qui furantur vel in gravi, vel in levi necessitate; quia debent potius pati illam necessitatem quam furari: non peccant tamen, si in extrema necessitate sumant quod est ad vitam necessarium. Sic enim discipulos suos colligentes spicas, quibus nutrirentur, excusat Christus. Utrumque docuit Innocentius X. damnando sequentem propositionem: *Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*.

3. Pauperes, qui extra necessitatem extremam ligna cædunt, vel cæsa auferunt, vel pecora in alieno fundo contra voluntatem domini nutriunt.

4. Qui exiguis furtis deveniunt ad quantitatem notabilem: v. g. sartores particulas panni a diversis subripientes; textores particulas fili a diversis furantes; molitores a diversis exiguam quantitatem grani auferentes; mercatores utentes falsis ponderibus, mensuris, & ulnis; venditores, qui rem venalem tantisper labefactant: quia hi omnes nocumentum ingens afferunt Reipublicæ, & ingens emolumentum acquirunt, quod retinere nequeunt absque peccato mortali. Ita Innocen. XI. damnando istam propositionem: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantacumque sit & magna summa totalis*.

5. Demum qui furantur aliquid quantumvis exiguum cum ea intentione, ut ad summam aliquam ingentem perveniant; licet talem summam non acquirant; quia intentio illa prava facit, quod furtum, quod erat veniale, fit mortale.

§. II.

De furtis uxorum erga maritos, & maritorum erga uxores.

Confect. 1. Peccant uxores peccato furti, quando auferunt bona mariti; quia auferunt ea, circa quæ non habent dominium. Ita docet Aug. Epist. ad Ediciam: *Mulierem conjugatam non licet dicere, facio, quod volo de me, cum & ipsa non sit sua, sed capitis sui, hoc est viri*. Et non legitur Saram domesticis rebus tamquam dominam usam fuisse, sed e contra solitam fuisse Abraham dominum suum nuncupare.

Et ita peccat uxor subripiens aliquid de sua dote, vel de pretio, quod acquirit vulgari sua industria: subripiens pariter aliquid de re domestica, si subripiat, ut ludat, ut superbius, quam par est, vestiatur, ut reservet sibi post mortem mariti, ut vel parentibus vel pauperibus copiosius, quam par est, distribuat: & tenetur ea restituere & damnum illud reparare per bona dotis suæ post mortem mariti, vel per bona paraphernalia, si habeat: quod si non habeat bona paraphernalia, & marito non supervivat, tenetur petere a marito condonationem, si præsumat quod sit eam impetratura, vel defectum restitutionis per pœnitentiam compensare; cum enim uxor non sit domina prædictorum bonorum, verum furtum committit, cum ea usurpat.

Confect. 3. Peccant peccato furti mariti, qui bona, quæ sunt extra dotem, ab uxoribus auferunt, & ipsa dilapidant.

§. III.

De furtis filiorum familias erga patres, & patrum erga filios.

Confect. 4 Peccant peccato furti filii-familias, quando auferunt bona parentibus; quia auferunt ea, circa quæ non habent dominium. *Qui subtrahit aliquid a patre suo & a matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* Proverb. 8. quia scilicet gerens se quasi esset verus paternorum bonorum possessor, indicat satis manifeste se optare mortem patris. Reos veri furti censet Justinianus eos omnes filios, qui aliquid a patre invito subripiunt: ita enim habet lib. 2. instit. tit. 1. §. 13. *Hi*, inquit, *qui in parentum, vel dominorum potestate sunt, si rem eis subripiunt, furtum quidem faciunt, & res in furtivam causam cadit*. Et S. Antoninus parte 2. titulo 1. cap. 11. §. 1. *Si filius-familias abstulit aliquid de bonis parentum contra voluntatem eorum, furtum commisit; & si est quid notabile, mortale est .... & ad restitutionem tenetur cohæredibus, nisi pater dederit, vel cohæredes ipsos tantumdem subripuisse certo sciat.* Et ita furti reus est filius-familias, qui subripit patri aurum, argentum, frumentum, &c. ut ludat, ut epuletur, &c. Parentes peccant peccato furti, si filiis subripiant, aut labefactent quæ eis a jure conceduntur.

§. IV.

De furtis dominorum erga servos, & servorum erga dominos.

Confect. 5. Peccant peccato furti domini qui servis alimenta convenientia non præbent;

bent; dignus est enim operarius cibo suo: item si mercedem justam, dummodo fideliter famulati fuerint, non solvant; id enim stricte prohibet Deus: *Non morabitur*, inquit, *apud te opus mercenarii usque mane*: item etiam si ante elapsum terminum temere & sine causa e domo expellant: quo casu tenentur ad integram solutionem.

Consect. 6. Peccant peccato furti servi rapientes bona dominorum, aut non ea custodientes; quia non habent jus circa bona dominorum; & quia ex officio tenentur ea bona custodire, exemplo Jacob, qui die ac nocte vigilabat, ut oves Laban custodiret. *Die noctuque*, inquit, *aestu urebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis, sicque per viginti annos in domo tua servivi tibi*. Gen. 31. v. 4. Et ita peccant famuli, qui subripiunt panem, vinum, carnes, &c. ut epulentur lautius, ut dent parentibus suis, ut dent operariis, qui eos adjuvant, dum illi interim a labore debito quiescunt; ut dent sartoribus, sutoribus &c. quos talibus munusculis remunerant ob officia, quae ab eis accipiunt.

Item peccant peccato furti famuli, & ancillae, & opifices, qui facta conventione cum dominis suis, persuadentes sibi laborem suum ultra id, de quo conventum est, esse aestimandum, aliquid accipiunt compensationis nomine; stare enim debent initae conventioni: eis quippe reponi potest illud Evangelii: *Amice non facio tibi injuriam, nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum est, & vade*. Rem ita determinat Innocen. XI. damnando hanc propositionem: *Famuli & famulae possunt occulte heris suis subripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt*. Ob eamdem rationem filius nondum emancipatus, administrans bona parentis, non potest clam accipere idem salarium, quod pater dare cogeretur extraneo.

Peccant pariter peccato furti famuli, ancillae, & opifices, qui locantes operas suas non laborant juxta condictum; quia sicuti justitiam violat qui opus mercenariorum non remuneratur, juxta illud: *non remanebit apud te opus mercenarii usq; mane*; ita justitiam violant mercenarii, qui juxta condictum opus injunctum vel susceptum non perficiunt: jubet enim Paulus ad Ephes. 6. v. 6. ut sint *non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi facientes voluntatem Dei ex animo*.

Si famuli, si ancillae, si opifices sine magna difficultate restituere non possunt, jubeantur compensare officiis, & obsequiis extraordinariis, quantum possunt.

ARTICULUS III.

Quandonam ablatio rei alienae furtum dici non debeat.

PRop. unica. Furti reus haberi non potest qui rem exteriorem accipit iis in casibus, in quibus jus naturale vel positivum illud permittunt.

Prob. 1. Ut supra dictum est, homo est dominus rerum suarum dependenter a Republica: ergo hoc ipso quod quis accipit secundum jura, juste accipit: ergo non peccat: ergo furti reus haberi non potest. 2. Irrationalis est voluntas domini detinentis in his casibus, in quibus jus vel naturale vel positivum permittunt, ut auferatu[illegible] reus non est, qui tunc bonum alterius aufert.

Consectaria hujus Doctrinae.

Consect. 1. Furti rei non sunt qui alienum accipiunt ex justa causa. Sic qui hic subjiciuntur, sunt a crimine furti immunes. 1. Qui expresso Dei jussu aliquid auferunt; quia Deus est Dominus omnium: v. g. a furto excusantur Judaei jussu Dei sumentes spolia Ægyptiorum; tum quia Deus eis ea adjudicaverat, quod utique poterat vel ratione supremi dominii, quod habet supra omnia, vel ex justo judicio, quo voluit impios punire, auferendo eis bona, & ea Judaeis adjudicando, juxta illud: *Justi tulerunt spolia impiorum*. Sapient. 10. vel voluit laborem Judaeorum compensare, juxta illud: *Reddidit justis mercedem laborem suorum*. Sap. 10. v. 17. Si tamen Moyses sua sponte jussisset, aut Hebraei sua sponte fecissent, profecto peccassent, juxta Aug. 2. contra Faustum cap. 72.

2. Qui accipiunt aliquid authoritate Judicis. Ita D. Th. *Accipere rem alienam vel occulte, vel manifeste, authoritate Judicis hoc decernentis, non est furtum; quia jam fit sibi debitum per hoc, quod sententialiter sibi est adjudicatum*. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 1.

3. Qui accipit alienum, non contradicente domino, vel quia dominus sponte consentit, vel quia accipiens jocose accipit; furtum enim est ablatio rei alienae contradicente domino,

4. Qui accipit alienum etiam contradicente domino, si hoc fiat in bonum ipsius domini: v. g. qui aufert alicui pecunias, ne eas ludo dilapidet, abscondit librum haereticum, ne eum legat, aufert pugionem, ne se confodiat; tunc enim ablatio rei nociturae non est furtum, sed officium.

5. Qui

5. Qui accipit aliquid invito irrationabiliter domino; quia si dominus sine causa contradicat, non est furtum, sed debitum juste acceptum.

Sic non peccat uxor, si de bonis familiæ aliquid retineat, ut modeste se vestiat, ut moderatas det eleemosynas, ut rei domesticæ provideat, ut prodigo marito ansam ludendi subripiat; ita enim fecisse prudens Abigail legitur, cum Davidi occurrit cum muneribus.

Sic non peccant filii-familias, qui retinent aliquid ex familia, ut sibi suppeditent quæ sunt necessaria ad victum & vestitum.

Non peccant pariter famuli, si male nutriti accipiant quæ sunt absolute necessaria, ut nutriantur. Prædicta autem ita intelligenda sunt, ut hæc necessaria & petita fuerint, & injuste negata.

Consect. 2. Non peccant qui accipiunt aliquid ex justa compensatione, id est, certis conditionibus infra referendis circumscripta, tunc enim non fit injuria debitori, cum teneatur ex justitia dare quod ei aufertur; non fit injuria Judici, cum supponatur vel nolle, vel non posse rem vero domino adjudicare. Justam illam compensationem ita exprimit Cajetanus. *In casu, quo quis non potest juris via rem suam recuperare, aut propter paupertatem egentis, aut propter dignitatem detinentis, aut propter defectum judicis, vel probationum, aut propter scandalum, & absque scandalo potest quis secreto rem suam recuperare, non creditur reus furti, quia tunc non proprie jus sibi ipsi dicit, sed jus naturale circa rem suam exequitur, ex quo per jus civile illam recuperare prohibetur: tenetur tamen efficere, ut qui detinebat, sciat se non teneri ad illius restitutionem, ne si ad pœnitentiam conversus fuerit, damnum incurrat ipse, aut ejus hæres, restituendo.*

Idem videtur docere cap. *bona fides*, de deposito, ubi vetatur compensationem fieri in deposito. *Licet*, inquit, *compensatio admittatur in aliis contractibus, si causa, ex qua postuletur, sit liquida.*

Ut autem compensatio illa sit licita, sequentes requiruntur conditiones. 1. Ut debita sint paria; ideo debita incerta non possunt compensari cum certis. 2. Ut compensatio non fiat cum deposito; quia, ut ait Gregorius IX. *contra depositum non admittitur compensatio*. 3. Ut fiant in re ex justitia & non tantum ex gratitudine debita. 4. Ut in compensatione nihil supra debitum accipiatur. 5. Ut ad recuperandam rem suam non possit alia via adhiberi. 6. Ut absit scandalum, & scandali periculum. Ita compensationem justam explicat Soto de justitia & jure lib. 5. q. 3. a. 5. ad 1. & & D. Antoninus 2. P. tit. 15. §. 2.

Sunt tamen qui contrarium tueantur. 1. Quia, ut ajunt, prætermittitur ordo juris, & peccatur contra justitiam legalem .... 2. Quia licet Jacob potuisset retinere idola Laban ad compensationem justam, tamen Laban exigenti idola respondit .... *Quid autem furti me arguis? Apud quem inveneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris*. Gen. 31. Ubi videtur insinuare, justam etiam compensationem furti speciem habere.

Monit. Quid in illa sententiarum varietate Confessarius in praxi observabit?

Si interrogetur, antequam facta sit compensatio. 1. Nunquam suadebit compensationem occultam propter periculum scandali. 2. Si interrogetur, an sit licita compensatio, respondebit, licitam esse juxta plures Theologos, modo observentur conditiones supra statutæ; juxta alios non esse licitam. 3. Si interrogetur postquam pœnitens propria authoritate compensatione usus est, examinabit, an occurrerint supradictæ conditiones, & an bona fide id pœnitens fecerit; si id bona fide fecerit, in hac hypothesi pœnitentem peccati non arguet, nec obligabit ad restitutionem, sed eum monebit periculi, cui se exposuit. Si vero reperiat requisitas conditiones non fuisse observatas, si pœnitens peccaverit contra justitiam commutativam, v. g. si pœnitens usus esset compensatione circa rem non debitam titulo justitiæ, eum peccati arguet, obligabitque ad restitutionem, cum non suum, sed alienum acceperit. Si vero pœnitens peccaverit solum contra justitiam legalem, eum peccati arguet, sed ad restitutionem non obligabit, cum non alienum, sed suum acceperit.

ARTICULUS IV.

De rapina.

RApina est aperta & injusta ablatio rei alienæ, invito rationaliter domino, & est peccatum mortale.

Prop. unica. Peccant mortaliter quicumque palam auferunt bonum alienum, invito rationaliter domino, & longe gravius, quam qui furatur: ideo est circumstantia mutans speciem, aperienda in confessione.

Prob. 1. Ex Scriptura. Micheæ c. 2. *Væ qui cogitatis inutile .... Concupierunt agros, & violenter tulerunt, & rapuerunt domos, & calumniabantur virum, & domum ejus, virum & hæreditatem ejus. Idcirco hæc dicit Dominus: ecce ego*

cogito super familiam istam malum. Quæ omnia denotant rapinam esse peccatum mortale: ergo est peccatum mortale. 2. Exemplo Achab rapientis violenter vineam Naboth. 3. Reg. cap. 21. cui crimen istud rapinæ ita exprobravit Elias: *Hæc dicit Dominus: occidisti, insuper & possedisti*. 3. Ratione. Per rapinam palam & violenter mihi bonum attribuo: quatenus mihi alienum attribuo, pecco contra justitiam: quatenus utor violentia, addo circumstantiam transferentem furtum ad speciem rapinæ: ergo rapina est peccatum mortale: ergo rei sunt peccati mortalis, qui hic subjiciuntur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Rapaces sunt qui injusta imponunt tributa, contra quos ita loquitur Micheas c. 3. *Audite Principes Jacob & duces domus Israel... Qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorum desuper ossibus eorum. Qui comederunt carnem populi mei & pellem eorum desuper excoriaverunt, & ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ*. Et ita rapaces sunt Principes, qui contra jus aliquid auferunt a subditis: ita D. Th. 2.2 q. 66. a. 8. ad 3. *Si vero aliquid Principes indebite extorqueant per violentiam, rapina est, sicut & latrocinium*; ideo ait Aug. lib. 4. de civit. Dei c. 4. *Remota justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? quia latrocinia quid sunt, nisi parva regna?* Et Ezechielis 22. *Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam*. Unde ad restitutionem tenentur, sicut & latrones; & tanto gravius peccant, quam latrones, quanto periculosius & communius contra publicam justitiam agunt, cujus custodes sunt positi.

Consect. 2. Rapaces sunt qui Regibus & thesauri ærarii custodibus injusta tributa, & injustas leges suadent: de quibus ita Salvianus lib. 5. be gubernatione Dei. *Decernunt potentes, quod solvant pauperes: decernit gratia divitum, quod pendat turba miserorum: ipsi in nullo sentiunt quod decernunt:* de quibus ita Raymundus lib. 2. ritulo de raptoribus. *Si aliqui damnificati sunt occasione talis legis vel statuti, tenentur conditores & eorum hæredes ad restitutionem: tenentur etiam in solidum, qui induxerunt Principes ad condendum tales leges. Item omnes observatores peccaverunt mortaliter, & tenentur ad restitutionem eorum, quæ talium legum occasione lucrati sunt.*

Consect. 3. Item rapaces sunt qui in comitiis vel præsidentes, vel suffragium ferentes, imponunt vectigalia ultra Regis petitum & Regni necessitatem, ut ditiores fiant: de quibus ita Salvianus ibid. *Exactionis publicæ nomen in quæstus proprii emolumenta verterunt, & indictiones tributarias prædas suas esse fecerunt.*

Consect. 4. Rapaces pariter sunt qui in conventibus urbium imponunt onera ultra quam constitutum sit: e quibus idem dici potest, quod dictum est de aliis.

Consect. 5. Rei rapinæ sunt Publicani, qui aliquid extorquent ultra id, quod constitutum est contra illud Joannis Bapt. prædicantis in deserto: *Nihil amplius, quam constitutum est vobis, faciatis*. Quod peccatum adeo grave est, ut in jure civili in pœnam triplum debeat restitui. Lege *locatio* Digestorum 39. tit. 4. *Per vim vero extortum cum pœna tripli restituitur.*

Consect. 6. Rapaces sunt qui artem militarem exercentes, ultra præscriptum stipendium recipiunt, aut vi extorquent, contra illud Joannis Bapt. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris*. Et ita rapinæ rei sunt

Præfecti exercitus, qui stipendia subalternorum ducum retinent. Item duces subalterni, qui stipendia militum, aut equitum a Rege statuta vel minuunt, vel ex toto usurpant: qui completas legiones vel cohortes non habent, & tamen pro absentibus militibus contra vetitum Principis stipendia exigunt: quippe milites absentes per servos supplent.

Duces, qui a civibus exigunt aliquid, ut milites contineant, ut non transeant per loca a Rege præscripta. Item milites, qui ab hospitibus exigunt aliquid, ut tranquille vivant.

Omnes demum, sive præfecti, sive duces, sive milites, qui ultra Regis jussum, vel permissum bona vel Regni, vel hostium, v. g. fruges, domos, vineas dilapidant, comburunt, secus si illud faciant jussu Regis, cujus est examinare, an bellum sit justum vel injustum.

Consect. 7. Rapaces sunt qui sua abutentes dignitate, rem alienam auferunt, v. g. agros, vineas pauperum injustis titulis sibi appropriant: de quibus ita Scrip. Prover. 23. *Ne attingas parvulorum terminos, & agros pupillorum ne introeas: propinquus enim illorum fortis est, & ipse judicabit contra te causam illorum.*

Consect. 8. Rapinæ rei sunt qui cogunt pauperes etiam invitos, ut res suas vendant: de quibus ita Concilium Arelatenense 5. Canone 22. *Ne comites, vel Vicarii, seu judices, vel centena-*

tenarii sub mala occasione vel ingenio res pauperum emant, nec per vim tollant, aut quolibet argumento subripiant.

Consect. 9. Rapinæ crimen committunt potentes, qui a mercatoribus pretiosas emunt merces: postea pretium solvere negligunt, & interim mercatores ad inopiam aut cessionem bonorum adigunt: de quibus ita Psalmista: *Mutuabitur peccator, & non solvet.*

Consect. 10. Rapinæ crimen incurrunt iniqui Judices, qui pauperes, pupillos, & viduas oppressas a Magnatum tyrannide non eripiunt, cum possunt: de quibus ita Isaias 1. *Pupillo non judicant, causa viduæ non ingreditur ad illos.* Et Jeremias 5. *Numquid super his non visitabo? dicit* Dominus. Item judices, qui justum modum litigandi non admittunt, aut injustum non rejiciunt. Quis sit justus, quis injustus litigandi modus, paucis expressit Bernardus, loquens de appellatione lib. 3. de consideratione cap. 2. *Iniqua autem omnis appellatio, ad quam justitiæ inopia non cogit. Appellare, non ut graves, sed si graveris, licet.*

Consect. 11. In crimen rapinæ labuntur inique litigantes, quales sunt. 1. Divites, qui pauperes ad tribunal vocant, ut impediant, ne res suas valeant obtinere: quam violentiam ita insectatur Ecclesiastes. 5. *Si videris calumnias egenorum, & violenta judicia, & subverti justitiam in Provincia, non mireris super hoc negotio; quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alii, & insuper universæ terræ Rex imperat servienti.*

2. Pauperes, qui tempore famis, & sterilitatis mutuo accipiunt, & tempore messis & fœcunditatis persolvere renuunt, & creditores litibus instituendis & expensis faciendis exponunt.

3. Litigantes sive pauperes, sive divites, qui falsas expensas computant, fictas, ut vocant, præsentationes mentiuntur, aut unam præsentationem pluribus litibus accommodant, & multiplicem ejusdem præsentationis solutionem exigunt. De quo multo plura alibi, ubi de litibus.

4. Procuratores & Notarii, qui easdem falsas expensas scribunt, & solvendas curant.

Consect. 12. Rapaces sunt adulterantes monetas; quia est quædam necessitas utendi monetis. Falsitas in monetis potest contingere tripliciter.

1. In metallo, quando falsum metallum pro vero apponitur, v. g. auricalcum pro auro, stannum pro argento.

2. In pondere, quando non ponitur in moneta pondus metalli sufficiens ad valorem, quem debet habere moneta.

3. In figura & charactere, quando character Regius fingitur. Vitium illud ita execratur Ecclesia, ut illius criminis conscios excommunicatione percutiat „ Quicumque monetam falsam scienter fecerit, aut studiose expenderit, tamquam maledictus, & pauperum virorum oppressor, & civitatis turbator a fidelium communione separetur.“ Conc. Later. I. sub Calixt. II. can. 15.

Imo si quis adulterinam monetam habeat, quamvis eam ignoranter receperit, non potest ea uti, nec aliis eam tradere, etsi deceptus non potest alios decipere. Ita Synodus Turonens. can. 8. tit. 59. *Pecuniam si quis adulterinam aut minus probatam receperit, quamvis ignoranter, authorque sibi sit incognitus, alteri tradere non præsumat, cum id fieri nequeat sine specie mali.*

ARTICULUS III.

De furto sacrilego.

NOta. Furtum sacrilegum est illud, quo aliquid sacrum injuste accipitur, vel retinetur, vel quo aliquid profanum in loco sacro injuste accipitur.

Prop. unica. Furtum sacrilegum est peccatum mortale longe gravius, quam furtum vel rapina.

Prob. rat. Per furtum sacrilegum violatur justitia, & insuper Religio offenditur: ergo furtum sacrilegum est peccatum mortale longe gravius, quam simplex furtum & rapina, cum duplicem virtutem lædat; minime vero furtum & rapina.

2. Ex Concilio Troslejano can. 14. contra sacrilegos: *Sit eis clausa porta cæli, aperta janua inferni, cum nullo Christiano partem habeant omnino vel societatem: sed & de reliquiis ciborum illorum nihil detur pauperibus, quin potius projiciatur canibus, donec per dignam & humilem pœnitentiam, & congruam emendationem lætificent Ecclesiam, quam per sacrilegia & nefanda scelera exacerbaverunt:* ergo cum tam ingentes nec furto nec rapinæ destinentur pœnæ, furtum sacrilegum est peccatum mortale gravius furto & rapina.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui vasa Deo sacra, v. g. calices, patenas, sindones subripiunt, sunt rei furti & sacrilegii. Quam grave sit illud pecca-

catum, patet exemplo Acham, qui jussu Josue lapidatus fuit, eo quod ex anathemate Jerico aliquid subripuisset. Josue 2.

Consect. 2. Rei pariter sunt furti & sacrilegii, qui res ad Ecclesiam pertinentes, v. g. agros, vineas, domos, jurisdictiones, census, decimas, oblationes, legata pia sibi appropriant, aut quocumque modo lædunt aut minuunt: de quibus ita Troslejanum Concilium Can. 4. *Res & facultates Ecclesiæ sunt vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum: si quis illa rapuerit, damnationis Ananiæ & Saphiræ particeps erit; & oportet tradere hujusmodi Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.*

Consect. 3. Rei sunt furti & sacrilegii, qui paupertatem professi, aliquid ex bonis toti suæ societati communibus subripiunt; quia agunt contra justitiam subripiendo, & contra votum, vitium proprietatis committendo. Ita docet Aug. in regula ad servos Dei & in regula Monachorum.

Consect. 4. Rei sunt furti & sacrilegii juxta Magistrum, juxta Antoninum, & juxta Suarez, qui aliquid non sacrum in loco sacro furantur. Sunt rei furti, quatenus accipiunt alienum: sunt rei sacrilegii, quatenus violant immunitatem loci sacri, in quo res omnis sive sacra sive profana debet esse in tuto posita.

TRACTATUS DECIMUS SEPTIMUS

De Restitutione.

PROOEMIUM.

QUÆ in hoc tractatu dicturi sumus, ad septem capita reduci possunt. 1. Agetur de his, quæ requiruntur, ut quis obligetur ad restitutionem, vel ut ab ea eximatur. 2. Explicabitur, quinam sint illi, qui licet damnum proximo inferant, tamen ab omni restitutione dispensantur; & hoc, vel quia sine culpa nocent proximo, vel quia si nocent culpabiliter proximo, non violant justitiam commutativam. 3. Agetur de his, qui ob violatam justitiam commutativam per culpam vel theologicam, vel civilem obligantur ad restitutionem. 4. Inquiretur quinam sint illi, qui obligati ad restitutionem, possunt tamen absque peccato vel restitutionem omittere omnino, vel eam saltem ad aliquod tempus differre. 5. Explicabitur quæ sit materia restitutionis, seu quibus in rebus debeat fieri. 6. Determinabitur quantitas restitutionis, 7. Demum concludetur, quomodo fieri debeat restitutio.

CAPUT I.

Quæ requirantur, ut quis teneatur ad restitutionem, vel ut ab ea dispensetur.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit restitutio; & quotuplex sit proximi bonum, cui nocere possumus; & quotuplex sit culpa, qua nocemus proximo.

§. I.

Quid & quotuplex sit restitutio.

REstitutio *generatim* est redditio rei, quocumque modo res illa reddatur. Sic Medicus dicitur ægrotum restituere in pristinam sanitatem, quam amiserat. Sic amicus dicitur restituere suum amicum in dignitatem, ex qua deciderat. Restitutio stricte est actus justitiæ commutativæ, quo res aliena vero domino redditur, vel damnum illatum reparatur.

§. II.

De bonis variis, quæ homo possidet.

Homo possidet bona corporis, bona animæ, bona fortunæ, bona spiritualia. Bona corporis sunt ea, quibus anima unitur corpori. Hujusmodi sunt ea omnia, quæ spectant ad vitam corporalem, v. g. corpus cum suis membris, anima cum suis facultatibus naturalibus.

Proximo nocemus quoad bona corporis, verberando, mutilando, occidendo, incarcerando, animam male afficiendo: puta, si quis daret alteri potionem, qua aut in insaniam, aut in aliam mentis alienationem incideret.

Bona animæ sunt ea, quibus honor debitus, & bona fama apud homines conservatur. Hujusmodi sunt omnia, quæ ab bonum nomen conducunt.

Proximo nocemus quoad bona animæ, si contumeliis inhonoremus proximum, si detractione, aut calumnia famam illius minuamus.

Bona fortunæ sunt res omnes exteriores, quæ in commercio hominum habentur. Hujusmodi sunt res immobiles, ut fundus; res mobiles, ut supellectilia, &c.

Pro-

Proximo nocemus quoad bona fortunæ, si res illius mobiles, vel immobiles aut accipiamus, aut detineamus, aut damno aliquo minuamus.

Bona spiritualia sunt omnia dona supernaralia, quæ ad salutem conducunt. Hujusmodi sunt gratia, virtutes, Sacramenta, &c.

Proximo nocemus quoad bona spiritualia, si eum talibus bonis aut spoliemus, aut ne ea assequatur impediamus.

§. III.

De variis modis, quibus nocemus proximo.

Proximo nocere possumus quoad bona corporis, fortunæ, animæ, & salutis, vel *inculpabiliter*, vel *culpabiliter*.

Nocemus *inculpabiliter*, cum absque culpa ex parte nostri damnum aliquod contingit proximo, v. g. si amens incendat domum, vel sylvam proximi. *Culpabiliter* vero, cum ex culpa aliqua nocemus bonis proximi, v. g. si quis ex malitia mutilet proximum, auferatve illius bona, &c.

Proximo nocemus culpabiliter duplici modo: vel *culpabiliter civiliter*, vel *culpabiliter theologice*.

Proximo nocemus *culpabiliter civiliter*, cum ei nocemus per culpam jure civili reprobatam, etiam si aliquando simus innoxii coram Deo: tales sunt actiones noxales, quæ ex delicto aut quasi ex delicto per jus tantum civile reprobato nascuntur.

Proximo nocemus *culpabiliter theologice*, cum ei nocemus per culpam jure divino vel Ecclesiastico reprobatam: tales sunt omnes actiones proximo damnosæ, & divinæ legi contrariæ.

Proximo nocemus *culpabiliter theologice*, vel peccando contra *justitiam commutativam*, vel peccando contra *alias virtutes*.

Proximo nocemus peccando contra *justitiam commutativam*, quoties *volentes*, inquit D. Th. *inæquale*, idest iniquum, *inferimus contra jus alterius nolentis*. 2.2.q.59.a.1. uti fit, quando nocemus honori per contumeliam, famæ per detractionem, libertati per vim & metum, & fraudem, vitæ per occisionem, & mutilationem, bonis spiritualibus per scandalum, dando occasionem peccandi, bonis vero temporalibus per injustam aut acceptionem, aut detentionem, &c.

Proximo nocemus peccando contra *alias virtutes*, quoties violantes aliquam virtutem diversam a justitia commutativa, damnum aliquod inferimus proximo quoad bona vel corporis, vel animæ, vel fortunæ, vel salutis: v.g. quoties ex odio, ex invidia non succurrimus proximo: quoties ex ingratitudine accepta beneficia non compensamus, & malum e contra pro bono reddimus.

§. IV.

De multiplici culpa tam civili quam theologica, qua possumus nocere proximo.

Culpa generatim est defectus concomitans actionem humanam.

Culpa alia est Theologica, alia juridica, seu civilis.

Culpa *Theologica* est actus difformis legi, & peccatum, quo Deus offenditur.

Culpa *juridica* est omissio debitæ diligentiæ circa rem proximi: ex qua omissione sequitur damnum proximo, aliquando cum offensa Dei, aliquando sine offensa Dei.

Culpa juridica est triplex: *lata*, *levis*, & *levissima*.

Culpa *lata* est ea, quam regulariter omnes communiter vitant: qualis est culpa illius, qui extra domum librum sibi commodatum quasi pro derelicto expositum relinquit.

Culpa *levis* est ea, quam regulariter homines ejusdem professionis vitant: qualis est negligentia illius, qui librum sibi commodatum relinquit in suo cubiculo, ostio tamen aperto.

Culpa *levissima* est ea, quam homines diligentissimi vitare solent: talis est culpa illius, qui librum sibi commodatum relinquit in cubiculo, quod clavi obseravit, non tamen exacte observavit, an fores essent clausæ, illud iterum atque iterum manu tentans.

ARTICULUS II.

De bonis, quorum injusta ablatio inducit obligationem restitutionis,
sive
Quibus in rebus locum habeat restitutio.

PRop. unica. Restitutio locum habet primo in bonis fortunæ: secundo in bonis corporis: tertio in bonis externis, quæ in honore & fama constituunt: quarto demum in bonis spiritualibus, quæ ad pietatem pertinent. Seu, ut sit locus restitutioni faciendæ, præcessisse debuit læsio vel corporis, vel fortunæ, vel honoris & famæ, vel pietatis & gratiæ contra proximum nostrum.

Prob. 1. Ex Scriptura. Quoties Scriptura loquitur de peccatis, quæ obligant ad restitutionem, toties agit de his peccatis, quibus

bus nocetur proximo vel quoad corpus, vel quoad fortunam, vel quoad honorem & famam, vel quoad pietatem, ut patet hac inductione. Ut enim muniat vitam nostram corporalem ab omni nocumento, sic habet: *non occides*. Ut conservet corporalem integritatem, sic subjungit: *non mœchaberis*. Ut servet nobis famam intactam, hæc præcipit: *non loqueris contra proximum falsum testimonium*. Exod. 20. Ut vero bona spiritualia ad pietatem pertinentia tutetur, istud sæpissime inculcat: *non pones fratri tuo offendiculum*. Ergo ex Scriptura, ut sit locus restitutioni faciendæ, præcessisse debuit læsio vel corporis, vel fortunæ, vel honoris & famæ, vel pietatis & gratiæ contra proximum nostrum.

2. *Rat.* Restitutio potest dumtaxat locum habere post læsionem eorum bonorum, quæ nostra dici possunt; restitutio enim est redditio boni nostri, quodque nobis injuste ablatum est: atqui bona corporis, ut vita, & integritas corporalis; bona fortunæ, ut res mobiles, & immobiles; bona externa, ut honor & fama; bona spiritualia, ut pietas & gratia, nostra dici possunt, cum ad ea omnia jus aliquod habeamus: ergo ut sit locus restitutioni faciendæ, præcessisse debuit læsio vel corporis, vel fortunæ, vel honoris & famæ, vel pietatis & gratiæ contra proximum nostrum.

Consectaria bujus Doctrinæ.

Conf. 1. *De bonis corporis*. Injustus homicida, mutilator, percussor, tenentur damnum illatum congrua ratione compensare; bonum enim corporis auferunt injuste: nam licet homo ipse non sit dominus vitæ suæ, aut membrorum suorum, seu dominium illud ad Deum pertineat, jus tamen habet, ut ei nemo injuste in his noceat. Quapropter si quis ei quoad vitam noceat, tenetur ad aliquam compensationem & pro damno corporali, quod intulit, & pro damnis realibus ex damno personali sequentibus. Ita D.Th. *Quando*, inquit, *id quod est ablatum, non est restituibile per aliquid æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: puta, cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecunia, vel in honore aliquo, considerata conditione utriusque personæ, secundum arbitrium boni viri*. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1.

Consect. 2. *De bonis animæ*. Qui positive inhonorat aliquem, eum contumeliis afficiendo, vel aliquem privative inhonorat, denegando reverentiam debitam, tenetur restituere honorem debitum vel ab eo petendo veniam, si contumelia præcesserit, vel exhibendo reverentiam debitam, quam omisit; quia abstulit bonum animæ, nimirum honorem.

Item injustus detractor, vel calumniator, tenentur restituere; auferunt enim injuste proximo bonum animæ, nimirum famam, quæ longe præstat divitiis. *Melius est enim*, inquit Scriptura, *nomen bonum, quam divitiæ multæ*. Prov. 22. v. 1. Ergo si divitiæ injuste ablatæ sint restituendæ, multo magis honor & fama. Ut autem sit stricta obligatio restituendi famam, hæc quatuor juxta Sylvium requiruntur: quod quis famam vere abstulerit: quod abstulerit injuste: quod ea non sit recuperata: quod infamatus non cesserit juri suo, neque remiserit obligationem restituendi. in 2.2. q. 62. a. 2.

Conf. 3. *De bonis fortunæ*. Qui injuste accipit, vel injuste detinet bona fortunæ, tenetur ad restitutionem; injuste enim aufert proximo bona temporalia, quæ ad ipsum pertinent.

Consect. 4. *De bonis spiritualibus*. Qui vi, metu, fraude, dolo induxit alium ad peccandum, ad aliquam restitutionem obligatur; abstulit enim proximo bonum spirituale, scilicet gratiam; quia, ut optime ait D. Thom. *licet bona spiritualia ablata non sint proprie objectum restitutionis; quia nullus spiritualiter moritur, nisi propria voluntate peccando*; tamen, ut ait Sylvius, quando adhibitæ sunt fraudes, vis, aut metus, quæ sunt contra justitiam, tunc facienda est aliqua restitutio: damnum enim illatum proximo cum violatione justitiæ inducit obligationem restituendi. Restitutio autem fiet, si quibus potuerimus modis proximum a peccando retrahamus, eique bona spiritualia, quibus culpa nostra caruit, procuremus.

CAPUT II.

De iis, qui absolute excusantur ab omni restitutione coram Deo, licet inferant damnum proximo.

ARTICULUS I.

An absolute excusentur a restitutione hi, qui nocent proximo absque omni culpa etiam veniali.

PRop. unica. Illi omnes, qui nocent proximo absque culpa Theologica, seu peccato proprie dicto, excusantur ab omni restitutione coram Deo: a fortiori illi, qui nocent proximo juste, exequendo munus suum.

Prob. 1. Script. Num. 35. v. 22. ubi Deus loquendo de homicidio casuali & innoxie commisso, homicidam ad nullam restitutionem obligat; sic enim habet: *Quod si fortuito, & absque odio & inimicitiis quidquam horum fecerit*, idest, percusserit, vel occiderit proximum, *liberabitur innocens de ultoris manu*. Ergo si requiratur culpa, ut obligetur quis ad restitutionem pro homicidio, requiritur etiam, ut quis obligetur ad restitutionem pro alio damno illato.

2. Ex Greg. IX. *Si culpa tua*, inquit, *datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus forte opem tulisti, aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt; jure super his satisfacere te oportet; nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo verisimiliter injuriam posse contingere, vel jacturam. Secus est tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de contingentibus nihil omisit*. Cap. *Si culpa*. *De injuriis*. Ergo ubi nulla est culpa, ibi non est obligatio restitutionis, licet per accidens proximus damnum patiatur.

3. Ex D. Th. qui loquens de eo, qui habet rem alienam apud se depositam, ait: *Si ei subtrahatur res absque sua culpa, non tenetur ad restitutionem*. 2 2. q. 62. a. 6. in corp.

4. Rat. Obligatio restitutionis oritur vel ex re ipsa, quam quis habet aut in specie, aut in ejus lucro ex ea proveniente immediate, quo lucro factus est ditior; vel ex injuriosa actione, ut docet D. Th. 2. 2. qu. 62. art. 5. Ergo, qui damnum dedit absque omni culpa, nullatenus restituere tenetur; non quidem ratione rei, cum rem non habeat, nec lucrum a re immediate perceptum; non ratione actionis injuriosæ, quia, ut supponimus, nullam actionem injuriosam commisit: ergo nulla ex causa tenetur ad restitutionem qui absque omni culpa nocuit proximo. Restitutio, juxta multos, est quasi pœna peccati: ergo ubi nullum est peccatum, ibi non debet esse restitutionis obligatio; quia ubi non est culpa, ibi non debet esse pœna.

Ex quo sequitur, quod excusantur a restitutione omnes, qui hic subjiciuntur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. In quo explicatur, quod eximatur a restitutione ille, qui innoxie nocet proximo quoad bona corporis. Qui occidit, percutit, mutilat omnino involuntarie, v. g. qui occidit ductus amentia, abstractus phrenesi, sopitus somno: qui occidit hominem, putans inculpabiliter se occidere feram, eximitur ab omni restitutione; in his enim singulis casibus nullatenus peccavit.

Item qui occidit, mutilat, percutit voluntarie quidem, sed juste, v. g. qui occidit in bello justo, qui occidit defendendo se cum moderamine inculpatæ tutelæ. Judex qui ex zelo justitiæ addicit reum morti, immunis est ab obligatione restituendi; quia in his casibus non solum innocenter proximo nocuit, sed etiam justum operatus est.

Consect. 2. In quo explicatur quomodo ab obligatione restitutionis eximatur qui innocenter nocuit proximo quoad bona animæ. Ad restitutionem famæ non tenentur qui juste famam proximo auferunt: v. g. qui juridice malefactores accusant, vel puniunt; qui juxta præceptum correctionis fraternæ unum vel duos testes adhibent ad corripiendum fratrem; qui amico consulentes, ei detegunt infidelitatem servi, ne admittat eum in obsequium, vel ne ei nimium fidat; qui aperiunt improbos mores alterius, ne honesta filia ipsum accipiat in matrimonium: ibi enim nullum est peccatum. Ita Sylvius in D. Th. 2. 2. q. 62.

Item qui insignia quædam crimina & pœnas illis inflictas propter utilitatem publicam narrant passim, imo scripto ad posterorum notitiam transferunt. Ita idem Sylvius.

Consect. 3. In quo explicatur, quomodo nulla sit obligatio restituendi in eo, qui sine omni culpa nocet proximo quoad bona fortunæ. Ad restitutionem damni temporalis non tenentur qui sine culpa accipiunt, aut detinent bonum proximi, aut impediunt lucrum ei obventurum, aut ei damnum inferunt, v. g. amens, phreneticus, dormiens; qui rem proximi accipit, eamque comburit; imo sanus mente, qui comburit sylvam proximi, putans inculpabiliter suam comburere; possessor bonæ fidei, qui rem alienam & ejus fructum bona fide consumit, nihilque retinet, in quo sit factus ditior; qui ex zelo Dei impedit, ne beneficium indigno conferatur, vel curat, ut digniori conferatur, excluso indigno, vel minus digno. Item qui faciunt aliquid licitum, ad quod casu sequitur damnum proximo; verb. gr. qui fodit foveam in loco remotissimo, in quam casu vel proximus, vel animal proximi præceps labitur; qui in extrema necessitate vel palam vel furtim accipit, quod est necessarium ad sustentandam vitam. Quin in illis omnibus casibus nullum est peccatum; nulla proinde obligatio restitutionis. Unde Jacob merito conqueritur contra Laban,

quod

quod etsi nullam in custodiendis gregibus culpam committeret, tamen ab eo totius damni reparatio exigeretur. *Ego*, inquit, *damnum omne reddebam: quidquid furto peribat, a me exigebas*. Genes. 31. vers. 39.

Consect. 4. In quo ostenditur, quod a restitutione eximatur is, qui innoxie nocet proximo quoad bona spiritualia. Qui ex rationabili causa quempiam retrahit ab ingressu, vel professione Religionis, ad nihil tenetur; quia nullatenus peccat. Causæ autem rationabiles retrahendi a Religione sunt istæ: v. g. 1. Si conjugatus post consummationem matrimonii vellet Religionem ingredi non consentiente conjuge. 2. Si qui retrahitur a Religione, non credatur idoneus ad statum Religiosum. 3. Si in loco, quem vult ingredi, non servetur regularis disciplina. 4. Si per ejus ingressum is, qui retrahit, privetur magno spirituali commodo. 5. Si propter extremam Reipublicæ vel parentum necessitatem alicui professo persuadeatur, ut tantisper exeat e monasterio. Ita Sylvius in D. Th.

ARTICULUS II.

An absolute eximantur ab omni restitutione hi, qui nocent proximo, peccantes quidem mortaliter, sed violando virtutem diversam a justitia commutativa.

PRop. unic. Illi omnes, qui damnum afferunt proximo, peccantes mortaliter contra virtutem diversam a justitia commutativa, sunt quidem rei coram Deo, sed non tenentur ad restitutionem damni, quod proximus passus est.

Prob. 1. Ex D. Th. qui loquens de restitutione, sic habet. *Restitutio est actus commutativæ justitiæ, quando scilicet res unius ab alio habetur, vel per voluntatem ejus, sicut in mutuo, vel deposito; vel contra voluntatem ejus, sicut in rapina, & furto*. 2. 2. q. 62. a. 1. in C. Ergo ubi non est violatio justitiæ commutativæ, ibi non est obligatio restitutionis.

2. *Rat*. Tres sunt tantum causæ restitutionis: injusta acceptio, injusta detentio, & injusta rei læsio; per injustam enim acceptionem usurpamus alienum; per injustam detentionem alienum invito domino detinemus: per injustam vero læsionem rem alterius deteriorem facimus: nec alia excogitari potest ratio, quæ inducat obligationem restituendi. Atqui injusta læsio, injusta acceptio, injusta detentio opponitur justitiæ commutativæ: Ergo sola actio contraria justitiæ commutativæ obligat ad restitutionem, & ex peccato in alias virtutes commisso non oritur obligatio ad restitutionem.

Ex quo sequitur, quod hi, qui hic subjiciuntur, non teneantur ad restitutionem, licet noceant proximo per peccatum mortale.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. In quo ostenditur, quod sola caritas violata non inducit obligationem restitutionis, eo quod sola justitia commutativa violata talem obligationem inducat.

Sic eximuntur a restitutione qui indigenti pauperi negant eleemosynam: v. gr. dives, qui negat alimoniam esurienti, Medicus non conductus, qui negat ægroto necessarium remedium, Causidicus non conductus, qui negat litiganti consilium necessarium; etsi enim ex tam dura & immiti denegatione sequatur vel mors, vel damnum corporale proximi, hujusmodi tamen homines non tenentur ad restitutionem; quia non peccarunt contra justitiam commutativam, sed solum contra caritatem: quippe hi sunt quasi homicidæ, juxta illud Ambros. *Si non pavisti, occidisti*.

Sic eximitur ab obligatione restituendi famam qui publice diffamatum in uno loco diffamat in alio, ad quem ejus infamia brevi & certo esset perventura; quia peccat solum contra caritatem. Item qui ex timore mundano detractorem non audet corripere; quia peccat solum contra caritatem, nisi detractor sit ei subditus.

Sic etiam a restitutione eximitur ille, qui sine vi, fraude, dolo, aliisve modis illicitis, absque violatione justitiæ impedit alium a consecutione boni, non ex justitia, sed ex decentia quadam largiendi, etiamsi illud impedimentum ex odio posuerit; quia peccat solum contra caritatem.

Sic quoque eximitur a restitutione qui solis precibus impedit, ne pauper eleemosynam consequatur, ne Clericus beneficium obtineat, ne alicui legatum vel hereditas donetur. Ita Sylvius. Demum qui potest & debet, non ex officio, sed ex sola caritate impedire damnum proximi, & non impedit vel ex negligentia, vel ex odio, vel ex alio pravo motivo, non obligatur ad restitutionem; quia non peccat, ut supponitur, contra justitiam, sed solum contra caritatem: v. g. qui non impedit incendium domus proximi: qui tacet, vel non obstat, cum fures domum proximi diripiunt.

Sic similiter eximitur a restitutione qui exigit & accipit pretium, ut faciat aliquid, ad quod tenetur ex caritate solum, vel ut omittat aliquid, quod non opponitur justitiæ; quia in utroque casu non peccat contra justitiam. Ita Sylvius. V. g. qui sine causa justa nudis suasionibus, absque ulla vi, fraude, dolo, vel metu impedit aliquem ab ingressu Religionis, vel novitium a professione, nec personæ nec Religioni tenetur restituere; quia peccat solum contra caritatem. Primo non tenetur restituere erga personam; quia volenti non fit injuria. Item nulla restitutione tenetur erga Religionem; quia Religio non habet strictum jus ad personas nondum professas. Ita Sylvius.

Consect. 2. Sola justitia legalis, sola castitas violata, non inducunt obligationem restitutionis; quia sola justitia commutativa violata talem inducit obligationem.

Sic qui peccant contra justitiam legalem, etiamsi lucrum consequantur, non tenentur ad restitutionem: v. g. qui rem suam ab alio injuste detentam accipit, cum potest per viam juris eam sibi vindicare: peccat quidem, quia jus sibi ipse facit; sed non tenetur restituere, quia suum accipit.

Sic qui in re sibi debita utitur compensatione alioquin illicita, non servatis conditionibus legitimæ compensationis; peccat quidem, quia contra justitiam legalem jus sibi dicit, & quod suum est, illicite accipit; sed facta contra solam justitiam legalem æquali compensatione, non tenetur restituere: tunc enim non alienum, sed suum retinet.

Sic etiam qui peccat contra solam castitatem: v. g. qui corrumpit virginem ultro se se offerentem, aut leviter rogatam sponte consentientem, non tenetur ad restitutionem erga virginem; quia erga illam nullatenus violat justitiam commutativam; juxta enim regulas juris Canonici, *damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare*. Reg. 86.

Consect. 3. In quo ostenditur, quod qui turpiter quidem, sed non injuste acquirunt aliquid, non tenentur ad restitutionem, modo per leges non obstet, quominus vere acquirant; quia, ut supponitur, non violant justitiam commutativam.

Sic qui aliquid ex lenocinio, meretricio, &c. citra omnem fraudem, & injustitiam acquirit, non tenetur ad restitutionem lucri turpiter acquisiti; quia non violat justitiam commutativam: ita D. Th. *Quando actus*, inquit, *quo quis lucratus est, lege prohibitus est, non autem ipsum lucrum, sicut est in meretricio, vel similibus; tunc de tali lucro potest fieri eleemosyna*; quia qui acquirit non tenetur ad restitutionem. in 4. dist. 15. q. 2. a. 2. Et 2. 2. q. 32. a. 7. in C. sic habet idem Doctor: *Quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit, & contra legem Dei; sed in eo quod accipit, non injuste agit, nec contra legem.*

Circa illud D. Th. principium duo sunt maxime attendenda. Primum est, quod *turpe lucrum* ex luxuria acquisitum restringendum est ad solum meretricium legibus toleratum; minime vero extendendum ad adulterium, aliasque nefandas libidines legibus non toleratas, quibusve leges nullam relinquunt mercedem, sed e contra pœnam infligunt; quippe meretricium toleratur, ut pejora mala removeantur; ob alias vero libidines, cum nedum tolerentur, sed puniantur, pretium retineri non potest. Id videtur docere Aug. his verbis, lib. 2. de Ord. cap. 4. *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.*

Secundum est, quod ubi leges meretricium interdicunt, & meretricibus pretium impendi prohibent, tunc meretrices turpe illud lucrum retinere non possunt; leges enim, quæ inhabiles reddunt ad acquirendum, observandæ sunt in conscientia.

Consect. 4. In quo ostenditur, quod violatio solius justitiæ distributivæ non obligat ad restitutionem, nisi interveniat simul violatio justitiæ commutativæ; quia, ut supponitur, sola violatio justitiæ commutativæ obligat ad restitutionem.

Sic, inquit Sylvius, in provisionibus beneficiorum & dignitatum Ecclesiasticarum, *si quis prætermisso notabiliter digniore, conferat pastoratum minus digno, tenetur ad restitutionem damnorum, quæ inde obveniunt Ecclesiæ*; quia collator inique distribuens beneficia Ecclesiastica peccat erga Ecclesiam contra justitiam commutativam; tenetur enim ex officio providere Ecclesiæ ministros digniores. *Probabile vero est*, inquit idem Sylvius, *quod non teneatur restituere digniori* beneficium collatum minus digno; quia Clericus dignior, *nondum habet strictum jus ad illum pastoratum, contra quem proinde peccatur violatione solius justitiæ distributivæ, etsi violetur justitia commutativa respectu Ecclesiæ*. Ita Sylvius in Annotationibus in Bisfeld. ubi de restitutione.

Sic in distributione officiorum pure civilium, si quis prætermisso notabiliter digniore, conferat magistratum civilem minus digno, tenetur Reipublicæ restituere damna, quæ ex illa injusta distributione sequun-

sequuntur; quia peccat erga Rempublicam contra justitiam commutativam: tenetur enim ex officio dignioribus conferre magistraturam civilem. Probabile vero est, quod ad nullam restitutionem teneatur erga eum, quem ad magistraturam non evexit; quia is nondum habet strictum jus ad illam dignitatem.

ARTICULUS III.

An obligentur, vel eximantur a restitutione hi, qui violantes justitiam commutativam, nocent proximo per actum, qui est tantum peccatum veniale.

PRop. 1. Qui violando justitiam commutativam nocent proximo per peccatum dumtaxat veniale, obligantur ad restitutionem.

Prob. 1. Ex jure Can. cap. *Culpa*, de injuriis, ubi absque distinctione peccati mortalis vel venialis decernitur, quod si quis culpa sua damnum alteri active intulerit, teneatur ad illud resarciendum: ita enim habet Decretalis. *Si tua culpa*, inquit, *datum est damnum, aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt, jure super his satisfacere te OPORTET*. Cum ergo ubi lex non distinguit, etiam nec nos distinguere debeamus, sequitur, quod obligatio restituendi nascatur ex culpa etiam veniali.

2. Ex jure civili, ubi per legem Aquiliam ff. lib. 9. tit. 2. decernitur, quod qui contra jus proximo nocuit per culpam etiam *levissimam*, immo licet nocere noluerit, tamen teneatur ad resarciendum damnum illatum proximo: ergo obligatio restituendi oritur ex culpa etiam veniali & levissima.

3. *Rat.* Juxta Augustinum *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*: ergo obligatio restituendi oritur ex peccato etiam veniali, cum neutrum peccatum tam veniale quam mortale remitti possit, nisi restituatur ablatum; nulla enim post furtum est vera pœnitentia sine restitutione, aut restitutionis affectu.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui leviter nocuerunt proximo vel quoad bona corporis, vel quoad bona fortunæ, vel quoad famam, vel quoad bona spiritualia, etsi nocuerint per peccatum, quod sit veniale ob parvitatem materiæ, tenentur tamen ad integram restitutionem damni illati, si velint consequi remissionem peccati illius venialis, per quod nocuerunt proximo; quia non remittitur peccatum etiam veniale, nisi restituatur ablatum.

Sic quamtumvis exiguum sit damnum illatum proximo, reparandum est, ut obtineatur remissio peccati venialis.

Cons. 2. Qui notabiliter nocuerunt proximo vel quoad bona corporis, vel quoad bona fortunæ, vel quoad famam, vel quoad bona spiritualia, etsi nocuerint per peccatum, quod sit veniale ob defectum plenæ deliberationis, tenentur tamen ad restitutionem; quia non remittitur peccatum etiam veniale, nisi restituatur ablatum.

Sic infans, qui ante usum rationis sine plena deliberatione ingens damnum intulit proximo, v. g. rem pretiosam vel infregit, vel in flumen projecit, &c. grandior factus, revocans in memoriam damnum a se illatum aliis, tenetur ad restitutionem.

Prop. 2. Qui damnum intulit proximo per peccatum dumtaxat veniale, obligatur ad restitutionem sub mortali, si damnum resarciendum sit notabile; sub veniali vero, si damnum resarciendum sit leve.

Prob. rat. Injusta rei alienæ detentio est peccatum mortale, si materia sit gravis; veniale vero, si materia sit levis, ut patet ex dictis, ubi de distinctione peccati mortalis & venialis: Atqui omissio restitutionis in eo, qui contra jus nocuit proximo, est injusta detentio rei alienæ: Ergo est peccatum mortale, quando materia est gravis; veniale vero, quando materia est levis: Ergo qui damnum intulit proximo per peccatum dumtaxat veniale, ad restitutionem tenetur sub mortali, si damnum resarciendum sit notabile; sub veniali vero, si damnum resarciendum sit leve: non quidem ratione damnificationis, quæ, ut supponitur, est peccatum veniale tantum, & ex quo proinde, spectato quatenus veniali, non potest obligatio oriri sub mortali; sed ratione injustæ detentionis, quæ est mortalis in materia gravi, venialis vero in materia levi: detentionis, inquam, quæ non semper requirit, ut res ablata, vel labefactata detineatur a rapiente, vel labefactante, ut patet exemplo illius, qui gemmam alterius projecit in flumen; sed ad quam sufficit, ut verus dominus re vel rei pretio per aliquam culpam sit spoliatus.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Obligatio restitutionis poterit urgere sub mortali eum etiam, qui nocendo proximo non peccavit nisi venialiter a sci-

scilicet quoties damnum illatum proximo per peccatum veniale est ingens & insigne; quia obligatio restitutionis petitur ex quantitate rei restituendæ: ergo si res restituenda sit magni valoris, obligabit ad restitutionem sub mortali.

Sic qui hic subjiciuntur, licet peccaverint solum venialiter nocendo proximo, peccant mortaliter non restituendo: v.g. Medicus, qui ex negligentia veniali fuit causa, quod ægrotus obierit, cujus curam gerebat, non ex caritate solum, sed ex justitia: Advocatus, qui ex negligentia veniali occasio fuit litis imprudenter susceptæ, & ingentium expensarum: & alii hujusmodi, qui per culpam venialem insigniter nocent proximo.

Consect. 2. Obligatio restitutionis poterit tantum urgere sub veniali eum, qui nocendo proximo peccavit mortaliter, scilicet, quoties damnum illatum proximo per peccatum ex affectu peccantis mortale, est exiguum & leve; obligatio enim restitutionis petitur ex quantitate rei restituendæ: ergo si res restituenda sit exigui valoris, obligabit ad restitutionem solum sub veniali.

Sic qui hic subjiciuntur, licet peccaverint mortaliter nocendo proximo, peccant tamen solum venialiter, non restituendo: v.g. qui ex pravo & mortali odio leviter nocuit proximo vel in corpore, vel in fortuna, vel in honore, tenetur ad restitutionem solum sub veniali.

CAPUT III.

De his, qui ob culpam vel theologicam, vel civilem obligantur ad restitutionem.

ARTICULUS I.

Quæ sit culpa theologica, quæ obligat ad restitutionem, sive cujus speciei debeat esse peccatum obligans ad restitutionem damni illati.

PRop. *unica*. Quicumque peccat contra justitiam commutativam obligatur ad restitutionem, si damnum proximo quoquo modo inferat; sive per *actionem*, efficiendo aliquid noxium; sive per *omissionem*, negligendo aliquid ex justitia debitum proximo; sive, quod idem est, peccatum quodlibet oppositum justitiæ commutativæ obligat ad restitutionem.

Prob. 1. Script. Præcepta obligantia ad restitutionem sunt isthæc: *non occides: non mœchaberis: non furtum facies: non loqueris contra proximum falsum testimonium, &c.* atqui peccata, quibus hæc præcepta violantur, opponuntur justitiæ commutativæ: ergo peccatum quodlibet oppositum justitiæ commutativæ obligat ad restitutionem.

2. Ex Conc. Lambethensi an. 1330. c. 2. ubi sic habetur: *In furto, in rapina, fraude, simonia, & maxime detentione decimarum, seu abstractione alicujus juris Ecclesiastici, diligenter sibi caveant Sacerdotes, ne aliquibus injungant pœnitentias, nisi cum satisfactione & restitutione facienda injuriam passis; cum non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum*: atqui prædicta peccata sunt contra justitiam commutativam: ergo peccatum quodlibet oppositum justitiæ commutativæ obligat ad restitutionem.

3. Ex D. Th. 2. 2. q. 62. a. 1. arg. Sed contra, ubi sic habetur: *Restitutio ablationi opponitur: sed ablatio rei alienæ est actus injustitiæ circa commutationes: ergo restitutio ejus est actus justitiæ: quæ est in commutationibus:* & proinde peccatum obligans ad restitutionem est peccatum oppositum justitiæ commutativæ.

4. *Rat.* Qui peccat contra justitiam commutativam, alienum vel accipit, vel detinet, sumendo voces illas *accipere & detinere* tam pro actione, quam pro omissione, quibus nocetur proximo: atqui illud peccatum est contra commutativam justitiam, quæ reducit res ad justam æqualitatem: ergo omne peccatum contra justitiam commutativam obligat ad restitutionem. Ex quo sequitur, quod hi, qui hic subjiciuntur, tenentur ad restitutionem.

Consectaria hujus Doctrinæ.

§. I.

De his, qui damnum inferunt per actionem injustam.

Consect. 1. Qui injuste nocent proximo quoad corpus, tenentur ad restitutionem; peccant enim contra justitiam commutativam, quæ vetat, ne proximo noceamus in bonis corporis.

Sic qui privata authoritate voluntarie occidit, mutilat, percutit, incarcerat, &c. obligatur ad restitutionem illius damni corporalis, quod proximo infertur, & damni realis, seu impensarum, quæ ex injusta illa læsione sequuntur.

Ita enim habet Scriptura, erudiens Judices circa restitutionem pro damno corporali facien-

ciendam. Et quidem homicidam voluntarium morti addicit: *qui percusserit, & occiderit hominem*, inquit, *morte moriatur*. Lev. 24. v. 17. & rursus: *non accipietis pretium ab eo, qui reus est sanguinis, statim & ipse morietur*. Num. 35. v. 31. percussorem vero ea læsione puniendum præcipit, qua ipse læsit: *qui irrogaverit*, inquit, *maculam cuilibet civium suorum; sicut fecit, sic fiet ei: fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet: qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur*, damnatus scilicet a judice. Lev. 24. v. 19. Impensas autem ab innoxio homicida & percussore exigit: *opera ejus*, idest percussi, vel occisi, *& impensas in medicos restituet*. Exod. 21. v. 19.

Sic qui defloravit virginem reluctantem, vel tantum sub spe dotis promissæ, aut matrimonii pariter promissi consentientem, tenetur ad restitutionem; peccavit enim contra justitiam commutativam, quæ vetat, ne vim virgini faciamus; quæque jubet, ut sponte promissa pendamus: de quo ita habet Scriptura, Exod. 22. v. 16. *Si seduxerit quis virginem desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit, & habebit eam uxorem*.

Sic adulter & adultera tenentur ad restitutionem, cum certo scitur ex adulterio secutam esse prolem; uterque enim peccavit contra justitiam commutativam, quæ vetat legitimis hæredibus substitui, aut permisceri extraneos, & illegitimos. Sic autem habet Scriptura instruens judices in foro contentioso judicantes. *Si dormierit*, inquit, *vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est, adulter & adultera, & auferes malum de Israel*. Deut 22. v. 21. Instruens vero Confessarios in foro interiori judicantes inculcat, quam grave sit adulterium ob solam, quam inducit, hæredis legitimi confusionem. *Sic & mulier omnis*, inquit, *relinquens virum suum, & statuens hæreditatem ex alieno matrimonio. Ex alio viro filios statuit sibi*. Eccles. 23. v. 32. quo nihil scelestius, quodque oportet per restitutionem reparari.

Cons. 2. Quicumque nocet proximo quoad ejus famam, tenetur ad restitutionem; peccat enim contra justitiam commutativam, quæ vetat, ne injuste lædatur fama proximi: ideo jubet & futurum prædicit Scriptura, ut quicumque famam proximi læserit, eam etiam cum sua ipsius confusione reparare teneatur. Id innuit Psal. 108. v. 29. *Induantur, qui detrahunt mihi, pudore; & operiantur sicut diploide confusione sua*.

Sic calumniator, & iniquus detractor, qui injuste denigrant famam proximi, quocumque modo id faciant, tenentur ad restitutionem; quia peccant contra justitiam commutativam, quæ vetat, ne injuste auferamus proximo bonam famam quibuscumque divitiis longe præstantiorem; juxta illud Prov. 21. v. 1. *Melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ*.

Sic ad restitutionem famæ ablatæ tenentur, qui his versibus exprimuntur.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remisse.

Consect. 3. Qui injuste nocent proximo quoad bona spiritualia tenentur ad restitutionem, si ita noceant, ut peccent contra justitiam commutativam; justitia enim vetat, ne simus aliis offendiculo. *Sine offensione*, inquit Paulus, *estote Judæis, & gentibus, & Ecclesiæ Dei*. 1. ad Corinth. 10. v. 32.

Sic qui vi, dolo, fraude, &c. impellunt alios ad peccatum, vel ab exercitio virtutis avertunt, tenentur ad restitutionem damni illati; tunc enim peccant contra justitiam commutativam, quæ vetat ne vi, dolo, fraude, metu, &c. contra proximum utamur.

Consect. 4. Quicumque nocent proximo quoad bona temporalia, vel per injustam acceptionem, vel per injustam detentionem, tenentur ad restitutionem; peccant enim contra justitiam commutativam, qua cavetur, ne alienum injuste accipias, vel detineas. Et juxta Joan. Apoc. 9. v 21. damnantur inferno hi, qui per restitutionem, si eis possibilis erat, non egerunt pœnitentiam a furtis suis. *Non egerunt*, inquit, *pœnitentiam ab homicidiis suis, neque a veneficiis suis, neque a fornicatione sua, neque a FURTIS suis*.

Sic ratione injustæ acceptionis ad restitutionem tenentur fures, qui occulte accipiunt rem alienam: rapaces, qui eam per vim violentam auferunt: sacrilegi, qui rem Deo sacram accipiunt, quoquo modo id faciant, sive clam, sive palam; quia hi omnes peccant contra justitiam commutativam per injustam *acceptionem*.

Similiter ad restitutionem tenentur quicumque accipiunt rem proximi per involuntariam dationem; involuntaria enim datio repugnat justitiæ commutativæ: & ita restituendum est id, quod usurarius ex vi mutui accepit, id quod meretrix supra debitam mercedem blanditiis extorsit, id quod compellens ad ludum lucratus est in ludo; hujusmodi enim dationes non sunt voluntariæ, sed involuntariæ; & proinde ob injustam *acceptionem* obligant ad restitutionem.

Sic etiam ad restitutionem tenentur quicumque exigunt, accipiuntque pretium aliquod, ut faciant id, ad quod tenentur ex justitia, vel ut omittant id, quod omitti nequit absque injustitia; ea enim *acceptio* est injusta: & ita restituere tenetur id, quod accepit v. g. Judex, ut ferret justam sententiam; *non enim licet*, inquit Aug. *judici vendere justum judicium*. 11. q. 3. testis, ut ferret verum testimonium; quia ex Aug. 13. q. 1. *testimonia vendenda non sunt*; depositarius, ut redderet depositum; commodatarius, ut redderet commodatum; inventor, ut redderet rem inventam; debitor, ut redderet rem debitam. Hi enim omnes prædicta tenentur præstare ex justitia; & proinde nihil possunt exigere ut suo satisfaciant officio. Itaque si quid exigant, peccant contra justitiam commutativam; atque adeo obligantur ad restitutionem. Ad restitutionem etiam obligatur qui exigit, & accipit aliquid, ut non furetur, ut non occidat, ut non calumnietur, aut ut quodvis aliud damnum non inferat proximo; prædictas enim actiones, utpote iniquas, quilibet ex justitia omittere tenetur.

Sic ratione injustæ detentionis ad restitutionem obligatur quicumque rem alienam sine justo titulo, invito vero domino, retinet. *In promptu causa est*, inquit Cajet. *quia res illa non est ipsius, sed alterius; atque per hoc non est retinenda, sed danda illi, cujus est: si enim non redderetur vero domino, ille minus haberet de suo, & damnum pateretur, quod constat esse iniquum*: V. restitutio.

Consect. 5. Ad restitutionem damni illati tenetur quicumque rem proximi deteriorem efficit, licet qui damnum infert nullum inde emolumentum percipiat; damnum quippe inferendo peccat contra justitiam commutativam: de quo ita habet Scriptura Exod. 22. v. 5. *Si læserit quispiam agrum, vel vineam .... damni æstimationem restituet*. Et D. Th. 2. 2. q. 62. a. 4. in corp. sic habet: *Damnum dicitur ex eo, quod aliquis minus habet, quam debet habere .... Et ideo homo tenetur ad restitutionem ejus, in quo aliquem damnificavit*.

Sic ad restitutionem tenentur qui hic subjiciuntur. 1. Magnates, qui bestias alunt, quæ aliis nocere solent; peccant enim mortaliter, si bestiæ notabiliter noceant, & novum peccatum addunt, si non restituant. Ita Navarrus. 2. Venatores, qui vel per seipsos, vel per canes, equos, &c. rem proximi, v. gr. agros, vineas, segetes, arbores, &c. lædunt. 3. Pastores, qui permittunt vineas, prata, segetes depasci a pecoribus, quibus custodiendis præficiuntur. 4. Demum omnes illi, qui damnum inferunt proximo; violant enim justitiam commutativam.

Consect. 6. Ad restitutionem tenetur quicumque injuste impedit per actionem justitiæ commutativæ contrariam, v. g. vi, dolo, fraude, calumnia, ne proximus consequatur bonum ei largiendum ex mera etiam liberalitate; utens enim vi, fraude, dolo, peccat contra justitiam commutativam, qua vetatur, ne quis alteri vim inferat, neve ullum dolo, fraudeve decipiat.

Sic Titius Clericus dignus est, cui Beneficium conferatur: tu vi, fraude, dolo, calumnia impedis illam collationem, teneris reparare damnum, quod Titio intulisti.

Sic Paulus apud se statuit conferre legatum Petro: tu injuste impedis, ne Petrus legatum illud consequatur, vel vi retinendo Notarium, vel fraude Notarium alio mittendo, vel calumnia denigrando Petrum apud Paulum; teneris tunc ad restitutionem damni illati; quia in singulis illis casibus agis contra justitiam commutativam. Utrumque casum ita explicat D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 4. *Dicendum*, inquit, *quod aliquis potest impedire aliquem, ne habeat Præbendam* (idem dic proportionaliter de legato) *multipliciter. Uno modo juste, puta si intendens honorem Dei, vel Ecclesiæ, procuret, quod detur alicui personæ digniori; & tunc nullo modo tenetur ad restitutionem, vel ad aliquam recompensationem faciendam. Alio modo injuste, puta si intendat ejus nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid hujusmodi; & tunc si impedit, ne Præbenda detur digno, consulens, quod non detur, antequam sit firmatum quod ei detur; tenetur quidem ad aliquam recompensationem, pensatis conditionibus personarum & negotii secundum arbitrium sapientis: non tamen tenetur ad æquale; quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si vero jam firmatum sit, quod alicui detur Præbenda, & aliquis propter indebitam causam procuret, quod revocetur, idem est, ac si jam habitam ei auferret; & ideo tenetur ad restitutionem æqualis, tamen secundum suam facultatem*.

§. II.

De his, qui damnum inferunt per omissionem injustam.

Consect. 7. Quicumque omittit id, ad quod tenetur ex justitia, v. g. ex officio, ex contractu, ex quasi contractu, obliga-

tur

tur ad restitutionem totius damni, quod ex ejus omissione sequitur; tunc enim officium suum omittens peccat contra justitiam commutativam, ut docet D. Th. his verbis: *Manifestum est*, inquit, *quod quicumque negligit habere, vel facere id, quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omissionis*. 1. 2. q. 76. a. 2. in corp. Et alibi, scilicet 2. 2. q. 62. art. 7. in corp. docet, quod qui per omissionem est causa etiam indirecta injustæ læsionis, obligatur ad restitutionem, scilicet, ut ait S. Doctor, *quando aliquis non impedit damnum, si possit, & debeat impedire*: ergo omissio contraria justitiæ commutativæ obligat ad restitutionem damni, quod ex ea sequitur.

Sic qui ex *ignorantia culpabili* omittit aliquid sui officii, tenetur reparare damnum, quod ex tali omissione sequitur: v. g. Judex, Medicus, Causidicus, Confessarius, Parochus, Artifex, &c. tenentur reparare damnum, quod causant ex ignorantia artis, quam exercent, & ex omissione officii, ad quod tenentur. *Imperitia quoque*, inquit Justinianus, *culpæ adnumeratur: veluti si Medicus ideo servum tuum occidit, quia male eum secuerit, aut perperam ei medicamenta dederit*. Lib. 4. inst. tit. 3. ad leg. Aquiliam §. 7.

Sic etiam qui *ex negligentia culpabili* omittit aliquid sui officii, tenetur reparare damnum, quod ex tali negligentia sequitur: v. g. Judex, Causidicus, Medicus, Confessarius, Parochus, Artifex, tenentur restituere damnum, quod causant ex negligentia, quam ex justitia tenentur vitare: v. g. si judex negligat examen legum, & contra leges judicet: si Medicus negligat ægrotum, & ægrotus moriatur; si nauclerus somno vel incuria omittat curam navis, & navis naufragium subeat; si mulio mulas magno impetu ruentes retinere negligat, & ex impetu mularum damnum aliquod proximo enascatur: in singulis illis casibus & similibus urget obligatio restitutionis; quippe juxta legem Aquiliam, quisquis damnum infert, ad restitutionem tenetur, & eximitur tantum a restitutione, *si modo culpa ejus nulla inveniatur* Lib. 4. inst. tit. 3. ad legem Aquiliam. §. 3.

Sic pariter, qui *per imprudentiam culpabilem* omittunt cautionem, quam debent adhibere, tenentur reparare damnum, quod ex tali omissione sequitur; & qui vulgarem negligunt adhibere prudentiam, damnum secutum ex sua ipsorum imprudentia, juxta etiam jus civile, tenentur reparare: v. g. *si per lusum* in loco aut in tempore indebitis exercitum a jaculantibus servus tuus fuerit occisus, jaculatores ad restitutionem tenentur. L. 9. ff. *Ad legem Aquiliam. Si putator ex arbore .... Machinarius ex machina, non proclamaverit, ut casus ejus, quod projiciebat, vitari posset*. L. 31. Ibid. si damnum secutum fuerit, qui id imprudenter fecit tenebitur reparare. Si incendium non casu, sed ex imprudentia habitantium evenerit, tunc ii, qui imprudenter egerunt, damna ex incendio secuta resarcire tenebuntur. L. 3. ff. *de officio præfecti vigilum*.

Sic similiter, qui *per moram culpabilem* omittunt ea, ad quæ tenentur ex justitia, debent reparare damnum, quod ex tali omissione sequitur; peccant enim contra justitiam commutativam: v. g. si venditor rem a se venditam, depositarius rem sibi depositam, conductor rem locatam ultra legitimum tempus invito domino retineat, etiam si res pereat casu, tenetur ejus pretium vero domino reddere; hi enim omnes sunt in mora culpabili, ut expresse docet jus civile. *Quod te mihi*, inquit, *dare oporteat, si id postea perierit, quia per te factum erit, quominus id mihi dares, tuum fore id detrimentum constat*. L. 5. ff. *de rebus credit.*

Sic quoque, qui per *injustam detentionem* impediunt, ne res ad verum & legitimum dominum perveniat, tenentur reparare damnum ex tali injusta detentione proveniens; peccant enim contra justitiam commutativam, quæ vetat alienum invito domino retineri: v. gr. si quis animalia, pu a aves, canes, &c. quæ vere animum habent redeundi ad dominum suum, violenter retineat; si quis navem in fluvio remoretur; si quis rem mobilem vel immobilem alterius sibi attribuat, vel in pignus aut hypothecam debitorum invito domino accipiat: si res illæ pereant, tenetur eorum pretium solvere: est enim causa damni *ob injustam detentionem*.

§. III.

De his, qui damnum inferunt proximo per acquisitionem, quæ secundum jura habetur nulla & invalida.

Consect. 9. Quicumque acquirunt, aut lucrantur aliquid pretio æstimabile per actiones, quas jus vel civile solum, vel Canonicum jure civili firmatum lucratorias esse prohibet, tenentur ad restitutionem totius illius lucri ex iniqua illa actione accepti; etenim cum hujusmodi actiones ex præscripto legis non sint lucratoriæ, nullumque dent titulum acquirendi, qui præcise ex vi earum actionum acquirunt, & sic acqui-

acquisita retinent, peccant contra justitiam commutativam, sibi adscribentes id, quod jus vetat acquiri, imo id quod aliquando lex aliis adjudicat. Et ita ad restitutionem tenentur qui hic subjiciuntur.

1. Simoniaci tenentur ad restitutionem illius rei, quam via simoniaca consecuti sunt; nullum enim habent titulum, quo illius rei dominium acquirant. Can. *Si quis Episcopus*. 1. q. 1. & D. Th. 2. 2. q. 10. a. 6. Et ita quidquid acquiritur pro collatione beneficii, pro collatione Ordinum, pro examine ordinandorum, pro visitatione Parochiarum, pro benedictione Ecclesiarum, &c. retineri non potest, sed vel Ecclesiæ, vel pauperibus dandum est. D. Thom. ibid. ad 4.

2. Clerici beneficiati sine legitimo titulo tenentur dimittere beneficium sine institutione Canonica susceptum, & fructus ex eodem beneficio perceptos; quia juxta regulas juris Canonici in 6. *Beneficium Ecclesiasticum sine institutione Canonica obtineri non potest*. Et ita beneficium dimittere, & fructus beneficii dare pauperibus tenetur filius illegitimus Clerici, qui beneficium obtinuit in eadem Ecclesia, in qua pater deservit, imo qui pensionem obtinuit super beneficio, quod pater habuit; ea enim institutio non est Canonica, juxta Trid. sess. 25. c. 15. Item qui plura habent beneficia incompatibilia; ea enim institutio non est Canonica, juxta Trid. sess. 7. c. 1. & 3. Imo qui plura suscipit beneficia, etiam non incompatibilia, quando unum sufficit ad congruam & honestam sustentationem, aut quando quis suscipit beneficium sine animo retinendi, tunc enim coram Deo non censetur esse Canonica institutio, quæ verum titulum det retinendi beneficium, & fructus beneficii in hujusmodi Clericos vere transferat.

3. Clerici beneficiati cum institutione Canonica & legitima, sed officium beneficio annexum non exequentes, tenentur fructus acceptos restituere; etenim illi negligentes Clerici fructus quidem possunt percipere in foro externo, sed in foro interno fructus illos non possunt licite suos facere; beneficium enim propter officium. Et ita qui non resident in Ecclesia, in qua tenentur residere, pro rata temporis absentiæ: qui non recitant horas Canonicas, quas tenentur recitare, pro rata omissionis, tenentur tantumdem de fructibus beneficiorum restituere. Trid. sess. 6. cap. 1. Vide quæ infra dicemus de Clericis.

4. Beneficiati prodigi, qui redditus beneficiorum post honestam sustentationem superstites in usus vel inutiles, vel pravos insumunt; quia non habent verum dominium bonorum Ecclesiasticorum, quæ sunt ipsis superflua, ut dicemus, ubi de Clericis. *Aurum quippe habet Ecclesia*, inquit Bernardus, *non ut servet, sed ut eroget. Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt: dicite Pontifices, in freno quid facit aurum? nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter extrahitur quod inaniter impenditis*. Epist. 42. ad Episc. Senon.

5. Usurarii manifesti aut palliati tenentur ad restitutionem cujuscumque emolumenti per usuram manifestam aut palliatam acquisiti; usuræ enim lucratoriæ ex genere suo sunt improbæ, nec dant titulum acquirendi. L. 20. C. *Ex quibus causis infamia irrogetur*. Vide dicta de usuris.

6. Ludentes tenentur restituere ea, quæ ludo per leges vetito lucrati sunt. Vide dicta de ludo.

7. Judices justam vel injustam sententiam vendentes; ea enim injustitia non est titulus acquirendi.

§. IV.

De his, qui ob cooperationem damni illati tenentur, vel non tenentur ad restitutionem.

Prop. unica. Illi cooperatores obligantur ad restitutionem, qui peccantes contra justitiam commutativam sunt causa efficax damni. Illi vero cooperatores excusantur a restitutione, qui vel non sunt causa efficax damni, vel si sint causa efficax, non peccarunt contra justitiam commutativam.

Prob. rat. Ex dictis constat, quod duo requiruntur ad inducendam obligationem restituendi; primum est damnum illatum proximo; secundum violatio justitiæ commutativæ: ergo ut cooperatores obligentur ad restitutionem duo requiruntur; quod influant efficaciter in damnum; & quod peccent contra justitiam commutativam, quorum alterum si defuerit, cooperatores eximentur a restitutione.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Conf. 1. In quo explicatur hæc vox, *jussio*. Mandans sive expresse, sive tacite, dicto scilicet vel facto, ex quo subditi, v. g. vel famuli colligant actionem injustam ei gratam fore, si ex vi talis mandati sequatur damnum, tenetur restituere; quia tunc jubens est causa efficax damni. Si dubitet, an jussio injusta fuerit causa damni revera illati, tenetur etiam ad restitutio-

tutionem; quia præsumptio est contra ipsum mandantem, cui incumbit onus probandi contrarium. Imo cum vacat rei illicitæ, est causa damni fortuiti, qui ex ejus mandato sequitur: v. g. mandat Joannes, ut occidatur Petrus: Paulus loco Petri occiditur; tenetur ad restitutionem damni sequentis ex Pauli morte, licet hæc contra intentionem mandantis eveniat. Mandat, ut verberetur Paulus: vulneratur Paulus, aut occiditur contra voluntatem mandantis; tenetur ad restitutionem damni hujusmodi cædis aut mutilationis, quæ contra ejus intentionem contingit, sed tamen ex injusto ejus mandato secuta est; & proinde est illius causa moralis. Minime vero, si mandans retractet mandatum, etiamsi mandatarius privata sua malitia injustum mandatum exequatur; quia tunc non est causa damni.

Item, si quis malum non jubeat, sed gaudeat de damno illato proximo, peccat; quia gaudet de malo, sed non tenetur restituere; quia gaudendo non est causa mali.

Confect. 2. In quo explicatur hæc vox, *consilium*. Consulens damnum inferri, v. gr. promissionibus, precibusque ad actionem proximo nocivam inducens, tenetur ad restitutionem; quia est causa damni.

Minime vero, si qui consuluit damnum, totis viribus retractet suum perniciosum consilium, & eum præmoneat, cui damnum paratur; quia tunc non est causa damni: & si ille, qui accepit consilium, noceat, hoc in privatam ejus malitiam, & non in consulentem debet refundi.

Item si consulens dato consilio non noceat, sed prosit: v. g. si furi parato furari nummos decem Petro, suadeat, ut tantum furetur eidem Petro quinque; quia tunc non est causa efficax damni, sed e contra causa est, cur Petro minus noceatur.

Confect. 3. In quo explicatur hæc vox, *consensus*. Consensus, qui est causa efficax damni, obligat ad restitutionem; quia influit in damnum: minime vero consensus, qui non est causa; quia non influit in damnum.

Sic cum bellum injustum proponitur, qui consentiunt causando, v. gr. Rex, & hi, qui sunt Regi a consiliis, obligantur ad restitutionem; minime vero qui consentiunt, non influendo, v. g. subditi, lætando ob commoda ex bello eventura.

Sic in Consistorio, in Capitulo, in Universitate, ubi secreto feruntur suffragia, quicumque votis suis secretis cooperatur injustæ electioni, tenetur ad restitutionem, uti semper contingit, quoties ad valorem actionis necessum est omnes simul consentire: & quando requiritur solum, ut major pars consentiat, illi solum tenentur ad restitutionem, qui influunt in electionem injustam; minime vero qui non dant suffragium injustum.

Sic quando suffragia dantur publice, primi qui vident suo suffragio se posse injustitiam impedire, tenentur ad restitutionem; quia influunt in injustam electionem: minime vero postremi, si certo illis constet se non posse votis suis injustam electionem impedire; quia non influunt efficaciter in damnum: debent tamen injustæ actioni adversari, quantum possunt; dicit enim Script. *Noli fieri judex, nisi virtute valeas irrumpere iniquitates*.

Conf. 4. In quo explicatur hæc vox, *palpo*. Qui verbis adulatoriis pellicit ad malum, & laudat malos de eorum peccato perpetrando, vituperat bonos ob virtutem, & hujusmodi sermonibus est causa efficax damni, obligatur ad restitutionem; quia est causa damni: minime vero si adulatio non sit causa damni, sed solum laudibus suis aliquam lætitiam afferat malo; quia tunc non influit in damnum.

Confect. 5. In quo explicatur hæc vox, *recursus*. Qui refugium dat malefactori, ut malefactori, vel præbendo securitatem antequam fiat injusta actio, vel promittendo securitatem postquam facta erit mala actio, tenetur ad restitutionem; quia influit in damnum: minime vero qui recipit malefactorem, non ut malefactorem, sed ut hominem, non ut animos addat ad malum, se ut ad meliorem vitam deducat; quia non influit in damnum.

Confect. 6. In quo explicatur hæc vox, *participans*. Qui participat ad injustam acceptionem per actionem ab intrinseco malam, tenetur restituere; quia est causa damni: qui vero participat per actionem indifferentem, non tenetur restituere; quia non est causa mali.

Sic qui cooperatur damno, furando, rapiendo, instrumenta præbendo ad furtum & rapinam, tenetur restituere; quia hæ actiones sunt ex se malæ, & in damnum illatum efficaciter influunt.

Sic qui inviti actioni jam factæ superveniunt, v. g. rustici, qui prædas a militibus congestas inviti transferunt in castra, non tenentur ad restitutionem; quia non sunt causa damni.

Conf. 7. In quo explicantur hæ voces, *mutus*, *non obstans*, *non manifestans*. Qui potest, & ex rigore juris debet loqui, debet obstare dum fit damnum, debet manifestare, dum factum est, & tamen non facit, tenetur restituere; quia est causa damni; qui vero vel non potest, vel ad id non tenetur ex justitia, non

non obligatur ad restitutionem; quia non est causa efficax damni.

Sic qui ex officio, vel ex pacto tenentur impedire damnum, & non impediunt cum possunt, tenentur restituere. Tales sunt, v.g. Reges, qui a subditis suis non avertunt hostium incursus, latronum deprædationes. Tales sunt custodes publici, qui non manifestant eos, qui lignantur, piscantur contra prohibitionem Principis, vel Reipublicæ: de quibus ita Isaias: *Principes tui infideles, socii furum*. Tales sunt etiam famuli, qui res sibi ab heris commissas permittunt vel ab extraneis subripi, vel ab aliis domesticis male consumi. Hi enim omnes obligantur ex officio ad impediendum, ne hujusmodi damna proximo obveniant. Tales sunt pariter hi, qui cum damnum factum est, *non obstant*, ne damnum illatum a furibus ad se confugientibus invito domino retineatur: de quibus ita Aug. Epist. 54. Can. *si res aliena* 14. q. 6. ubi sic habetur: *Illud vero*, inquit, *fidentissime dixerim, eum, qui pro homine ad hoc intervenit, ne male ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantum honeste potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis & criminis*.

Sic qui ex caritate solum tenentur impedire damnum proximi, & non impediunt etiam si possint, peccant quidem tacendo, & non obstando; quia agunt contra caritatem: sed non tenentur ad restitutionem; quia non agunt contra justitiam.

Consect. 8. Cooperatores debent restituere juxta modum & ordinem, quem habuerunt influendo in damnum; cooperatores quippe obligantur ad restitutionem ob id solum, quod efficaciter in damnum influunt: ergo debent restituere juxta modum & ordinem, quem habuerunt influendo in damnum; & ita restituere debent hoc modo.

Primo. Si plures damnum intulerint absque consensu mutuo, quisque tenetur reparare illud solum damnum, quod ipsemet intulit; cum enim sejuncti fuerint in damno inferendo, ita sejungi debent in damno reparando. Si plures simul, & consensu mutuo, & se invicem juvando, damnum intulerint, singuli in solidum tenentur totum damnum reparare; ut enim conjuncti fuerunt in damno inferendo, ita & conjungi debent in damno reparando.

Secundo. Isto ordine debet fieri restitutio.

Prior omnibus debet restituere ille, apud quem est res ablata, sive sit in specie, sive sit in valore; etenim, ut vulgo dicitur, res quælibet domino suo clamat.

2. Si res nec in specie, nec in valore sit apud aliquem ex his, qui damnum intulerunt, qui damnum imperavit debet prius quam alii cooperatores restituere; magis enim influit quam alii: quippe mandans est quasi causa principalis, alii vero cooperatores sunt quasi causa instrumentalis.

3. Qui damnum intulit exequendo mandatum debet prius restituere quam ille, qui consuluit; in damnum enim magis influit ille, qui mandatum proximo damnosum exequitur, quam ille qui consuluit.

4. Qui consuluit debet prius restituere quam ille, qui furem vel recepit, vel tutatus est.

5. Qui recepit eum, qui damnum causavit, prior debet restituere quam ille, qui tacuit: quippe qui recipit furem, magis influit securitatem dando, quam ille, qui tacuit non impediendo. Recipiens furem influit quasi *positive*: qui tacet influit solum *negative*.

6. Qui tacuit, dum damnum fiebat, tenetur ad restitutionem priusquam ille, qui non manifestat, dum factum est damnum; magis enim est influere negative, dum res fit, quam influere etiam negative, dum res facta est.

Monit. Qui damnum passus est, non debet quasi per ambages omnes prædictos cooperatores percurrere; sed potest eum primo compellere, apud quem res sibi ablata detinetur vel in specie, vel in valore: & si res ablata nec in specie, nec in valore subsistat, debet mandantem compellere, ut sibi damnum illatum reparet, & iste ad alios cooperatores recurrere poterit. *Uno tamen restituente illi, qui passus est damnum*, inquit D.Th. 2.2.q.62.a.7.ad 2. *alius eidem restituere non tenetur; sed illi, qui sunt principales in facto, & ad quos res pervenit; tenentur aliis restituere, qui restituerunt*.

ARTICULUS II.

Quomodo, & quando ad restitutionem obliget culpa civilis, seu omissio debitæ diligentiæ circa rem alterius, ex qua omissione sequitur damnum proximi, aliquando cum offensa Dei, aliquando sine offensa Dei.

PRop. *unica tripartita*. Culpa civilis, licet noxia proximo.

Si sit omnino involuntaria, & non deducta ad forum contentiosum, ad nullam coram Deo restitutionem obligat.

Si sit voluntaria, obligat coram Deo ad æqualem compensationem damni illati etiam ante sententiam judicis, immo nec deducta ad judicem.

Si vero sit deducta ad forum contentiosum, sive

ſive voluntaria, ſive involuntaria ſit, poſt latam ſententiam obligat, primo ad æqualem compenſationem damni illati, ſecundo ad pœnam inflictam a judice: ante latam vero ſententiam ad nullam pœnam obligat, ſed ſolum ad æqualem compenſationem, ſi ſit voluntaria; ad nullam vero reſtitutionem, ſi ſit omnino involuntaria.

Probantur ratione ſingulæ partes.

1. Culpa civilis omnino involuntaria, & non deducta ad forum contentioſum, ad nullam coram Deo reſtitutionem obligat; ubi enim nullum eſt peccatum, ibi nulla eſt in foro interiori obligatio reſtitutionis, ut diximus in ſuperiori capite art. 1.

2. Culpa civilis voluntaria, & proinde Theologica, ſeu verum peccatum, etiam non deducta ad forum contentioſum, & ante quamcumque judicis ſententiam, obligat coram Deo ad æqualem compenſationem; quia juxta Aug. *non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*. Sed quamdiu res non deducitur ad forum contentioſum, ad nihil ultra obligat niſi ad æqualem compenſationem, ut docet D. Th. 2. 2. q. 62. a. 3. in C. his verbis: *Cum aliquis*, inquit, *injuſte accipit rem alienam, duo ſunt ibi conſideranda: quorum unum eſt inæqualitas ex parte rei .... aliud autem injuſtitiæ culpa ..... Quantum ergo ad primum adhibetur remedium per reſtitutionem, in quantum per eam inæqualitas reparatur, ad quod ſufficit, quod reſtituat tantum, quantum habuerit de alieno*.

3. Culpa mere civilis, & involuntaria deducta ad forum contentioſum poſt latam a judice ſententiam, obligat juxta præſcriptum a judice, tum quoad compenſationem, tum quoad pœnam inflictam a judice; ſententia enim judicis lata ſecundum formam juris obligat in conſcientia; ante vero latam ſententiam ſi culpa civilis fuerit omnino involuntaria, ad nihil obligat: pœnæ enim non ſunt ſubeundæ niſi poſt ſententiam judicis. Reſolutionem iſtam explicat D. Th. ibid. his verbis: *Quantum ad culpam*, quæ reperitur in læſione proximi, *adhibetur remedium per pœnam, cujus inflictio pertinet ad judicem. Et ideo antequam ſit condemnatus per judicem, non tenetur reſtituere pluſquam* injuſte *accepit*; *ſed poſtquam condemnatus eſt, tenetur pœnam ſolvere*.

Conſectaria hujus Doctrinæ.

Conſect. 1. Quando illatum eſt proximo nocumentum aliquod per culpam civilem, tunc Confeſſarius poteſt pœnitentem diſpenſare ab omni reſtitutione; ſi culpa civilis fuerit omnino involuntaria; ubi enim non eſt voluntarium, ibi non eſt peccatum, nec proinde obligatio reſtitutionis. Si vero culpa civilis fuerit voluntaria, etſi non deducta ad forum contentioſum, debet obligare pœnitentem ad integram reſtitutionem; quia ubi eſt peccatum noxium proximo, ibi eſt obligatio reſtituendi. Demum ſi culpa civilis ſit deducta ad forum contentioſum, & judex ſententiam tulerit, Confeſſarius debet obligare pœnitentem, ut ſententiæ judicis acquieſcat; quia ſententia lata ſecundum formam juris obligat in conſcientia.

Conſect. 2. Quando illatum eſt proximo nocumentum aliquod per culpam civilem, tam Confeſſarius, quam judex debent leges conſulere. Confeſſarius quidem, ut juſtam & æqualem compenſationem præſcribat, quam ex mente legum poterit expiſcari; judex vero, ut pœnas imponat legitimas & proportionatas, quas ex legibus poterit addiſcere. Ideo in gratiam tum Confeſſarii, tum judicis, proponemus quæ jus civile determinavit circa damnum illatum proximo per culpam civilem.

ARTICULUS III.

Quinam juxta leges civiles ob damnum illatum proximo obligantur, primo ad reſtitutionem, ſecundo ad aliquam pœnam.

PRop. *unica*. Quicumque contra jus nocet proximo vel per actionem inferendo damnum, vel per omiſſionem negligendo id, ad quod tenetur, obligatur juxta jus civile, primo ad æqualem compenſationem damni, ſecundo ad pœnam aliquam.

Prob. 1. Ex jure civili Inſt. lib. 3. toto titulo de obligationibus, ubi expreſſe dicitur, nos obligari erga proximum quatuor modis: ex contractu, ex quaſi contractu, ex delicto, ex quaſi delicto: atqui hæc quadruplex obligatio, quatenus naturalis, exigit compenſationem æqualem; quatenus civilis, importat pœnam ſubeundam, ut habetur eodem titulo: ergo quicumque nocet proximo, non ſatisfaciendo obligationibus, quibus erga ipſum obligatur, tenetur primo ad æqualem compenſationem, ſecundo, ad pœnam inflictam a judice.

2. *Rat.* Quicumque contra jus nocet culpabiliter proximo, bis peccat, primo lædit bonum privatum proximi, cui nocet, ſecundo lædit Rempublicam, cujus bonum publicum offendit: ergo ad duo juxta leges obli-

obligatur; primo ad æqualem compensationem, ut satisfaciat proximo, cui nocuit; secundo ad pœnam, ut satisfaciat Reipublicæ, cujus statuta infregit.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. De obligationibus ortis ex *contractu*. Quicumque nocent proximo, non satisfaciendo obligationibus ortis ex contractu, tenentur primo ad æqualem compensationem, secundo ad pœnam; quia sunt in culpa, quæ nocet proximo.

Sic emptores & venditores, mutuatores & mutuatarii, deponentes & depositarii, qui vel iniquas apponunt suis contractibus conditiones, vel æquas conditiones jam appositas exacte non observant, obligantur & ad compensationem damni, quod inferunt proximo, & ad pœnam, quam meretur eorum infidelitas.

Consect. 2. De obligationibus ortis *ex quasi contractu*. Quicumque nocent proximo non satisfaciendo obligationibus ortis ex quasi contractu, tenentur primo ad æqualem compensationem, secundo ad pœnam inflictam a judice; sunt enim in culpa, qua nocent proximo.

Sic qui nocent proximo per negotiorum gestionem, per tutelæ administrationem, per rerum communionem, scilicet deteriorem efficiendo rem, quam habent cum aliis communem, per hereditatis additionem, per indebiti solutionem; tenentur primo ad æqualem compensationem damni, secundo ad pœnam, quam meretur eorum infidelitas.

Consect. 3. De obligationibus ortis ex maleficio. Quicumque nocent proximo per delictum, idest, per offensionem contra jus illatam, obligantur primo ad æqualem compensationem, secundo ad pœnam; sunt enim in culpa, qua nocent proximo.

Sic fures, raptores, &c. obligantur primo ad compensationem æqualem, secundo ad pœnam inflictam a judice. Olim fures & raptores obligabantur ad quadrupli restitutionem; jam vero damnantur vel suspendio, vel triremibus, vel publica flagellatione.

Consect. 4. De damno *per legem Aquiliam vetito*. Quicumque damnum infert rebus animatis, vel inanimatis ad proximum pertinentibus, tenetur primo ad æqualem compensationem, secundo ad pœnam inflictam a judice; ita enim habet lex Aquilia: *Si quis alienum hominem*, v. g. mancipium, *aliamve quadrupedem, quę e pecudum numero sit, injuria occiderit; quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur ..... Item in omnibus rebus, quæ anima carent, damnum per injuriam datum hac parte vindicatur. Si quid enim justum, aut raptum, aut fractum fuerit, actio ex hoc capite constituitur*, qua scilicet & damnum reparatur, & justa pœna infligitur. *Inst. lib.* 4. tit. 3. §. 12.

Consect. 5. De damno illato *per injuriam*. Quicumque damnum inferunt proximo per injuriam, idest, per actionem dolo malo cum alterius contumelia commissam, obligantur primo ad æqualem compensationem, secundo ad pœnam inflictam a judice; sunt enim in culpa, qua nocent proximo.

Sic qui per injuriam realem inferunt manus contra corpus proximi aut aliorum, qui ad proximum pertinent, puta, contra corpus uxoris, filiorum, aut servorum, tenentur primo exhibere satisfactionem, deinde pœnam inflictam a judice subire, v. g. carcerem, exilium pati, mulctam pecuniariam solvere; id enim meretur eorum audacia.

Sic qui per injuriam verbalem, v. g. per verba atrocia, per libellos famosos inhonorant proximum, tenentur primo ad æqualem satisfactionem, deinde ad subeundam pœnam inflictam a judice, v. g. ad injuriarum retractationem, ad publicam libelli famosi combustionem; id enim meretur eorum tum in loquendo, tum in scribendo procacitas.

Consect. 6. De damno illato *ex quasi delicto*. Quicumque nocent proximo ex quasi delicto, idest, per actionem, aut omissionem, quæ sine dolo & intentione agentis contigit, tenentur primo ad æqualem compensationem, secundo ad subeundam pœnam inflictam a judice; licet enim ex pravo affectu non egerint, tamen sunt in culpa, qua proximo nocuerunt.

Sic qui nocuit proximo aut dejiciendo, aut effundendo id, quod dejici, aut effundi non oportebat, aut male suspendendo ea, quæ alibi aut aliter suspendi oportebat, aut animalia noxia non retinendo, tenetur ad æqualem compensationem, & ad pœnam inflictam a judice; id enim meretur ejus imprudentia. Et ut hæc materia clarius pateat, sit

Consect. 7. De damno causato *ex projectis, vel effusis*. Quicumque damnum causat vel projiciendo, vel effundendo id, quod projici aut effundi non oportebat, tenetur damnum reparare, & sententiam judicis subire; ita enim habet jus civile: *Prætor ait de his, qui dejecerint, vel effuderint: unde in eum locum, quo vulgo iter fiet, vel in quo consistetur, dejectum, vel effusum quid erit, quantum ex ea re damnum datum, factumve erit, in eum, qui ibi habitaverit, in duplum, judicium dabo.* L. 1. ff. *de his qui effuderint, vel dejecerint.*

Sic

Sic, si unus sit tantum habitator ea in domo, ex qua dejectum & effusum est id, quod nocuit, ille solus *suam suorumque culpam præstare debet*. L. 6. ibid v. g. præstare debet culpam filiorum, scholasticorum, hospitum, tyronum, &c.

Sic, si plures in eodem cœnaculo habitent, unde dejectum est aut effusum id, quod nocuit, in quemvis in solidum actio dabitur; tunc enim impossibile est scire quis deiecerit: si vero plures divisim cœnaculum habitent, actio in eum solum dabitur, qui habitat eam partem, unde res noxia effusa est, aut dejecta. L. 5. ibid.

Consect. 9. De damno causato *ex ruina ædificiorum*. Quando damnum provenit ex lapsu ædificiorum ruinas minitantium, si ædium domini præmoniti omiserint eam ruinam præcavere, tenentur primo ad æqualem compensationem damni, secundo ad certam pœnam; quia sunt in culpa, quæ nocuit proximo. „Si ædificium, inquit lex, non casu fortuito, v. g. vi tempestatis, sed defectu fulcri labatur, dominus ædificii damnum omne reparabit.“ L. 7. ff. *de damno infecto*.

Consect. 10. De damno causato *ab animalibus* dominum habentibus. Domini, quorum animalia damnum aliquod intulerunt, tenentur aut damnum illud reparare, aut ipsum animal ei, qui læsus est, cedere; ita enim habet Justin. lib. 4. inst. tit. 9. *Animalium nomine, quæ ratione carent, si qua lascivia, aut pavore, aut feritate pauperiem fecerint, noxalis actio lege duodecim tabularum prodita est; quæ animalia si noxæ dedantur, proficiunt reo ad liberationem*.

Sic, si animal pascendo noceat pratis, vineis, campis, arboribus, dominus animalis reparare cogitur damnum illatum. L. 1. ff. *Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur*.

Sic, si equus vel mulus, &c. impetu suo nocuerint, damnum solvet qui debebat retinere. Ibid.

Sic qui boves cornupetas, equos calcinosos, canes rabidos, ursos feroces habent, tenentur de damno illato, sive feræ illæ ultro damnum inferant, sive inferant concitatæ ab aliis feris; quippe si inferant ultro, domini earum, qui eas retinere debuissent, tenentur de damno illato; si vero inferant damnum concitatæ ab aliis feris, domini ferarum concitantium tenentur de damno illato. Ita habet jus civile: *Et si alia quadrupes aliam concitaverit, ut damnum daret, ejus, quæ concitarit, nomine agendum erit*. Ibid.

ARTICULUS IV.

Quandonam judex soleat ad integram restitutionem, imo ad aliquam pœnam damnare eos, qui de damno illato accusantur.

PRop. *unica*. Toties judex solet ad integram restitutionem, & insuper ad aliquam pœnam damnare eum, qui accusatur, quoties in eo, qui in judicium vocatur, præsumitur dolus, vel culpa; minime vero, si absit omnis dolus, & omnis culpa.

Prob. 1. Scriptura Lev. 12. ubi habetur, quod si judex invenerit rem datam alicui cum ipsius fraude periisse, ille, cui res data est, duplo damnabitur. Si vero adhibito juramento constet illum non extendisse manum in rem proximi, *ille reddere non cogetur*: ergo qui vocatur in judicium pro damno illato proximo, ad restitutionem, & insuper ad pœnam damnatur, si in eo præsumatur fraus; minime vero, si nulla sit præsumptio fraudis.

2. *Rat.* Ad judicem pertinet omnem dolum punire, & negligentiam omnem mulctare, ne malitiose vel ignoranter proximo noceatur: ergo judex & potest & debet juxta præscriptum legis, 1. ad integram restitutionem, 2. ad aliquam pœnam damnare eum, in quo vel dolus vel culpa præsumitur: debet vero & a pœna & a restitutione eximere eum, qui est innocens.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *De his quæ casu contingunt*. Nemo obligari potest vel ad pœnam, vel ad restitutionem ob ea, quæ casu eveniunt: *quæcumque* enim, ut habet jus civile, *casu sine culpa accidunt, a nullo præstantur*. L. 23. ff. de reg. juris.

Sic quoties res perit *casu* citra omnem dolum & culpam detinentis, perit non in damnum detinentis, sed in damnum domini: v. g. si res commodata, deposita, vendita, oppignorata, &c. pereat *casu*, perit domino; ut enim habetur in jure civili, *rapinæ, tumultus, incendia, aquarum magnitudines, impetus prædonum, &c. a nullo præstantur*. L. 23. ff. de reg. juris.

Sex sunt tamen casus, in quibus nego-

tio-

tiorum gestor tenetur præstare, & restituere ea, quæ forte casuve pereunt, ut habetur ff. *de negotiis gestis*. 1. Si gessit negotia pupill. 2. Si accessit animo deprædandi. 3. Si ad nova negotia se ingessit. 4. Si casum in se specialiter recepit. 5. Si culpa præcesserit casum. 6. Si fuit in mora.

Consect. 2. *De his, quæ ex dolo contingunt*. Quicumque dolo malo operatur, obligatur & ad pœnam, & ad restitutionem eorum, quæ ex dolo eveniunt, obligatur ad pœnam ut satisfaciat fraudi; obligatur ad restitutionem, ut reparet damnum: ut enim vulgo dicitur, nemini sua fraus patrocinari debet.

Sic, si quis *dolo malo* rem alienam detineat, v. gr. fur, raptor, & hæc pereat *casu*, perit in damnum retinentis, tenetur que pœnam aliquam subire, & rem, quæ periit, una cum suis fructibus restituere.

Sic, si quis *dolo malo* invito domino rem alterius contrectet, v. g. si contra, vel præter voluntatem domini depositarius utatur re deposita, commodatarius abutatur re commodata, venditor retineat rem venditam: si hæ res pereant *casu*, pereunt in damnum detinentis, teneturque pœnam aliquam subire, & rem, quæ periit, una cum fructibus restituere.

Consect. 3. *De his, quæ ex culpa contingunt*. Quicumque ex culpa vel lata vel levissima damnum infert, obligatur 1. ad restitutionem 2. ad pœnam; ad restitutionem quidem, ut damnum reparetur; ad pœnam vero, ut culpa puniatur: æquum enim est, ut damnum quodcumque resarciatur, & culpa quælibet puniatur.

ARTICULUS V.

Ex qua culpa teneatur quis ad restitutionem ratione contractus, vel quasi contractus, ratione officii vel gratuiti, vel lucrativi.

PRop. *unica*. In præscribenda restitutione, quæ oritur ex culpa, quæ committitur in violatione contractus, aut quasi contractus, in omissione officii vel gratuiti, vel lucrativi, attendenda est natura contractus, aut quasi contractus, qui infringitur, natura officii, quod omittitur, & gravitas culpæ, quæ committitur, ut juxta conditionem contractus & officii, & juxta gravitatem culpæ pensetur restitutio.

Prob. rat. Quando restitutio est facienda ob culpam commissam in violatione contractus, aut quasi contractus, in omissione officii vel gratuiti, vel lucrativi, hæc obligatio originem ducit ex duplici capite; primo ex nexu contractus, aut quasi contractus, qui infringitur, ex qualitate officii, quod omittitur; secundo ex gravitate culpæ, quæ committitur: ergo in præscribenda hujusmodi restitutione pensanda est natura contractus, aut quasi contractus, qui infringitur, qualitas officii, quod omittitur, & gravitas culpæ, quæ in hacce violatione aut omissione perpetratur; ut sic juxta regulas æquitatis præscribatur restitutio, pensatis omnibus, quæ eam obligationem aut leviorem aut firmiorem possunt efficere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *De restitutione orta ex violatione contractus, aut quasi contractus*. Quando res alteri tradita perit non casu, sed ex culpa, hæ regulæ sunt observandæ.

Si contractus aut quasi contractus sit in utilitatem solius recipientis, ut fit in commodato, recipiens commodatum tenetur ad restitutionem etiam ex levissima culpa; æquitas enim postulat, ut quoties res datur in utilitatem solius recipientis, iste, utpote commodum ex re data solus capiens, teneatur diligentiam exactissimam adhibere, & proinde ad restitutionem ex culpa etiam levissima obligetur.

Si contractus sit in utilitatem solius dantis, ut fit in deposito, recipiens tenetur ad restitutionem solum ex lata culpa; æquitas enim exigit quod recipiens, utpote solus onera sustinens, & utilitatem nullam expectans, teneatur tantum communem diligentiam adhibere, & proinde ad restitutionem solum ex lata culpa teneatur.

Si contractus sit in utilitatem utriusque & dantis & recipientis, ut fit in oppignoratione, recipiens tenetur ad restitutionem ex culpa levi & lata; cum enim uterque & dans & recipiens commodum ex hujusmodi contractu expectent, sufficit, ut recipiens exactam diligentiam adhibeat.

Sic, si res commodata pereat, cum da-

ta sit in utilitatem solius recipientis, perit in damnum solius detinentis, etiam si pereat ex levissima culpa; a fortiori si pereat ex levi, vel lata culpa: ita enim habet jus Canon. *Cum gratia sui quis tantum commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur*. Cap. *Cum gratia. De commodato*.

Sic, si res deposita pereat, cum data sit in utilitatem solius dantis, si pereat solum ex culpa levissima & levi, perit in damnum domini; perit vero in damnum detinentis, quando perit ex lata culpa, quæ dolo malo comparatur: sic enim habet jus civile: *Is, apud quem res aliqua deponitur, ex eo solum tenetur, si quid dolo commiserit*. Lib. 3. *inst. tit.* 15. §. 3.

Sic, si res locata, conducta, oppignorata, vendita pereat, cum data sit in commodum utriusque dantis & accipientis, perit in damnum domini, si pereat ex levissima culpa; perit vero in damnum detinentis, si pereat ex levi & lata culpa: ita enim habet jus civile Lib. 3. instit. tit. 15. §. 4. loquens enim de oppignoratione sic decernit: *Placuit sufficere si ad eam rem*, scilicet oppignoratam, conductam, venditam, *custodiendam, exactam diligentiam adhibeat; quam si præstiterit, & aliquo casu fortuito rem amiserit, securum esse, nec impediri creditum petere*.

Consect. 2. De restitutione orta ex omissione officii. Quando omissio officii est damnosa proximo, sequentes possunt statui regulæ.

Si officium vel publicum, vel privatum non obliget ad exactissimam diligentiam, aut ex vi conventionis, aut ex periculo rei, quæ administratur, tunc omittens officium tenetur ad restitutionem solum ex *culpa levi & lata*, minime vero ex *levissima*; quia sufficit, ut diligentiam communem adhibeat.

Si officium vel publicum vel privatum obliget ad exactissimam diligentiam, aut ex vi conventionis, aut ex periculo rei, quæ administratur, tunc omittens officium tenetur ad restitutionem etiam *ex levissima culpa*; quia tunc oportet, ut exhibeat se diligentissimum.

Sic ob *levem & latam culpam*; minime vero ob *levissimam*, ad restitutionem damnari solent negligentes Medici, Advocati, Judices, Parochi, artifices, famuli, nautæ, caupones, stabularii, & alii hujusmodi, quoties in officio, quod exercent, delinquunt; *ex officio* enim & *professione* communem saltem tenentur diligentiam adhibere: ideo de his dicit jus Canon. *Si culpa tua*, inquit, *damnum est datum .... jure super his satisfacere te oportet*. Cap. *si culpa tua. De injuriis & damno dato*.

Sic Theologi, Juris-Consulti, Sacerdotes ad restitutionem damnari solent, si ex lata culpa & dolo pravum consilium dederint, determinantes aliquem teneri ad restitutionem qui non tenetur, vel non teneri qui revera tenetur: id enim videtur expressum in 62. Regula juris in 6. *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*, & quia lata culpa dolo æquiparatur: Ergo prædicti ex *lata culpa* ad restitutionem obligantur. Addiderim & ego eosdem sæpe ad restitutionem adstringi ex *levi culpa*; quia tanto muneri non debent se immiscere, nisi saltem communi diligentiæ adhibendæ pares sint: temeritas enim illa lata culpa est, quæ dolo æquiparari potest.

Sic ad restitutionem damnari solent etiam *ex levissima culpa*, quicumque ultro ad aliquid præstandum sese offerunt, qui se promittunt diligentissimos; impediunt enim, ne id munus diligentiori committatur: id ita decernit jus civile L. 3. inst. tit. 28. §. 1. Eo in casu, inquit, *ad exactissimam diligentiam compellitur reddere rationem*.

Ex *levissima* etiam culpa ad restitutionem damnari solent qui suas operas locant in re, quæ singularem diligentiam postulat, v. g. in transferenda columna, quæ sine magno periculo transferri nequit, in adamante expoliendo, & in aliis similibus rebus, quæ tales sunt, ut facile frangi possint; in his enim conventionibus expressa aut tacita habetur promissio eorum, qui suas operas locant, fore se diligentissimos. Ita habetur L. *Si merces*. Lib. 19. ff. tit. 2. §. 7.

CAPUT IV.

Quinam sint illi, qui post violatam justitiam commutativam, & ob id obligati ad restitutionem, possunt tamen absque peccato vel restitutionem omnino omittere, vel eam ad tempus differre.

ARTICULUS UNICUS.

De causis, quæ etiam post violatam justitiam commutativam vel tollunt obligationem restitutionis, vel eam saltem ad tempus suspendunt.

PRop. *unica*. Illud obligatos ad restitutione excusat a restitutione vel absolute, vel hic & nunc facienda, quod efficit, ut

ut creditor nequeat exigere rem restituendam, nisi sit irrationalis & iniquus exactor.

Prob. 1. Scriptura. Exod. 22. v. 25. sic habetur. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor:* ergo sicut in aliquibus casibus creditor non potest juste exigere solutionem; ita etiam in aliquibus casibus qui læsus est, non potest exigere restitutionem: Ergo sicuti solutionem, ita & restitutionem omittere, vel differre possumus, quoties ille, qui exigit, haberetur irrationalis & iniquus exactor.

2. Ex Jure Canonico. Cap. *Odoardus* de solutionibus: ubi Gregorius nonus ex professo definit, quod si Odoardus, qui propter debita fuerat excommunicatus, vel in toto, vel in parte non possit solvere, sit ab excommunicatione absolvendus: recepta prius ab eo idonea cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta persolvat; quia scilicet eo in casu creditor esset exactor iniquus & irrationalis.

3. Ex D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 8. ad 2. ubi sic habetur: *Quando aliquis*, inquit, *non potest statim restituere, ipsa impotentia absolvit eum ab instanti restitutione facienda; sicut etiam totaliter a restitutione absolvitur, si omnino sit impotens*: Ergo toties obligatus ad restitutionem ab ea vel omnino, vel ad tempus eximitur, quoties impotens est ad restituendum, & quoties creditor iniquus exactor haberetur.

4. *Rat.* Restitutio est actus virtutis moralis, scilicet justitiæ commutativæ: ergo debet regulari per rationem; quia virtus est recta ratio: debet etiam dirigi per caritatem; quia finis præcepti est caritas: atqui & ratio & caritas vetat, ne exigatur restitutio, quoties creditor iniquus exactor haberetur; etenim obligatio dandi non potest urgere, quando est iniquitas exigendi: ergo restitutio toties vel omitti omnino, vel ad tempus differri debet, quoties creditor exactor iniquus haberetur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Necessitas extrema, vel gravis excusant a restitutione; iniquus enim esset creditor qui debitum exigeret a debitore extremam vel gravem necessitatem patiente: ratio enim dictat, quod ad impossibile nemo teneatur, & proinde quod ad impossibile nemo teneatur, & proinde quod iniquitas summa sit, si exigas a debitore quod tibi solvere nequaquam potest.

Sic necessitas extrema vel tua, vel uxoris, vel filiorum, vel parentum, imo & aliquando fratrum, liberat te, quamdiu durat, ab omni restitutione, etiam si creditor eamdem necessitatem extremam patiatur; quia in extrema necessitate omnia sunt communia quoad usum, & potior est conditio possidentis. Ita Silvius in 2. 2. q. 62. art. 8.

Si tamen creditor ex tua injusta ablatione extremam necessitatem patiatur, debes illum ex bonis suis ei injuste ablatis juvare, quia non decet iniquitatem tibi prodesse, dum alter, qui ex tua injustitia damnum passus est, in simili necessitate ex tua etiam culpa versatur. Silvius ibid.

Sic gravis necessitas permittit tibi dilationem restitutionis; etiam si creditor sit in simili necessitate, modo ea necessitas ex tua culpa debitori non obvenerit; gravis enim necessitas, inquit Silvius, vicina est extremæ.

Consect. 2. Ingens damnum nascens ex restitutione excusat a restitutione, modo creditor simile damnum non patiatur ob omissam aut dilatam restitutionem; creditor enim iniquus exactor haberetur, si cum ille damnum non patitur, restitutionem a debitore exigeret cum maximo damno illius vel in salute, vel in vita, vel in honore, vel in bonis fortunæ: ita enim jubet ipsummet jus civile Lib. 50. ff. de regulis juris, reg. 173. ubi sic habetur: *In condemnatione personarum, quæ in id, quod facere possunt, damnantur, non totum, quod habent, extorquendum est; sed & ipsorum ratio habenda est, ne egeant.*

Sic excusaris a restitutione, si non possis restituere sine salutis dispendio, verb. gr. si videas, quod ob restitutionem, quam meditaris facere, & ob inopiam, quam restituendo incurres, uxor lapsura sit in adulterium, filiæ tuæ prostituent se, &c. Item excusaris a restitutione, si non possis restituere, nisi exponendo te periculo perdendi vitam, periculo manifestandi secretum crimen, quo cognito vel ad mortem damnaberis, vel infamiam incurres; salus enim æterna, vita etiam temporalis, imo & bonum nomen, præponderant facultatibus temporalibus: & proinde iniquus esset creditor, qui restitutionem boni temporalis exigeret cum damno tuæ salutis, tuæ vitæ, tui honoris.

Sic excusaris a restitutione, si eam facere nequeas, nisi perdendo duplo majus, quam

quam debeas, quando creditor similem jacturam ex dilatione restitutionis non patitur; iniquum enim videtur, quod creditor exigat debitum cum tanta bonorum temporalium debitoris jactura: si tamen creditor similem jacturam pateretur, teneris restituere; quia in pari causa melior est conditio creditoris.

Consect. 3. Lapsus a priori statu juste obtento excusat a restitutione, modo creditor ex dilatione restitutionis similem jacturam non patiatur; irrationalis enim esset creditor, qui exigeret debitum, cujus solutio statum vel a piis parentibus acceptum, vel justis mediis acquisitum omnino disturbaret; sufficit enim, ut debitor statum suum minuat, expensis parcat, & omnibus, quibus poterit, modis creditori satisfaciat: ut enim optime ait Scotus, in 4. dist. 15. q. 2. *Creditor debet magis velle, ut vitetur magnum incommodum proximi restituentis, quam modicum incommodum suum in illa modica dilatione.*

Si tamen debitor statum acquisierit mediis injustis, & publice notis, tenetur statim restituere etiam cum talis status dispendio; decidere enim a tali statu non infamia est, sed decus, inquit Silvius: nec is dicendus est statum suum amittere, sed ad priorem reverti; nec ille amittit sua, sed reddit aliena.

Rursus si statum illum novum acquisierit mediis injustis, sed incognitis, non tenetur statim a conditione illa, licet injuste obtenta, cum sui diffamatione decidere, sed debet sumptibus parcere, sibi necessaria denegare, ut quam citissime eis, quibus occulte nocuit, occulte impendat quod eis debetur; injustus enim esset creditor, qui exigeret publicum fieri crimen, quod occultum est: quod forte eveniret, si iste a statu suo volens decideret subito; sed æquissimus est creditor, qui exigit ei occulte reddi quod ei occulte sublatum est.

Consect. 4. Cessio bonorum excusat debitorem a restitutione, est enim cessio dimissio bonorum omnium in manibus creditorum; injustus esset autem creditor, qui a debitore restitutionem exigeret, cum omnia ipsius debitoris bona in sua potestate haberet. Lex vero Julia illud beneficium debitoribus indulsit, *ut cedendo bonis, vinculorum, servitutis, carcerisque injurias subterfugere possint*: inquit Cujacius lib. 3. observ. cap. 39. Qui cedunt bonis suis, debent omnia sua bona usque ad quadrantem indicare, & indicata relinquere; alias ut reus furti puniri posset. L. 4. Cod. *Qui bonis cedere non possunt*; ex humanitate tamen vestes quotidianæ eis relinquendæ sunt. L. 1. C. ibidem. Ex Caroli. V. Constitutione præter vestem & lectum cum suis ornamentis, & ex rebus mobilibus, quantum satis est ad usus necessarios, minoris pretii relinquitur; durius enim esset debitorem omni veste & necessaria supellectili spoliare: a fortiori relinquenda sunt ea, quæ sunt absolute necessaria ad sustentandam vitam, verb. gr. instrumenta artis, quibus, qui bonis cessit, victum & vestitum lucrabatur.

Cessio non liberat omnino debitorem a restitutione; sed tantum impedit, ne a creditoribus inquietari possit. Ideo qui cessit bonis, manet semper coram Deo obligatus ad restitutionem, donec creditores omne debitum acceperint. L. 4. ff. de Cessione bon. Si postea ad locupletiorem fortunam perveniat, tenetur uti his bonis, quæ post cessionem acquisivit, ut creditoribus satisfaciat; obligatio enim restituendi fundatur in jure naturæ, quod utique semper viget.

Consect. 5. Legitima præscriptio excusat a restitutione; quia Respublica utpote bonorum domina transfert dominium legitime præscribentibus. Quæ sint conditiones legitimæ præscriptionis, diximus supra.

Consect. 6. Compensatio legitima excusat a restitutione; quia compensatio est actio, qua quis sumit quod suum est, quod licitum est cum certis conditionibus, ut dictum est ubi de furto.

Consect. 8. Condonatio libera, & non coacta excusat a restitutione; quia quilibet potest dare alteri quod suum est.

Condonatio debet habere sequentes conditiones. Debet fieri ab eo, qui sit dominus rei, cujus fit remissio: & ita filius-familias, pupilli, Religiosi, qui non habent dominium, condonare non possunt; qui enim nihil habet, libertatem rei alienæ dare non potest. Can. Abbat. dist. 54. 2. Debet esse libera; quia qui coactus dat, non censetur dare: unde si quis vi, minis extorserit remissionem, non excusatur a restitutione. 3. Debet fieri sine fraude, sine mendacio, sincere exponendo omnia, v. g. qui petit condonationem, debet exponere qualitatem rei ablatæ vel detentæ, statum suum sine fuco, sine mendacio; quia nemini sua fraus patrocinari debet. 4. Personæ, quibus fiunt condonationes, non debent esse ex jure positivo incapaces hujus condonationis: sic visitatores, qui accipiunt

piunt aliquid præter sumptus necessarios, judices, qui aliquid extorquent a clientibus, inquisitores, qui aliquid accipiunt ab his, qui accusantur, Canonici, qui accipiunt quotidianas distributiones, licet choro non inter fuerint: hi omnes non excusantur a restitutione ob condonationem illis factam; quia lex vetat eis fieri condonationem.

Consect. 8. De condonatione circa famam. Diffamatus non potest condonare restitutionem famæ sibi ablatæ, si sit persona publica, imo si sit persona privata, quando diffamatio vergit in præjudicium tertii; quia nemo potest condonare id, cujus non est dominus: qui autem gerit personam publicam, non est dominus suæ famæ; imo nec privatus, quando ejus diffamatio vergit in præjudicium tertii.

Sic Episcopus, Sacerdos, Parochus, Prætor civilis, diffamati non possunt condonare restitutionem famæ, sed tenentur exigere reparationem.

Sic privatus homo diffamatus, cum ejus diffamatio vergit in præjudicium tertii, v. g. pater diffamatus cum præjudicio familiæ, non potest condonare restitutionem.

Sic homo privatus diffamatus circa crimen inducens diffamationem Ecclesiæ, vel Reipublicæ, non potest condonare restitutionem. Homo privatus diffamatus, quando nullum est præjudicium tertii, juxta Sotum & Sylvium potest condonare restitutionem; quia est dominus suæ famæ: juxta Cajetanum, non potest; quia non est dominus famæ suæ, sicuti nec vitæ suæ.

CAPUT V.

De materia restitutionis, sive de rebus, in quibus fieri debeat restitutio.

ARTICULUS UNICUS.

An res ablata, vel alia similis sit restituenda.

PRop. unica. Quoties fit restitutio, toties res ipsa ablata debet restitui, si possit; vel si non possit, debet restitui alia æquivalens, & non longe absimilis.

Prob. rat. Restitutio est actus justitiæ commutativæ, per quam res aliena redditur vero domino, & damnum illatum reparatur: ergo, si res ablata existat, debet eadem reddi domino; si vero non subsistat, debet reddi æquivalens non longe absimilis, ut sic damnum compensetur.

Consectaria bujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quoties res aliena existit in natura, illa eadem restituenda est, & non sufficit quod valor ejus restituatur; res enim quælibet domino clamat.

Sic qui lædit proximum in corpore, injuste incarcerando, debet ei reddere libertatem: qui lædit in honore, inhonorando, debet debitam reverentiam rependere: qui lædit in fama, diffamando, debet calumniam retractare: qui lædit, inducendo ad peccatum, debet scandalum reparare: qui lædit in bonis temporalibus, detinendo rem corporalem vel incorporalem, mobilem vel immobilem, debet statim rem detentam reddere.

Consect. 2. Quoties res ipsa ablata non potest restitui, debet restitui quid simile & æquivalens; quia aliter damnum reparari non potest: ideo ait Script. *Qui percusserit animal, reddet vicarium*. Lev. 24. Sic qui damnum intulit proximo, bona illius destruendo, debet bona destructa reparare, si possint reparari.

Sic qui damnum intulit proximo, bona illius consumendo, debet bona consumpta æstimare, & valorem illum reddere.

Consect. 3. Quoties restitui non potest res ejus ordinis, cujus erat res ablata, v. g. amputato brachio, non potest reddi brachium, tunc reparatio debet fieri per rem alterius ordinis vel inferioris, vel superioris: hoc innuit scriptura Exod. 21. *Si percusserit quispiam oculos servi sui, aut ancillæ, & lippos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit*; ubi oculus erutus libertate compensatur. Et Divus Thom. *In quibus non potest recompensari æquivalens, sufficit, quod ibi recompensetur quod possibile est. Sicut patet de honoribus qui sunt ad Deum & ad parentes*. 2. 2. q. 62. a. 2.

Sic, ut optime monet Cajetan. post D. Th. damna vitæ, membrorum, sanitatis, libertatis, honoris, famæ, jurium, fructuum, seminum, damni emergentis, vel lucri cessantis, & similium, restituenda sunt, ut possibile est, in bonis aliquibus loco damnorum, ita ut boni viri arbitrio satisfactum reputetur quantum ad quid.

Sic cum aliquis alicui abstulit membrum, debet ei recompensare vel in pecuniis, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personæ, secundum arbitrium boni viri. D. Thom. Ibid.

Sic cum aliquis sustulit alicui sanitatem cor-

corporalem, integritatem virginalem, debet illa bona per res alterius ordinis compensare, v.g. per pecunias, per exhibitionem honoris, per preces erga Deum fusas.

Sic cum quis lædit proximum in bonis animæ, v.g. inducendo vel in errorem, vel in peccatum, restitutio debet fieri hoc pacto, inquit Cajetan. v. restitutio. *De bonis autem animæ*, inquit, *si pertinent ad partem intellectivam, ut si quis damnificavit, docendo aliquem falsa, tenetur restituere, docendo vera, vel saltem significando illi, quod falsa sunt quæ docuit: si autem pertinent ad partem affectivam, ut sunt illa, quæ pertinent ad mores, quæ non possunt ab invito tolli, nec ab altero restitui; tunc tenetur dare operam ad reducendum eumdem ad bonos mores, si potest, vel saltem orationibus, jejuniis, eleemosynis juvare illum, ut resipiscat.*

CAPUT VI.

De quantitate restitutionis,

sive

Quantum crescere debeat restitutio, ut perveniatur ad æquale.

ARTICULUS I.

Ostenduntur quædam notiones ad mensurandam quantitatem restitutionis necessariæ.

§. I.

De variis modis, quibus res aliena & acquiri, & possideri potest.

Res aliena & acquiri, & haberi potest tripliciter, scilicet bona fide, mala fide, dubia fide.

Res aliena acquiritur, & possidetur bona fide, quando ex ignorantia inculpabili credimus rem, quam acquirimus, vel possidemus, justo titulo acquiri & possideri, licet in rei veritate res illa vel male acquiratur, vel male possideatur.

Res aliena acquiritur, & possidetur mala fide, quando eam vel falso titulo acquirimus, vel falso titulo possidemus, scientes rem illam vel male acquiri, vel inique possideri.

Res aliena acquiritur, & possidetur dubia fide, quando dubium probabile suggerit, locum esse timendi, ne res, quam acquirimus, vel possidemus, falso titulo acquisita fuerit, vel falso titulo possideatur.

Res aliena potest haberi vel in seipsa, vel in sui valore. Res habetur in seipsa, cum habetur res in sua natura, v. g. equus, liber, &c. Res habetur in sui valore, cum non habetur res in sua natura, sed habetur illius pretium, vel habetur res propria conservata, quæ consumpta fuisset, nisi intervenisset usus rei alienæ.

§. II.

Qui & quot possint esse fructus unius & ejusdem rei.

Fructus alii sunt naturales, alii industriales, alii mixti.

Fructus naturales sunt ii, quos res ipsa fert quasi sine ullo hominum labore, ut fœtus animalium, arborum fructus, sylvarum, & pratorum germina.

Fructus industriales sunt illi, quos hominum profert industria, quasi sine ullo naturæ adjutorio, ut sunt fructus ex negotiatione percepti.

Fructus mixti sunt illi, qui æque ex industria hominum, quam ex germinatione rerum emanant; ut segetes, quæ serendo gignuntur, oleum, vinum, quæ non sine multa industria, istud ex uvis, illud ex olivis exprimitur.

ARTICULUS II.

De æqualitate, quæ reperiri debet in restitutione facienda.

Prop. unica. In foro interiori restitutio debet solum fieri secundum damnum illatum proximo; sed in foro exteriori restitutio debet fieri, non solum secundum damnum illatum parti læsæ, sed secundum mulctam legitime inflictam a judice.

Prob. rat. Restitutio in foro interiori debet reparare solum damnum illatum; in foro vero exteriori debet reparare culpam commissam: ergo reus antequam sit condemnatus per judicem, non tenetur restituere plus quam accepit; sed postquam condemnatus est, tenetur damnum solvere, & pœnam subire.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quamvis vita, honor, virginitas essent bona, quæ ablata nullam jure naturæ inducerent obligationem restituendi, tamen, post latam judicis sen-

tentiam, reus tenetur solvere quod præscripsit judex, sive pro homicidio, sive pro mutilatione, sive pro defloratione, sive pro adulterio.

Consect. 2. Confessarius in foro interiori judicans, debet ad isthæc omnia attendere. 1. An res ablata sit sine pretio, ut vita hominis: an sit pretio æstimabilis, ut res in commercio hominum positæ. 2. An sit certi pretii, ut fundus: an incerti, ut res, quæ consistunt in jure. 3. An sit sterilis, ut argentum: an frugifera, ut fundus, animalia. 4. An secum trahat lucrum cessans & damnum emergens, vel solam sui importet ablationem. Item attendat Confessarius, an qui debet restituere, sit possessor bonæ, vel malæ, vel dubiæ fidei; juxta enim illa omnia diversæ statuuntur regulæ, quibus restitutio ad æqualitatem reducitur.

ARTICULUS III.

De mediis, quibus restitutio reduci potest ad æqualitatem.

PRop. *unica*. Ut restitutio fiat ad æqualitatem, & res quæ ablata est, & res quæ redditur, debent considerari in se, & in omnibus adjunctis, & juxta omnium illarum rerum circumstantias æstimari.

Prob. rat. Tunc restitutio fit ad æqualitatem, cum res ablata & reddita, ad invicem comparatæ, æqualis sunt valoris apud homines, ut patet: atqui ut sint æqualis valoris & res quæ ablata est, & res quæ redditur, debent in se & in adjunctis circumstantiis considerari, ut neutra aliam excedat: ergo, cum fit restitutio, res quæ ablata est, & res quæ redditur, debent in se & in circumstantiis adjunctis æstimari, & ad æqualitatem reduci.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Res, quæ sunt determinati pretii, ut pecuniæ; res omnes, quarum pretium fixum est a Republica; res, quæ sunt determinati numeri, ut oves mille, mille nummi, &c. determinatæ mensuræ, ut mille cadi vini, olei, &c. determinati ponderis, ut mille libræ plumbi, ferri, &c. debent primo restitui in eadem quantitate, secundo quantum fieri potest in eodem valore, ut sic res, quæ ablata est, & res, quæ redditur, non se excedant, sed ad perfectam æqualitatem reducantur.

Consect. 2. Res, quæ non sunt pretio æstimabiles apud homines, ut est vita, sanitas, integritas virginalis, honor, fama, debent ad aliquod pretium reduci ad arbitrium viri prudentis, & juxta illud pretium debet fieri restitutio parti læsæ. Arbitrium autem censebitur prudens, quando vita, sanitas, honor, fama reducentur ad idem circiter pretium, quod statuerunt judices infligentes mulctam parti læsæ attribuendam: atque ideo pro damno personali vitæ ablatæ, sanitatis alteratæ, virginitatis corruptæ, honoris læsi, famæ denigratæ, eadem circiter summa pecuniæ poterit exigi in foro interiori ab eo, qui læsit, ad quam judex eum damnasset in foro exteriori, si actio illa deducta fuisset ad forum contentiosum; sic enim res, quæ ablata est, & res quæ redditur, non censebuntur se excedere.

Consect. 3. Res, quæ sunt crescentis & decrescentis pretii, modo majoris, modo minoris emuntur, ut sunt res usuales, v.g. frumentum, vinum, oleum; res, quæ sunt materia artis, v.g. linum, lana, metalla, debent reddi juxta vulgare pretium, non ascendendo ad supremum, nec descendendo ad infimum; eo enim pacto res ablata & reddita non se excedunt, sed, ut fieri potest, ad æqualitatem reducuntur.

Consect. 4. Res, quæ sunt voluntarii pretii, ut libri, picturæ, margaritæ, canes, si res similes haberi non possunt, debent reddi juxta pretium communius, quo ut plurimum emi, & vendi solent a cordatis hominibus; hoc enim pacto res ablata & reddita ad æqualitatem reducuntur.

Consect. 5. Res, quæ sunt frugiferæ; vel sponte sua, ut animalia fœcunda, quales sunt oves, vaccæ, quales sunt etiam Sylvæ, prata; vel quæ sunt frugiferæ partim ex natura, partim ex industria, ut fundus, qui aratur & seritur: illæ, inquam, omnes res debent æstimari una cum fructibus, & valor tum rei, tum fructuum debet reddi deductis expensis; alias enim res non reducerentur ad justam æqualitatem.

Consect. 6. Res, quæ sunt in spe frugiferæ, ut arbores recens plantatæ, semina terræ mandata, merces negotiationi expositæ, animalia recenter nata, debent æstimari secundum probabilem earumdem rerum utilitatem; *tale enim damnum non oportet compensare ex æquo; quia minus est habere aliquid virtute, quam habere actu*, inquit *D. Th.* 2. 2. *q.* 62. *a.* 4.

Con-

Consect. 7. Res, quæ sunt omnino steriles, ut res usuales, argentum, aurum, vinum, oleum, frumentum, si factæ sunt frugiferæ per industriam accipientis, debent æstimari secundum valorem, quem habent ex se, & non secundum utilitatem, quam ob industriam accipientis acquisierunt; res enim exacte ad æqualitatem reducentur, si detur quod ablatum est, etsi non reddatur quod per industriam acquisitum est.

Consect. 8. Res, quæ secum trahunt lucrum cessans, & damnum emergens, ut pecuniæ ablatæ negotiatori, instrumentum artis ablatum artifici, debent æstimari, non solum in seipsis, sed etiam una cum lucris cessantibus & damnis emergentibus; alias non esset æqualitas inter rem ablatam, & redditam.

Prop. 2. Ut restitutio fiat ad æqualitatem, res ablata debet æstimari, non juxta utilitatem, quam lædens percepit, sed juxta detrimentum, quod læsus passus est.

Prob. ratione. Tunc restitutio fit ad æqualitatem, quando damnum illatum compensatur: ergo in restitutione facienda non attendi debet emolumentum, quod lædens percipit, sed damnum, quod læsus patitur; solet enim plerumque evenire, ut lædens nihil lucri percipiat ex injusta sua actione, ut contingit in homicidio, stupro, adulterio, incendio.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. *De quantitate restitutionis propter læsionem corporalem.* Qui injuste occidit, mutilat, percutit, debet aliquid restituere, primo pro damno personali, deinde pro damno reali; alias enim restitutio non reduceret res ad æqualitatem, cum læsus & damnum personale, & damnum reale passus fuerit.

Damnum personale est ipsa vita ablata, membrum abscissum, vulnus inflictum; quæ omnia æstimari debent arbitrio viri prudentis, ut pro illis fiat compensatio.

Damnum reale est vel lucrum temporale cessans, vel damnum temporale emergens ob injustam illam occisionem, mutilationem, & percussionem; quod damnum pariter æstimari debet, ut pro illo pariter damno compensatio fiat.

Sic solvendæ sunt non expensæ solitæ funeris, hæ enim evenissent, etiam si mors naturalis contigisset; sed expensæ extraordinariæ funeris, si quæ factæ sint, expensæ factæ in curatione & medicamento vulnerati, vel occisi; hæ enim damnum pariunt ex injusta actione emergens.

Sic rependenda sunt lucra, quæ homo occisus vel vulneratus, ex arte sua, vel suo commercio assecutus fuisset probabiliter; tunc enim est lucrum cessans.

Consect. 2. *De quantitate restitutionis propter stuprum illatum.* Qui Virginem invitam & reluctantem vel vi, vel fraude defloravit, debet reparare & damnum personale, & damnum reale, & damnum honoris; alias enim restitutio non reduceret res ad æqualitatem. Ita D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2.

Damnum personale est ipsa Virginitas ablata injuriose: damnum reale est lucrum temporale cessans, vel damnum temporale emergens ob talem deflorationem: damnum honoris est ipsa Virginis & parentum diffamatio. Hæc enim æstimanda sunt, & juxta prudentum æstimationem compensanda.

Sic pro Virginitate erepta *tenetur deflorator*, inquit Sylvius, *ad arbitrium prudentis viri aliquid tribuere, ut sic satis faciat pro injuria, nisi remissionem obtinuerit*. In 2.2.q. 62. Et Salmaticen. *In quocumque eventu debet Confessarius*, inquiunt, *aliquam pœnam pecuniariam violatoribus divitibus imponere Virgini defloratæ solvendam.*

Sic pro damno reali, 1. Solvendæ sunt a defloratore omnes expensæ necessariæ ad occultandam deflorationem, ad nutriendam & educandam prolem, si fœtus nascatur. 2. Solvendum est augmentum dotis necessarium, ut Virgo deflorata æque decenter nubat, ac si hæc injuria ei violenter non illata fuisset.

Sic pro damno honoris ablati tum Virgini, tum parentibus Virginis, deflorator tenetur Virginem a se corruptam, si non sit disparis conditionis, in uxorem ducere: aut si nolit Virgo, aut ille sit longe superioris conditionis, tenetur eam dotare; quia non potest aliter honoris illius reparare jacturam.

Consect. 3. *De quantitate restitutionis faciendæ propter adulterium.* Cum ex adulterio scitur certo secutam esse prolem, adulter & adultera tenentur ad restitutionem omnium damnorum realium, & ad reparationem injuriæ factæ parti læsæ, si ei hæc injuria innotuerit: alias enim restitutio non reduceret rem ad æqualitatem.

Damnum reale ex adulterio sequens

est damnum illatum vel patri putativo, qui nutrit filium spurium, vel legitimis hæredibus, quibus substituitur spurius, vel hospitali in quo nutritur spurius, quando ejus parentes non sunt pauperes.

Damnum personale est injuria illata adulteræ, si vi coierit, & injuria illata marito, si ipse resciverit adulterium, quamvis ipsa consenserit.

Sic reparanda est injuria tam marito, quam adulteræ illata; quia injuste ablatus est honor: de quo ita Sylvius: *Etiam si ex adulterio non sequatur proles, ille qui vim, fraudem, aut minas adhibuit, tenetur pro tali injuria satisfacere ad arbitrum viri prudentis. Si ex adulterio non sequatur proles, adulter & adultera tenentur satisfacere marito pro injuria, si ipse resciverit adulterium; si autem non resciverit, non tenentur; quia hæc satisfactio non est facienda, nisi per signa doloris, veniæ petitionem, quæ fieri non debent, quando hanc injuriam maritus ignorat.* In 2. 2. quæst. 62.

Sic adulter & altera tenentur reparare omnia damna realia, quando secuta est proles: verb. g. 1. Adulter & adultera tenentur nutrire prolem, eamque educare. 2. Si proles spuria dotetur, vel hæres instituatur in damnum legitimorum hæredum, debent illud damnum reparare adulter & adultera. *Singuli*, inquit Sylvius, *pro rata, uno autem deficiente alter insolidum obligatus est; quia uterque est illorum damnorum causa. Hæc conclusio*, inquit idem Sylvius, *debet intelligi, quando adulter & adultera invicem provocant. Alioquin si adulter adulteram provocavit, & ad adulterium induxit, ipse insolidum obligatur ad omnia damna, eo quod sit causa principalis . . . . ipso tamen deficiente adultera tenetur insolidum; quia voluntarie fuit cooperata ad damnificationem.* Sylvius.

Adulter tenetur ex suis bonis satisfacere: adultera ex bonis paraphernalibus, si habeat; vel debet industria sua damnum compensare. 1. Diligentius administrando rem familiarem. 2. De cultu corporis detrahendo. 3. Spurium inducendo ad religionem, vel ad statum Ecclesiasticum, si idoneus sit. 4. Multis demum orationibus, & assidua pœnitentia Deum flectendo.

Dixi, si certo sciatur secutam esse prolem ex adulterio, obligatio est restituendi; nam adulter & adultera ad nullam restitutionem tenentur, si moraliter certi sint prolem natam non ex adulterino concubitu provenisse: si dubitent cum fundamento, tenentur ad aliquam restitutioem; res autem tamdiu est dubia, quamdiu non sunt certa argumenta contra suadentia, qualia essent, si maritus esset absens tempore conceptionis. Quamdiu res est dubia, filius non tenetur leviter credere matri asserenti eum esse spurium. Quod si mater in mortis articulo versata, & Ecclesiæ Sacramentis munita, nullo aliunde flagrans odio in filium, ei declararet eum esse spurium; quamvis in foro externo semper præsumitur pro thoro, & filius pro hærede habeatur; tamen filius in tam aperta & sincera matris confessione videtur obligari in conscientia, ut sese gerat, tamquam illegitimum.

Consect. 4. De quantitate restitutionis faciendæ ob famam læsam. Ut restitutio famæ fiat ad æqualitatem, eadem fama debet reddi diffamato, quæ ei subtracta est, & damnum personale & reale, si quod creatum est, reparari; alias non fieret ad æqualitatem, sicut in restitutione temporalium tanta summa restitui debet, quanta ablata est.

Sic, si falso proximum mendacem dixeris, debes eum declarare veracem; si injustum asserueris, debes justum proclamare. Non sufficit ad reparationem famæ ablatæ narrare pœnitentiam ejus, qui diffamatus est; quia narrando pœnitentiam, fama aliquando non reparatur, ut patet exemplo Virginis defloratæ, cujus fama non reviviscit, licet pœniteat. Ita Sylvius.

Sic, si diffamando proximum, temporale nocumentum ei attuleris: v. g. diffamando Virginem, in causa sis, cur dos adaugenda sit, debes ipse dotem adaugere: si diffamando artificem, in causa sis, quod familiam nutrire non valeat, debes ipse familiam nutrire.

Sic, si proximum diffamando, injuste innocentem morti addici feceris, debes etiam cum vitæ propriæ dispendio innocentem a morte liberare; quia æquius est reum calumniatorem mori, quam innocentem perire.

Sic, si proximum diffamaveris calumniando, debes te calumniatorem declarare iis, apud quos pervenit calumnia; verbis, si calumnia facta sit verbis; scripto, si calumnia facta sit scripto.

Consect. 5. De quantitate restitutionis faciendæ ob honorem læsum. Ut restitutio honoris fiat ad æqualitatem, honor idem, qui ablatus est, aut denegatus, debet reddi; quia alias non fieret ad æqualitatem.

Sic qui ignoranter læsit honorem alterius satis-

satisfacit, ignorantiam confitendo. Ita fecit Paul. Act. 23. *Nesciebam fratres, quia princeps est Sacerdotum*, addens statim, *populi tui Principem non maledices*.

Sic qui *private* inhonoravit proximum, non exhibendo ei reverentiam, quam debebat, satisfacit debitam exhibendo reverentiam, v.g. salutando, si omiserit salutationem, visitando, si invisere omiserit.

Sic qui *positive* inhonoravit proximum, satisfecit vel per veniæ petitionem, vel per manifestationem amicitiæ, prout opportunius judicabitur; non enim ut plurimum decet, ut superior veniam petat ab inferiori in vulgaribus injuriis: ne, inquit Aug. Epist. 109. *dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur authoritas*. Tanta tamen potest esse injuria, ut non solum requiratur veniæ petitio, sed alia signa honoris, & submissionis adhibenda sint, non solum ab æquali, sed etiam a superiore.

ARTICULUS IV.

De quantitate restitutionis faciendæ a possessoribus malæ fidei.

PRop. *unica*. Ut restitutio reducatur ad æqualitatem, acceptor & possessor malæ fidei tenentur & rem ipsam, & fructus rei nedum perceptos, sed etiam ex incuria neglectos, attamen a vero domino percipiendos, demum omne lucrum cessans, & omne damnum emergens reparare, sive possessor malæ fidei eo sit factus ditior, sive non, sive res ablatæ existant, sive non existant.

Prob. primo ex jure canonico. *Mandamus, quatenus si vobis constiterit de præmissis, prædictum Archidiaconum ablata prænominati Monasterii fratribus cum integritate restituere, damna plenarie resarcire, & de illatis injuriis competenter satisfacere compellatis, provisuri; ut non tantum fructus a novo & violento possessore perceptos, sed quos, si iis possidere fuisset licitum, possessores veteres percepissent, reddi faciatis eisdem*. De restitut. spoliatorum cap. *Gravis*.

2. Ex jure civili. *Domum, quam ex matris successione ad te pertinere, & ab adversa parte injuria occupatam esse ostendis, Præses Provinciæ cum pensionibus, quas percepit, aut percipere poteras, & omni causa damni dati, restitui jubebit*. L. *domum* C. de rei vend.

3. *Rat.* Injustus acceptor & injustus detentor non potest aliter damnum illatum reparare; quippe cum rem alienam injuste acceperit, non potest eam detinere, & cum injuste detineat, non potest ejus fructus sibi attribuere, sed debet & rem & fructus rei vero domino reddere; quia res & domino clamat, & domino fructificat.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui accipit rem alienam injusta subreptione, v. g. occulte furando, vel palam rapiendo, tenetur & rem reddere, & omnia damna illata reparare; quia est injustus acceptor.

Consect. 2. Qui accipit rem alienam injusta donatione, v. g. hæres sive necessarius, ut filii, sive non necessarius, ut extranei, tenentur restituere bona omnia, & fructus bonorum, quæ ex hæreditate obveniunt, si sciant esse injuste acquisita, v. g. furto, rapina, usura; quia hæreditatis aditio non dat jus ad bonum alienum: nemo enim transferre potest in alium plus juris, quam ipse habeat: quod adeo verum est, ut si quis hæres crederet initio se accepisse hæreditatem, in qua nihil sit nisi juste acquisitum, si tamen deinde advertat, esse aliquid injuste acquisitum, debet reddere, quia cum sit successor universalis, unam & eamdem personam facit cum testatore.

Consect. 4. Qui accipit rem alienam injusto contractu, v. g. emit mala fide rem furtivam, tenetur reddere rem furtivam una cum fructibus a vero domino percipiendis, nec potest pretium datum exigere a domino, sed solum a latrone; quia emptio facta mala fide non dat titulum: de quo ita S. Raymundus lib. 2. de raptoribus: *Quando quis mala fide emit, tenetur indistincte ad restitutionem, nec liberatur vendendo, vel alias rem alienando alteri, vel etiam si res pereat morte, vel alio casu, vel sibi violenter auferatur, vel furtive subtrahatur, vel alio simili modo. Et hæc est ratio, quia furtum commisit, contrectando rem alienam invito domino, & semper est in mora restituendi; unde nec pretium, quod dedit, poterit accipere ab illo, cujus est, nec expensas, quas ibi fecit: & omnem utilitatem, quam ex illa re habuit, tenetur restituere.*

Consect. 4. Qui rem alienam mala fide accipit aut possidet, v. g. furto, donatione injusta, contractu iniquo, si hæc res casu aliquo pereat, quo apud verum dominum

num non periisset, a fortiori, si pereat culpa injusti possessoris, tenetur eam injustus possessor solvere domino; quia est injustus detentor: si vero æque periisset apud dominum, juxta Covarruviam non tenetur solvere; quia si æque peritura erat, in hoc nullum damnum fecit domino.

Consect. 5. Qui rem alienam mala fide accipit, aut possidet, tenetur & omnes fructus perceptos extantes aut consumptos restituere; quia illi fructus domino clamant: tenetur etiam restituere omnes fructus percipiendos a vero domino, etsi ex negligentia non fuerint ab injusto possessore percepti; quia est causa injusta talis damni: demum debet omne lucrum cessans, & damnum emergens compensare; quia est causa illius nocumenti. Sic, si dominus retenta sua re per culturam, per negotiationem accepturus fuisset centum florenos, etsi injustus possessor vel minus vel omnino nihil perceperit, tenetur tamen centum florenos reddere. De fructibus vero, quos neque possessor malæ fidei percepit, neque verisimile est dominum percepturum fuisse, quamvis potuissent a diligentiori aliquo possessore percipi, probabile est quod ante sententiam judicis non teneatur in conscientia eos solvere. Ita Sylvius.

Consect. 6. Qui rem alienam mala fide accipit aut possidet, tenetur eam una cum fructibus propriis expensis in manibus veri domini collocare, deductis tamen illis expensis, quas verus dominus fecisset; quia secus non repararetur damnum illatum proximo: æquitas enim postulat, ut qui damnum passus est, præstetur indemnis, & qui damnum fecit, gravetur.

Consect. 7. Qui in ipso possessionis exordio bonam fidem habuit, & ex postfacto in possessorem malæ fidei degeneravit, tenetur omnes restituere fructus, quos perseverante mala fide percepit, sicut & quilibet alius iniquus rei alienæ possessor aut detentor; ab illo enim tempore est possessor malæ fidei.

Consect. 8. Qui initio mala fide accepit per errorem conscientiæ, & postea, deposito errore conscientiæ, videt se justum habere titulum possidendi, pœniteat peccati, quod commisit possidendo contra conscientiam; sed non tenetur ad restitutionem, quia non possidet contra justitiam.

ARTICULUS V.

De quantitate restitutionis faciendæ a possessore bonæ fidei.

PRop. unica. Ut restitutio reducatur ad perfectam æqualitatem, acceptor & possessor bonæ fidei non tenentur, durante bona fide, restituere rem alienam, neque fructus illius, sed potest & rem, & fructus rei, durante bona fide, alienare, consumere; sed cessante bona fide ante præscriptionis tempus tenetur & rem ipsam, quam habet, & totum illius rei, quod retinet, & id omne, in quo factus est ditior, restituere.

Prob. ratione. Bona fides est justus titulus acquirendi: ergo quamdiu durat bona fides, acceptor & possessor bonæ fidei potest de rebus alienis non secus ac de suis disponere, & ita absque onere restitutionis potest rem alienam vendere, dare, consumere, &c. sed cessante bona fide ante præscriptionis tempus res dignoscitur aliena: ergo hoc ipso tenetur & rem ipsam, & totum illius rei, quod retinet, & id omne, in quo factus est ditior, restituere, deductis expensis; alias enim injuste detineret alienam rem: tenetur rem restituere, quia res domino clamat: tenetur fructus restituere; quia res quævis domino suo fructificat: expensæ debent deduci; quia locupletari non debet aliquis cum alterius jactura.

Consectaria bujus Doctrinæ.

Consect. 1. Si quis bona fide accipiat rem alienam, nesciens esse alienam, sive accipiat, quia ei gratis datur, vel quia ei venditur, potest de ea re & de ejus fructibus quasi de suo disponere; quia est possessor bonæ fidei.

Consect. 2. Si quis bona fide consumat rem alienam usualem, nesciens esse alienam, & ipso usu non fiat ditior, ad nullam restitutionem tenetur; quia est consumptor bonæ fidei.

Sic manducans bona fide res furto subreptas, nesciens esse subreptas: utens bona fide vestibus subreptis, nesciens esse subreptas; si ob id rebus suis non pepercerit, ad nihil tenetur; si vero pepercerit, & aliquid lucri fecerit, tenetur restituere lucrum perceptum & adhuc permanens.

Sic donatarius bonæ fidei, emptor bonæ

næ fidei, non tenetur, 1. Rem donatam sibi, vel sibi venditam solvere, si consumpserit. 2. Non tenetur fructus naturales vel civiles ex re donata vel empta provenientes, si consumpti fuerint, restituere.

Consect. 3. Si quis bona fide accipiat rem alienam, & advertat esse alienam re adhuc integra, hoc ipso tenetur eam reddere; quia alias detineret alienum.

Sic donatarius bonæ fidei, emptor bonæ fidei, hoc ipso quod advertit se detinere alienum, debet illud reddere tale quale accepit.

Consect. 4. Si quis bona fide accipiat rem alienam, & re consumpta in se, sed remanente in valore, advertat se accepisse alienum, tenetur totum pretium illius rei reddere.

Sic, si donatarius vendiderit rem, quam dono acceperat, & pretium rei venditæ apud se habeat, tenetur non rem, quam non habet, sed pretium rei, quod habet, reddere.

Sic emptor bonæ fidei, qui vendidit rem furtivam pluris, quam emerat, non tenetur rem reddere, quam non habet, sed pretii excessum, quem habet, tenetur reddere.

ARTICULUS VI.

De quantitate restitutionis faciendæ a possessore dubiæ fidei.

PRop. unica. Ut restitutio reducatur ad perfectam æqualitatem, possessor, qui initio fuit bonæ fidei, postea factus est dubiæ fidei, tenetur adhibere prudentem diligentiam, ut cognoscat, quisnam sit dominus verus rei, quam dubia fide possidet, & reddere eam vero domino hoc ipso, quod illum noverit.

Prob. ratione. Dubium tollit bonam fidem, & facit iniquum possessorem; qui enim agit in dubio, peccat; quia se exponit periculo injustum detinendi, etiamsi revera injustum non detineat: & peccat, quamdiu stante dubio non nititur verum inquirere dominum; qui enim amat periculum peribit in illo: ergo possessor dubiæ fidei tenetur adhibere prudentem diligentiam, ut cognoscat verum possessorem, & rem, quam dubia fide possidet, eidem reddere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui bona fide accipiunt hæreditatem, quam putant juste partam, sive hæres sit necessarius, ut filius, sive non necessarius, ut extraneus; si postea dubitent, an delata hæreditas sit injuste parta, necne, tenentur diligenter inquirere dominum, eique restituere quod injuste ablatum est.

Consect. 2. Emens bona fide, & postea dubitans, an res a se empta sit ablata, nec ne, tenetur inquirere verum dominum, eique restituere.

Consect. 3. Cum initio possessio incepit a bona fide, & postea supervenit dubia fides, illis in casibus dubiæ fidei, si possessor adhibita diligenti inquisitione non possit verum dominum invenire, potest rem vel donatione acceptam, vel emptione acquisitam retinere, & fructus ejus facere suos, donec dubium magis elucidetur; imo potest eam vendere, modo emptorem præmoneat de dubio, nec tenetur ob solum dubium se spoliare, & rem alteri reddere; quia in dubiis melior est conditio possidentis, quando bona fides incepit possessionem.

Consect. 4. *Qui dubitans rem esse alienam, tamen eam accipit, peccat mortaliter; quia agit in dubio, & tenetur diligenter inquirere, an vere furtiva sit: quo comperto, debet eam cum fructibus etiam consumptis restituere illi, ad quem pertinet: neque potest eam tradere ei, a quo accepit*; quia res domino clamat. Ita Sylvius.

Si vero post diligentem inquisitionem remaneat dubium, tenetur cum eo, de quo dubitat, an sit ipsius, plus minusve dividere pro quantitate dubii, & inclinationis, quam habet de illo, quod res ipsi debeatur: & si sit personæ notæ, suam partem ei tribuat, si ignotæ, pauperibus. Ita Sylvius.

Consect. 5. *Qui dubitat rem quampiam esse alienam, & tamen eam abripit per viam donationis, permutationis, emptionis, eo animo ut veritatem inquirat, & cum constiterit esse alienam, eam suo domino tradat, non peccat; quia dominus non potest rationabiliter esse invitus contra eum: potius ei beneficium facit, quam injuriam; cum alioquin ea res fortasse numquam esset ei restituenda, & tenetur veritatem inquirere, ut eam reddat domino; & interim potest eam retinere cum voluntate reddendi, quando constiterit esse alienam.* Ita Sylvius.

CAPUT VII.

Quo pacto debeat fieri restitutio.

ARTICULUS I.

Cui personæ debeat fieri restitutio.

PRop. unica. In restitutione res ablata debet ei reddi, qui ex ablatione, vel detentione injusta damnum patitur.

Prob. 1. Ex Scriptura. Lucæ 19. vers. 8 Zachæus protestatur se velle ei, quem læserit, compensationem excedentem exhibere: sic enim habet: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum:* ergo restitutio facienda est ei, qui læsus est.

2. Ex D.Th. 2.2. q.62. a.6. *Qui habet ultra id, quod suum est, debet ei subtrahi, & dari ei, cui deest, scilicet, injuste ablatum, secundum formam commutativæ justitiæ*: ergo restitutio debet fieri ei, qui damnum passus est.

4. *Rat.* Restitutio eo tendit, ut damnum reparetur: ergo res ablata debet reddi ei, qui ex injusta ablatione, vel detentione damnum pateretur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. In restitutione orta ex homicidio, mutilatione, percussione, pretium damni personalis debet dari læso; quia hic solus damnum ex homicidio passus est: & ita si obierit, debent pro illo fundi preces, offerri sacrificia: & si supervixerit mutilationi, & percussioni, pretium damni personalis illi dari debet.

Pretium damni realis debet dari læso, si supervixerit; quia hic damnum patitur: si obierit, dari debet suis hæredibus necessariis; quia hi damnum pati censentur, cum sint una & eadem persona cum defuncto: imo debet dari hæredibus non necessariis & creditoribus; quia homicidium istud est causa, cur illi hæreditatem sibi destinatam non obtineant, & cur isti rem sibi debitam non acquirant.

Consect. 2. In restitutione orta ex adulterio, pretium damni realis debet dari illi, qui damnum patitur. Pretium nutritionis, & educationis debet dari illi patri putativo, qui infantem spurium sibi suppositum nutrivit; quia non pater putativus, sed veri parentes debent nutrire filium. Pretium nutritionis dari debet Xenodochio, si Xenodochii expensis sustentetur; quia, ut optime monet Cajet. *bona hujusmodi hospitalium non in divitum, sed pauperum adminiculum sunt; & quantum consumitur a non pauperibus, tantum indigentibus adimitur. V. Adulterium.*

Si filius spurius fuerit dotatus, aut hæres institutus ab eo, qui non est vere pater, in præjudicium legitimæ prolis, vel legitimi hæredis, pretium hæreditatis, aut donationis debet reddi vero hæredi; quia ille damnum passus est.

Consect. 3. In restitutione orta ex stupro, pretium virginitatis ablatæ, & honoris ablati debet dari Virgini corruptæ, quia hæc damnum passa est; pretium vero dotis, quæ a parentibus adaugeri debuit ob stuprum violenter illatum, parentibus debet restitui in ea quantitate, juxta quam crevit dos ratione stupri.

Consect. 4. In restitutione, orta ex diffamatione, fama debet restitui ei, a quo ablata est, & pretium damni realis secuti ex diffamatione debet reddi diffamato; quia ille damnum reale patitur: & si damnum reale extendatur ad alios, puta, cum pater diffamatus ob diffamationem non potest aliquid lucrari, ut nutriat filios, tunc pretium damni realis debet dari pueris, qui damnum patiuntur ex illa patris sui diffamatione.

Consect. 5. In restitutione, orta ex ablatione & detentione bonorum temporalium, res ablata vel detenta debet reddi ei, a quo juridice exigi potest, etiam si non sit verus illius dominus; quia si ei res non redderetur, pateretur damnum, cum ab illo res exigi juridice posset.

Sic depositum reddi debet depositario; quia ejus est illud custodire: pignus debet reddi creditori; quia ejus est in assecurationem debiti: commodatum reddi debet commodatario; quia ejus est ad usum: vestis sarcienda est reddenda sartori, lintea lavanda lotori; quia ejus est quo ad illum usum; & quia juridice procedendo, ab eis ea res ablata exigi potest, & tenentur eam reddere.

Consect. 6. In restitutione rei furtivæ, acquisitæ per emptionem vel donationem, res furtiva vel per emptionem, vel per donationem accepta, debet reddi vero domino; quia res domino clamat.

Sic

Sic qui emit mala fide rem furtivam, non potest eam retinere, non potest furi reddere; sed vero domino debet una cum damno emergenti restituere.

1. Non potest eam retinere, nec alteri dare aut vendere; quia aliena est.

2. Non potest furi reddere exigendo datum pretium; quia reddendo furi dominus re sua privaretur, & particeps furis fieret, qui eam in manibus furis reponeret.

3. Debet eam vero domino reddere una cum suis fructibus, reparando lucrum cessans, & damnum emergens; quia res domino clamat, res domino fructificat.

4. Debet rem furtivam in manibus veri domini collocare suis expensis; quia participando furtum, debet pœnam furto debitam subire.

Sic qui dubia fide emit rem furtivam a fure, stante dubio, debet verum dominum inquirere, & domino comperto rem reddere debet, nec datum pretium potest exigere a domino, sed solum a fure.

1. Emendo peccat, quia agit in dubio, nisi emeret eo fine, ut rem furtivam vero domino redderet; quia tunc negotium ageret illius, cui res ablata est.

2. Stante fide dubia debet verum dominum inquirere; quia dubia fides non dat titulum possidendi, sed imponit obligationem verum dominum inquirendi.

3. Non potest furi reddere; quia pro certo habet, quod non ad furem pertineat.

4. Non potest exigere pretium a domino, cui redditur; quia emens in dubio animo retinendi, potest tantum a fure pretium exigere, minime vero a domino, cujus negotium gerere nequaquam intendebat.

Sic qui emit rem furtivam bona fide, stante bona fide, potest de ea quasi de re sua disponere; sed cessante bona fide, non potest rem furtivam retinere, non potest eam vendere, vel dare, non potest furi reddere, ut ab eo exigat pretium; sed tenetur vero domino reddere, & pretium a fure exigere.

1. Stante bona fide, non potest de ea re quasi de sua disponere; quia bona fides dat titulum possidendi.

2. Cessante bona fide, non potest rem furtivam retinere; quia non ejus est, nec ipsius reputatur, sed ut aliena haberi debet.

3. Non potest furi reddere; quia non pertinet ad furem, & quia dominus juste exigit eam sibi reddi, & non furi: & si res deferatur ad judicium, judex jubebit eam reponi in manibus domini, & non in manibus furis.

4. Non potest exigere pretium a domino, quia nullum habet titulum, cum non emerit rem nomine domini, sed suo nomine.

5. Qui emit rem furtivam bona fide, eamque bona fide vendidit, si re a se vendita cognoscat eam esse furtivam, & habeat valorem rei venditæ, debet rescindere contractum exigere rem venditam ab emptore, reddendo ei perceptum a se pretium, & ipsam rem vero domino reddere: debet rescindere contractum; quia est invalidus, cum vendiderit rem non suam, sed alienam .... debet rem domino reddere; quia res domino clamat: sicut qui dedit monetam adulteratam, debet falsam repetere, & dare bonam .... Si autem inique contradicente emptore, vel alio quocumque modo non possit recuperari res, debet extans illius pretium reddere.

Consect. 7. In restitutione facienda ignoto, mortuo, absenti, hæc sunt observanda. Quacumque ex causa contingat restitutionem faciendam esse ignoto, mortuo, vel absenti: mortuo succedit hæres; quia hæres est una persona cum defuncto: ignoto omnino simpliciter substituuntur pauperes: absenti nemo substituitur, sed absens debet admoneri, ut de re sibi restituenda disponat. Ita D. Thom. 2. 2. q. 62. a. 5. ad 3.

Sic, si dominus, cui debebat fieri restitutio, obierit, inquirendi sunt hæredes, & eis debet bonum ablatum restitui juxta jus cujuslibet hæredis.

Si dominus sit ignotus in particulari, & non in communi, facienda est restitutio his, quibus probabiliter damnum illatum præsumitur: v.g. milites, qui urbem vastaverunt, tenentur restitutionem facere oppidanis; qui minutatim vendendo carnem, vinum, oleum fraudavit emptores, debet restituere illis, qui ad ejus officinam solebant accedere, considerans, quis plus minusve solitus esset emere. Ita Sylvius.

Si dominus sit ignotus & in particulari, & in communi, post diligentem inquisitionem facienda est restitutio pauperibus, secundum judicium viri prudentis: *etenim si dominus sit vir probus, præsumitur*, inquit Sylvius, *velle, ut illa bona data in eleemosynam cedant in utilitatem spiritualem illius: si sit malus, Respublica censetur injustam domini voluntatem corrigere, & ita bona illa pauperibus erogare, ut sic cedant in bonum Reipublicæ*.

Quod si dominus aliquo tempore ignotus, postea compareat, en quid opus facto. Si com-

compareat post diligentem inquisitionem, pauperes monendi sunt, ut reddant quod acceperunt, si non consumpserint, vel si eædem res in aliquo Xenodochio repositæ fuerint. Si compareat, & diligens inquisitio non facta fuerit, ille, qui omisit talem diligentiam, debet restituere.

Si dominus, cui debetur restitutio, sit absens, is debet moneri, & isto pacto est procedendum. Si res restituenda absenti sit exigui momenti, & dominus tam remote distet, ut arbitrio viri prudentis censeatur ratum habendum a domino, quod res illa detur pauperibus, aut in pia opera expendatur, tunc danda est pauperibus.

Si res restituenda sit magni valoris, & mitti non possit nisi magnis sumptibus, debet mitti sumptibus ejus, qui injuste accepit, quoniam ipse semper fuit in mora, & in causa iniqua, cur dominus rem suam non possideat. Si vero habeat rem sine injusta acceptione, puta quia invenit, quia apud eum deposita est, debet mitti sumptibus domini, si dominus exigat eam sibi mitti, vel debet in loco tuto deponi, donec ea commodius reddi possit domino.

Consect. 8. In restitutione facienda de rebus inventis hæc sunt observanda. Res inventa, quæ non est primi occupantis, qualia sunt, quæ nullius sunt, & quæ non habetur pro derelicta a vero domino, sed quam verus dominus præsumitur inquirere, reddenda est vero domino; quia res domino clamat: & si post diligentem inquisitionem verus dominus non compareat, pauperibus aut danda est, aut destinanda, deponendo eam in aliquo Xenodochio. Si inventor sit in extrema vel gravi necessitate, potest eam retinere, ut diximus ubi de furto circa res inventas.

1. Si res inventa sit nullius, aut pro derelicta habeatur, potest retineri ab inventore; etenim ea est primi occupantis.

2. Si res inventa sit alicujus, qui eam non abjecerit, quinimo quærat, ei reddenda est; ad illum enim pertinet, qui eam nedum abjecit, sed etiam sollicite quærit.

3. Si dominus post diligentem inquisitionem non compareat, res danda est, vel destinanda pauperibus, præsumitur enim eam esse domini voluntatem, ut res perdita convertatur in opera misericordiæ, ut prosit ad salutem animæ, cum non inservit ad bonum corporis.

4. Si inventor sit pauper, potest rem inventam, quæ pauperibus danda est, tamquam pauper retinere; quia ex eo quod invenerit, non est deterioris conditionis, quam alii pauperes. Si tamen res magni sit pretii, habita ratione inventoris, debet eam cum aliis pauperibus communicare; solus enim ipse non totum jus habet ad rem inventam.

Consect. 9. De restitutione facienda circa res incertas, idest quarum dominus ignoratur. In restitutione facienda circa res incertas hæc sunt observanda.

Si hæc bona incerta sint acquisita per contractus illicitos, verb. gr. per usuras, debent dari pauperibus: ita determinavit Alexander III. Cap. *Cum tu, de usuris*: ubi mandat, usuras his, a quibus extortæ sunt, vel eorum hæredibus restitui, vel iis non superstitibus, pauperibus erogari; in hoc enim Papa sequitur sententiam Augustini relati Canone *Qui habetis* 14. q. 8. *Qui habetis*, inquit, *de malo, facite inde bonum*. Si bona incerta sint acquisita mediis innoxiis, v. g. inventione, dono, ubi apparent non esse nostra, danda sunt pauperibus, uti diximus de rebus inventis.

ARTICULUS II.

Qui ordo servandus quando sunt plures, quibus fieri debet restitutio.

PRop. *unica*. Quando debitor non potest omnibus & singulis creditoribus satisfacere, potest vero aliquibus, iste ordo servandus est. Illi prius fieri debet restitutio, qui intimius jus habet vel in re, vel ad rem.

Prob. rat. Ordo justitiæ postulat, ut qui potior est in jure, prior etiam sit in accipienda solutione: ergo illi prius debet fieri restitutio, qui habet jus intimius vel in re, vel ad rem.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quicumque habet rem alienam in specie, quocumque titulo habeat, ante omnia rem illam alienam vero domino debet restituere; quia res domino clamat.

Sic res depositæ, res furto, vel rapina occupatæ, si adhuc extent, sunt ante omnia restituendæ; quia hujusmodi res, ut notat Cajet. non computantur inter bona restituentis; quia illarum dominium numquam fuit translatum in eum, qui eas occupat.

Sic res empta & possessa, sed nondum so-

luta

luta, si adhuc in sua specie extat, reddenda est illi, a quo empta est; quia, ut notat Cajet. licet translatum fuerit dominium in eum, qui emit, subjecta tamen manet ipsemet res empta obligationi, donec soluta fuerit, & censenda est quasi non fuerit inter bona emptoris.

Sic pignora extantia data ad assecurationem debiti, debent reddi soluto debito; quia pignoris dominium non translatum fuit in mutuo dantem.

Consect. 2. Prius solvenda sunt debita certa, quam incerta; quia debita certa jure naturæ debentur creditori, incerta vero jure positivo debentur pauperibus.

Sic nocuisti Titio, teneris ei prius satisfacere, quam erogare pauperibus rem quam invenisti, & cujus dominus est incognitus.

Consect. 3. Prius satisfaciendum est creditoribus realibus, quam personalibus, id est his, qui habent actionem in rem, quam his, qui habent solum actionem in personam; quia jus in re intimius est, quam jus ad rem.

Sic habes equum furtivum, qui a te bona fide emptus est, & quem daturum te Petro promisisti, debes equum illum prius restituere ei, a quo sublatus est, quam ei dare, cui a te promissus est.

Consect. 4. Prius solvenda sunt quæ debentur ex justitia rigorosa, quam ea, quæ gratuito promittuntur; quia debitum est prius promissione, & quia nemo potest licite promittere ea, quæ data eum efficiunt incapacem solvendi debita.

Sic omnia tua bona vix sufficiunt ad satisfaciendum creditoribus; voluntarie promisisti te daturum centum florenos Titio: debes solvere prius debita, quam adimplere promissum.

Consect. 5. Inter creditores reales, privilegiatis, ut dicunt, prius satisfaciendum est, quam non privilegiatis; & inter creditores non privilegiatos, illis prius est satisfaciendum, qui priores sunt; quia qui prior est tempore, potior est jure, ut dictum est ubi de hypotheca.

Consect. 6. Debita ex contractibus per se justis, qui contrahentem faciunt ditiorem, puta, contractus mutui accepti, emptionis, &c. prius sunt solvenda, quam restituendæ sint usuræ injuste acceptæ: si enim hujusmodi contractus justi priores sint tempore usuris injuste acceptis, hoc ipso quod sunt priores, magis obligant contrahentem, quam restituendæ usuræ; qui enim prior est tempore potior est jure. Si vero prædicti contractus justi superveniant usuris injuste acceptis, magis iterum obligant contrahentem, quam restituendæ usuræ injuste acceptæ; quia debita ex his justis contractibus suscepta invito simpliciter domino retinentur: usuræ vero quamvis injuste acceptæ, domino secundum quid consentiente retinentur, nec pauperiorem faciunt contrahentem ad solvendas usuras minus potentem.

Sic usurarius vel ante vel post usuras injuste acceptas, emit fundum, & non solvit pretium: post vero tactus dolore cordis, vult & usuras restituere, & pretium fundi empti solvere.

Si non potest singulis, quibus obligatur, facere satis, debet prius solvere pretium fundi empti, quam usuras injuste acceptas restituere; quia venditor jus habet intimius in bona usurarii, quam mutuatarius.

Consect. 7. Debita ex contractu, qui contrahentem reddunt pauperiorem, qualis est donatio, non sunt solvenda ante usuras reparatas, sed solum post usuras reparatas; quia mutuatarius jus habet intimius in bona usurarii, quam donatarius; quia iste nihil damni passus est ab usurario, maxime vero mutuatarius.

Sic si usurarius vel ante usuras, vel post usuras promisit aliquid, debet prius usuras reddere, quam promissis stare.

Consect. 8. In solutione & restitutione facienda servandæ sunt leges civiles, & municipales, quoties juri naturæ non adversantur; quia debent præsumi illæ leges latæ ob publicam utilitatem: sic observanda sunt quæ diximus ubi de hypotheca.

ARTICULUS III.

De tempore, quo debet fieri restitutio.

PRop. unica. Quoad præparationem animi, statim restitutio decernenda est: quoad executionem, facienda est tempore congruo.

Prob. 1. Scriptura. Ille qui conducit mercenarium, non potest differre restitutionem, juxta illud Levi. 16. *Non morabitur opus mercenarii tui usque mane apud te*: ergo neque aliis restitutionibus faciendis potest fieri dilatio; ideo Abimelech restitutionem Saræ suo viro reddendæ non distulit, sed *statim de nocte consurgens vocavit omnes servos suos .... & vocavit Abraham*, red-

redidítque illi Saram uxorem suam. Gen. 20. vers. 8.

3. *Rat.* Non licet manere in peccato, etiam modico tempore, juxta illud: *Tamquam a facie colubri fuge peccatum*: ergo neque manere in animo non restituendi; quia animus non restituendi est peccatum, cum sit detentio rei alienæ invito domino, & præcepto negativo repugnet.

3. Præceptum restitutionis est secundum formam verborum affirmativum: *alienum restitues*; secundum sensum est negativum: *non detinebis alienum*: Ergo ut observetur præceptum restitutionis, ad semper & *pro semper* deponendus est animus non restituendi, & congruo tempore restitutio est exequenda; quia præcepta negativa obligant *ad semper & pro semper*; affirmativa vero obligant *ad semper*, sed non *pro semper*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Detentor rei alienæ tamdiu est in peccato, quamdiu non est in proposito sincero & efficaci data proxime occasione restituendi; quia restitutio est statim decernenda.

Consect. 2. Detentor rei alienæ potens restituere, & non restituens, non est absolvendus; quia est in statu peccati.

Consect. 3. Executio restitutionis debet fieri opportuno loco & tempore. Quod affirmativum est in præceptis negativis, prudenter est exequendum: *non enim*, inquit Cajetanus, *oportet surgere media nocte ad restituendum, sed cum prudentia actum restituendi exercere, servando congruas circumstantias loci & temporis*. Abimelech autem etiam media nocte surrexit; erat enim periculum incontinentiæ ex parte ipsius, quod promptissime erat removendum.

ARTICULUS IV.

Quandonam vel omnino omitti, vel ad tempus suspendi possit, & debeat restitutio necessario facienda.

PRop. *unica*. Toties restitutio aut omnino omitti, aut saltem ad tempus suspendi potest, quoties imprudenter facta noceret spiritualiter vel ei, cui fieret, vel ei, a quo fieret, & quærenda media, quibus absque ullo nocumento spirituali fiat restitutio.

Prob. 1. Scriptura. Ex D. Paul. ad Rom. 3. Non sunt facienda mala, ut inde eveniant bona: ergo quamtumvis præceptum restitutionis urgere videatur, non est facienda restitutio in his circumstantiis, in quibus noceret spiritualiter aut ei, cui fieret, aut ei, a quo fieret.

2. Ex D. Thom. 2. 2. quæst. 62. artic. 5. ad 1. ubi sic habetur: *Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei, cui restitutio facienda est, vel alteri, non ei debet tunc restitui; quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus, cui restituitur: omnia enim, quæ possidentur, sub ratione utilis cadunt. Nec tamen debet ille, qui detinet sic rem alienam, sibi appropriare, sed vel reservare, ut congruo tempore restituat, vel etiam alteri tradere tutius conservandam*. Quod maxime debet intelligi, cum nocumentum est spirituale.

3. *Rat.* Restitutio est actus virtutis moralis, scilicet justitiæ: ergo debet regulari per rationem; quia virtus est recta ratio: debet etiam dirigi per caritatem; quia finis præcepti est caritas: ergo toties potest, imo etiam debet omitti, aut suspendi, quoties nocitura est spiritualiter vel ei, cui fieret, vel ei, a quo fieret. Quippe & ratio, & caritas dictant tunc non urgere præceptum, quod sine detrimento spirituali observari non potest.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Toties aut omittenda, aut suspendenda est restitutio, quoties res restituenda noceret ei, cui fieret, maxime si ei noceret spiritualiter: bonum enim spirituale proximi est præferendum bono temporali, quod ei ex restitutione posset evenire.

Sic non restituendus est liber hæreticus, hæretico: liber lascivus impudico: argentum ei, qui illud consumpturus est ludis, comessationibus, impudicitiis, &c. tunc enim restitutio noceret spiritualiter ei, cui fieret.

Sic quando pater familias solet bona familiæ dilapidare, restitutio non est facienda patrifamilias, qui ea bona male consumit, sed uxori, quæ eadem bona in utilitatem familiæ impendit. Item quando Prælatus Ecclesiasticus bona Ecclesiæ in pravos usus insumit; non ei, sed pauperibus, quorum bona illa sunt, debet fieri restitutio. Item cum quis usurus est bonis suis ad opprimendos innocentes, non ei restituenda sunt bona, quibus innocentes opprimat, sed alicui tradenda, qui eis sancte utatur in bonum ipsius-met possessoris;

ſoris: in iſtis tamen caſibus ea cautela adhibenda, qua fiat, ut debitor bis idem ſolvere non obligetur.

Conſect. 2. Toties aut omittenda eſt, aut differenda reſtitutio, quoties imprudenter facta noceret ſpiritualiter reſtituenti; quia bonum noſtrum ſpirituale præferendum eſt bono temporali proximi:

Sic ſi non potes reſtituere, niſi occultum tuum crimen detegendo, debes crimen tuum occultare, & interim per alium reſtituere: de quo ita D. Th. 2 2. q. 62. a. 6. ad 2. *Dicendum, quod homo, et ſi non teneatur crimen ſuum detegere hominibus, tenetur tamen crimen ſuum detegere Deo in Confeſſione: & ita per Sacerdotem, cui confitetur, poteſt reſtitutionem facere rei alienæ.*

Sic contra ordinem juris prodidiſti crimen proximi, verum quidem, ſed occultum; non potes famam reſtituere, niſi per mendacium: debes omnino a mendacio abſtinere, & quantum poteris citra mendacium proximo ſatisfacere: de quo ita D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 2. ad 2. *Cum aliquis*, inquit, *prodit crimen alterius contra ordinem debitum, tunc tenetur ad reſtitutionem famæ, quantum poteſt, ſine mendacio tamen: ut pote quod dicat ſe male dixiſſe, vel quod injuſte eum diffamaverit; vel ſi non poſſit famam reſtituere, debet ei aliter recompenſare, ſicut in aliis dictum eſt.*

TRACTATUS DECIMUS OCTAVUS

De octavo Decalogi Præcepto.

OCtavum Præceptum his verbis exprimitur: *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium*. Exodi 20. v. 16 Hoc præceptum duo facit: unum jubet, & aliud vetat. Jubet, ut veritatem ſectemur in communi colloquio, in judiciis, in pactis, in doctrina. Vetat, ne omne mendacium fugiamus.

Jubet inſuper, ut famam tum noſtram, tum proximi illibatam ſervemus. Vetat vero, ne tantiſper eam labefactemus. Itaque agemus de veritatis amore, & de odio mendacii, de cura boni nominis, & de fuga diffamationis.

CAPUT I.

De veritatis amore.

ARTICULUS I.

Quando oporteat veritatem occultare, aut manifeſtare.

NOta 1. Quod veracitas eſt virtus, qua homo ſe talem exhibet exterius, qualis eſt interius.

Nota 2. Quod loquela, & ſilentium maximam prudentiam poſtulant; quia juxta Scripturam, *tempus eſt tacendi, tempus eſt loquendi*. Tenemur veritatem tacere, dum nocet; manifeſtare, dum prodeſt. Liberum vero nobis eſt veritatem indifferentem aut manifeſtare, aut occultare; ideo quo pacto gerere nos oporteat in veritatis manifeſtatione, aut occultatione, ſequentibus propoſitionibus expediemus.

Prop. 1. Homo non tenetur ſemper omnem veritatem præcognitam alteri manifeſtare; ſed poteſt eam aliquando ſapienter occultare, ſcilicet, quoties jus habet eam occultandi.

Prob. 1. Ex Scrip. *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus: ſapiens differt, & reſervat in poſterum*. Prov. 29. v. 11. Ergo ſapientis eſt veritatem aliquando occultare.

2. Ex Auguſt. *Verum occultavit Dominus, cum diſcipulis nondum idoneis dixit:* Multa habeo vobis dicere, ſed nunc non poteſtis portare illa. *Et Apoſtolus cum ait*: Non potui loqui vobis quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. *Unde manifeſtum eſt non eſſe culpandum verum aliquando tacere: falſum autem dicere non videtur conceſſum eſſe perfectis*. Super hæc verba: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*: Pſal. 5. verſ. 6. ergo, &c.

3. *Rat*. Homo eſt dominus ſuæ cogitationis exterius exprimendæ: ergo non tenetur eam omnibus manifeſtare, ſed tantum quando judicat prudenter eam eſſe manifeſtandam. Manifeſtare autem veritatem præcognitam eſt actus poſitivus, ut dicunt: ergo non eſt in omni caſu exercendus; quia præcepta affirmativa non obligant *ad ſemper & pro ſemper*, ſed ſolum quoties ordo virtutis exigit.

Conſectaria hujus Doctrinæ.

Conſectar. 1. Quilibet homo poteſt ni ſcien-

scientiis naturalibus ea, quæ labore suo cognovit, sibi secreta reservare, & iisdem pro libito uti; quia jus habet utendi iis, quæ invenit studio suo. Sic Philosophus, Mathematicus, Medicus, &c. possunt sibi solis reservare secreta, quæ studio suo invenerunt, nec tenentur ea publici juris facere, nisi ita exigeret bonum universale: ita egisse videtur Jacob, dum non manifestavit Laban arcanum, quo sibi fœtus nascebantur unicolores, vel discolores, qui ut pactionem injustam Laban præcaveret, *ita omnia temperavit, ut & ipse sui laboris fructum acciperet, & Laban non penitus spoliaretur*, inquit Hieron. in quæst. Hebraic. secretum autem illud fuisse naturale contendit Hieronymus ibidem.

Consect. 2. Quilibet homo potest ea occultare, quæ manifestata aut sibi, aut suis damnum aliquod positive inducerent, aut lucrum aliquod impedirent; quia quilibet habet jus præcavendi quod sibi videtur nociturum.

Sic in bello ea, quæ ad impugnandos inimicos parantur, sunt eis occultanda. Unde inter cætera documenta rei militaris, hoc præcipue ponitur, de occultandis consiliis, inquit D. Thom. ne ad hostes perveniant. 2. 2. q. 40. a. 3. Ideo Josue occultavit insidias, quas paraverat contra urbem Hay.

Sic in mercandi exercitio non tenetur quis mercium vel penuriam vel abundantiam, quam solus cognitam habet, aliis patefacere; sed potest ea notitia uti, ut merces emat, quas scit brevi raras fore, aut eas vendat, quas novit brevi abundantes fore.

Consect. 3. Quilibet homo potest reticere veritatem, quoties ipsemet aut majus aut æquale damnum pateretur ex loquela, quam proximus ex silentio; quia ordo caritatis non exigit, ut magis amemus proximum quam nos ipsos.

Sic Abraham loquens de Sara partem veri dixit, scilicet *soror mea est*, & partem tacuit, scilicet quod conjux ejus esset. Genes. 20. v. 2. & 12. Simile quid fecit Samuel, 1. Reg. cap. 16. v. 5. ad duo venerat, scilicet, ad ungendum David, & ad sacrificandum: unctionem tacuit, & sacrificium declaravit: *Ad immolandum Domino veni*. Idem præstitit Jeremias, dum totum colloquium, quod habuerat cum Sedechia, tacuit. Jerem. 38. v. 24.

Consect. 4. Quilibet homo potest etiam in donis supernaturalibus ea occultare, quorum manifestatio non judicatur aliis necessaria; ideo ait David Psal. 38. vers. 3. *Obmutui, & humiliatus sum; & silui a bonis*.

Prop. 2. Homo tenetur præcognitam veritatem toties occultare, quoties ex veritatis manifestatione honor Dei & utilitas proximi contrarie subtraherentur.

Prob. 1. Ex Script. *Multa habeo*, inquit Christus, *vobis dicere, sed non potestis portare modo*. Quasi diceret: sed illa vobis non manifesto, quia honor Dei & utilitas vestra id modo non postulant.

2. Ex Gregorio Magno. *Laudandi sunt simplices, quod studeant nunquam falsa dicere; sed admonendi sunt, ut noverint non nunquam vera reticere: sicut enim semper dicentem falsitas lædit, ita non nunquam quibusdam audita veritas nocuit ..... Sic ut fallaciam semper utiliter vitant; ita veritatem semper utiliter proferant*. Pastor. parte 3. admon. 12. Ergo toties veritas debet occultari, quoties manifestata potest nocere.

3. *Rat.* Homo nihil potest agere, quod honori Dei vel utilitati proximi contrarietur; quia præceptum illud: divinum honorem non retardabis: utilitatem proximi non impedies: est negativum obligans ad semper & pro semper: ergo oportet toties veritatem occultare, quoties ex ejus manifestatione sequeretur vel diminutio honoris, vel diminutio utilitatis proximi.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Veritas est occultanda, quoties prævidetur deridenda ab audientibus; quia ita exigit honor Dei: ideo Christus ita Apostolos præmonuit: *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos*: idque exemplo suo ostendit; tacuit enim coram Herode, a quo veritatem spretum iri prævideratit.

Consect. 2. Veritas est occultanda, quoties excedit captum audientium; quia hoc exigit utilitas proximi, cui noceret circa veritates excedentes instrui: *Altiora te ne quæsieris*. Sic doctrinam suam temperabat Christus, qui dicebat discipulis: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis protare modo*. Joan. 16. v. 12.

Consect. 3. Veritas est occultanda, quoties ex veritatis manifestatione tumultus

præ-

prævidetur secuturus; quia hoc exigit aut honor Dei, aut utilitas proximi: de quo ita D. Thom. *Si turbatio infidelium oriatur de confessione fidei manifesta, absque aliqua utilitate fidei vel fidelium, non est laudabile in tali casu fidem publice confiteri*. 2.2.q.3. a.2. ad 3.

Consect. 4. Veritas est occultanda, quoties ex veritatis manifestatione secutura est injusta denigratio famæ proximi; quia caritas erga proximum exigit, ut ejus famam curemus: de hoc ita Sapiens: *Remove a te os pravum, & detrahentia labia sint procul a te*. Proverb. cap.4. vers. 24.

Consect. 5. Veritas est occultanda, quoties ex veritatis manifestatione sequeretur revelatio secreti naturalis, cum hanc revelationem non jubet vel bonum publicum, vel præjudicium tertii; quia fidelitas erga proximum postulat, ut arcana commissa occultemus: *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana, qui autem fidelis est, celat amici commissum*, inquit Sapiens, Proverb. 11. v. 13. & cap. 25. v. 9. *Secretum extraneo ne reveles*.

Prop. 3. Homo toties tenetur veritatem præcognitam manifestare, quoties id exigit ordo virtutis, seu ita postulant honor Dei promovendus, & utilitas proximi procuranda.

Prob. 1. Script. ad Eph. 4. v. 12 *Veritatem*, inquit Paulus, *facientes in caritate, crescamus in illo per omnia*: vers. 5. *propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra*: Ergo veritas est manifestanda, quoties id exigit ordo caritatis seu virtutis.

2. Ex Chrysostomo. *Veritatis proditor non solum ille habetur, qui transgrediens veritatem, palam mendacium pro veritate loquitur; sed etiam ille, qui non libere pronuntiat veritatem, quam libere pronuntiare oportet, aut non libere veritatem defendit*. in Matth. homil. 25.

3. *Rat.* Tunc præcepta affirmativa urgent, quando ita exigit ordo virtutis: ordo autem virtutis est, ut honor Dei promoveatur, & utilitas proximi procuretur: ergo tunc manifestanda est veritas, cum ita postulant honor Dei promovendus, & utilitas proximi procuranda.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Manifestanda est veritas, quoties per veritatis manifestationem virtus incrementum accipit, aut per ejus occultationem virtus damnum patitur; quia ita exigit ordo virtutis: & ita non occultanda, sed e contra manifestanda veritas est, cum per veritatis manifestationem docenda est fides, erigenda spes, fovenda caritas, defendenda religio, conservanda justitia, aut aliquid explicandum quod ad Evangelium pertineat. Exemplum hujus zeli habemus in Paulo dicente: *Non erubesco Evangelium*: ad Rom. 1. vers. 16. & rursus: *Væ mihi, si non evangelizavero*. 1. Cor. 9. vers. 16.

Consect. 2. Manifestanda est veritas quoties debita legitimis superioribus obedientia manifestationem præcipit veritatis, & occultationem veritatis vetat; quia ita exigit ordo virtutis; & ita non occultanda, sed e contra manifestanda veritas est, cum ita jubet superior Ecclesiasticus vel politicus, vel domesticus, non propter privatum sui commodum, sed propter bonum commune: quapropter lapidatus est Acham; quia jussus a legitimo superiore, Josue scilicet, *veritatem* Reip. necessariam noluit prompte aperire, sed peccatum suum tunc solum confessus est, quando sors super ipsum cecidit. Jos. 7.

Consect. 3. Manifestanda est veritas quoties bonum publicum vel Ecclesiæ, vel Reip. manifestationem veritatis exigunt, & reticentiam veritatis prohibent. Et ita manifestanda est disseminatio occultorum errorum contra fidem, machinatio occulta contra religionem, occulta proditio contra Principem: sic Cusai remansit cum Absalon, ut machinationes Absalonis contra David proderet. 2. Reg. 17.

Consect. 4. Manifestanda est veritas quoties ex manifestatione veritatis secutura est liberatio innocentis, ex reticentia vero secutura est injusta condemnatio illius: sic Daniel innocentiam Susannæ contra duos calumniatores ostendit. Daniel 13.

Consect. 5. Manifestanda est veritas, quoties circa veritatem interrogamur secundum ordinem juris vel in foro interiori per Confessarium, vel in foro contentioso per judicem tum politicum, tum Ecclesiasticum; quia ita exigit ordo virtu-

tutis: & ita isti tenentur dicere veritatem.

1. Pœnitens cum interrogatur a Confessario circa ea, quæ ad bonum spirituale ipsius conducunt.

2. Reus, cum interrogatur a judice secundum ordinem juris, scilicet, cum adest semiplena probatio.

3. Testes, cum interrogantur circa ea, de quibus debent testimonium ferre.

Prop. 4. Quoties homo vult aliis suos conceptus vel verbo, vel facto manifestare, ita debet esse sincerus, & candidus, ut nihil agat, aut dicat contra veritatem.

Prob. 1. Scriptura. *Veritatem tantum & pacem diligite*, ait Zach. 8. v. 19. *Propter quod*, inquit Paulus, *deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra*. ad Eph. 4. vers. 25. Ergo homo ita sincerus esse debet, ut nunquam lædat veritatem.

2. Ex Lactantio: *Est enim nefas eum*, idest Christianum, *qui veritati studeat, in aliqua re esse fallacem; atque ab ipsa, quam sequitur, veritate discedere .... Nec aliquando committet, ut lingua intrepres animi a sensu & cogitatione discordet*. lib. 6. cap. 18.

3. *Rat.* D. Thom. *Dicendum, quod quia homo est animal sociale, naturaliter unus homo alteri debet id, sine quo societas humana servari non posset. Non autem possent homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent, tamquam sibi invicem veritatem manifestantibus; & ideo virtus veritatis aliquo modo attendit rationem debiti*. 2. 2. quæst. 109. art. 3. ad 1. Et ita cum homo alteri vult suos conceptus manifestare, ita debet esse sincerus & candidus, ut nihil agat contra veritatem.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Homo tenetur in omnibus, præcipue in sequentibus casibus, veritatem sectari.

1. In communibus colloquiis, sive de rebus necessariis, sive de rebus indifferentibus loquatur; alias periret omnis colloquiorum fiducia.

2. In omnibus actibus forensibus, sive sententiam pronuntiet, ut judex; sive testimonium ferat, ut testis; sive aggrediatur, ut actor; sive se defendat, ut reus; quia alias periret omnino justitia, si in foro liceret mendaciis proximum opprimere.

2. In omnibus pactis & conventionibus, quibus ineuntur contractus ultro citroque obligatorii; quia alias periret omnino commercium, si contrahentibus liceret sese mutuis dolis decipere.

4. In docendi exercitio; quia alias magis noceret, quam prodesset docendi exercitium, si licitum esset Doctoribus discipulos falsa edocere.

In prædictis casibus tantus esse debet sinceritatis amor, ut ab æquivocatione & restrictione mentali abstinendum sit: quod ut magis pateat, sit

ARTICULUS II.

De æquivocatione & restrictione mentali.

Æquivocatio generatim est pravus usus terminorum, qui destinantur ad exprimendos mentis conceptus.

Æquivocatio est duplex: verbalis & mentalis.

Æquivocatio verbalis fit, cum verba ambigua sumuntur in uno sensu a proferente, & in alio sensu ab audiente, intentione fallendi audientem: ut si de gente Gallus interrogatus, an sit Gallus, nec ne? respondeat se non esse Gallum, idest pullum gallinaceum.

Æquivocatio mentalis est, cum verba, quæ unum & simplicem sensum patiuntur, per tacitam restrictionem aut reservationem in mente factam commutantur a loquente in sensum plane diversum: ut si Sacerdos interrogatus, an sit Sacerdos? respondeat, se non esse Sacerdotem, subintelligendo Jovis, aut Balaam, aut alterius falsi Dei: interrogatus, an sit Rex in urbe respondeat, ita est, subintelligendo in sui imagine.

Prob. 1. Quando verba sunt clara, & non ambigua, tum in se, tum ratione circumstantiarum, æquivocationes verbales, & restrictiones mentales sunt illicitæ.

Prop. 1. Script. *Qui sophistice loquitur odibilis est*. Eccl. 37. vers. 23. quippe, ut Ait August. in Enchir. cap. 17. *usque adeo rationalis natura refugit falsitatem, & quantum potest devitat errorem, ut falli nolint etiam quicumque amant fallere*.

2. Ex August. *Verba propterea sunt instituta, non per quæ invicem homines fallant,*

sunt, *sed per quae in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat: verbis ergo uti ad fallaciam*, uti fit in aequivocatione & restrictione mentali, *non ad quae constituta sunt*, *peccatum est*: in Enchir. cap. 22.

3. Ex Fromacio anno 400. *Dominus inter juramentum & loquelam nostram nullam vult esse distantiam; quia sicut in juramento nullam convenit esse perfidiam; ita quoque in verbis nostris nullum debet esse mendacium*. Can. juramenti haec causa: ergo sicuti perjurium est peccatum, ita aequivocatio & restrictio mentalis.

4. Ex Clero Gallic. Æquivocatio & restrictio excusari non possunt exemplo alicujus Sancti; tum quia, ut ait Aug. lib. contra Mendac. cap. 9. *Non omnia quae a sanctis, vel justis viris legimus facta, transferre debemus in mores*: tum quia damnata est ista propositio a Clero Gallicano anno 1700. *Patriarchae, & Prophetae, Angeli, ipse Christus, nedum viri justi & sancti aequivocationibus, sive amphibologiis, & restrictionibus mentalibus usi sunt*.

5. *Rat*. Expressio facta cum aequivocatione verbali & restrictione mentali 1. Opponitur enuntiationis fini, qui est manifestare quod habemus in mente. 2. Provenit ex intentione fallendi, cum opinionem veritati contrariam alterius animo nitatur ingenerare. 3. Omnem inter homines societatem dissolvit, cum, permissa aequivocatione, & restrictione, futuri simus semper inscii, an homines ita sentiant, ut loquuntur; ergo & aequivocatio verbalis, & restrictio mentalis sunt peccata.

Consectaria hujus Doctrinae.

Consect. 1. Non est utendum aequivocatione vel restrictione, cum nulla subest causa, nisi sola voluntas, vel recreatio; quia damnata est haec propositio ab Innocentio XI. & Clero Gallicano: *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine, jurat se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus*. Ergo per aequivocationem & restrictionem committitur semper mendacium; & si interveniat juramentum, committitur perjurium, ut definit Papa & Gallicani Praesules

Consect. 2. Non est utendum aequivocatione, vel restrictione mentali, cum subest sola utilitas vel corporis curandi, vel honoris tuendi, vel rei familiaris conservandae; quia damnata est sequens propositio: *Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium actum virtutis, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens & studiosa*.

Consect. 3. Non est utendum aequivocatione, vel restrictione mentali, cum a nobis exigitur juramentum authoritate publica; quia damnata est sequens propositio: *Qui mediante commendatione, vel munere, ad magistratum, vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum*.

Consect. 4. Non est etiam utendum aequivocatione, vel restrictione mentali, cum interrogamur a legitimo superiore, etiam extra rigorem juris, & non exacto a nobis juramento, quia si in communi colloquio non liceat proximum aequivocationibus & restrictionibus fallere, a fortiori nec superiorem.

Prop. 2. Quando verba sunt aut in se ipsis, aut ex circumstantiis ambigua, tunc proferens potest ea sumere in eo sensu obvio, licet audiens ea recepturus sit in alio sensu obvio diverso ab eo, in quo sumuntur a proferente, modo proferens justam causam habeat reticendi eam veritatem, quae occultatur audienti.

Prob. 1. Script. Haec vox *soror*, juxta Orientales, in sensu obvio duo significat, & eam quae ex eodem patre, vel eadem matre nata est, & eam, quae nobis aliqua cognatione juncta est. Abraham dicens Sarae: *Dic obsecro, quod soror mea sis*, non est mentitus juxta Augustin. Enchir. cap. 17. licet Abraham sumeret hanc vocem *soror* in uno sensu, audientes in alio: Ergo absque mendacio possumus sumere verbum ambiguum in uno sensu obvio, licet audiens sit accepturus in alio.

2. Ex Aug. lib. contra mendacium c. 17. in istis duobus casibus non est mendacium: *sive ubi tacetur verum, nec dicitur falsum, sive ubi significatio verax aliud ex alio vult intelligi; quod genus figuratorum vel dictorum, vel factorum abundat in Prophetis*: Ergo

Ergo non sum mendax, etsi verum taceam, & quamvis utar vocibus ambiguis diversa significantibus, etsi sumam ea verba ambigua in uno sensu, & is cui loquor in alio.

3. *Rat.* Quando verba sunt ambigua, & in usu hominum diversa significant, potest eis quilibet uti juxta significationem obviam & sibi opportunam; jus enim habet: sicuti quando res est publica, potest ea uti juxta utilitatem sibi opportunam, & convenientem, v. g. sitiens utitur aquis ad bibendum, dum alius eisdem utitur ad lavandum corpus: Ergo & potest proferens uti termino juxta unam significationem obviam, dum audiens sumit eumdem terminum juxta aliam significationem obviam.

Sic Athanasius interrogatus a satellitibus, an inde longe abesset Athanasius, respondit eum non longe abesse, & ita illos contrarium cursum tenentes effugit. Athanasius sumebat vocem illam *longe* in uno sensu, satellites vero in alio.

Sic Elisæus interrogatus a Syriæ militibus, an hæc esset civitas, in qua erat Elisæus, *dixit ad eos: Non est hæc via, neque ista est civitas, sequimini me, & ostendam vobis virum quem quæritis .... Duxit ergo eos in Samariam*. 4. Reg. 6. v. 19. Hæc integra phrasis sumebatur in uno sensu ab Elisæo, in alio vero a militibus non habentibus jus interrogandi.

Prop. 3. Quando verba sunt ambigua aut in seipsis, aut in circumstantiis, tunc proferens debet ea sumere in eo sensu, in quo audiens ea recepturus est, si interveniant vel conventio, vel juramentum, vel proferens teneatur impedire aut ex caritate, aut ex justitia, ne proximus decipiatur per hæc verba ambigua.

Prob. 1. Script. *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum*. Lev. 19. v. 11. idest, ut exponit Menochius, non negabitis veritatem in deposito, credito, aliove quovis contractu, aut debito: Ergo non licet uti verbis ambiguis in alio sensu, quam sumantur ab audiente, cum intervenit vel simplex conventio, vel conventio juramento firmata, vel obligatio impediendi, ne proximus verbis ambiguis decipiatur.

2. Ex Aug. lib. de conflictu vitiorum & virtutum cap. 19. Can. *Nec artificioso*, ubi sic habetur: *Nec artificioso mendacio, nec simplici verbo oportet decipere quemquam; quia quolibet artis modo mentiatur, os quod mentitur occidit animam:* Ergo non licet artificiose uti verbis ambiguis ad decipiendum proximum in prædictis casibus.

3 *Rat.* Quoties intervenit vel conventio simplex, vel conventio juramento firmata, vel obligatio impediendi, ne proximus verbis nostris decipiatur; toties proximus juste præsumit nos ad mentem ipsius interrogantis responsuros: Ergo in illis casibus non licet uti verbis ambiguis sumendo ea in uno sensu, dum proximus sumit in alio.

Consect. unicum. Numquam licet contrahere cum æquivocatione, jurare cum æquivocatione, docere cum æquivocatione, testari cum æquivocatione; quia in his casibus omnibus ambiguitas fugienda est.

Prop. 4. Quando jocose loquimur, & jocus noster audientibus obvius est, tunc possumus sumere verba contra sensum obvium sine mendacii vitio.

Prob. 1. Script. Joseph absque mendacio juxta Interpretes ironice & jocose alloquebatur fratres suos: *Cur sic agere voluistis? an ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia?* Genes. 44. v. 15. Ergo licet absque peccato aliquando jocose loqui exemplo Joseph. Quod si contenderet quis Joseph esse mentitum, tunc factum illud non esset imitandum.

2. Aug. *Cum autem quæ non sunt, tamquam joco dicuntur, non reputantur mendacia.* in lib. quæst. Genes. c. 44. q. 145.

3. *Rat.* Tunc non est mendacium, quando audiens ex modo loquendi intelligit nos aliter sentire quam loquimur.

Consect. unicum. Cum advertimus his, quæ jocose dicimus, proximum nostrum decipi, statim corrigendus est sermo noster; vetat enim caritas ut proximum nostrum decipi permittamus.

CAPUT II.

De Mendacio.

ARTICULUS I.

An mendacium sit semper illicitum.

Mendacium est vitium, quo homo aliter se exhibet exterius, quam sit interius.

Prop. unica. Mendacium semper & in omni casu est peccatum.

Prob. 1. Script. *Mendacium fugies*. Exod. cap. 23. vers. 7. *Non mentiemini, nec decipiet unus-*

unusquisque proximum suum. Lev. 19. v. 11. *Propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo*. Eph. 4. v. 15. *Nolite mentiri invicem*. Coloss. cap. 3. v. 9. Ergo mendacium est semper & in omni casu prohibitum.

2. Ex Lactantio ann. 217. *Numquam mentiendum est; quia semper nocet, aut fallit*. Epit. c. 6.

3. Ex Aug. *Elucet itaque discussis omnibus nihil aliud illa testimonia Scripturarum monere, nisi numquam esse omnino mentiendum*. Lib. de Men. cap. 21.

4. *Rat.* Mendacium multas includit deformitates.

1. Nocet mentienti; quia spoliat mendacem omni authoritate & fide, & inhabilem reddit ad officia tum christiana, tum civilia. *Melior est pauper*, inquit Scriptura, *quam vir mendax*. Prov. 19 v. 22.

2. Proximo non parum officit; quia eum falsitate imbuit: falsitas enim est malum mentis, veritas autem e contra est bonum mentis.

3. Reipublicæ obest; quia bonum Reip. consistit in mutuo hominum commercio, quod utique tollitur, si mutuis nos mendaciis decipiamus, & aliter quam sentimus mente, verbis loquamur.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Simulatio, adulatio, hypocrisis, jactantia, sunt peccata; quia vel sunt mendacia, vel includunt mendacium: non sunt tamen æqualis deformitatis; quia non æqualiter Deum offendunt, nec æqualiter proximo, vel Reipublicæ nocent.

Mendacium jocosum, officiosum, & perniciosum, sunt peccata; quia ex Augustino & D. Thom. sunt species mendacii: non tamen æqualis sunt deformitatis; quia non æqualiter offendunt Deum, nec æqualiter nocent vel proximo, vel Reipublicæ.

Mendacium jocosum est illud, quod nulli nocet, sed delectandi causa dicitur; & hoc est peccatum veniale, inquit Cajet. verbo *Mendacium*. Tale fuit mendacium Saræ negantis se risisse.

Mendacium officiosum est illud, quod sine ullius injuria dicitur, ut alicui prosit; & hoc est peccatum veniale, ait Cajet. Tale fuit mendacium obstetricum Ægyptiarum, quæ mentiebantur Pharaoni, ut infantulos Judæorum conservarent. Exod. cap. 1. vers. 11. Item mendacium, quo Rahab exploratores liberavit, dicens: *Cum porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt ... persequimini cito, & comprehendetis eos*. Josue cap. 2. v. 5.

Mendacium perniciosum est illud, quod injuriosum, aut nocivum est aut Deo, aut homini, & hoc est mortale ex suo genere: ita Cajet. Tale fuit mendacium Diaboli tentantis primos parentes. *Dixit autem serpens ad mulierem: nequaquam moriemini*. Genes. 3. v. 4.

Consect. 2. Simulatio est peccatum; quia est mendacium consistens vel in facto solum, vel in facto simul & verbo, quibus exterius exprimitur aliquid aliter, quam sit in mente. Simulationem Scriptura ita vituperat: *Simulator ore decipit amicum suum, justi autem liberabuntur scientia*. Proverb. 11. v. 9. Talis fuit simulatio Absalon qui finxit iter in Hebron, ut sacrificaret Domino, & tamen mente meditabatur concitare populum in patrem David. 2. Reg. 15. v. 6.

Consect. 3. Hypocrisis est peccatum; quia est mendacium consistens vel in facto solum, vel in facto simul & verbo, fingendo exterius sanctitatem fictam & simulatam: quippe hypocrisis est mendacium, quo quis simulat personam justi vel justioris, a quo nos deterret Scriptura dicens: *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum*. Eccle. 1. v. 27. & Christus: *Væ vobis, hypocritæ*. Talis erat hypocrisis Pharisæorum, qui festucam in aliis videbant, & in se trabem non attendebant; qui quod erat de foris mundabant, minime vero quod intus erat. Lucæ 6. v. 41.

Consect. 4. Adulatio est peccatum; quia est mendacium partim in facto, partim in verbo consistens, quo excedimus in laude, vel complacentia erga proximum. De hoc ita Scriptura: *Melius est a sapiente corrigi, quam stultorum adulatione decipi*. Eccl. 7. vers. 6. Talis fuit adulatio Judæorum erga Herodem: *Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis*. Act. 12. v. 22.

Consect. 5. Jactantia est peccatum; quia est species mendacii, qua quis jactat & extollit se supra id, quod habet. *Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua*, ait Sapiens, Proverb. 27. v. 2. Talis fuit jactantia Goliath contra David. 1. Reg. 17 v. 8.

Consect. 6. Ironia est peccatum; quia est species mendacii, quo quis affingit sibi defectus, quos non habet, vel negat

de se dotes, quas habet. *Est qui nequiter se humiliat, & interiora ejus plena sunt dolo,* ait Eccle. 19. v. 23. *Cum humilitatis causa mentiris,* inquit Aug. *si non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris . . . nam quomodo est humilitas, ubi regnat falsitas?* Serm. de verbis Domini 182. alias 29.

Consect. 7. Nulla est occasio, in qua mentiri liceat, ut vel nobis, vel proximo bona vel spiritualia, vel temporalia conferamus. Aug. lib. contra Mendac. c. 29. sicuti non est furandum ad dandam eleemosynam; *quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona;* ideo dicit Eccle. cap. 7. v. 14. *Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona:* & ita non licet mentiri

1. Pro conservanda vita hominis breviter morituri: v.g. moriturus est pater ægrotans, si ei annuntietur mors filii defuncti, dicendo contra veritatem, Filius tuus non est mortuus. Aug. ibid. cap. 18.

2. Pro conservanda vita innocentis inique conquisiti ad mortem; sed dicendum: nec prodam, nec mentiar. Aug. ibid. cap. 13.

3. Pro conservanda pudicitia involuntarie perdenda; quia castitas mentis, quæ servatur illæsa per veritatem, est præstantior, quam castitas corporis, si servetur intacta per mendacium. Aug. ibid. cap. 7.

4. Pro æterna salute alicujus procuranda: v.g. ut obtineam per mendacium licentiam baptizandi puerum sine baptismo moriturum; sicuti non est mœchandum, ut baptizetur infans, ita nec mentiendum. Aug. ibidem cap. 20. *Ad sempiternam vero salutem nullus ducendus est opitulante mendacio.*

5. Pro detegendis hæreticis Ecclesiam devastaturis, vel devastantibus. Sicuti non licet castitatem perdere, ut detegas hæreticum, ita nec veritatem. Aug. ibidem cap. 7.

6. Pro detractione reparanda. Si detraxeris, detegendo crimen verum, sed occultum, non potes dicere te mentitum; quia mendacium est malum: ita D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2. *Potest aliquis famam alicui auferre, verum dicendo, sed injuste: puta, cum aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum, & tunc tenetur ad restitutionem famæ, quantum potest, sine mendacio tamen, utpote quod dicat se male dixisse, vel quod injuste diffamaverit.*

ARTICULUS II.

Quandonam mendacium sit peccatum mortale.

PRop. unica. Toties mendacium est peccatum mortale, quoties opponitur non solum veracitati, sed insuper contrariatur virtuti ad salutem absolute necessariæ, verb. gr. fidei, spei, caritati, justitiæ, religioni, bono publico; vel si mendacium cum scandalo, aut juramento conjungatur.

Prob. 1. Script. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Psal. 5. v. 7. scilicet, perniciosum, ut explicat Aug. in istum Psal. *Omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti & sulphure, quod est mors secunda.* Apoc. 21. v. 8. Ergo cum mendacium perniciosum mortem æternam mereatur, debet esse peccatum mortale.

2. Ex D. Th. 2. 2. q. 119. art. 4. in corp. ait: *Mendacium, quod non solum opponitur virtuti veritatis, sed etiam virtuti fidei, & Religionis,* idem dic de aliis virtutibus ad salutem omnino necessariis, *hoc mendacium est gravissimum & mortale.*

3. *Rat.* Toties actus legi difformis peccatum est mortale, quoties opponitur mediis ad salutem obtinendam simpliciter necessariis, quia grave peccatum est præcludere sibi viam regni cælestis: Ergo mendacium erit mortale, quoties opponetur prædictis virtutibus, quæ sunt ad salutem consequendam omnino requisitæ.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Mendacium contrarium fidei, cujus veritatem aliquis tali mendacio occultat, vel corrumpit, ut loquitur D. Thom. est mortale; quia opponitur virtuti Theologicæ.

Sic docere aliquid contra fidem est peccatum mortale. Tale est mendacium eorum, qui hæreticorum perversa dogmata disseminant.

Sic docere aliquid contra bonos mores est peccatum mortale. Tale est mendacium Casuistarum, qui ex privatis affectibus vel severiorem, vel laxiorem doctrinam tradunt, contra illud Scripturæ: *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum.* Isaiæ 5. vers. 20.

Consect. 2. Mendacium contrarium spei, quo quis vel desperationem, vel præsumptio-

ptionem inducit, est peccatum mortale; quia opponitur virtuti Theologicæ. Tale est mendacium eorum, qui falso asserunt Deum non parciturum pœnitentibus, quia est justus, aut non puniturum impœnitentes, quia est misericors.

Consect. 3. Mendacium contrarium caritati vel erga Deum, vel erga proximum, quo Deus vel proximus injuriam gravem patitur, est peccatum ex suo genere mortale; quia opponitur virtuti Theologicæ.

Sic in sequentibus actibus mendacium est peccatum mortale.

1. Adulatio contra caritatem Dei, qua vitium laudatur, probitas vero vituperatur: de qua ita Psalmista: *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur*. Talis erat adulatio Judæorum Christi Religionem insectantium, ut adularentur Cæsari: *Hi omnes*, id est Christiani (ajebant), *contra decreta Cæsaris faciunt, Regem alium dicentes esse Jesum*. Actor. 17. vers. 7.

2. Hypocrisis contraria caritati erga Deum, qua vera pietas spernitur, & species virtutis ambitur, qua homo intendit esse malus, & simulat se esse bonum: de qua ita Paulus: *Sunt quidam habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes: & hos devita*. 2. Timot. 3. vers. 5. Talis erat hypocrisis Pharisæorum, qui decimabant *mentam & anetum, relinquentes quæ graviora sunt legis, judicium, misericordiam, & fidem*. Matth. 23. v. 23.

3. Adulatio contraria caritati erga proximum, qua palpatur proximus, ut ei noceatur: a quo nos ita dehortatur Sapiens: *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis*. Prov. 27. v. 6. Talis erat adulatio Saulis erga Davidem, qui ut ei noceret, cum blanditiis eum alloquebatur.

4. Hypocrisis contraria caritati erga proximum, qua affectatur pietas, ut noceatur proximo, & paretur via ad officia civilia, vel Beneficia Ecclesiastica: de quibus hypocritis ita Bernard. *Intus Herodes, foris Joannes*. Tales illi, quos ita Christus alloquitur: *Væ vobis hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes; propter hoc amplius accipietis judicium*. Matth. 23. vers. 14.

5. Jactantia injuriosa Deo, qua quis se extollit contra Deum. Talis fuit jactantia Regis Tyrii dicentis: *Deus ego sum*. Ezech. 28. v. 2.

6. Jactantia insultans proximo. Talis fuit Jactantia Pharisæi: *Non sum sicuti ceteri hominum, velut etiam hic Publicanus*. Lucæ 18. v. 11.

7. Jactantia perniciosa virtuti, qua quis jactat & peccata quæ fecit, &, quod pejus est, peccata quæ non fecit. Talis erat jactantia Augustini nondum baptizati, qui de peccatis, quæ non commiserat, gloriabatur.

Consect. 4. Mendacium contrarium religioni, quo vel negatur vera religio, vel falsa simulatur, est peccatum mortale; quia opponitur virtuti ad salutem simpliciter necessariæ. *Primum est capitale mendacium longeque fugiendum, quod fit in Doctrina Religionis, ad quod mendacium nulla conditione debet quisquam adduci*, inquit August. de mendacio cap. 14.

Sic peccant letaliter

1. Qui negant veram religionem. Talis fuit Petrus, qui ter Christum negavit, sed ad galli cantum resipuit.

2. Qui simulant falsam religionem, intus veram retinendo. Tales erant qui suadebant Eleazaro seni, ut simularet edere carnem porcinam.

3. Qui prædicant falsam religionem, uti faciunt politici, ut se accommodent Regum populorumque genio. Tales erant falsi Prophetæ, de quibus Jeremias cap. 5. vers. 31. *Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia*.

4. Qui venditant falsa ad religionem pertinentia, uti faciunt, qui falsa prædicant miracula, qui fictas proponunt indulgentias, qui falsas exponunt reliquias. Tales sunt illi, qui libros Apocryphos scripserunt, quasi religio egeret mendaciis.

Consect. 5. Mendacium contrarium justitiæ, quo nocetur notabiliter proximo vel quoad vitam, vel quoad honorem, vel quoad bona temporalia, est peccatum mortale; quia est contra virtutem ad salutem absolute necessariam.

Sic mendaces peccant mortaliter in sequentibus casibus.

1. Si noceant vitæ corporali. Tale fuit mendacium senum Susannam adulterii accusantium; lex enim adulteram morti addicebat. *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera*. Lev. 20. vers. 10.

2. Si

2. Si noceant vitæ spirituali, verb. gr. si proximum ad peccandum mortaliter suo mendacio alliciant. Tale fuit mendacium Pseudo-Prophetæ, de quo 3. Reg. 13. v. 18. *Ait illi: Ego Propheta sum similis tui, & Angelus locutus est mihi in sermone Domini dicens: reduc eum in domum tuam, ut comedat panem & bibat aquam: & fefellit eum.*

3. Si noceant bonis temporalibus proximi, ut si auferant a proximo v. g. hæreditatem, beneficium, &c. Tale fuit mendacium Rachelis abscondentis idola patris sui, in sententia eorum, qui volunt Rachelem verum furtum commisisse auferendo idola patris. *Ne irascatur meus Dominus, quod coram te consurgere nequeo; quia juxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi. Sic delusa sollicitudo quærentis est.* Genes. 31. v. 35.

4. Si noceant honori proximi, injuste diffamando. Tale fuit mendacium uxoris Putipharis dicentis de Joseph: *Ingressus est ad me, ut coiret mecum.* Genes. 39. vers. 14.

Consect. 6. Mendacium oppositum publicæ fidei, quo fides publica læditur, est peccatum mortale, præcipue cum res deducta est, aut deduci potest ad forum contentiosum; quia publica illa falsitate insigniter nocetur bono publico, quod fieri nequit absque peccato mortali: insuper mendacium hoc solet vocari crimen falsi, quod in utroque jure punitur severis pœnis, quod indicat peccatum esse mortale.

Monit. Fit autem crimen falsi tribus modis.

1. Per dictum: ut si testis falsum deponat, uti fecerunt viri diabolici, qui dixerunt falsum testimonium contra Nabot, imponendo ei blasphemiam: 3. Reg. cap. 21. v. 13. vel si testis verum supprimat, uti fecerunt duo falsi testes contra Christum, dicentes: *Hic dixit: Possum destruere templum hoc, & post triduum reædificare illud:* Matth. cap. 26. vers. 61. siquidem reticebant, quod Christus de templo corporis sui, non de templo Jerusalem loqueretur. *Uterque enim reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit.* August. can. *Falsidicus.*

2. Per scriptum: ut si quis falsa confingat instrumenta, aut falsis utatur: item si quis vera instrumenta adversæ parti profutura sine causa abscondat, aut supprimat; quia illud mendacium est contra fidem publicam: de quo ita Capitulare, libro 7. capit. 196. Qui falsa Principum scripta detulerint, ut falsarii puniantur: *Tam ille qui subripit instrumentum, quam qui adversario parem advocationis copiam subtrahit, iniquam ostendit a se litem foveri*, & capit. *pervenit*, extra de cogendis testibus: & ita non licet perditis primævis instrumentis similia confingere.

Ubi nota, quod instrumentum potest esse falsum vel in substantia, vel in circumstantiis: in substantia, ut si Titius scribatur hæres loco Sempronii: in circumstantiis, ut si tempus pro tempore ponatur, quod Gallice solet dici, *antidate*: aut si locus pro loco ponatur.

3. Per factum: ut si quis monetam adulterinam cudat: si aurum vel argentum corrumpat: si pondera vel mensuras minuat: sigillum falsum apponat: si duobus in solidum rem eamdem vendat; in quibus omnibus casibus mendacium est peccatum mortale, quia publicæ fidei opponitur.

Consect. 7. Mendacium, quod fit a persona publica, cui ex officio incumbit veritatem tueri, est peccatum mortale, etiamsi non sit alicui privato noxium: ita D. Thom. *Quia tenentur veritatem conservare ex suo officio in judicio & doctrina, contra quæ si mentiantur, erit mendacium, quod est mortale.* 2. 2. q. 110. a. 4. ad 5.

Et sic non excusantur a mortali Doctores, Theologi, Prædicatores, Judices, qui veritatem eis depositam tueri negligunt, eamque vel occultant erubescentes Evangelium, vel corrumpunt adulterantes verbum Dei.

Et sic non excusantur a mortali magistri, qui ex negligentia insigniter culpabili, vel ex odio veritatis, vel ex timore mundano, falsas opiniones docent *circa ea, quæ pertinent ad perfectionem scientiæ, & informationem morum*, ut loquitur D. Thom. *Minime vero si falsa opinio ex mendacio generata sit circa aliquid, de quo non referat, utrum sic, vel aliter cognoscatur.* 2. 2. q. quæst. 100. a. 4. in C.

Consect. 8. Mendacium quodcumque juramento firmatum est peccatum mortale; importat enim contemptum Dei: & sic non excusantur a peccato mortali

1. Notarius falsitatem aliquam inserens in instrumento publico, etiam consentientibus partibus; quia juravit se ab omni falsitate temperaturum; & quia vitæ, aut saltem honoris periculum subit, si coram judice accusetur & falsitatis convin-

car-

catur: exponere autem se lubenter tali periculo est peccatum mortale.

2. Ministri justitiæ, v. g. Advocati, Procuratores, Scribæ, Judices, Testes; quia hi vulgo jurant se nihil contra veritatem acturos.

Confect. 9. Mendacium quodcumque cum gravi scandalo conjunctum, est peccatum mortale: sic mendacium, inquit Div. Thom. *erit etiam peccatum mortale, dum scilicet aliquis non veretur propter scandalum publice mentiri*. 2. 2. q. 110. art. 4. in corp. Tale est mendacium publicum Episcopi, Sacerdotis, Religiosi, qui quocumque in casu mentiri non erubescunt; per hoc enim dignitatem suam maxime deprimunt: de quo Gregor. Papa VII. ad Alphonf. Hispaniæ Reg. *Mendacium*, inquit, *in Sacerdotibus quasi sacrilegium conjicias*.

Confect. 10. Mendacium quodcumque conjunctum cum intentione mortaliter culpabili est peccatum mortale. Tale est mendacium etiam leve, vel officiosum, & jocosum dictum intentione mœchandi, furandi, &c. ut supra diximus ubi de distinctione inter peccatum mortale & veniale.

ARTICULUS III.

Quando mendacium sit peccatum veniale solum.

PRop. *unica*. Toties mendacium est solum peccatum veniale, quoties vel est indeliberatio ex parte dicentis, vel non est insigne nocumentum in persona, contra quam dicitur mendacium, vel non est in dicente animus fallendi; quia tunc non interveniunt requisita ad peccatum mortale: de hoc ita Cajetanus, verbo Mendacium: *Potest autem mendacium efficere, ut non pertingat ad peccati mortalis perfectionem tripliciter; vel propter imperfectionem actus ex parte dicentis, ut in primis motibus contingit, propter non deliberate consentire; vel propter imperfectionem actus ex parte nocumenti, ut in minimis contingit; vel propter imperfectionem ex parte formæ, ut contingit in detractione non animo detrahendi, & similibus, ita quod mentiens in materia perniciosa, puta in scientificis, non animo nocendi alicui, sed ex loquacitate, non putans inde aliquem notare, & concipere falsam doctrinam, quia non formaliter dicit perniciosum, non peccat mortaliter, nisi documentum sit adeo notabile, ut peccatum redeat in naturam suæ formæ*, id est, fiat perniciosum.

CAPUT III.

De fama & honore.

FAma est existimatio, quam habemus de aliquo ob ejus probitatem; quia vera fama innititur probitati & Deo, & hominibus cognitæ, juxta illud Pauli: *Providemus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*. 2. ad Corinth. c. 8. vers. 21.

Honor est protestatio alteri exhibita ob virtutem & excellentiam illius; quia virtus & excellentia merentur honorem, juxta illud Pauli ad Rom. 2. v. 19. *Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum*. Diminutio famæ dicitur diffamatio. Diminutio honoris dicitur contumelia. Agemus 1. de cura conservandi famam. 2. De fuga diffamationis. Postea vero de cura conservandi honorem, & de fuga contumeliæ.

Fama absolute spectata acquiritur probitatis exercitio; deperditur vitio.

Fama spectata, prout est in mente cogitantis, conservatur, dum de nobis, vel de proximo bene sentimus; minuitur vero, cum male vel de nobis, vel de proximo sentimus.

Fama spectata, prout est in auribus audientium, conservatur, dum de nobis, vel de proximo recte loquimur; minuitur vero, cum de nobis, vel de proximo malo habemus.

ARTICULUS I.

Quæ sit obligatio conservandi propriam famam.

PRop. 1. Quælibet persona publica tenetur propriam famam ex lege justitiæ conservare, & injustam infamiam repellere.

Prob. 1. Paulus 1. ad Timot. 3. v. 2. ait: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse*: & v. 7. *Oportet autem illum testimonium habere bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum Diaboli*: & ad Tit. 2. v. 15. *Nemo te contemnat*: Atqui hæc exigunt, ut Prælatus sit bonæ famæ: Ergo tenetur bonam famam summo studio tueri: & quia persona publica non est sui commodi, sed aliorum, ejus

ejus pariter fama non est sua, sed aliorum: Ergo ex justitia tenetur eam illibatam servare.

2. Ex D. Thom. *Illi quibus incumbit ex officio, vel statu perfectionis, aliorum saluti providere, peccant, nisi infamiam propriam juxta posse repellant*. Quodlib. 20. art. 13. in corp.

3. *Rat.* Persona publica debet singulari cura tueri id omne, quod est necessarium ad gloriam Dei, & hominum salutem promovendam; quia ad id præcipue statuitur persona publica: Atqui bona fama ad id est omnino necessaria, ut patet: Ergo persona publica debet singulari cura famam tueri, non eo fine, ut in ea fama sibi complaceat, hoc enim malum est, sed ut gloriam Dei promoveat, & ut aliis vel exemplo, vel opera magis prodesse possit. Sic Paulus ait ad Gal. 1. v. 24. & 14. *Ecclesiæ Judæorum in me clarificabant Deum*: & 1. ad Thessal. 1. v. 7. eos laudat, quod *forma facti sint omnibus credentibus in Macedonia & in Achaja*.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Hi, qui subjiciuntur, debent speciali cura propriam famam tueri.

1. Prælati omnes spirituales. 2. Prælati omnes civiles, 3. Prælati omnes domestici; quia omnibus, sed præcipue Prælatis dictum est: *curam habe de bono nomine*.

Prop. 2. Quilibet etiam privatus tenetur propriam famam conservare motivo caritatis, quoties bonum Dei & utilitas proximi id exigunt; minime vero motivo cupiditatis, quando id solum suadet inanis gloriæ desiderium.

Prob. 1. Script. *Curam habe de bono nomine*. Eccle. 41. v. 15. *Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut in eo, quod detrectant de vobis, tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis*. 1. Petri 2. vers. 12. Ergo privati tenentur famam suam conservare.

2. Ex D. Th. *Fama non est necessaria homini propter seipsum, sed propter proximum ædificandum, & Deum honorandum. Appetere famam propter proximum, vel propter Deum, caritas est; Appetere vero propter se ipsum, ad inanem gloriam pertinet*. Quodlib. 10. art. 13. in corp. Ergo ex caritate tenemur famam nostram illibatam servare.

3. *Rat.* Homo tenetur gerere curam bonorum temporalium; quia etsi sit illorum dominus, non ita est dominus, ut possit pro libito ea dilapidare, sed eis uti debet in gloriam Dei, in utilitatem tum sui, tum proximi: Ergo & tenetur curam gerere propriæ famæ; quia *melius est nomen bonum quam divitiæ multæ*. Prov. 22 v. 1. Ergo privatus quilibet tenetur propriam famam curare in gloriam, & in utilitatem spiritalem tum sui, tum proximi.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Debemus ambire gloriam, quæ in probitate consistat. *Qui gloriatur*, inquit Paulus, *in Domino glorietur*. 2. Cor. c. 10. v. 31. *Æmulamini charismata meliora*. 1. Cor. c. 12. v. 31.

Consect. 2. Debemus spernere gloriam, quam pravi homines volunt sitam esse in vitio. *Quid*, inquit David, *gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Psalmo 51. vers. 3. & Isaias vers. 9. objurgat eos, qui *peccata sua sicut Sodoma prædicaverunt*.

Consect. 3. Debemus proximo subtrahere omnem occasionem diffamandi nos; *quia non subtrahere hanc occasionem, esset scandalum activum*, inquit D. Th. Quodlib. 10. a. 13.

Consect. 4. Debemus linguas detrahentium compescere eo modo, quo debemus impedire furta, *scilicet, non alio modo, quam quo tenemur saluti proximi providere*. D. Th. ibid.

Consect. 5. Debemus probitatem exterius exercere, non ex hypocrisi, ut laudemur, sed ex caritate, ut ædificetur proximus, & laudetur Deus. *Vos estis lux mundi*, inquit Christus, *luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*. Matth. 5. v. 16.

Monit. Ex D. Th. Licet privato homini pati detrimentum famæ suæ, modo illud *non vergat in præjudicium aliorum*; quia tunc privatus non positive influit in sui ipsius diffamationem: sicut licet privato lacessito pati sui ipsius vulnerationem, aut occisionem, numquam vero licet se ipsum vulnerare aut occidere. *Sui arbitrii est*, inquit D Th. *detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum*. 2. 2. q. 73. art. 4. ad 1. *& ideo in hoc potest commendari, quod patienter proprias detractiones sustineat*. D. Th. ibid.

AR-

ARTICULUS II.

Quam stricte prohibeatur diffamare se ipsum.

PRop. unica. Nulli privato homini, a fortiori publico, licet se ipsum diffamare vel imponendo sibi falsum crimen, vel extra rigorem juris crimen verum, sed occultum manifestando.

Prob. 1. Script. *Non loqueris contra proximum falsum testimonium*. Exod. 20. vers. 16. Ergo neque contra te ipsum; quia debemus nos plus quam proximum diligere.

2. Ex Aug. *Prohibetur quemquam adversum se falso testari, sicuti adversus proximum; quemadmodum de præcepto*, non occides, *una & proximi homicidium & proprium prohibetur*. l. 1. de Civit. Dei 20. vers. 20. & rursus: *Qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est*. Aug. ad fratres in eremo serm. 51.

3. *Rat.* Homo etiam privatus multo plus debet famam suam diligere, quam famam proximi; quia amor bene ordinatus incipit a se ipso: Atqui non possumus alios diffamare: Ergo multo minus nosmetipsos.

Homo etiam privatus non ita est dominus suæ famæ, ut possit eam pro libito prodigere, sed debet eam prudenter conservare; quia si ita non fecerit, Deus author famæ nostræ, Ecclesia custos ejusdem nostræ famæ, proximus nostræ famæ imitator, ex nostri diffamatione injuriam sustinent. Ideo dicit Aug. de bono viduit. c. 22. *Nobis enim necessaria est vita nostra; aliis fama nostra: conscientiam bonam nobis debemus, bonam famam proximo*: Ergo non licet privato homini, a fortiori publico, se ipsum diffamare; quia persona diffamata ad omnia munia inutilis est.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Homo privatus diffamando se in materia gravi, peccat mortaliter juxta Cajet.; quia non est dominus suæ famæ; juxta Soto peccat solum venialiter; quia etsi juxta ipsum sit dominus suæ famæ, non tamen potest eam pro libito prodigere.

Consect. 2. Homo privatus etiam juxta Soto peccat mortaliter diffamando se ipsum, si interveniat aliqua circumstantia, quæ mortaliter aggravet sui ipsius diffamationem, puta, si id faciat cum sequentibus circumstantiis. 1. Si turpitudinem suam jactitet; quia laudare se ob peccatum suum est ingens flagitium. 2. Si infanda crimina occulta manifestet; quia dum crimen suum publicum facit, scandalum parit, nisi ex confessione publica tam ardens appareret pœnitentia, tam sincera humilitas, ut criminis manifestatio ædificationem potius quam scandalum pareret. 3. Si in judicio publico id faciat, etiam ob metum tormentorum; quia sicuti metus non excusat a voluntaria occisione sui, ita nec a sui ipsius diffamatione. 4. Si se ipsum diffamet calumniando se; quia mendacium est perniciosum. 5. Si se ipsum diffamet committendo perjurium; quia perjurium est peccatum mortale:

Consect. 3. Homo privatus diffamando se peccat multo gravius, si ejus diffamatio vergat in præjudicium tertii; quia tunc jus nullum habet supra suam famam cum fama aliorum conjunctam. Sic pater familias peccaret graviter, si crimen suum occultum publicum faceret, ex quo toti suæ familiæ ingens damnum enasceretur. Sic peccaret reus, qui complices occultos extra casus in jure expressos judici manifestaret. Quinam sint illi casus, dicetur ubi de reo.

Consect. 4. Persona publica diffamando se ipsam, multo gravius peccat quam persona privata; quia ejus diffamatio semper nocet bono publico. Sic Episcopus, Curatus, Religiosus, Magistratus diffamando se multo gravius peccant, quam si essent personæ privatæ; quia hæc diffamatio nocet vel Ecclesiæ, vel Reipublicæ.

ARTICULUS III.

Quæ sit obligatio conservandi famam proximi.

PRop. unica. Persona privata, a fortiori publica, debet gerere curam famæ proximi, & se se injustæ ejus diffamationi opponere quantum potest.

Prob. 1. Scriptura. *Super argentum & aurum gratia bona*. Prov. 22. v. 1. Sed tenemur curare bona temporalia proximi: ergo a fortiori ejus famam.

2. Ex Aug. *Multo misericordius operantur erga animas infirmorum, qui famæ bonæ servorum Dei consulunt, quam erga corpora egen-*

gentium, qui panem esurientibus frangunt. lib. de opere Monachali. cap. 22.

3. *Rat*. Bona fama proximi inservit multum ad pietatem promovendam: ergo & ea lege, qua tenemur pietatem promovere, tenemur & bonam proximi famam conservare.

Consect. 1. Quilibet tenetur bene sentire de proximo, omnem suspicionem, omne dubium, omne judicium temerarium longe a mente abjicere, quibus labefactari possit fama proximi.

Consect. 2. Quilibet tenetur recte loqui de proximo, vitans omnem detractionem, omnem calumniam, quibus denigrari possit fama proximi.

ARTICULUS IV.

De prohibitione diffamandi proximum.

Quam stricte prohibeamur diffamare proximum.

PRop. unica. Omnis actio, qua insigniter diffamatur proximus, est peccatum ex suo genere mortale, tanto gravius, quanto atrocior est diffamatio.

Prob. 1. Script. Actio nocens vitæ temporali proximi est peccatum mortale; quia est contra illud: *Non occides*. Actio nocens bonis temporalibus proximi est peccatum mortale; quia est contra illud: *Non furaberis*: Ergo actio nocens insigniter famæ proximi est peccatum mortale; quia est contra illud: *Non loqueris contra proximum falsum testimonium*.

2. Ex D. Th. *Auferre alicui famam valde grave est; quia inter res temporales videtur fama esse pretiosior, per cujus defectum homo impeditur a multis bene agendis; & ideo detractio*, & proinde diffamatio, *per se loquendo, est peccatum mortale*. 2. 2. q. 73. art. 2.

3. *Rat*. Quod pacem perturbat, justitiam & caritatem violat, est peccatum mortale; quia actio hæc opponitur virtutibus maxime necessariis: atqui diffamatio pacem perturbat; nemo enim æquo animo patitur societatem illius, quem improbum suspicatur: caritatem violat; quia alteri facimus quod nobis nollemus fieri: justitiam lædit; quia alienum bonum, famam scilicet, violat. Ergo diffamatio est ex suo genere peccatum mortale, tanto gravius quanto atrocior diffamatio; quippe sicuti furti peccatum crescit juxta nocumentum illatum bonis temporalibus, ita & diffamatio crescit juxta nocumentum illatum famæ.

Consect. 1. Diffamatio interior, quæ fit per dubia, suspiciones, & judicia temeraria contra probitatem proximi, etiamsi non aliis manifestentur, est peccatum; quia per hoc proximus apud nos diffamatur.

2. Diffamatio exterior, quæ fit per detractionem & calumniam, est peccatum; quia per hæc proximum apud alios exterius diffamamus.

CAPUT IV.

De diffamatione proximi apud nos interius facta per suspiciones, per dubia, & judicia temeraria.

ARTICULUS I.

Quale peccatum sint suspiciones, dubia, & judicia temeraria facta contra probitatem proximi.

PRop. *unica*. Diffamatio interior, qua proximus apud nos ipsos injuste diffamamus, est peccatum mortale, si interveniat plena deliberatio ex parte agentis, & gravitas ex parte rei, circa quam proximus apud nos diffamatur.

Prob. Ex dictis duo requiruntur ad peccatum mortale. 1. Deliberatio est parte agentis. 2. Gravitas ex parte objecti: Ergo toties diffamatio etiam interior erit peccatum mortale, quoties hæc duo includit.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Nota. Dubium est hæsitatio intellectus in neutram partem inclinans.

Consect. 1. Qui sine fundamento dubitat de probitate proximi, etiam in materia gravi, peccat quidem, sed non mortaliter: peccat, quia non licet dubitare de probitate proximi; *caritas enim non cogitat malum*: non peccat mortaliter, quia dubium non importat plenum assensum.

Nota. Suspicio est inclinatio intellectus, in unam partem potius quam in aliam propendens.

Consect. 2. Qui ex levibus indiciis malam de proximo habet suspicionem, etiam in materia gravi, peccat quidem, sed non mortaliter.

Pec-

Peccat, quia suspicio est actus voluntarius a recta ratione dissonans; non enim debemus indiciis levibus suspicari malum de proximo: ideo Paulus recenset suspicionem malam inter peccata: *Ex pugnis verborum oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ*. 1. Tim. 6. vers. 4.

Non peccat mortaliter, quia suspicio non est plenum, sed inchoatum judicium; suspicio enim ambiguitatem quamdam importat, judicium vero plenam determinationem. *Suspicio*, inquit D. Thomas, *est quid imperfectum in genere judicii, & ideo est imperfectus motus, atque ideo non est mortale ex genere suo; quamvis si fiat ex odio, erit aliquando mortale*. Quodlib. 12. quæst. 22. art. 2.

Nota. Judicium diffamans proximum est assensus firmus malum aliquod affingens proximo.

Consect. 3. Qui male judicat de proximo peccat mortaliter, si diffamet in materia gravi; venialiter vero, si diffamet in materia levi

Peccat mortaliter, si diffamet in materia gravi; quia adsunt omnia requisita ad peccatum mortale, scilicet, plenus consensus, & materiæ gravitas. *Cum aliquis pro certo malitiam alterius æstimat*, inquit D. Thomas, *ex levibus indiciis, & hoc si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale, in quantum non est sine contemptu proximi*, 2. 2. q. 60. art. 3. in C.

Peccat vero venialiter, si diffamet, judicando male in materia levi; quia levitas materiæ excusat a peccato mortali.

Nota. Judicium usurpatum diffamans proximum, est illud, quod fit ab eo, qui non habet authoritatem.

Consect, 4. Judicium usurpatum diffamans proximum apud nosmetipsos, judicando circa ea, quæ Deus prohibuit a nobis judicari, est peccatum mortale; quia est contra justitiam, & contra vetitum Christi: *Nolite judicare, ut non judicemini*. Matth. c. 6. v. 1. *Nolite condemnare, & non condemnabimini*. Matth. 6. v. 3. Tale est judicium, quo judicamus de statu æterno, quem quis habiturus est post mortem, illud enim ad solum Christum pertinet, & post judicium universale patebit: de quo judicio ita Paulus: *Nolite judicare ante tempus, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestavit consilia cordium*. 1. Cor. 4. v. 5. Tale est judicium, quo de interna intentione proximi judicamus; hoc enim ad solum Deus pertinet, juxta illud: *Scrutans corda & renes Deus*. Tale est judicium, quo personam proximi in his, quibus non nobis subjicitur, judicamus. *Tu quis es*, inquit Paulus, *qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit*. ad Rom. 14. v. 4. *Tu qui es, qui judicas proximum?* inquit Jacobus 4. v. 13.

Nota. Judicium temerarium diffamans proximum est illud, quod fit sine fundamento.

Consect. 5. Judicium temerarium, quo quis sine sufficienti fundamento affingit proximo aliquem defectum moralem, diffamans proximum, est peccatum mortale; quia sine sufficienti causa despicit proximum in corde suo. Judicium temerarium in re gravi est peccatum mortale, ait D. Th: Tale est judicium, quo judicamus aliquem peccatorem esse; quia exterius punitur a Deo: uti amici Job, qui judicarunt Job incidisse in aliquod grave peccatum; quia manus Dei affligebat ipsum: uti Gentiles, qui judicarunt Paulum esse homicidam; quia videbant viperam ex ejus manu pendentem. Act. 28.

Tale est judicium, quo judicamus proximum talem esse, qualis nobis exhibetur ab ejus accusatoribus: uti fecit Putiphar, qui Joseph Patriarcham detrusit in carcerem, credulus nimium verbis mulieris, quæ Joseph accusaverat. Genes. 39.

Tale est judicium, quo ex actu exteriori vel bono, vel indifferenti, vel venialiter culpabili, intentionem longe scelestiorem affingimus proximo: v. g. opera exterius bona asserimus fieri hypocrisi: opera indifferentia dicimus fieri pravo motivo: opera venialiter mala, v. g. motus indeliberatos iræ & impatientiæ, &c. in obstinatum animum refundimus. Tale est judicium stulti: de quo Eccl. 10. vers. 3. dicitur: *In via stultus ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat*.

Nota. Judicium malitiosum est illud, quod provenit ex pravo affectu.

Consect. 6. Judicium malitiosum infamans proximum ex pravo affectu, est peccatum mortale, si materia sit gravis, & pravus affectus pertingat usque ad malitiam mortaliter culpabilem; quia interveniunt duo requisita ad peccatum mortale, scilicet malitia agentis, & gravitas materiæ.

Tale est judicium illius, qui alicui vitio deditus idem vitium affingit proximo.

Ta-

Tale est judicium illius, qui affectus odio, invidia contra proximum, ea vitia affingit proximo, quæ optaret ab ipso committi.

ARTICULUS II.

De circumstantiis aggravantibus diffamationem interiorem factam per suspicionem, dubium, & judicium injustum.

PRop. *unica*. Gravitas suspicionis, dubii, & judicii injusti crescit, vel decrescit ex triplici capite.

1. Ex qualitate signorum, quibus suspicio, dubium, & judicium fundantur; quia hæc signa augent vel minuunt temeritatem in dubitante, suspicante, & judicante.

2. Ex pravitate cordis inclinantis ad suspicionem, dubium, & judicium; quia juxta affectum bonum, vel malum, graviora fiunt, vel leviora suspicio, dubium, & judicium injustum.

3. Ex gravitate peccati, quod per suspicionem, dubium, & judicium temerarium affingitur proximo; quia juxta illam gravitatem diffamatio crescit.

Sic gravius peccat qui vel judicat, vel suspicatur, vel dubitat sine ullo fundamento, quam qui idem præstat cum levi fundamento.

Sic gravius peccat qui dubitat, suspicatur, judicat ex odio, ex invidia, quam qui idem præstat ex levitate.

Sic gravius peccat qui temerarie suspicando, dubitando, judicando, affingit proximo peccatum mortale, quam qui affingit peccatum veniale.

ARTICULUS III.

De casibus, in quibus sine peccato possumus de proximo dubitare, suspicari, & judicare.

PRop. *unica*. Dubium, suspicio, judicium sunt sine peccato, si fiant non animo diffamandi proximum, sed animo præcavendi mala, quæ nobis, aut aliis possent accidere. (*a*)

Prob. 1. Script. Christus jubet, ut fratrem peccantem arguamus. Matth. 18. v. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum.* Jubet Deus, ut subditos puniamus: *Maleficos non patieris vivere.* Exod. 22. vers. 18. Paulus monet, ut non communicemus operibus infructuosis: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.* Ad Ephes. c. 3. vers. 11. Joannes vetat, ut non credamus omni spiritui: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.* 1. Joan. cap. 4. v. 1. Ergo quilibet potest sine peccato dubitare, suspicari, & judicare, non animo diffamandi, sed animo præcavendi.

2. *Rat.* Actus, quo personas scelestas fugimus, quo sceleratos improbamus, disseminantes prava dogmata rejicimus, non est malus, sed est actus prudentiæ: Ergo licet prudenter dubitare, suspicari, & judicare, animo præcavendi mala, & non animo diffamandi proximum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Licet examinare & judicare juxta regulas veritatis, & prudentiæ exteriora omnia proximi, quæ veram famam nec augent, nec minuunt; quia id nullatenus diffamat: & ita licet examinare & judicare, an proximus sit dives vel pauper, robustus vel debilis, ingratus vel doctus, acutus vel tardus ingenio, ægrotus aut sanus, &c.

Consect. 2. Hæ cautiones adhibendæ sunt, dum de proximo judicamus.

1. Privatus debet in judicando de personis præmittere sui ipsius considerationem: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Matth. cap. 7. vers. 5. alias juxta Paulum non meretur excusationem qui damnat in alio quod in se ipso non damnat: *Propter quod inexcusabilis es, o homo omnis, qui judicas: in quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim agis quæ judicas.* ad Roman. 2. vers. 1.

2. Debet maturam rei præmittere considerationem ad imitationem ipsius Dei, qui

(*a*) Falsa est propositio, si intelligatur de dubio, suspicione, & judicio positivis: hi enim actus sunt contra caritatem, de qua dicitur: *Non cogitat malum.* Sed vera est propositio in eo sensu, quo quilibet potest prudenter & sibi, & rebus suis præcavere, prævidendo omnia, quæ sibi nocere possunt, & non æqualem omnibus fiduciam adhibendo.

qui judicaturus Sodomitas ait : *Descendam & videbo*. Gen. 18. v. 21.

3. Debet res tales judicare, quales sunt: malas debet habere ut malas; bonas, ut bonas; indifferentes, ut indifferentes, juxta illud Joan. *Nolite judicare secundum faciem, sed justum judicium judicate*. cap. 7. v. 24.

4. Res dubiæ & ambiguæ semper sunt in benigniorem partem interpretandæ : ita D. Aug. *Hoc loco : Nolite judicare ut non judicemini : nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur*. De sermone Domini in monte lib. 2. c. 18. Quia, ut inquit D. Th. *Melius est, ut aliquis frequenter fallatur, habens bonam opinionem de aliquo, quam ut rarius fallatur, habens malam opinionem de aliquo*. 4. 2. q. 60. a. 4.

5. Numquam pravitas, quæ in facto exteriori, vel in externa specie personæ apparet, debet attribui intentioni interius in corde latenti; quia (ut optime monet Bernardus) si non possumus excusare actionem, debemus excusare intentionem; & quia, ut ait Cajetanus : *Judicium verum est licitum, judicium personarum quoad interius est illicitum*.

CAPUT V.

De diffamatione exteriori, qua per calumniam & detractionem proximum apud alios diffamamus.

ARTICULUS I.

Quale peccatum sit diffamatio exterior.

PRop. unica. Diffamatio exterior, qua proximum apud alios diffamamus, calumniando, vel detrahendo, est peccatum ex suo genere mortale, si adsit deliberatio ex parte agentis, & gravitas materiæ ex parte rei, circa quam fit diffamatio.

Prob. Ex dictis supra duo requiruntur ad peccatum mortale. 1. Deliberatio ex parte agentis. 2. Gravitas ex parte objecti. Ergo si in diffamatione exterius facta hæc duo reperiuntur, diffamatio illa exterior erit peccatum mortale. Duæ autem sunt species exterioris diffamationis, scilicet, calumnia & detractio, quæ his versibus continentur.

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens.

Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remisse.

ARTICULUS II.

De calumnia.

CAlumnia est impositio falsi malitiose, & scienter facta.

Prop. unica. Calumnia est peccatum mortale, si adsit gravitas materiæ, & plena deliberatio.

Prob. 1. Script. *Non eris criminator, nec susurro in populo... Ego Dominus*. Lev. 19. v. 16. Qua emphasi denotatur criminationem ingens esse peccatum, quod divinam vindictam acceleret.

2. Ex Concilio Arelatensi primo an. 314. can. 14. *De his, qui falso accusant fratres suos, placuit eos usque ad exitum vitæ non communicare* : Ergo est peccatum mortale ; quia hæc pœnitentia solis lethalibus peccatis infligebatur.

3. *Rat*. Calumnia in materia gravi multum infamat proximum : Ergo est peccatum mortale. Fit autem calumnia quatuor modis. 1. Imponendo malum. 2. Augendo malum. 3. Negando bonum. 4. Minuendo bonum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Explicans vocem istam *imponens*. Peccat mortaliter qui imponit crimen falsum proximo, quocumque motivo id faciat : sive motivo inhonorandi proximum, uti fecerunt senes Susannam accusantes adulterii : Daniel. 13. sive motivo falsam accusationem depellendi, uti faciunt vulgo qui defendunt se contra falsos testes aut accusatores. 1. Quia numquam licet calumniari, cum calumnia sit natura sua malum. 2. Quia non sunt facienda mala, ut veniant bona. 3. Quia Paulus ita jubet : *Benedicite persequentibus vos, & nolite maledicere*. 4. Quia debemus Christum imitari, *qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste*. 1. Pet. 2. 23. Quia damnata est sequens propositio : *Non peccat mortaliter qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat*.

Consect. 2. Explicans dictionem istam *augens*. Peccat mortaliter *augens*, idest qui auget insigniter crimen commissum a proximo, quocumque motivo augeat ; quia quantum ad illas circumstantias, quibus aggravat malum a proximo commissum, est vere calumniator. Talis fuit calumnia eorum, qui aggravantes Absalonis factum, non unum Ammonem occisum, sed o-

omnes fratres ab illo trucidatos Davidi nuntiarunt.

Confect. 3. explicans dictiones istas *qui negat*. Peccat mortaliter qui negat bonum factum a proximo, si ea negatione intendat nocere famæ proximi; quia non minus est calumniator qui negat probitatem proximi, quam qui ei affingit vitium. Tales fuere Pharisæi, qui dicebant: *Hic non ejicit Dæmones, nisi in Beelzebu Principe Dæmoniorum.* Matth. 12. v. 24.

Confect. 4 explicans dictionem istam *aut minuit*. Peccat mortaliter qui in re gravi minuit bonum factum a proximo; quia quantum ad illud bonum, quod minuit, est vere calumniator. Talis fuit calumnia illius Archisynagogi, de quo loquitur Lucas, qui cum vidisset quod Jesus Sabbato curasset mulierem, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere, dicebat turbæ: *Sex dies sunt, in quibus oportet operari; in his ergo venite & curamini, & non in die Sabbati.* His verbis volens minuere miraculum Christi.

ARTICULUS III.

De detractione.

Detractio est injusta manifestatio criminis veri, sed occulti, facta animo denigrandi proximum.

Prop. unica. Detractio est peccatum mortale, si adsit plena deliberatio, & materiæ gravitas (*a*).

Prob. Script. *Abominatio hominum detractor*, Prov. 24. v. 9. *Nolite detrahere alterutrum fratres mei*, Jacob. 4. v. 11. Ergo cum detractio reddat nos abominandos, debet esse peccatum mortale.

2. Ex lib. de salutaribus documentis c. 26. in appendice Augustini tom. 6. ubi sic habetur: *Detrahentis, & audientis, utrisque esca mortis est animæ detractio, & ut brevius concludam, detractor, & libens auditor Diabolum portat in lingua*: ergo detractio cum sit *mors animæ & sedes Diaboli*, est peccatum mortale. Et ibid. cap. 32. *Detractio fornicatio est animæ*: Ergo est peccatum mortale sicut fornicatio.

3. *Rat.* Detractio in materia gravi multum diffamat proximum; quippe manifestat ejus crimen occultum: Ergo est peccatum mortale. Fit autem detractio quatuor modis: 1. Manifestando malum occultum. 2. Occultando bonum, quod necessum est manifestari. 3. Bonum vertendo in malam intentionem. 4. Laudando segniter bonum proximi, cum laudari necessum est.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. explicans dictionem istam *manifestans*. Peccat mortaliter *manifestans*, id est, qui sine causa manifestat malum proximi in his circumstantiis, in quibus nocet famæ proximi, sive sit primus qui malum illud aperit, sive malum illud ab alio jam manifestatum, aliis manifestet; quia per hoc multum detrahit famæ proximi. Talis fuit actio Hebræi, qui homicidium a Moyse occulte, immo authoritate Dei commissum, publicum fecit, dicens: *Quis te constituit Principem & judicem super nos? num occidere me vis, sicut heri occidisti Ægyptium?* Exod. 2. vers. 14.

Ejusdem detractionis rei sunt

1. Qui narrant amico injuriam sibi factam, ut consolationem accipiant; quia a Deo, & non ab amico oportet consolationem expectare, uti faciebat David: *In me psallebant qui bibebant vinum; ego autem orabam.* Psal. 68. vers. 16.

2. Qui ex levitate, aut loquacitate narrant quæ possunt lædere famam proximi; quia linguam retinere oportet. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Jacob. 3. v. 2.

3. Qui laudat in uno genere, & vituperat in alio: v. g. qui dicit proximum esse quidem liberalem, sed tamen impudicum. Hæc laus verum est vituperium. *Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula*, inquit Psalmista.

4. Qui uni soli narrat crimen occultum; quia aliquando gravius est denigrari apud unum, quam apud multos.

5. Qui accusatus de crimine vero & sufficienter convictus, ita audacter negat, ut accusator & testes calumniatores habeantur. Hactenus Sylvius.

6. Qui sine causa manifestat crimen publicum ibi, & apud eos, apud quos non erat delatum; quia tali manifestatione nocet famæ proximi: licet enim homo publice diffamatus non habeat jus tuendi famam, ubi publica est ejus diffamatio; habet tamen jus eam conservandi & ibi & apud eos, apud quos

(a) Hoc est verum: sed in Consectariis sequentibus omisi vocem illam *graviter*, quæ debet semper subintelligi, ut peccatum sit mortale.

quos diffamatio non pervenit. Ita Sylvius. Hæc diffamatio est longe gravior, quando parentes rei diffamantur; quia tunc nocetur parentibus innocuis, qui habent jus conservandi famam. Hæc diffamatio est etiam longe gravior, quando publice diffamatus per sanctitatem & pœnitentiam famam priorem recuperaverat.

Confect. 2. explicans voces istas *in mala vertens*. Peccat mortaliter *in mala vertens*, id est, qui in re gravi bonum opus proximi in pravam intentionem detorquet; quia & nocet famæ proximi, & sine causa male de proximo judicat.

Talis erat detractio Core, Dathan, & Abiron, qui populi Judaici exitum ab Ægypto detorquebant in pravam libidinem dominandi, qua & Moysen & Aaronem detineri mentiebantur: *Numquid*, inquiebant, *parum est tibi, quod eduxisti nos de terra, quæ lacte & melle manabat, ut occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri?* Num. 16. v. 13.

Confect. 3. explicans voces istas *qui tacet aut minuit bonum proximi*. Peccat qui in re gravi bonum opus proximi aut tacet, cum necessum est, ut manifestetur, aut illud idem opus bonum minuit; quia eo silentio nocet famæ proximi. Talis erat detractio Judæorum Paulum insectantium, & bona ejus opera aut occultantium, aut minuentium.

ARTICULUS IV.

De circumstantiis tum augentibus, tum minuentibus diffamationem exteriorem proximi.

PRop. *unica*. Omnis diffamatio exterior crescit, vel decrescit juxta circumstantias exteriores.

Prob. ex dictis in Tractatu II. Omne peccatum exterius crescit per circumstantias exteriores: Ergo diffamatio exterior debet per illas circumstantias crescere, vel decrescere. Percurruntur illæ circumstantiæ.

Confectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. ex circumstantia *quis*. Diffamatio est eo gravior, quo dignior est persona diffamans, aut quo dignior est persona diffamata; quia quo persona diffamans est dignior, eo majorem meretur fidem; & quo dignior est persona diffamata, eo vilius deprimitur.

Sic Episcopus diffamans magis peccat, quam Religiosus; Religiosus, quam simplex Sacerdos; simplex Sacerdos, magis quam Laicus; Magistratus, magis quam plebejus.

Sic gravius peccat qui diffamat Episcopum, quam Religiosum; Religiosum quam simplicem Sacerdotem; Sacerdotem quam Laicum; nobilem quam plebejum. Ita nos a Magnatum detractione dehortatur Scriptura: *Diis non detrahes*. Exod. 22. v. 28. Et David: *Nolite tangere Christos meos*. Psal. 104. In pœnam hujus detractionis exhibet nobis Scriptura Mariam lepra infectam, eo quod contra Moysen murmurasset.

Sic gravius peccat qui diffamat Communitatem, quam singularem personam: & inter Communitates gravius est diffamare Communitatem Religiosam, quam Ecclesiasticam; Ecclesiasticam, quam civilem.

Confect. 2. ex circumstantia *quid*. Diffamatio eo est gravior, quo materia, in qua fit diffamatio, est gravior; quia per hoc ejus fama magis labefactatur.

Sic gravius peccat qui diffamat de peccato mortali, quam de veniali; & inter peccata mortalia gravius peccat qui diffamat de peccato, quod nedum coram Deo, sed etiam coram hominibus turpe habetur, quam de eo, quod solum coram Deo exosum est.

Sic gravius peccat qui diffamat de peccato, quod directe statui personæ opponitur, quam de peccato, quod ejus statui non opponitur; v. g. gravius est dicere de judice, quod venalem habeat justitiam, quam dicere quod sit superbus: gravius de Sacerdote dicere, quod sit impudicus, quam dicere quod sit avarus: gravius dicere de Nobili, quod sit proditor patriæ, quam quod sit procus.

Confect 3. ex circumstantia *ubi*. Diffamatio eo est gravior, quo est magis publica; quia quo est magis publica, eo apud plures fama labefactatur.

Sic gravius est diffamare in foro coram multis, quam domi coram paucis.

Confect. 4. ex circumstantia *quibus auxiliis*. Diffamatio eo est gravior, quo plura secum trahit nocumenta; nam diffamatio semper nocet famæ, sed aliquando nocet aliis bonis.

1. Vitæ corporali, ut si innocens damnetur morti ob diffamationem injustam.

2. Vitæ spirituali, ut si innocens ob diffamationem arceatur ab aliquo statu, in quo saluti æternæ posset facilius vacare: v. g. Clericus arceatur ab ordinibus, Virgo a Monasterio.

3. Bonis fortunæ, ut si quis ob diffamationem privetur hæreditate debita, vel dignitate aliqua, aut ecclesiastica, aut civili.

4. Bono publico, ut si ob diffamationem

Respublica privetur magistratu pio, & erudito, Ecclesia privetur clerico bonæ frugis, & optimæ spei.

Confect. 5. Ex circumstantia *cur*. Diffamatio eo est gravior, quo intentio diffamantis est pejor, & malignior; quia majorem includit malitiam.

Sic gravius peccat qui diffamat ex odio & invidia, quam qui diffamat ex levitate & loquacitate; qui intendit honorem simul, & vitam, & fortunam auferre, quam qui intendit soli famæ nocere: de quo ita D. Thom. 2. 2. q.72. a.2. in corp. *In peccatis verborum maxime considerandum videtur, ex quo affectu aliquis verba proferat.*

Confect. 6. Ex circumstantia *quomodo*. Diffamatio eo est gravior, quo modus diffamandi est magis voluntarius; quia denotat animum nocendi magis obstinatum.

Sic gravius peccat qui diffamat animo deliberato, quam qui diffamat leviter & imprudenter.

Confect. 7. Ex circumstantia *quando*. Diffamatio eo est gravior, quo est diuturnior; quia magis nocet.

Sic diffamatio coram loquacibus est gravior, quam coram cordatis; quia isti tacent, illi vero diffamationem promulgant.

Sic diffamatio scriptis facta est gravior, quam diffamatio solis verbis expressa; quia scripta manent, verba vero volant.

ARTICULUS V.

De casibus, in quibus sine peccato possumus peccatum proximi manifestare.

PRop. unica. Non peccat qui prudenter patefacit malum proximi vel occultum, vel publicum, si talis manifestatio fiat ob utilitatem publicam, vel privatam.

Prob. 1. Script. Christus Matth. 18. v. 16. jubet, ut post fraternam correctionem adhibitam, sic procedamus: *Si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum; quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Ergo Christus jubet, ut prudenter peccata proximi manifestemus, quando hæc manifestatio privata, vel publica potest esse utilis.

2. Ex D. Thom. *Si verba, per quæ famæ alterius minuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio.* 1. 2. q. 73. a. 2. in corp.

3. *Rat.* Quod fit in bonum publicum multorum, aut in bonum privatum alicujus, non est peccatum, nec potest dici detractio; quia hoc non fit animo denigrandi proximum: Ergo manifestatio peccatorum proximi propter utilitatem publicam, vel privatam non est peccatum, nec vera detractio.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Confect. 1. Non peccant qui manifestant peccata proximi ob utilitatem publicam, quales sunt

1. Qui ex zelo fidei manifestat hæreticum, ne latius serpat hæresis: uti fecit Petrus Alexandrinus, qui prænuntiavit, quanta mala Arius Ecclesiæ causaturus erat.

2. Qui ex zelo caritatis manifestat peccatorem, cujus prava vita alios corrumperet; & ita impedit ne virus illud latius serpat: ita fecit Basilius, qui pravum Juliani apostatæ animum iis, quibuscum ille vitiosus adolescens studebat, aperuit.

3. Qui ex zelo religionis manifestat impedimenta matrimonii, & per hoc impedit, ne partes inhabiles invalide matrimonium contrahant: ita fieri præcipit Ecclesia.

4. Qui ex zelo pro Ecclesia manifestat indignitatem clerici, ut impediat, ne indignus recipiatur in Clero.

5. Qui ex zelo pro Republica manifestat indignitatem laici, ut impediat, ne indignus ad magistraturam admittatur.

6. Qui ex zelo justitiæ, cum non adest spes resipiscentiæ, accusat reum coram judice, & efficit, ut puniantur illi, qui nos conturbant.

7. Qui ex amore veritatis historicæ narrat communia facta hominum, bella, homicidia, furta, & alia hujusmodi; quia fides historica non sinit ea reticeri; qualia vidimus enarrari in Historia sacra. Sed infanda & turpia facta reticenda sunt: uti Moyses reticuit crimen pessimum, quo filii Jacob fuere accusati a Joseph coram patre suo.

Confect. 2. Non peccant qui ob utilitatem privatam manifestant malum proximi: quales sunt

1. Qui ex zelo caritatis consulit, quo pacto corrigendus est qui peccavit. Basil. in Reg. Brev. interrog. 25.

2. Qui ex zelo caritatis monet, notatve peccatorem, ne quis cum eo commisceatur: ita Paulus præmonuit Timoth. dicens: *Alexander ærarius multa mihi mala ostendit, quem & tu devita; valde enim restitit verbis nostris.*

3. Qui juxta regulas amicitiæ præmonet amicum, ne hominem vitiosum introducat in domum suam, cumve hospitio recipiat; ne ho-

hominem infidelem in servum conducat; ne feminam rixosam in uxorem accipiat; ne homini loquaci arcanum suum committat, &c.

4. Qui servando moderamen inculpatæ tutelæ manifestat crimen proximi, ut suam innocentiam tueatur: v. g. falso accusatus manifestat verum crimen accusatoris, judicis, &c. si talis manifestatio inserviat ad ejus defensionem, minime vero si ad hoc nihil conducat. Procurator, Advocatus possunt pro clientibus facere quidquid ipsis clientibus permittitur.

Consect. 4. Non peccat qui aperit peccatum proximi ob spiritualem utilitatem vel illius, qui peccavit, vel illius, cui manifestatur peccatum; quia hæc manifestatio non fit animo proximum denigrandi.

CAPUT VI.

De honore proximis exhibendo.

Diximus supra, quod honor religiosus debeatur Deo, Sanctis, & rebus sacris. Diximus pariter, quod honor quidam specialis debeatur patribus, magistratibus, & senibus. Jam dicturi sumus, quod honor quidam communis omnibus debeatur.

ARTICULUS I.

Quis honor debeatur proximo.

Prop. unica. Quilibet homo tenetur exhibere alteri homini honorem aliquem majorem, vel minorem juxta excellentiam, quam habet qui honorandus est.

Prob. 1. Script. *Honore invicem prævenientes.* ad Rom. 12. *Omnes honorate.* 1. Pet. 2. Ergo quilibet debet proximo honorem aliquem exhibere.

2. Ex D. Th. *In quolibet reperitur aliquid, ex quo potest aliquis eum superiorem reputare, secundum illud ad Philip.* 2. In humilitate superiores invicem arbitrantes: *& secundum hoc etiam omnes se invicem debent honore prævenire* 2. 2. q. 103. a. 2. ad 3. Ergo quilibet debet proximo aliquem honorem exhibere.

3. *Rat.* Honor est protestatio quædam de excellentia bonitatis alicujus: atqui nullus est homo, cui non insit aliqua excellentia exceptis damnatis obstinatis in malo, qui ob talem obstinationem merentur non honorem, sed contemptum: ergo nullus est, cui non debeamus honorem aliquem impendere.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Quilibet homo etiam Gentilis meretur aliquem honorem; quia ad imaginem Dei conditus est, & hæc imago non omnino deletur per infidelitatem: ita inquit D. Th. *Cuilibet habenti imaginem Dei est exhibendus honor, nisi confirmatus in malo.* in 3. Sent. dist. 9. quæst. 2. art. 3. in Corp.

Consect. 2. Quilibet homo Christianus majorem honorem meretur, quam Gentilis; quia nedum habet imaginem Dei in se acceptam a creatione, sed insuper habet characterem Christi; designatur enim, ut domesticus Dei per baptismum, ut miles Christi per confirmationem, ut præfectus Ecclesiæ, si sit in aliquo ordine constitutus.

Consect. 3. Quilibet homo virtuosus meretur etiam majorem honorem, quam Gentilis, quam purus Christianus; quia majorem habet excellentiam, quam Gentilis, quam simplex Christianus.

Consect. 4. Omnis persona publica, etiamsi vitiosa, meretur honorem, non ratione peccati, quo inficitur, quia vitium meretur vituperium; sed ratione dignitatis, quam obtinet: de quo ita D. Th. *Persona publica gerit typum, & locum, non sui ipsius, sed alterius, scilicet Christi in Ecclesia, & Reipublicæ, ut Dominus in sæcularibus dignitatibus; & sic valor ejus non computatur secundum personam, sed secundum eum, cujus loco præsidet .. .. & ita ei honor exhibendus est, non propter se, sed propter eum, cujus locum obtinet, sicut adoratio imaginis refertur ad prototypon.* Quodlib. 8. a. 7.

ARTICULUS II.

De diminutione honoris, qui debetur proximo.

Honor debitus proximo minuitur per contumeliam, convitium, & improperium.

Nota 1. Contumelia est actio, qua proximo præsenti manifestatur defectus culpæ.

Nota 2. Convitium est actio, qua proximo præsenti manifestatur defectus culpæ & pœnæ.

Nota 3. Improperium est actio, qua proximo præsenti manifestatur ejus indigentia & minoratio.

Prop. unica. Verba contumeliæ, convitii, & improperii prolata, non animo jocandi, vel corrigendi, sed animo inhonorandi proximum, sunt ex se peccata mortalia, si ad-

si adsit plena deliberatio ex parte agentis, & gravitas materiæ ex parte rei, quæ est objectum illorum verborum; sunt vero peccatum veniale, si interveniat vel indeliberatio, vel levitas materiæ.

Prob. 1. Script. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis*. Matth. 5. Ergo verba contumeliæ, convitii, & improperii sunt peccata mortalia, cum addicant inferno.

2. Ex Aug. Enchirid. cap. 78. ubi sic habet: *Quædam sunt peccata, quæ levissima putarentur, nisi in Scripturis demonstrarentur opinione graviora. Quis enim dicentem fratri suo, FATUE, reum gehennæ putaret, nisi veritas diceret?* Et lib. 21. de Civ. cap. 27. *Si quis*, inquit, *præoccupatus fuerit hoc delicto, ut fratri suo fatue dicat*: Ergo ex Aug. *delictum* est contra proximos verbis uti injuriosis, quando nec joci causa, nec correctionis gratia proferuntur: ergo peccatum mortale; quia delictum sonat peccatum mortale.

3. *Rat.* In peccatis verborum maxime considerandum videtur, ex quo affectu aliquis verba proferat: cum ergo convitium, vel contumelia de sui ratione importet quamdam dehonorationem; si intentio proferentis ad hoc referatur, ut per verba quæ profert, honorem alterius auferat, hoc proprie & per se est dicere convitium, vel contumeliam: & hoc est peccatum mortale, non minus quam furtum & rapina; non enim homo amat minus suum honorem, quam rem possessam.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Contumelia, seu omnis actio, qua quis objicit proximo præsenti peccata mortalia quæ commisit, est peccatum mortale, v. g. si objiciat ipsi, quod sit fur, potator, &c. quia ea actione insigniter offendit proximum.

Consect. 2. Convitium, seu omnis actio, qua quis objicit proximo peccata, quæ commisit, & pœnas, quas ob talia peccata sustinuit, est peccatum mortale: ut si dicat proximo, quod sit impudicus, quod gerat in corpore signa impudicitiæ, &c.

Consect. 3. Improperium, seu omnis actio, qua quis objicit proximo paupertatem, miseriam, ignobilitatem, eique exprobrat, quas ei suppetias contulit, est peccatum mortale, si hoc ingentem afferat proximo tristitiam, & inhonorationem; quia hæc exprobratio proximum gravi afficit tristitia: de hac actione ita Ecclesiast. 20. *Exigua dabit, & improperabit*.

Contumelia, convitium, improperium eisdem circumstantiis aggravantur, quibus aggravatur infamatio. Vide supra dicta.

ARTICULUS III.

De casibus, in quibus contumelia, convitium, improperium fiunt absque peccato.

PRop. unica. Verba contumeliæ, convitii, improperii prolata animo jocandi vel corrigendi, modo id fiat prudenter, non sunt peccata.

Prob. 1. Script. Deus Adamum irrisit, dicens: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*; sic enim acrius suæ admonebatur stultitiæ, qua divinitatem affectaverat. Deus in morte obstinatos peccatores irrisurus est. *Et ego*, inquit, *in interitu vestro ridebo & subsannabo*. Prov. 1. v. 26. Deus irridebit damnatos: *Et innocens*, inquit Job, *subsannabit eos*. Job 22. v. 19. Sancti irridebunt reprobatum: *Videbunt justi, & timebunt, & super eum ridebunt*. Psal. 51. v. 20. Christus irrisit Nicodemum: *Tu es magister in Israel, & hæc ignoras?* Joan. 1. v. 10. Christus discipulis euntibus Emaus dixit: *O stulti & tardi corde ad credendum*. Luc. 24. 25. Et Paulus ad Galatas 3. v. 1. ait: *O insensati Galatæ!* Ergo licet uti verbis contumeliæ, convitii, & improperii, cum ita justa aliqua causa exigit.

2. Ex D. Thom. *Sicut licet verberare aliquem, vel in rebus damnificare causa disciplinæ, ita etiam causa disciplinæ potest aliquis alteri, quem debet corrigere, verbum aliquod convitiosum dicere; & hoc modo Christus Discipulos vocat stultos, & Apostolus Galatas insensatos*. 2. 2. q. 72. a. 2. ad 2. tamen, ut monet Aug. *raro & ex magna necessitate objurgationes sunt adhibendæ: in quibus non nobis, sed ut Domino serviatur, instemus*. Ita refertur a Th. loco citato.

4. *Rat.* Quod fit in bonum publicum multorum, vel in bonum privatum proximi, si fiat secundum regulas prudentiæ, non potest esse peccatum: ergo verba contumeliæ, convitii, improperii prolata eo fine, ut peccatores a peccato deterreantur, vel eo fine ut convertantur, & erubescant, non sunt peccatum.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Verba dura, & contumeliosa, ironica, &c. contra peccatores, non sunt peccata, si judicentur necessaria ad peccantium

tium vel terrorem, vel conversionem; jubet enim aliquando caritas nonnumquam aberrationes hominum irrideri, ut ab ipsis & rideantur & fugiantur. Inde præclara illa Augustini vox: *Hæc tu misericorditer irride, ut eis ridenda & fugienda commendes*. Inde etiam præclara illa Nazianzeni sententia: *Habet quoque spiritus mansuetudinis & caritatis suam vehementiam, suam iracundiam*.

Consect. 2. Verba dura, & contumeliosa & ironica, &c. contra eos, qui perversa docent dogmata, non sunt peccata, si possint inservire vel veritati tuendæ, vel conversioni errantium: de hoc ita Tertullianus. *Multa sunt*, inquit, *sic digna revinci, ne gravitate adorentur. Vanitati proprie festivitas cedit. Congruit & veritati ridere; quia lætans: de æmulis suis ludere; quia secura est. Curandum plane ne risus ejus rideatur, si fuerit indignus. Cæterum ubicumque dignus risus, officium est*. Sacerdotes Baal sic Elias risu arguendo censuit: *Cumque esset jam meridies, illudebat illis Elias dicens: Clamate voce majore: Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur*. Et Christus ipse Nicodemi fastum hac irrisione repressit: *Tu es magister in Israel & hæc ignoras?* ut docent Chrysost. Aug. & Cyrillus.

ARTICULUS IV.

De cooperantibus diffamationi & contumeliæ.

PRop. unica. Qui directe, vel indirecte cooperantur vel diffamationi, vel inhonorationi proximi, peccant tanto gravius, quanto actio est magis voluntaria, & magis influens in diffamationem.

Prob. 1. Script. *Digni sunt morte, & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus*. ad Rom. 1. v. 32.

2. Ex Innocent. I. *Non multum interesse arbitro inter committentis animum, & consentientis furorem: addo amplius, plerumque dediscit errare, cui nemo consentit*. inter Epist. August. 93.

3. *Rat*. Qui cooperatur efficaciter malo, censetur causa mali: ergo cooperatores vel diffamationis, vel inhonorationis, peccant tanto gravius, quanto efficacius concurrunt ad malum. Qui autem cooperantur, his versibus exprimuntur.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Consectaria hujus Doctrinæ.

Consect. 1. Qui hic subiiciuntur directe influunt in diffamationem, vel inhonorationem proximi.

1. Qui expresse jubet alicui, ut detrahat proximo, & inhonoret proximum, aut qui implicite id jubet, ostendens gratam sibi fore detractionem, aut inhonorationem proximi.

2. Qui consulit detractionem, calumniam, contumeliam, convitium, aut improperium.

3. Qui consentit positive, dum fit calumnia, detractio, contumelia, aut convitium, aut improperium.

4. Qui ad calumniam, detractionem, contumeliam, convitium, improperium excitat, laudando eum qui aliquid eorum præstat.

5. Qui addit animos detractori, calumniatori, convitiatori, fovendo illius pravum affectum, suppetias & auxilium promittendo.

6. Qui detrahit, calumniatur, convitiat, aut improperat simul cum eo, qui hæc profert.

Consect. 2. Qui hic subjiciuntur, indirecte influunt in diffamationem, & inhonorationem proximi.

1. Potens, & debens ex officio impedire denigrationem, & inhonestationem proximi, & non impediens, peccat contra justitiam, si sit persona publica, & habens auctoritatem supra loquentem; & quidem mortaliter, si taceat malo animo, & ex complacentia, & diffamatio aut contumelia gravis sit; quia hæc duo sufficiunt ad peccatum mortale: venialiter vero, si id fiat ex indeliberatione, & materia sit levis; quia peccatum ex suo genere mortale fit veniale vel ob indeliberationem agentis, vel ob levitatem materiæ: nullatenus vero peccat, si ex prudentia taceat, differens correctionem usque ad aliud tempus magis opportunum.

Sic peccant qui prave loquentes non arguunt. v. g. superior, si non arguat sibi subditum, pater, si non arguat filium, dominus servum, præceptor discipulum, Episcopu. Diœcesanum, Curatus Parochianum: hujus correctionis exemplum dedit David, dicens: *Existimasti inique, quod ero tui similis, arguam te, & statuam contra faciem tuam*. Psal. 49. v. 21.

2. Potens & debens ex caritate impedire denigrationem & inhonorationem proximi, & non impediens, peccat contra caritatem,

tatem, non arguendo maledicum: mortaliter quidem, si correctio omittatur. 1. Ab eo qui potest & debet. 2. Si omittatur in casu necessitatis. 3. Si omittatur ex defectu caritatis, verb. grat. ex timore mundano prævalente caritati, & materia diffamationis & inhonorationis sit gravis, uti dictum est ubi de correctione.

Nullatenus vero, si correctio omittatur ex justa causa, vel quia correctio prævidetur magis nocitura, quam profutura, vel ob alias causas.

Tunc tamen diffamatio, & inhonoratio aliquo signo potest dissipari, verb. grat. signo tristitiæ, ut monet Sapiens: *Ventus aquilo dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem*. Proverb. 25. vers. 22.

De restitutione famæ, & honoris diximus ubi de restitutione.

Finis Tomi Primi.



